JO. BAPTISTÆ
DE LUCA
Venusini, S.R.E. Presbyteri Card.
THEATRUM
VERITATIS, ET JUSTITIÆ,
SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS DISTINCTI, & ad veritatem editi in forensibus Controversiis Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una Partium scripsit, vel consultus respondit.

Cum Annotationibus, ac Discursibus, qui antea in Supplementis extabant; necnon aliquibus S. R. Rom. recentissimis Decisionibus, & Sum. Pont. Constitutionibus.

Adjectis insuper in hac novissima EDITIONE quamplurimis EXCERPTIS selectisque RATIONIBUS potissimum ad rem facientibus, in materiis præsertim FEUDALIBUS, JURISDICTIONALIBUS, & de PRÆEMINENTIIS. Quæ quidem omnia ex authenticis ALLEGATIONIBUS, aliisque MSS. AUTHORIS CODICIBUS in BIBLIOTHECA BALLEONIANA asservatis, nunc primum eruerunt, suisque locis aptaverunt J. B. S. & F. G.

LIBER DUODECIMUS,

Cujus I. Pars de Beneficiis Ecclesiasticis in genere; II. de Canonicis, & Dignitatibus, Capitulo; Electione, & Actibus Capitularibus; III. de Parocho, & Parochiis.



VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
M. DCC. LIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

INDEX
ARGUMENTORUM
IN DISCURSIBUS,
Qui habentur in Parte Prima Libri Duodecimi de Beneficiis Ecclesiasticis.

Index Argumentorum.

D I S C. XVI.
Turritana Canonicatus.

Ad eamdem Regulam octavam, ſeu nonam menſium, an attendatur mors naturalis, vel potius civilis per captivitatem; Et aliqua de probatione mortis.

D I S C. XVII.
Nuſcana Canonicatus.

Ad eandem Regulam octavam, ſeu nonam menſium, quando Ordinarius gaudet alternativa, an iſta capiat beneficia quæ non ſunt ad liberam Epiſcopi collationem, ſed ad alterius electionem, vel nominationem, quando beneficia in Eccleſia Collegiata ſint de una, vel altera ſpecie.

De pluribus ad materiam Brevis de capienda poſſeſſione nomine Cameræ.

Et de ætate neceſſaria in Canonicatibus Collegiatæ cui incumbat cura animarum, & an iſtius mentio facienda ſit.

D I S C. XVIII.
Taurinen. Canonicatus.

De eadem materia alternativæ non capiendi beneficia, quæ non ſint ad liberam collationem, & quid ubi illa acceptata eſt menſe jam cœpto, an fiat Ordinarius ſi erat Apoſtolicus, vel e contra fiat Apoſtolicus, ſi erat Ordinarius.

D I S C. XIX.
Marianen. ſeu Accien. beneficii.

De eadem materia alternativæ, an ſcilicet Epiſcopus duarum Cathedralium æque principaliter unitarum, acceptando alternativam ſub intitulatione unius Eccleſiæ, illam acceptaſſe cenſeatur pro utraque, vel ſolum pro illa, cum qua ſe intitulavit, altera remanente ſub diſpoſitione juris.

D I S C. XX.
Romana Capellaniæ Taletanæ.

De Curialitate neceſſaria in poſſeſſore beneficiorum Urbis, ad effectum, ut dicantur vacare apud Sedem, ac intret reſervatio, & quando illa dicatur adeſſe.

D I S C. XXI.
Romana Canonicatus.

De Regula ſeptima, ſeu octava ſuper facultate Cardinalium præſentium conferendi beneficia ſuorum Titulorum, eamque denegante Cardinalibus abſentibus, an ſcilicet dicatur præſens, vel abſens illa Cardinalis, qui habens fixum domicilium in Urbe, de tempore vacationis caſualiter repetiatur extra eam, ſed intra diſtrictum.

D I S C. XXII.
Leodien. Canonicatus.

De reſervatione, vel affectione reſultante ex appoſitione manuum Papæ, an intret, quando illa ſequuta eſt eadem die, in qua Ordinarius, ſequuta vacatione, contulit idem beneficium, itaut incertum ſit, qualis eſſet anterior, vel poſterior; Et an pro dicta affectione juſtificari debeat gratia Apoſtolica ſuper reſignatione.

D I S C. XXIII.
Cæſaraugustana Canonicatus.

De concurſu Papæ in conferendo cum Ordinario collatore Beneficia liberæ collationis, quando cenſeatur, vel ſoleat iſta poteſtate uti, atque Ordinarium prævenire.

An, & quæ cenſuræ adimant poteſtatem conferendi Beneficia; Et an prolatis cenſuris contra majorem partem Dignitatum & Canonicorum Capituli collatoris, aliquibus exceptis, dicatur in iſtis reſidere jus Capituli, quod etiam a minori numero ſit repræſentabile circa jus conferendi, vel an iſtud jus impedito Capitulo per cenſuras, conſolidetur in Epiſcopo habente ſimultaneam, vel aliam participationem in conferendo.

D I S C. XXIV.
Gerunden. Canonicatus & Sacriſtiæ.

An, & quando Ordinarius conferre poſſit beneficia reſervata ob non proviſionem infra menſem ſequuta vacatione Sedis Apoſtolicæ, ad materiam textus *in cap. ſi Apoſtolica de præbendis in ſexto*.

D I S C. XXV.
Vicen. Parochialis.

De eadem materia text. *in cap. ſi Apoſtolica de præbendis in ſexto*, an ſcilicet Ordinarius ob vacationem Sedis Apoſtolicæ providere poſſit Eccleſias Parochiales, quamvis reſervatas, quomodo, & quando.

D I S C. XXVI.
Abulen. Beneficii.

De facultatibus Nuntii Hiſpaniarum conferendi beneficia reſervata, ratione menſis, non excedentia 24. quomodo, & quando locum habeant; Et cui incumbat probare valorem, ad effectum videndi, an intrent necne facultates, an ſcilicet proviſo per Nuntium reo & poſſeſſori.

D I S C. XXVII.
Vaſionen. Prioratus.

De concordatis Galliæ, an capiant beneficia exiſtentia in locis extra Regnum, ſeu juriſdictionem Regis Galliarum, quamvis ſpectantibus ad Eccleſias Cathedrales, vel majores exiſtentes intra dictum Regnum, ſeu juriſdictionem; Vel e converſo, an capiant beneficia exiſtentia in locis intra Regnum. ſeu juriſdictionem, ſpectantibus ad Eccleſias, ſeu Diœceſes extra Regnum.

D I S C. XXVIII.
Majoricen. Canonicatus Pœnitentiarii.

De Indulto Gregoriano ſuper modo providendi Canonicatum Pœnitentiarium in Hiſpaniis, an comprehendat Inſulam Majoricæ; Et quatenus comprehendat, quomodo Epiſcopus & Capitulum concurrant in hujuſmodi proviſione.

Et incidenter, an, & quando inter duos habentes ſimultaneam, detur jus accreſcendi, vel non decreſcendi, itaut collatio ad ſolum Epiſcopum, vel reſpective ad ſolum Capitulum pertineat.

D I S C. XXIX.
Barchinonen. Canonicatus Pœnitentiarii.

De eadem materia Indulti Gregoriani ſuper proviſione Canonicatus Pœnitentiarii, an capiat Principatum Cathaloniæ, qui veniat necne ſub nomine Regnorum Hiſpaniæ, pro quibus dictum indultum conceſſum fuit.

D I S C. XXX.
Majoricen. Canonicatus.

De ſimultanea collatione Epiſcopi & Capituli, ubi ex conſuetudine eſt unitiva, ſeu collegiativa, quanta ſit vox Epiſcopi; Et poſito quod Epiſcopus habeatur tamquam unus ex Capitularibus, an debeat in paritate ejus vox præponderare, ac habere vim duarum; Et de iſtius conſuetudinis probatione.

D I S C. XXXI.
Navarien. juris conferendi.

An vacante Sede Apoſtolica per mortem Papæ, per quam ceſſant reſervationes, illa præſertim menſium ex Regula octava, ſeu nona, collatio in menſibus alias ſub dicta Regula cadentibus pertineat ad habentem Indultum Cardinalitium conferendi reſervata, vel potius ad Ordinarium collatorem, aut ad Capitulum, quod habeat jus conferendi.

D I S C. XXXII.
Beneventana juris conferendi.

De eadem materia ſimultaneæ inter Epiſcopum, & Capitulum in jure conferendi Canonicatus & Beneficia Eccleſiæ Cathedralis; Et de conſuetudine, per quam unus acquirat iſtud jus privative ad alium; Et incidenter de validitate, vel invaliditate concordiæ deſuper initæ.

D I S C. XXXIII.
Catanien. Optionis.

De indulto optandi Dignitates, & Canonicatus in Eccleſia Collegiata conceſſo in limine erectionis ex lege adjecta per fundatores laicos, quamvis non ceſſet per reſervationem, an ceſſet, vel ei derogari debeat in caſu litis.

D I S C. XXXIV.
Saliſburgen. fructuum.

An reſignatio per Superiorem admiſſa, quæ tamen per obitum reſignantis infra viginti dies per Regulam de viginti habetur pro infecta, itaut vacatio ſequi dicatur per ipſius reſignantis obitum, abdicet jus a reſignante, qui non dicatur mori beneficiatus, vel e contra.

D I S C. XXXV.
Hiſpalen. Beneficii.

De eadem materia reſignationis ad favorem certæ perſonæ, an, & quando abdicet jus a reſignante necne ob re-

ob resignationis invaliditatem, vel ineffectuationem, ad effectum regulandi vacationem ex una, vel altera, resignantis, vel resignatarii persona.

D I S C. XXXVI.
Toletana Archipresbyteratus.

De eadem materia, an scilicet & quando resignatio invalida, vel ineffectuata abdicet necne jus a resignante, ad effectum regulandi vacationem ex ejus persona potius quam resignatarii.

Et quid ubi nullitas, vel ineffectuatio provenit ex defectu publicationis ad formam Constitutionis Gregorii XIII. vel ex pactis simoniacis; Et incidenter aliqua de lapsu, vel prorogatione termini praescripti per dictam Constitutionem; Ac etiam quando conventiones inter resignantem & resignatarium dicantur simoniacae, ac annullent gratiam necne.

D I S C. XXXVII.
Neapolitana Parochialis.

De eadem materia resignationis ad favorem, an & quando abdicet jus & possessionem a resignante.

Et praesertim ubi resignatio praetenditur invalida ex eo, quod resignans non habeat aliunde commode vivere.

Et in controversia possessorii inter resignantem, & resignatarium lite pendente, quis debeat obtinere, & manuteneri.

D I S C. XXXVIII.
Toletana Beneficii.

An mandatum datum ad resignandum beneficium ad favorem in manibus Papae sit revocabile necne; Et an provisio ad favorem resignatarii cum consensu praestito per mandatarium resignantis, corruat ob revocationem mandati tunc sequutam, sed ignotam; Et quid si medio tempore mandans coram Ordinario permutasset cum alio beneficium, an haec permutatio teneat necne.

D I S C XXXIX.
Illerden.

Ad materiam Constitutionis Gregorii XIII. de publicandis resignationibus, an intret, ubi resignatio est invalida, seu alias ineffectuata, & quatenus intraret, an resignans, qui interim possedit, dici valeat illegitimus possessor, ita & taliter, quod teneatur ad fructuum restitutionem.

Et an ad formam ejusdem Constitutionis publicari debeat illa impetratio, quae illius vigore fieret ob vacationem ex non publicatione resultantem.

D I S C. XL.
Lunen. Sarzanen. Beneficii.

De permutatione facta de beneficiis inaequalibus inter sanguine conjunctos, ac aetate inaequales, an dicatur invalida & fraudolenta, quando, & quomodo; Et quale praejudicium tertii in proposito consideretur pro fraude praesumpta.

D I S C. XLI.
Vicen. Praepositurae.

De eadem materia invalidae permutationis ob non factam mentionem, quod unus ex permutantibus promotus esset ad Ordines ad titulum beneficii, sive ob falsam narrativam valoris, an abdicet necne jus a permutante, ad effectum regulandi vacationem ex ejusdem persona.

D I S C. XLII.
Caesaraugustana Scholastriae.

De coadjutoria cum futura successione expedita cum antidata post mortem coadjuti, cum consensu praestito in vim mandati jam expirati, sed cum antidata, an & quando subsistat in praejudicium Ordinarii, vel alterius inferioris collatoris, vel provisi ab eo.

D I S C. XLIII.
Sorana Beneficii.

De regula revocatoria unionum, an & quando capiat uniones factas praebendis Canonicalibus Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae.

D I S C. XLIV.
Taurinen. Beneficii.

De eadem materia unionis simplicium beneficiorum factae praebendis, seu Canonicatibus, vel Mensae Capitulari, an subsistat necne, vel respective subjaceat Regulis revocatoriis.

D I S C. XLV.
Sabinen. unionis.

De eadem materia validae, vel invalidae unionis factae Capitulo, seu mensae Capitulari, aut etiam singulis Canonicatibus absque debita solemnitate, vel causa; Et quid ubi unio non fieret ab Ordinario, sed a delegato Apostolico, an aliquid habeat speciale.

D I S C. XLVI.
Rheggien. unionis.

An dispositio *Sacr. Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 15.* loquens de unione facienda Canonicatibus, seu praebendis Canonicalibus, conveniat Dignitatibus.

D I S C. XLVII.
Mediolanen. beneficiorum.

De eadem materia unionis Beneficiorum factae per Ordinarium alicui Ecclesiae, vel pio loco, quando subsistat necne; Et in specie Indulti Apostolici super facultate uniendi Beneficia concessa S. Carolo Borromaeo Archiepiscopo Mediolanensi, innovati cum aliis Archiepiscopis, quales casus, vel Ecclesias comprehendat, seu quibus conveniat.

Et aliqua ad materiam Regulae de annali.

D I S C. XLVIII.
Vercellen. dismembrationis.

De eadem materia unionis; Et in concursu duarum unionum, an secunda praevaleat primae, tamquam invalidae, ac de ejusdem unionis praescriptione.

D I S C. XLIX.
Toletana depopulationis de Uzeda.

De eadem materia unionis, atque pluribus unionibus concurrentibus, quaenam praevalere debeat, & de unionis probatione.

D I S C. L.
Segobricen. Canonicatus.

De subrogatione gratiosa in vim Regulae de subrogandis danda collitiganti, altero collitigante defuncto; an & quando concedenda, vel respective deneganda sit; Et de illius requisitis.

Et aliqua ad materiam Regulae de annali.

D I S C. LI.
Cremonen. Parochialis.

De eadem materia subrogationis dandae collitiganti in vim Regulae de subrogandis; Et an denegari debeat etiam in casu litis non calumniosae, quando ista sopita est per concordiam, quamvis haec esset adhuc imperfecta, adeout admitteret poenitentiam.

D I S C. LII.
Firmana Beneficii.

De eadem materia Regulae de subrogandis; Et quando dicatur adhuc durare lis, vel potius extincta per mortem collitigantis, tam ad effectum hujus Regulae, quam etiam ad effectum attentatorum, super iis, quae coram alio judice, vel executore gesta sint, lite introducta ac pendente in Rota, ad materiam *Clementinae Auditor de rescript.*

Et quid ubi Ordinarius collator habet indultum conferendi reservata, an danda sit subrogatio.

Et ad quam justificationem teneatur ille qui habet literas subrogationis pro illarum exequutione.

D I S C. LIII.
Elboren. subrogationis.

De eadem materia subrogationis dandae collitiganti in vim Regulae 28. seu 29. An competat impetranti certo modo.

D I S C. LIV.
Avellina Canonicatus.

De vacatione primi beneficii ob assequutionem secundi incompatibilis, quando, & quomodo sequi dicatur; Et an substineatur impetratio ab alio facta de primo ex causa hujus vacationis, non facta prius dimissione, sive non facta mentione litis, quae super secundo aderat; Et de clausula *dummodo non sit alteri jus quaesitum*, de quo jure intelligatur.

D I S C. LV.
Melphien. Cantoriae.

De eadem materia duarum incompatibilium; Et quando dispensatio super eorum retentione subsistat necne; Et an talis defectus impediat assequutionem secundi.

De invalida impetratione beneficii Curati non facta mentione curae; Et qualis ista esse debeat ad hunc effectum.

Index Argumentorum.

Et aliqua de materia legitimi contradictoris, an talis dici possit Capitulum, vel impetrator certo modo, qui possideat.

D I S C. LVI.

Asten. Praepositurae.

De eadem materia duorum incompatibilium, ac de decreto quandoque apponi solito in provisione secundi, de dimittendo primum infra duos menses, a quo tempore, & quomodo iste terminus currat; Et quando dicatur stare per provisum, quo minus capiat possessionem pro dicti termini cursu.

D I S C. LVII.

Spoletana Cappellaniae de Venturinis.

De incompatibili retentione duorum beneficiorum sub eodem tecto, quamvis alias sub diversis tectis existentia non essent incompatibilia; Et quando beneficium dicatur residentiale necne.

D I S C. LVIII.

Spoletana Cappellaniae, seu residentiae.

An & quando beneficium, vel Cappellania, ob onus servitii in divinis, dicatur habere onus residentiae necessariae, vel potius ista sit causativa, ad effectum ut provisus teneretur residere, ac personaliter inservire.

D I S C. LIX.

Montis Cassinen. Canonicatus.

De eadem materia qualitatis residentialis beneficii ad effectum incompatibilitatis obtinendi alterum beneficium residentiale; Et quid ubi beneficia habent nuncupationem Canonicatuum.

D I S C. LX.

Ortonen. residentiae.

De eadem materia qualitatis residentialis, & quando beneficium sit vere residentiale necne: Et de censuris ob non residentiam.

D I S C. LXI.

Nucerina Cappellaniae.

An & quando Cappellania habens onus celebrationis Missarum dicatur necne sacerdotalis, itaut exigat pernecesse in possessore ordinem presbyteratus.

D I S C. LXII.

Romana Cappellaniae.

De eadem materia qualitatis sacerdotalis, an praecise requiratur necne in beneficio, vel Cappellania; Et de qualitate civica per fundatorem desiderata, quando adesse dicatur.

D I S C. LXIII.

Lucana.

De mutatione status beneficii, vel Ecclesiae, quando scilicet de saeculari efficiatur Regularis, vel e contra; Et an per concessionem Ecclesiae saecularis factam Regularibus, beneficia in ea existentia censeantur suppressa:

D I S C. LXIV.

Colonien. & Argentin. Canonicatuum.

An regularis assequi, vel retinere possit beneficia saecularia; Et quando dispensatio ad id suffragetur; Et de differentia inter dispensationem, quae obtineatur ad assequendum beneficia saecularia in statu Regulari, & aliam ad retinendum obtenta in statu Saeculari, non obstante supervento statu Regulari.

D I S C. LXV.

Monasterien. Canonicatuum.

De constitutione 57. Pii V. prohibente Ordinariis, aliisque inferioribus collatoribus provisiones beneficiorum vacantium per liberam resignationem in personis consanguineorum ipsorum collatorum, vel resignantium; & quando intret, tam ad effectum invaliditatis collationis, quam incursus poenarum.

D I S C. LXVI.

Tranen. Canonicatus.

Ad interpretationem *Sacr. Concil. Trident. sess.* 25. *de reform. cap.* 15. ubi prohibetur, ne filius habere possit beneficium in illa Ecclesia, in qua obtinet, vel obtinuit pater; Et an procedat in casu converso, quod scilicet pater non possit habere beneficium in Ecclesia in qua obtinuit, vel obtinet filius: Et de ejusdem decreti intelligentia etiam in filio.

D I S C. LXVII.

Calaguritana Beneficii S. Crucis de Campeyo.

De constitutione Clem. VIII. super nominatione ad beneficia dioecesis Calaguritanae. Et an debeant eligi digniores, vel sufficiat eligere dignos.

D I S C. LXVIII.

Melevitana Bajulivatus.

De concursu ad Dignitates Religionis Hierosolymitanae, quod attendi debeat benemerentia, & in quo ista consistat.

Et de aliis requisitis necessariis ad obtinendas has Dignitates.

D I S C. LXIX.

Melevitana Prioratus Ecclesiae.

De eadem materia Dignitatum Religionis Hierosolymitanae debendarum ratione majoris benemerentiae, itaut non possit praeligi dignus, omisso digniore, magisque merente.

Et an Prioratus Ecclesiae veniat sub nomine aliarum Dignitatum Religionis, quae conferri solent militibus Justitiae: Ac de requisitis necessariis pro hujusmodi Dignitate obtinenda.

D I S C. LXX.

Calaguritana Beneficii de Bilbaa.

De incapacitate, seu minori benemerentia personae alias capacis, ac magis meritae, ob inquisitionem, vel diffamationem simoniae, seu alterius delicti, quamvis concludens ac perfecta probatio non adsit; Et de differentia inter jus quaesitum, & quaerendum, ad effectum inspiciendi, an requiratur perfecta probatio, vel sufficiat sola inquisitio, seu diffamatio; Et quando dicatur agi de jure quaesito, vel quaerendo.

D I S C. LXXI.

Novarien. Parochialis.

De eadem materia exclusionis ab assequutione beneficii ob criminis inquisitionem, seu diffamationem: Et quid ubi non agatur de concursu inter plures ad effectum praelectionis, sed de proviso Apostolico *in forma dignum.*

Et incidenter, an & quando Episcopus teneatur invitus conferre sacros ordines, itaut alias a denegatione appellari possit, vel haberi recursus ad Superiores.

D I S C. LXXII.

Trojana Canonicatus.

De invaliditate provisionis Apostolicae ob falsam narrativam valoris, quando intret necne; Et de ejusdem narrativae excusationibus.

Et de processu executivo, vel ordinario super impetratione certo modo facta ex dicta causa non veri valoris.

D I S C. LXXIII.

Montis Alti Parochialis.

De privatione beneficii per sententiam contumacialem ob homicidium, an & quando intret necne, itaut subsistat impetratio, quamvis deinde condemnatus restitutus fuerit.

Et incidenter de materia legitimi contradictoris: Et an & quando ordinarie sit procedendum, vel executive in executione provisionis beneficii, ac literarum Apostolicarum, distinguendo multos casus, istamque materiam generaliter examinando.

D I S C. LXXIV.

Aprutina, seu nullius beneficiarum.

De privatione beneficiorum ob excommunicationem, ejusque insordescentiam ultra annum, sive ob irregularitatem incursam ratione celebrationis in statu censurarum, an & quando intret necne.

D I S C. LXXV.

Nullius, seu &c.

De privatione beneficiorum ob sacrilegam deflorationem monialis; Et quomodo ad hunc effectum de tali delicto constare debeat, atque ad privationem procedi.

Et de eadem privatione ex concubinatu, sive ex apostasia, aut ex crimine falsitatis; Et de differentia inter privationem beneficio assequuto, & inhabilitationem ad assequendum, cum nullitate provisionis factae in persona ejus, qui jam erat criminosus.

D I S C. LXXVI.

Leodien. Canonicatus.

De privatione beneficii resultante a Constitutione Innocentii X. contra utentes transumptis literarum Apostolicarum non habentibus formam ibi praescriptam, an intret in beneficio obtento ante dictam Constitutionem, si possessio post illius editionem capta est in vim transumpti pariter antea expediti.

DISC.

Index Argumentorum.

EX SUPPLEMENTO.

Index Argumentorum.

D I S C. CXXXII.

Tuden. Canonicatus.

De Regula Decennali, ejusque operatione, ad eamdem materiam, de qua supra, *disc.* 47. *&* 50. Et in specie, an ille, cui obstet ista regula, adeout sententiam contrariam deportaverit, possit novam facere impetrationem; Et aliqua de regula de triennali.

D I S C. CXXXIII.

Calaguritana Beneficii.

De eadem materia, de qua supra, *disc.* 67. an beneficia Diœcesis Calaguritanæ debeantur digniori, ad interpretationem indulti Clem. VIII. & quis sit dignior.

D I S C. CXXXIV.

Capuana Canonicatus.

De privatione beneficii ob non residentiam, & an impetrator ex ista specie vacationis immittendus veniat in possessionem in eo processu exequutivo, qui competit literis Apostolicis.

D I S C. CXXXV.

Vestana Canonicatus.

De eadem materia, de qua supra, *disc.* 77. privationis beneficii ob non residentiam; Et an ita privato obstet, necne regula de triennali, quæ allegetur per provisum, & possessorem.

D I S C. CXXXVI.

Nalana Parochialis.

De unione quando dicatur talis, quod faciat cessare vacationem, necne, cum aliis ad eamdem materiam; Et aliqua de subrogatione gratiosa in jus, & locum defuncti, ejusque exequutione.

D I S C. CXXXVII.

Ramana spolii.

De eadem materia, de qua *disc.* 81. *& seqq.* super fructibus pendentibus, & respective inexactis tam beneficiorum, quam pensionum inter Cameram, & hæredes beneficiati, vel pensionarii, & præsertim de intelligentia motus proprii Clementis IX. ad favorem Cardinalium super fructibus maturatis, & non exactis.

D I S C. CXXXVIII.

Senen. fructuum.

De eadem materia, de qua supra, *disc.* 81. *& seq.* super controversiis circa fructus, & alia, quæ verti solent inter successoram in Ecclesia, vel beneficio, & hæredes prædecessoris.

D I S C. CXXXIX.

Romana quindenniorum.

De iisdem quindennis, *de quibus supra*, *disc.* 89. debitis pro beneficiis unitis manibus mortuis, quando debeantur necne.

D I S C. CXL.

Parmen. Consortii.

An, & quando Episcopus arctare possit provisos de beneficiis servitoris ad addiscendum, id quod est necessarium cum abbreviatione temporis præscripti a Concil. Trident. Et pœnas imponere contra negligentes addiscere cantum, easque applicare beneficiatis bene addiscentibus, & inservientibus.

D I S C. CXLI.

Fulginaten. Parochialis.

De reservatione ex capite Conclavistatus, an excludat indultum, vel excludat etiam regulam 32. de consensu Cardinalium. Quinam sint Conclavistæ, in quibus idem procedat. Et an dicta regula 32. locum habeat in Parochialibus.

D I S C. CXLII.

Romana Beneficiatus S. Petri.

De familiaritate Papæ, an, & quæ cessare faciat indultum Cardinalis; Ac etiam quando dicatur adesse vacatio apud Sedem, quæ idem indultum cessare faciat. Et an regul. 32. *de consensu* intret in casu vacationis apud Sedem.

D I S C. CXLIII.

Eadem Ferrarien. Prioratus, de qua supra, *disc.* 103. & de eadem materia.

D I S C. CXLIV.

Ramana Cappellaniæ.

De eadem materia, de qua supra, *disc.* 80. *&* 97. *& disc.* 22. de Canonicis, quando scilicet Cappellano manuali competat interdictum possessorium ne removeatur. Et incidenter de facultatibus Signaturæ Justitiæ, & de mandato de manutenendo, quando intret ut sit exequutivum, & summarium necne.

D I S C. CXLV.

Albanen. Canonicatus.

De eadem materia, de qua supra, *disc.* 21. *ad regul.* 7. *vel* 8. quando Cardinales absentes habeant jus conferendi beneficia Episcopatuum, & titulorum Cardinalitiorum.

I N D E X C A U S A R U M

Hoc titulo de Beneficiis Ecclesiasticis, ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

Ma-

INDEX ARGUMENTORUM

IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in II. Parte Duodecimi Libri de Canonicis, & Capitulo.

DISC. I.

Januen. præbendæ Theologalis.

An Episcopus annectere possit alicui Canonicatui Diaconali, vel Subdiaconali ordinem presbyteralem cum loco fixo, in præjudicium Canonicorum Diaconorum, & Subdiaconorum antiquorum habentium jus occupandi primas sedes post dignitates; Et de materia dictæ annexionis ordinum, Et quomodo Capituli consilium attendi debeat, Et an illud semel præstitum sit revocabile.

DISC. II.

Neapolitana Cappellaniarum.

De divisione Capituli ejusque Canonicorum in plures ordines, An de uno ad alterum detur transitus, vel communicatio jurium, quæ per turnum inter eos divisa sunt.

DISC. III.

Mediolanen. assistentiæ.

An Canonici præstare debeant assistentiam Dignitati celebranti, vel etiam alteri Canonico, quomodo, & quando.

DISC. IV.

Bitecten. Archipresbyteratus.

Dignitates an, & quando sint de Capitulo; Et an possessio Dignitatis, vel Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata, capi debeat capitulariter, necne.

DISC. V.

Lauretana Canonicatus.

De ætate requisita in Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis, quibus expresse nullus ordo sit annexus, Et an ætas præscripta per Sacr. Concil. Trid. requiratur in illis Canonicatibus, qui sint de jurepatronatus laicorum; Atque dispensatio ætatis ad suscipiendum sacros ordines, an suffragetur ad canonicatum.

DISC. VI.

Collen. distributionum.

Novi canonicatus ultra consuetum numerum, an, & quando in Cathedrali, vel Collegiata per Ordinarium erigi valeant, & quomodo talis erectio facienda sit. Et an Canonici novi, vel supranumerarii gaudeant voce in Capitulo, aliisque juribus, & emolumentis canonicalibus, sicuti antiquiores.

DISC. VII.

Cæsaraugustana portionum.

An Capitulum sit dominus, vel solum administrator illorum bonorum, quorum fructus assignati sunt distributionibus, quæ sunt etiam communes portionariis, vel beneficiatis, ad effectum videndi, cujus commodo cedat dictorum fructuum excrescentia, Et an hæc dividi debeat, si distributiones habent taxam uniformem.

DISC. VIII.

Trojana juris accrescendi.

De decreto Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 14. & de Constitutione 104. Pii V. prohibentibus applicationem fructuum canonicatuum, seu aliorum beneficiorum vacantium ad commodum capituli, & canonicorum pro admissione noviter provisi, & quomodo procedant; Et an canonico successori denegari possint illi majores fructus, quos jure optionis, vel jure accrescendi obtinebat ejus prædecessor.

DISC. IX.

Romana contributi.

An pro debitis capituli contractis de tempore prædecessorum,

DISC.

EX SUPPLEMENTO.

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Canonicis, & Capitulo, ordine alphabetico per Dioeceses dispositus.

INDEX ARGUMENTORUM, IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in III. Parte Libri Duodecimi de Parochis.

DISC. I.

Civitatis Castellanæ parochialis.

De accessu Episcopi, vel Vicarii Generalis in paritate votorum in concursu, quomodo intelligatur, An scilicet intelligatur in paritate votorum examinatorum, ut adhæsio faciat concurrentem approbatum, vel reprobatum, vel potius in paritate votorum inter ipsos concurrentes.

Et an habens minora suffragia in approbatione, possit præeligi, spreto altero habente suffragia majora.

DISC. II.

Caputaquen. Archipresbyteratus.

De eadem materia concursus in parochiali juxta formam Concilii: Et an dicta forma male servata dicatur, si pro concursu prorogatus esset major terminus præfixus per Constitutionem Pii V. & quid si inter examinatores interveniant unus, vel plures, qui non reperiantur descripti in Synodo, an id causet nullitatem; & quomodo probetur quem esse examinatorem synodalem.

DISC. III.

Naulen. Parochialis.

De eadem forma concursus habendi in parochialibus; & quomodo examinatores debeant suum votum proferre; Et an in quolibet concursu præstare debeant juramentum a Concilio Trident. demandatum, vel potius sufficiat unicum generale; Et an Episcopus in præeligendo teneatur sequi majorem partem suffragiorum.

DISC. IV.

Gerunden. Parochialis.

De eadem materia concursus ad parochialem habiti coram Vicario Capitulari, seu coram possessore prælaturæ, quæ tunc vacabat ob ejusdem Vicarii, seu Prælati promotionem ad Episcopatum, an valeat necne; & an intret regula textus in l. Barbarius &c.

DISC. V.

Miranden. concursus.

De eadem materia concursus in parochialibus Sede Episcopali vacante ad effectum testimonialium super provisione Apostolica, an fieri possit coram Capitulo, vel fieri debeat coram Vicario Capitulari, & non alias.

DISC. VI.

Nucerina Parochialis.

De eadem materia concursus ad parochiales, circa appellationem ab irrationabili judicio Episcopi; Et de provocatione appellantis ad novum examen, an ad hunc effectum constare debeat de irrationabili judicio.

DISC. VII.

Veneta Jurispatronatus.

De eadem materia appellationis a rejectione in concursu, & provocatione ad novum examen juxta Constitut. Pii V. & an examen sit subdelegandum in partibus, vel sequi debeat in Curia; & an in Parochialibus de jurepatronatus intret concursus ad formam Concilii, & dictæ Constitutionis Pii V.

DISC. VIII.

Casertana Parochialis.

De eadem materia provocationis ad novum examen, quæ fiat ab irrationabili judicio, an cesset si constet, provocantem debuisse rejici, unde incontinenti pateat de irrationabilitate.

DISC. IX.

Surrentina Parochialis.

An in Ecclesiis parochialibus sitis in solo Basilicæ Lateranensis, ejusdemque tributariis, vel censualibus servari debeat forma concursus ad præscriptum Concilii Tridentini, & Constitutionis Pii V. vel potius provisio pertineat ad Capitulum.

DISC. X.

Barchinonen. Parochialis.

De eadem materia concursus in parochialibus juxta formam præscriptam a Conc. Trid. An servari debeat Vicariis parochialium unitarum alicui dignitati, vel beneficio, seu collegio; Et quando dicatur constare de unione.

DISC. XI.

Assisien. Vicariæ.

An forma concursus præscripta per Sacrum Concilium Tridentinum adhibenda sit in provisione Vicarii in Ecclesia Regulari, cui annexa sit cura animarum.

DISC. XII.

Senogallien. Parochialis.

De eadem materia Constitutionis Pii V. super provisione Ecclesiarum parochialium, quæ prætendantur subjectæ alicui monasterio, vel alteri Ecclesiæ, & quando servari adhuc debeat concursus coram ordinario ad formam Concilii, vel sufficiat examen super idoneitate juxta Constitutionem Pii V.

DISC. XIII.

Mediolanen. Parochialis.

De eadem materia Ecclesiæ parochialis, quæ prætendatur unica, seu alias subjecta alicui Monasterio Regulari, An cadat sub decreto Concilii Tridentini circa formam concursus, vel potius sub constitutione Pii V. & quid ubi agatur de Ecclesiis parochialibus de jurepatronatus ecclesiastico; seu alias ex privilegio.

DISC. XIV.

Nuceria Paganorum Cappellaniæ.

An in Cappellaniis, seu aliis Beneficiis existentibus in Ecclesia parochiali, cum onere curæ animarum, requiratur concursus ad formam Concilii; Et quomodo in una Ecclesia dentur plures Rectores, vel Beneficiati habentes curam.

DISC. XV.

Faventina Parochialis.

An intret concursus in Parochialibus de jurepatronatus laicorum, & quid ubi istud est dubium, atque ultimus status est de libero.

DISC

Index Argumentorum.

DISC. XVI.

Pampilonen. juris examinandi.

An Episcopus possit novo examini subjicere parochos jam approbatos; & quid ad istum effectum requiratur.

DISC. XVII.

Majoricen. Vicariæ.

An Vicarius perpetuus Ecclesiæ parochialis habens Vicariam in titulum, deputare possit alterum Vicarium ad exercitium curæ; & in quo differant Rector, & Vicarius perpetuus.

Et an idem Vicarius participare debeat de distributionibus massæ Beneficiatorum, seu Cappellanorum eidem Ecclesiæ inservientium.

DISC. XVIII.

Melphiten. congruæ.

Ubi nullæ adsunt Parochiæ, sed cura pro universo populo exercetur in Ecclesia Cathedrali per illos de Capitulo, & Clero ejusdem Ecclesiæ; An superveniente præcepto Superiorum, ut ad ejus exercitium deputari debeant certi Vicarii ad formam Decreti Concilii Tridentini, & Constitutionis 47. Pii V. incumbat onus præstandi congruam Episcopo, vel potius Capitulo, aut Populo.

DISC. XIX.

Perusina congruæ.

An concordia inita inter Vicarium, & eum, cui parochia annexa est super congrua Vicarii, impugnari possit sub prætextu diminutionis fructuum, seu bonorum assignatorum; Et an competat actio ad petendum supplementum summæ taxatæ per constitutionem Pianam.

DISC XX.

Murana congruæ.

De eadem materia congruæ debitæ Dignitati, vel Canonico, cui fixe ac perpetuo annexum est exercitium curæ annexæ ipsi Capitulo, quanta sit; Et an in eam imputari debeant fructus certi, vel incerti ipsius Dignitatis, vel Canonicatus, qui & quomodo; & incidenter aliqua de declaratoria contra non obedientem, an possit decerni etiam pro solutionibus in futurum.

DISC. XXI.

Volaterrana congruæ.

De eadem materia congruæ debitæ Vicario, a quo tempore debeatur; & an habeatur jure fructuum beneficii pro tempore quo vicaria vacat, ad effectum videndi, ad quem pertineat.

Et de Vicario sæculari præficiendo exercitio curæ in Ecclesiis parochialibus annexis Monasteriis Regularibus.

DISC. XXII.

Romana jurium Parochialium.

An & quæ jura, & emolumenta parochialia competant capitulo, vel alteri habenti curam habitualem, & quæ competant vicario habenti exercitium curæ.

DISC. XXIII.

Romana jurium funeralium.

De juribus, ac emolumentis parochialibus pro funeribus, & exequiis morientium in Hospitali existente intra fines alicujus parochiæ, si illi sint de eadem, vel de aliena parochia, ad quem respective pertineant.

DISC. XXIV.

Romana Parochialitatis.

De privilegio parochialitatis concesso alicui Ecclesiæ in personis alicujus nationis quamvis viventibus in alienis parochiis, An amissum dicatur per non usum; Et de materia parochialitatis in personis absque territorio.

DISC. XXV.

Romana quartæ funeralium.

De quarta funerali de jure debita Parochis, An debeatur ex funeribus quæ fiunt in Ecclesiis Regularium super hoc habentium privilegia exemptiva, An scilicet istis per Sacrum Concilium Tridentinum derogatum fuerit; & de differentia inter quartam funeralium ipsa die humationis, & quartam legatorum, seu anniversariorum &c. Et aliqua de observantia particulari Urbis.

DISC. XXVI.

Comen. funerum.

An in concordiis super emolumentis funerum, aliisque juribus parochialibus inter Capitulum, & Vicarium, seu alium ad curæ exercitium deputatum, vel inter ejusdem Ecclesiæ clericos & ministros, requirantur necne solemnitates alias in alienationibus, vel concordiis super bonis & juribus Ecclesiæ requisitis; & quandiu hujusmodi concordiæ dicantur personales successorum non obligatoriæ, vel e converso eos obligent.

DISC. XXVII.

Tranen. juris sepeliendi.

De jure sepeliendi eos qui decedant, non facta electione sepulturæ, An competere valeat uni Ecclesiæ parochiali privative ad aliam, & quid ad hunc effectum requiratur.

DISC. XXVIII.

Neapolitana funeralium.

De jure funerandi, & participatione emolumentorum funeralium quoad clericos Ecclesiæ parochialis non habentes participationem in cura animarum.

DISC. XXIX.

Romana Pretatici.

An parochus aliquod emolumentum exigere possit ab Hebræis, vel aliis infidelibus ratione damnorum & interesse, in locum decimarum, vel emolumentorum, quæ perciperentur a Christianis, qui alias habitarent domus per ipsos Hæbræos, seu infideles inhabitatas.

Et an eadem refectio peti valeat a Religiosis, qui pro nova fundatione Conventus, vel antiqui ampliatione, occupent domus, in quibus alias habitabant sæculares.

DISC. XXX.

Majoricen. solemnitatum, & funerum.

An in Ecclesia parochiali, invito parocho, tam in funeribus, seu exequiis, & anniversariis, quam etiam in solemnitatibus, adhiberi possint cantores, & organistæ, atque alii Clerici sæculares, vel regulares convocari, pro libito piarum Congregationum, seu privatorum, solemnitates, vel funera suo sumptu magis pompose celebrare volentium & incidenter de Statutis, seu provisionibus sæcularium circa moderationes pompæ, & expensarum in exequiis, ac funeribus.

DISC. XXXI.

Parmen. Oratorii.

An, & quando parochus impedire possit, ne alii sacerdotes celebrent missas solemnes, aliasque ecclesiasticas functiones explicent in Ecclesiis, vel Oratoriis intra ejus parochiæ fines existentibus.

DISC. XXXII.

Romana imaginis, ac finium parochialium.

De Sacris Imaginibus, quæ in privatis, ac prophanis locis existentes, vel repertæ, aliquam devotionem, ac populi concursum habeant, eisque obligationes fiant; An pertineant ad parochum, tam circa facultatem asportandi Imaginem ad parochiam, quam circa jus percipiendi oblationes; & aliqua de finibus parochialibus, eorumque probatione.

Index Argumentorum.

D I S C. XXXIII.

Novarien. divisionis Parochialium.

Existentibus io eodem territorio duabus Ecclesiis proprios habentibus Rectores distinctos in titulum collativum, quorum quilibet curam animarum promiscue exerceat; An dicantur duæ Ecclesiæ Parochiales, vel potius una per duas efformata, vel una matrix, altera vero filias, seu adjutrix, & quatenus cura dividi debeat, quomodo divisio facienda sit.

D I S C. XXXIV.

Novarien. erectionis Parochialis:

An & quando procedi debeat, vel possit ad erectionem novæ parochiæ, cum dismembratione territorii, & populi ab antiqua?

D I S C. XXXV.

Bononien. dismembrationis:

De eadem meteria dismembrationis factæ ab Ecclesia Parochiali, quid requirat, ad effectum, ut substineatur ac valeat: & quid ubi non esset dismembratio status antiqui, sed solum dissolutio antiquæ unionis duarum Ecclesiarum, quarum quælibet ad primævum statum reducatur.

D I S C. XXXVI.

Novarien. functionum Parochialium:

Erecta Ecclesia filiali, mediante dismembratione populi, & territorii ab antiqua Ecclesia parochiali, quænam functiones pertineant ad matricem, privative ad finalem.

D I S C. XXXVII.

Instructio Episcopi ad bene servandam formam concursus a Sacro Concilio Tridentino præscriptam in provisione parochialium.

D I S C. XXXVIII.

Romana Hospitalis, seu jurium Parochialium:

De Privilegiis Apostolicis concessis Hospitalibus super exemptione a jure parochi, de quibus intelligenda sint, Et de eadem materia, de qua supra, discursu 23.

EX SUPPLEMENTO.

D I S C. XXXIX.

Barchinonen. Vicariæ, vel congruæ:

An ille, cui sit unita Ecclesia Parochialis, prætendere valeat augmentum bonorum assignatorum Vicario pro ejus congrua, vel potius esse debeat contentus illa præstatione, quam Vicarius ei dare consuevit ad eandem materiam? de qua supra, disc. 10. & seqq.

D I S C. XL.

Romana præminentiæ.

An, & quando una Parochia sit subdita, & dependens alterius, ejusque filialis, ut propterea obedientiam, & subjectionem agnoscere teneatur?

D I S C. XLI.

Romana jurium Parochialium.

De eadem materia, de qua supra, disc. 23. & quæ jura competat parocho cum infirmis, & aliis existentibus in Hospitali sito intra Parochiam, ac etiam cum ibidem decedentibus.

D I S C. XLII.

Parmen. Dismembrationis.

De eadem materia, de qua supra, disc. 34. & 35. An scilicet, & quando substineatur nova erectio parochiæ cum dismembratione antiquæ, & cum istius unione.

D I S C. XLIII.

Majoricen. funerum.

An Parochus, vel capitulum prohibere possit Regularibus ne funera peragant, neque in eis interveniant, quomodo, & quando?

D I S C. XLIV.

Romana quartæ funeralium.

De eadem materia, de qua supra, disc. 25. An scilicet, & de quibus per regulares debeatur quarta, seu portio canonica Parocho, & quando privilegia non solvendi suffragentur, necne.

D I S C. XLV.

Cassanen. Parochialis.

An valeat concursus habitus coram Vicario substituto ab alios Vicario Generali habente facultatem substituendi?

D I S C. XLVI.

Nullius Guastallæ Jurium Parochialium.

An cura animarum esse dicatur, tam actu, quam habitu pœnes Archipresbyterum Ecclesiæ collegiatæ, vel potius pœnes collegium adesse dicatur habitualis sola, vero actualis, & in exercitio pœnes Archipresbyterum pro competentia jurium parochialium?

IN-

INDEX CAUSARUM,

Hoc titulo de Parochis, ordine alphabetico per Dioeceses dispositus.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Duodecimi Pars Prima.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

ROMANA, SEU PATAVINA INDULTORUM, SEU JURIS CONFERENDI, PRO CARDINALIBUS INDULTARIIS, CUM DATARIA.

Casus disputatus in Congregatione particulari, non resolutus.

An Indulta Cardinalium conferendi beneficia reservata, capiant Canonicatus, aliaque beneficia Cathedralium, & Collegiatarum, quarum collatio seclusis reservationibus Apostolicis spectet ad Capitulum, vel alium inferiorem collatorem, non autem ad ipsum Ordinarium habentem indultum.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *De auctoritate Ferrett. consil. 17. & numer. 18.*
3 *De regula, quod indultum non capit Beneficia spectantia ad collationem inferiorum.*
4 *De eadem, ut indultarius non conferat Beneficia, quæ alias conferre non posset.*
5 *Indultum non auget jus Episcopi, neque ei aliquid dat de novo, sed solum præservat quod habet, ac tollit obstaculum contrarium, num. 37.*
6 *Referuntur verba indulti.*
7 *Quod ex jure habituali ad actum deducibili in casu negligentiæ, seu jure devolutionis indultum capiat etiam Beneficia, quorum collatio pertinet ad inferiorem.*
8 *De devolutione ab inferiore ad Ordinarium.*
9 *De eadem materia devolutionis, seu reassumptionis potestatis Ordinarii inferiore negligente.*
10 *De distinctione Prælatorum inferiorum, qui possint acquirere omnimodum jus conferendi.*
11 *Quod inferior Prælatus habeat jus conferendi sub Episcopo tamquam ejus Vicarius.*
12 *Verbum, disponere, seu dispositio de Beneficiis comprehendit etiam casum devolutionis.*
13 *Observantia est optima interpres, eique deferendum est.*
14 *De absurdo si verba indulti traherentur ad casum devolutionis in Metropolitano, & Patriarcha.*
15 *Quod observantia non addat aliud indulto.*
16 *Respondetur ad absurdum, de quo num. 14. & de ratione differentiæ.*
17 *De observantia, & conclusione, de qua num. 15.*
18 *De cons. 17. Ferrett. de quo num. 2.*
19 *Quod Consulentium auctoritati deferendum non sit, præsertim exterorum in Curia Romana in materia beneficiali.*
20 *Respondetur Rotæ decisionibus, de quibus num. 3. & 4.*
21 *Archipresbyteri Basilicarum Urbis in hoc exæquandi non sunt Episcopis, & Ordinariis.*
22 *Quod per Constitut. 59 Urbani VIII. rerum status antiquus sit immutatus.*
23 *Quod non de facili sit verificabilis casus consuetudinis immemorabilis in Capitulo conferendi in omnibus mensibus privative ad Episcopum.*
24 *Practicabilis tamen est casus, in quo Capitulum conferat aliquibus mensibus.*
25 *Ad quem spectet de jure collatio Canonicatuum Ecclesiæ Cathedralis, referuntur plures opiniones.*
26 *Verior est ut simultanea Episcopi, & Capituli.*
27 *Attendenda est tamen consuetudo.*
28 *Qualis consuetudo requiratur in Capitulo contra Episcopum.*
29 *Referuntur variæ consuetudines.*
30 *In casu simultaneæ æquale est jus Episcopi, & Capituli, & quomodo.*
31 *An a Capitulo detur devolutio ad Episcopum, & quando.*
32 *De divisione turnaria inter Episcopum, & Capitulum, vel alios.*
33 *Jus conferendi est individuum, solumque exercitium dividitur per turnum.*
34 *Fortius hæc individuitas intrat inter Episcopum, & Capitulum, & de ratione.*
35 *De antiqua quæstione an indultum Episcopi suffragetur Capitulo, & de decisione.*
36 *De Constitutione 59. Urbani VIII. contrarium determinante.*
37 *Quod per istam Constitutionem indultarii effecti sint delegati.*
38 *Quod ita certum sit jus indultarii etiam in Beneficiis ad collationem inferioris*
39 *Quomodo judicandum, vel con udend ı sit super lege nova per Doctores adhuc non commentata.*
40 *De dicto Pauli de Castro adversus eos, qui objiciunt de non allegatione auctoritatum.*

DISC. I.

Occasione vacationis in mense reservato cujusdam Canonicatus Ecclesiæ Patavinæ, in qua supponitur
1 ex consuetudine, vel alio titulo, collationem, cessantibus regulis Cancellariæ, ac reservationibus Apostolicis, spectare ad illius Ecclesiæ Capitulum, excitata fuit quæstio generalis quoad omnes indultarios; An scilicet indulta Cardinalium capiant Canonicatus Cathedralium, aliaque beneficia, quorum collatio ex antiqua immemorabili consuetudine pertineat ad Capitulum, vel alium inferiorem collatorem, solum, ac privative ad ipsum ordinarium indultarium. Quare deputata per Clem. IX. pro hujus puncti decisione particulari Congregatione quinque Prælatorum, eorum major pars (uno, vel duobus in diversam sententiam abeuntibus) fuit in censu favorabili indultariis contra Datariam, ex aliquibus tamen causis publicata non fuit resolutio, atque in hoc statu controversia silet.

Datariæ, vel scribentium pro ea fundamenta consiste-
2 bant; Primo ac principaliter in punctuali auctoritate Ferretti *cons.* 17. ubi agendo de vacatione Canonicatus in Ecclesia Cathedrali Brixien. tunc habente Episcopum Cardinalem indultarium, concluditur quod cum Episcopus nullam haberet illorum Canonicatuum collationem, ex consuetudine spectantem ad Capitulum, nisi Apostolicæ reservationes obstarent; hinc proinde ob istarum obstantiam, per quam Capitulum impediebatur, collatio non ad indultarium spectare debebat, sed ad Papam, cujus provisio prævaleret, quam auctoritatem in specie refert, ac sequitur Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 5. *n.* 6.
3 ubi quod indultum non capit beneficia ad inferiorum collationem spectantia, quod etiam generaliter firmat Germon. *de indul. §. Regularia, ex n.* 94. *ad fin.* Massobr. *in praxi habent. concurs. prælud.* 26. *dub.* 10. *per tot.* (Quæ tamen auctoritates potius annecti merentur quarto fundamento, de quo infra, dum cum illius ratione, vel generalitate procedunt.)

Secundo tamquam punctualis adducebatur decisio Rotæ
4 in Argentina Canonicatus 9. Maji 1611. cor. Pamphilio, qui postea fuit Innocentius X. ubi etiam firmatur indultarium conferre non posse ea beneficia, quæ alias remotis reservationibus conferre non posset, utpote ad alterius collationem spectantia, quam decisionem refert & sequitur *add. ad decis.* 99. Gregor. *in fine*.

Tertio adducebatur altera decisio Rotæ in Rom. beneficc. S. Petri 28. Aprilis 1595. coram Gipsio, confirmata 20. Novembris 1596. coram Corduba. ubi agendo de Cardinali Archipresbytero Basilicæ Vaticanæ, firmatur eadem propositio, quod scilicet indultum comprehendit solum ea beneficia, in quorum possessione providendi indultarius esset, si reservationes non obstarent, quas decisiones refert Garzad. *d. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 7.

Et quarto adducebatur regula, seu propositio generalis,
5 cui superius allegatæ decisiones, aliæque auctoritates innituntur, quod scilicet indultum non auget potestatem Ordinarii, neque ei tribuit plusquam de jure, seclusis reservationibus, sibi competeret, sed solum tollit obstaculum reservationem, ac successive indultario præservat potestatem sibi alias de jure competentem, juxt. *cons.* 23. Calder. *de praeben.* Cassad. *dec.* 3. *de privil.* Mohed. *dec.* 1. *eod. tit.* Put. *dec.* 158. *l.* 2. *in correct.* alias *dec.* 162. *in antiquioribus*, cum aliis apud supra allegatos, ac etiam habetur in Bonon. indulti *disc. seq.*

Unde propterea indulti operationem Beneficialistæ exemplificare solent in habente naturaliter membra valida, sed ligata, seu alias accidentaliter impedita, quoniam solutis vinculis, vel alias sublatis impedimentis membra faciunt suam operationem jure primævo, ac proprio, & successive illa tantum, quem alias a natura facere poterant si vincula nullatenus adjecta essent, non autem eam quam alias facere non possent, cum solutio tollat solum impedimentum, nihil vero de novo tribuat; Et consequenter, cum seclusis reservationibus Ordinarius non haberet hujusmodi beneficiorum collationem, hinc proinde illam ex indulto acquirere non potuit.

E converso alii pro Cardinalibus indultariis scribentes, in
6 eo principaliter insistebant, quod cum indultum in præcisis verbis concordat facultatem conferendi *quæcumque beneficia ad tuam, etiam cum alio, vel aliis collationem, provisionem, præsentationem, institutionem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem dispositionem, aut alias quomodolibet*, id expresse comprehendatur etiam casu illorum Beneficiorum, quorum collatio, vel provisio ad Capitulum, vel alium inferiorem spectaret, cum ista etiam de jure ad Ordinarii provisionem spectare dicendum sit jure habituali penes eum, quacumque possessione, vel consuetudine non ob- 7
stante, cujus juris vigore dari potest etiam in Ordinario provisio in casu devolutionis, quando scilicet Capitulum, vel alter inferior in tempore, seu alias non legitime conferret, quasi quod dicto jure habituali, utpote impræscriptibili, ac non abdicabili, omnes Ordinarium continuantes, apud inferiorem resideat tamquam sub ipso Ordinario, ejusque vicarias partes gerendo exercitium, seu jus actuale, quod in casu mali exercitii dictum jus habituale ad se attrahat, ac propterea Ordinarius jure devolutionis, vel reassumptionis antiqui juris ob negligentiam inferioris conferendi potestatem habeat.

Ad quod probandum adducebant auctoritatem Gloss. *in* 8
cap. irrefragabili, verb. Capitulum, de off. Ordin. Rebuff. *in prax. benef. tit. de devolut. n.* 24. *vers. sed si collatio spectat*, Barbos. *de Episc. alleg.* 126. *num.* 11. Rot. *decis.* 786. *nu.* 1. *part.* 2. *recent.* ex quibus ac aliis apud eos probatur, a Capitulo collatore dari devolutionem ad Ordinarium.

Quodque Ordinarius ratione dicti juris habitualis penes 9
eum residentis conferre possit etiam Beneficia, quorum collationis exercitium, vel jus actuale resideat ex consuetudine penes Capitulum, vel alium inferiorem, quoties hic est negligens, seu usque jus non exercet, vel male, cum tunc Ordinarius supplendo negligentiam ejus, qui suas vicarias partes exercere dicitur, suam reassumat potestatem, probant Abb. *in c. cum contingat, n.* 18. *& seq. de foro compet.* Rot. *decis.* 514. *n.* 1. *part.* 1. *divers.* Barbos. *de Episc. alleg.* 127. *n.* 19.

Quoties enim non agitur de illo inferiori Prælato, qui 10
legitime præscripserit nedum jurisdictionem, sed etiam territorium separatum verum, ac proprium, cum Clero, & populo, ita & taliter quod in eo tamquam in propria diœcesi a quacumque alia independente, ac stante de per se, ille sit Ordinarius, & quasi Episcopus, sed agitur de Prælato inferiori intra diœcesim, & sub Episcopo, seu Diœcesano, juxta distinctionem de qua pluries *sub tit. de jurisd.* præsertim in Tolet. *disc.* 1. *& in plur. seqq.* tunc implicat dari omnimodam præscriptionem juris conferendi privative ad Ordinarium, tam in jure actuali quam habituali, quoniam esset dare monstrum duorum capitum in uno corpore, ideoque perneccesse in inferiori dandum est solum jus actuale, ac in solo exercitio, tamquam sub Episcopo, ejus quodammodo vicarias partes agendo cum di- 11
cto jure devolutionis, seu verius reassumptionis ejus primævæ potestatis, quatenus inferior negligat, juxta traditionem antiquiorum Canonistarum relatam per Abb. *in d. cap. cum contingat, ex num.* 16. cum aliis per Fagnan. *in cap. cum te, a num.* 3. *ad* 7. *de ætat. & qualit.* & bene advertit etiam Lotter. *de benef. lib.* 2. *quæst.* 12. *n.* 13. ubi quod inferior confert jure Vicario Episcopi.

Et consequenter dici potest, quod ista sint Beneficia spe- 12
ctantia ad dispositionem Ordinarii, quia dispositio potest etiam comprehendere casum, in quo fiat provisio ex jure devoluto, ut bene Geminian. *in cap. cum in illis, §. illis vero, n.* 7. *circa med. de præbend. in* 6.

Deducendo etiam tamquam specialem auctoritatem Rotæ apud Pœniam, *dec.* 367. ubi in specie de collatione indultarii de Beneficio vacante in mense Apostolico, quoties collatio spectaret alias ad Capitulum, (licet ista decisio percutiat casum indultarii particularis, qui non erat Episcopus, unde etiam tunc erat jure delegato.)

Et nihilominus advertebant, sufficere ex his casum reddi 13
de jure dubium, ut propterea deferendum veniret observantiæ, quæ in omni materia tam legum, & indultorum, quam etiam ultimarum voluntatum, & contractuum, dicitur optima interpres, eique deferendum est, etiam si verborum proprietati repugnet, cui prævalet, ex generaliter deductis ad materiam text. *in l. si de interpretatione, ff. de legibus*, per Aret. *in cons.* 113. *cum concord.* per Barb. *in l. post dotem, num.* 47. *& seqq. ff. solut. matrim.* Greg. & Add. *decis.* 184. Et in terminis indulti Apostolici Rot. *dec.* 59. *n.* 12. *& seqq. part.* 10. *recent.* Cæsaraugustana portionum 16. Junii 1659. cor. Albergato. Ac in specialibus terminis juris conferendi in Piscien. juris conferendi 14. Januarii 1658. eodem Albergato, & in terminis indulti *decis.* 316. *num.* 14. *& seqq. part.* 9. *recent.*

Adversus istud vero judicium, beneque fundatum mo- 14
tivum, replicabant scribentes pro Dataria, ac etiam observabat aliquis ex Prælatis Congregationis, qui eidem Datariæ adhærebat, quod verba indulti trahi non possunt nec debent ad istam speciem provisionis jure devoluto, quoniam si id liceret, sequeretur quod indultarius qui esset Metropolitanus, ita conferre etiam posset omnia beneficia provinciæ,

vinciæ, idemque dicendum veniret in Legato, vel in Patriarcha, quod est absurdum.

Et quoad motivum observantiæ, negabatur in facto
15 ob aliquas provisiones, quæ prætendebantur in contrarium, ac etiam quia in ista materia indultorum observantia interpretativa attenditur pro effectuatione contentorum in indulto, non autem in illis, per quæ aliquid diversum, vel contrarium induceretur, quoniam non esset interpretari, sed novam facultatem superaddere, ut in specie Rota *dec.* 136. *num.* 10. *part.* 1. *recent.* Ac etiam, quia ut observantia suffragetur, debet esse cum scientia, & patientia Papæ, ut in specie indulti, Spad. *consil.* 134. *n.* 6. *lib.* 1. & *consil.* 39. *num.* 10. *lib.* 2. Burarr. *dec.* 590. *n.* 5. Merlin. *decis.* 846. *n.* 18. ubi late concordantes.

Mihi post hujusmodi disputationem jam assumptam, prius ex hac parte Cardinalium pro veritate consulto, deindeque ad causam scribenti, videbatur majorem probabilitatam huic parti assistere, attento etiam dicto solo mo-
16 tivo jam deducto dispositionis resultantis ex jure devoluto ratione juris habitualis, ex auctoritatibus, ac rationibus, de quibus supra, quibus obstare non videbatur dicta ratio absurdi in contrarium ponderata de Metropolitano, vel Patriarcha, ob longam rationis diversitatem inter unum casum, & alterum; Metropolitanus etenim nullum jus habet proprium, & ordinarium conferendi Beneficia alienæ diœcesis, sed illud ita accidentaliter acquirit potius jure dativo, atque quodam jure auxiliario supplendo partes proprii Pastoris negligentis, ut ita consultum sit Ecclesiis ne diuturnam vacationem pati cogantur, cum Papa qui est Ordinarius Ordinariorum, ob locorum distantiam, ac negotiorum multiplicitatem supplere commode non possit has partes, quas juxta limites ab eo præscriptos, Metropolitanis, vel Patriarchis commisit.

Non sic est in ipsis Episcopis, ac Ordinariis, quoniam ipsi id agunt jure proprio, ac nativo, seu primævo semper habitualiter retento, solumque accidentaliter impedito ejus exercitio, quod ex consuetudine translatum est in inferiorem collatorem, sub implicita tamen conditione illud bene, ac diligenter exercendi. Unde propterea quando contingit casus negligentiæ, seu mali exercitii inferioris, tunc Episcopus non confert jure novo, ac dativo, tamquam superior ponens falcem in messem alienam, ut ita proprii messoris partes suppleret, sed jure suo ac potius in ratione reassumptionis, ac reversionis, ad suam causam tamquam ex cessante causa concessionis dicti exercitii, seu juris actualis, quod remanet resolutum, & sic termini non videntur æquales.

Ponderando in proposito illam differentiam, quæ dignoscitur inter casum Ordinarii reassumentis in eadem instantia cognitionem illius causæ, quam Vicario, vel alteri commiserat sub conditione illam terminandi intra certum tempus, & casum Metropolitani ad quem causa devolvatur ob appellationem a denegata justitia, vel ob negligentiam, quoniam primus prosequitur cognitionem ejusdem instantiæ jure suo; alter vero assumit novam cognitionem in instantia diversa per devolutionem.

Sive inter casum in quo donator reassumat suorum bonorum dominium ob pactum, vel conditionem resolutivam ob non reservatas conditiones ab ipso donatore explicite, vel implicite adjectas, & casum in quo ob contraventionem, vel non implementum aperiatur jus substituto jure fideicommissi pœnalis importantis abdicationem dominii ab uno, & translationem in alterum, cum primo casu sit reassumptio, seu continuatio antiqui dominii proprii, in secundo autem sit dominium novum ex novo titulo cum similibus.

Quo vero ad observantiam dicta responsio tunc intraret, quando ageretur de ampliatione, seu extensione in-
17 dulti ad casum, de quo certum alias esset sub eo non comprehendi, & hoc est quod dicitur in *d. decis.* 136. *n.* 10. *part.* 1. *recent.* secus autem, ubi controversia est comprehensionis, an scilicet illa verba *ad tuam collationem, vel similem, vel dissimilem dispositionem*, capiant istam collationis, vel dispositionis speciem; ergo totum est in interpretatione, quam sine dubio inducit observantia.

Et quoad fundamenta ex parte Datariæ adducta, quate-
18 nus pertinet ad *consil.* 17. Ferretti, advertebam multipliciter tolli, seu non applicari ad casum; Primo, quia ibi supponitur concurrere triplicem reservationem, cum tamen duplex sufficiat ad faciendum cessare indultum ex iis quæ habentur infra, *disc.* 3. Secundo, quia obstabat regula Cancellariæ Clem. VII. Tertio, quia Cardinalis indultarius, agnoscendo suum non jus, consensum præstiterat, ut exequutioni demandaretur provisio Apostolica; Et quarto, quod de his agebatur solum incidenter ad effectum possessorii coram judice laico, sibi ex quodam usu cognoscente de temporalitate.

Et nihilominus dicebam agi de auctoritate venali, seu conductitia consulentis ad pecuniam, seu clientis opportunitatem, non magnificanda, ut per Franch. *decis.* 260. *num.* 5. & 6. Rot. *decis.* 438. *num.* 12. *part.* 9. *recent.* & *sæpius*, potissime extra Romanam Curiam, extra quam ista materia beneficialis non adeo bene cognita est, ideoque satis improprium esse advertebam, ut doctrina venalis Doctoris de partibus, auctoritatem in decidendo facere deberet in Curia Romana, quæ in materia beneficiali est magistra, quoniam ita esset dare quod inexpertus discipulus doceret peritissimum magistrum.

Quo vero ad Rotæ decisiones pro secundo & tertio 19
fundamento adductas, decisiones in Rom. beneficiatus S. Petri coram Gipsio & Corduba adductæ in tertio fundamento percutiunt terminos diversos devolutionis, quam prætendebat Archipresbyter Basilicæ Vaticanæ, in quo
non intrant rationes militantes in Episcopo, cum Ar- 20
chipresbyter sit Prælatus, ac superior ex privilegio, & jure dativo accidentali, non autem jure nativo, ut est Episcopus cum capitulo, vel alio inferiore in Beneficiis suæ Diœcesis, ut bene hanc differentiam ponderat Rota apud Achill. *dec.* 1. *de offic. ordin.* & bene comprobat decisio coram Gipsio, ideoque termini non sunt pares, neque ab uno casu ad alterum arguere licet. Quod etiam ponderabile est circa dictam aliam differentiam juris devoluti inter Episcopum, & Metropolitanum, vel Patriarcham, & quæ differentia clarius tollitur ex aliis ponderationibus, de quibus infra.

Altera vero decisio adducta in secundo fundamento
coincidit in quartum, atque utrumque tollitur cum di- 21
cto primo hujus partis fundamento, negando scil. suppositum, vel applicationem, cum ista Beneficia sint de illis, quorum habitualem collationem, vel dispositionem (cessantibus reservationibus) Episcopus habet cum capitulo, vel altero inferiore, ad actum etiam deducibilem, ut supra, ideoque dici non potest, quod sine indulto jus non haberet.

Cæterum laudando motiva, ut supra deducta, eaque 22
potius cum dictis responsionibus comprobando; ex abundanti advertebam, nullam subesse videri necessitatem assumendi dictam altiorem inspectionem, quoniam ubi etiam attento statu antiquo, dictarum decisionum ac auctoritatum motiva in contrarium deducta subsisterent, adhuc tamen post superventam Constit. 59. Urbani VIII. contrarium omnino dicendum est, ac etiam quia non de facili datur casus, in quo cadant dicta motiva in objectum deducta.

Ad id autem clare dignoscendum, observabam duos casus distinguendos esse; Primo scilicet, in quo, seclusis reservationibus Apostolicis, attentisque solis terminis juris communis, collatio, seu provisio Cannonicatuum aliorumque Beneficiorum, in totum, omnibusque mensibus, ac anni partibus capitulum conferat privative ad Episcopum; Et secundo, ubi capitulum habeat solum collationem in aliquibus mensibus, vel anni partibus, in aliis autem illam habeat Episcopus.

Quoad primum casum, dicebam nimium difficile, pe- 23
neque impossibile esse, ut ille ad praxim deduceretur, ut scilicet probari possit consuetudo immemorabilis super pertinentia hujusmodi collationis ad solum Capitulum in omnibus mensibus privative ad Episcopum, quoniam cum regulæ Cancellariæ, seu Apostolicæ reservationis initium habuerint usque ab anno 1330. circiter, & sic spatio quatuor pene sæculorum, in quibus nimis brevia esse consueverunt vacationis Sedis Apostolicæ interstitia, in quibus (cessantibus regulis Cancellariæ,) juris communis dispositio suam reassumit observantiam. Hinc proinde non videtur quomodo unquam justificari possit ista consuetudo immemorabilis cum suis vulgaribus requisitis celebris, *gloss. in capite primo de præscript. in* 6. & consequenter quod idealis remaneat quæstio, cujus casus non de facili in facto est verificabilis.

In hoc etenim, (ut alibi advertitur) differunt foren- 24
ses a scholasticis, seu Academicis, quod isti tractant ac disputant quæstiones idealiter, ac in abstracto, illi vero non nisi in concreto, super casibus individuis, ac practicis, ideoque videbatur labor inanis in hoc immorari, nisi prius videretur, an adsit necne Capitulum, in quo ista privativa potestas per immemorabilem consuetudinem verificetur.

In secundo autem, qualem in praxi habemus in Italia, 25

& extra frequentem, ut scio de Ecclesia Salernitana, dum Institutionum, ac primi anni ordinariarum lectionum studiis in ea Civitate vacavi, ac etiam habetur in Beneventana, & in Cæsaraugustana *disc.* 23. *&* 32. cum similibus, quod scilicet capitulum habeat collationem Canonicatuum, vel Beneficiorum ejusdem Ecclesiæ in quibusdam anni temporibus, in aliis autem de jure sit Episcopi, per Apostolicas reservationes impedita.

26 Et tunc omnino certum, ac planum videtur, in tali jure admixtum esse illud Episcopi. Expresse siquidem in jure statutum non est ad quem pertineat collatio Canonicatuum, ac præbendarum Ecclesiæ Cathedralis, dum Fagnan, diligenter ac elaborate disputata quæstione *in cap. cum Eccles. Volaterrana, de elect.* ex *n.* 2. quatuor refert opiniones; Quarum prima est, ut spectet ad solum Episcopum; Altera, ut sit Episcopi de capituli consensu; Tertia, ut sit Episcopi, sed requiratur capituli consilium, & quarta, ut sit simultanea inter Episcopum & capitulum, Ista vero hæc posterior opinio est magis communis DD. calculo, ac in Rota, & Curia recepta pro regula, ut late omnes fere expendendo probat Fagnan. ubi supra *n.* 11. *cum seqq. juxta decis.* 22. Cassador. *de præbend.* Achill. *dec.* 4. *eod. tit.* Mantic. *decis.* 56. Gregor. *decis.* 95. & passim; quia revera, cessantibus limitationibus, ista opinio non recipit amplius controversiam, ut plures *infra hoc eod. tit.*

27 Ita vero est etiam receptum, quod ubi adest diversa consuetudo, huic deferendum sit, ut ex ipso textu probant *Canonistæ in eod. cap. cum Ecclesia Volaterrana, de elect.* & alii quos collegit Fagnan. *ibid. n.* 25. *& seqq.* ac admittitur in celebri Placentina Voti coram Pœnia inter suas *decis.* 574. *&* 993. ubi solum disputatur, an dicatur con-
28 suetudo, quæ habeat juris resistentiam, quando a Capitulo privative ad Episcopum pro omnibus anni partibus id prætenditur, ad effectum inspiciendi, an sufficiat præscriptio ordinaria, vel requiratur immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo putativo, & hæc posterior est recepta, ut in hujus causæ dubio pro absoluto supponebatur.

29 Talemque de facto videmus diversam consuetudinem, quoniam in Italia frequentius, ac pene in totum (nam rari sunt casus, in quibus alias praxis doceat) collatio est solius Episcopi absque aliqua capituli participatione. In Hispania vero, cum frequentius Episcopus sit etiam Canonicus, collatio fieri solet a capitulo, in quo ipse Episcopus tantum intervenit tanquam unus ex capitularibus, in plerisque tamen Ecclesiis cum voto duplicato, vel præponderanti, ut in paritate concludat, juxta ea quæ habentur infra in Majoricen. Canonicatus *disc.* 30. Atque in præsenti disputatione supponebant scribentes pro Dataria, quod in aliquibus etiam Italiæ Ecclesiis ex consuetudine totum jus esset solius capituli privative ad Episcopum, absque aliqua illius participatione, quod tamen, ut supra dictum est, vix justificabile videtur.

30 Ubi vero, cessante consuetudine, versamur in terminis juris communis, attendendi juxta dictam receptam opinionem pro simultanea, tunc in ista pariter est receptum quod est æquale jus Episcopi, & Capituli, itaut tanta sit vox unius, quanta sit alterius, non collective, sed sejunctim perinde, ac si essent duæ personæ, quarum una repræsentatur ab Episcopo, altera vero a Capitulo, quarum utraque collationis actum in tempore, ac loco diverso explicare potest, ut in dicta *decis.* 754. *&* 993. coram Pœnia, & in decisionibus editis in dicta Majoricen. Canonicatus coram Meltio, & Cerro *impress. in locis* de quibus in eadem causa *disc.* 30.

Istum vero conferendi modum frequentior experientia comprobat raro ad praxim deducibile, pluriumque inconvenientium productivum, quoniam cum in diversas personas abire soleant, atque ob vocum æqualitatem neutra collatio concludat, idcirco aperiri solet locus devolutioni ad Papam, cum isto casu non intret devolu-
31 tio ad ipsum Episcopum (quæ tamen intrat in casu quo collatio fiat a Capitulo tantum, quamvis in eo interveniat Episcopus tanquam Canonicus;) Cadente solum quæstione quando agitur de Capitulo exempto juxta *disc.* 8. Cassador. *de præbend.* cum aliis per Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 15. *num.* 43. *& seq.* & in eadem Placentina Voti coram Verospio *decis.* 193. *num.* 2. *&* 3. *part.* 4. *recent.*

Hinc proinde prudenter praxis frequentius induxit turnariam divisionem per menses, vel hebdomadas, aliaque tempora, ut unus uno, alter alio tempore in solidum, ac pleno jure conferat; Quod etiam in ipsismet Capitulis inter Canonicos introductum est, cum turno per menses, vel hebdomadas, ut de Basilica Vaticana inter Capitulum, & Archipresbyterum, vel inter ipsusmet Canonicos habetur in eadem superius allegata Romana beneficiatus S. Petri 28. Aprilis 1595. coram Gipsio, *& dec.* 600. *n.* 3. *part.* 4. *diversor.* & in Romana beneficiatus Sancti Petri 14. Maji 1655. cor. Bevilaqua, & in aliis; 32
Ac etiam habemus inter compatrones laicos, vel Ecclesiasticos, ita per turnum juris præsentandi exercitium prudenter, ac laudabiliter dividere solitos, ut ex Lambertino, & aliis plene Rot. *decis.* 216. *n.* 1. *part.* 10. *recent.* Dunozett. *dec.* 702. *n.* 1. ac pluries, in sua materia *sub. tit. de jur. patron.*

In isto vero casu, cum jus conferendi, vel præsentandi sit de sui natura individuum, habitualiter competens omnibus insolidum, diviso solum exercitio, ipsa substantia penes omnes individua remanente ex deductis per Bellon, jun. *de jur. accrescen. cap.* 6. *quæst.* 37. 48. *&* 50. *cum seqq.* & occasione feudi individui dignitatis adverti- 33
tur *sub tit. de feud. in Mutinen. disc.* 8. & in dicta sua materia *sub titul. de jurepatron.* Hinc sequitur, quod quando per unum fit collatio, tunc per omnes fieri dicitur, eorumque mandatarius, seu Vicarius dicitur ille qui tunc exercitium habet, cum ita substantia ipsius juris sit individua, ideoque communis remaneat.

Quod si indefinite procedit in omni jure conferendi,
vel præsentandi, quod pluribus competat, fortius, ac 34
pro meo judicio absque dubio recipiendum in isto casu, quo agatur de simultanea Episcopi & Capituli collatione Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis, quoniam tunc collatio fieri dicitur nomine Ecclesiæ, quæ tanquam unum corpus mysticum, seu politicum, ac intellectuale constituitur ab Episcopo tamquam capite, & a Capitulo tanquam reliquo corpore, ut sæpius de hoc ad plures effectus habetur *sub titul. de præeminentiis*, occasione præeminentiarum Capitulo competentium, ejusque primæ Dignitati, vel Canonicis; ac etiam quandoque *sub titul. de jurisdictione, & infra sub titul. de Canonic.* Unde propterea clarius intrat unius corporis individuitas, ut ne corpus habeat operationes omnino independentes a capite, vel ne detur monstrum duorum capitum in uno corpore, & de qua corporis unitate habetur in Cæsaraugustana Canonicatus coram Dunozett. inter suas *decis.* 856. & habetur in eadem Cæsaraugustana, *dict. disc.* 23.

Retentis vero his terminis, magna fuit quæstio an-
tiquiori tempore, an contingente reservatione Canoni- 35
catus, cujus collatio alias, reservatione cessante, spectaret ad Capitulum, ne indultum quo Episcopus gaudet suffragetur necne ipsi Capitulo, ut reservatione sublata per indultum, ita per obstaculi remotionem suum jus salvum remaneat; Et an indulto non suffragante, jus conferendi spectet ad indultarium, vel potius ad Papam; Atque in ista quæstione illi qui credunt indultum Capitulo non suffragari, putant provisionem spectare ad Papam, non autem ad Episcopum ex ratione supra in quarto Datariæ fundamento enunciata, quod scilicet indultum nil tribuit Episcopo plus quam alias de jure competit, unde propterea remoto sulum obstaculo, jure suo ordinario conferre dicitur.

Verum cum sub ista quæstione actualiter penderent in Rota tres causæ, una scilicet Cremonen. cor. Coccino, ac duæ Ferrarien. cor. Pirovano, & Remboldo, mandatum fuit, ut omnes tres proponerentur una die, ut ita maturius unica determinatio, tamquam per quandam speciem legis prodiret, ut sequutum fuit sub die 26. Apr. 1624. atque uniformis in omnibus prodiit resolutio Capitulis favorabilis, ut scilicet indultum Episcopi cessare faceret reservationes indefinite; Et consequenter tanquam ex cessato obstaculo, perinde, ac si essemus de tempore Sedis Apostolicæ vacantis, etiam in mensibus alias reservatis Capituli collatio salva sit, ut patet ex decisionibus desuper editis *impress. dec.* 530. *&* 531. *part.* 4. *recent. tom.* 3. *& dec.* 544. *part.* 5. ex quibus liquet, Datariam non fuisse in scena, sed principalem quæstionem fuisse cum Episcopo indultario.

Istæ autem decisiones fuerunt causa, quod Urban. VIII. 36
die 29. Dec. 1625. Constitutionem ediderit, seu declaratonem fecerit publicatam 10. Sept. 1616. in Bullar. Constit. 59. & registratam etiam in calce, *d. dec.* 530. *part.* 4. *recent. tom.* 3. & apud Lotter. *lib* 2. *q.* 21. *n.* 126 per quam, assignata proœmiali ratione, quod hujusmodi indulta Cardinalibus in illorum tantum gratiam, non autem Capitulorum, vel aliorum cum eis aliquam participationem habentium, Sedes Apostolica concedat, declaratur, ea nullatenus Capitulis,

tulis, vel aliis suffragari posse, ita præfatas decisiones circumscribendo.

Ex ista vero Constitutione, apud Rotam, ac Beneficialistas prodiit nova conclusio contraria præcedenti, quæ in ista indultorum materia tenebatur, prius enim ut supra advertitur, procedebatur cum opinione, quod indultariæ provisiones de reservatis fierent jure proprio, ac ordinario competente ex juris communis dispositione, tamquam per remotionem obstaculi, per istam vero Constitutionem diversimode dicendum sit, ut scilicet Indultarii conferre dicantur jure delegato, ac vice & nomine Papæ, cum ita eis detur
37 istud plus quod antea non competebat, ut patet ex *dec. 585. part. 5. recent.* quę reputatur in materia magistralis tamquam prima, & deinde apud Duran. *dec. 233.* apud Dunozett. *dec. 487. repet. decis. 10. part. 8. recent. & part. 9. dec. 366.* & in aliis, cum sit hodie propositio receptissima, de qua etiam *dec. 293. & 329. eadem part. 9.* ubi de casu in quo beneficium sit de jurepatronatus Capituli.

Liquet autem ex his evidenter, dictam Constitutio-
38 nem non emanasse in gratiam Datariæ, neque ad sibi concedendum id quod ei alias non competeret, dum ante dictæ Constitutionis editionem, juxta dictas tres decisiones, Capitulum, reservatione non obstante, conferebat, unde propterea Dataria post dictas decisiones non erat amplius in causa, neque aliquod interesse habebat, sed emanasse in gratiam indultariorum, quibus ita aliquid plus jure delegato concessum fuit, ita transfundendo in eos totum id quod ratione reservationum Capitulis tollitur, atque alias Sedi Apostolicæ competeret, & consequenter casus a dicta Constitutione citra remanere videtur pro meo judicio planus, satisque de facili cessant omnes auctoritates, ut supra in secundo, tertio, & quarto Datariæ fundamentis deductæ, utpote percutientes tempus antiquum, quando jus Indultariorum erat ordinarium, ac minus ob solam remotionem obstaculi, & præservationem eius quod alias de jure competebat, ac possidebatur; non autem postquam illud adauctum est, atque ex ordinario effectu est delegatum cum hoc pluri.

Adversus hæc replicabatur ex parte Datariæ, quod essent mea ratiocinia sine auctoritate (quam objecti speciem nimium frequenter ob scribendi stylum, ac genium insistendi magis rationibus, ac perquirendi rerum principia mihi vulgus leguleicum tribuere solet;) Quadrupliciter tamen respondebam; Primo quod cum id provenerit ex dicta lega nova edita de anno 1626. re-
39 rum statum ita innovante adduci non poterat auctoritas Innocent. Jo: Andr. Abb. & similium, minusque illa Rotæ antiquæ, vel novæ, aut Gomez. Gonzal. Garz. & aliorum Beneficialistarum scribentium tempore præcedenti, & cum dicto antiquo diverso præsupposito procedentium, ideque sufficeret, quod non adesset in contrarium auctoritas, quæ istius novæ legis terminos percuteret, ut adhibere teneamur illam methodum, quam post legum inventionem, vel Canonum editionem adhibuerunt Irner. Accurs. Azo, Dynus, Bart. & alii Civilistæ, ac etiam Innocent. Jo: Andr. Abb. & alii Canonistæ.

Secundo quia satis adesse dicitur auctoritas Rotæ in supra allegatis decisionibus firmantibus ob istam Constitutionem rerum statum immutatum esse, atque Episcopis indultariis aliquid plus fuisse tributum, unde ex Ordinariis effecti sunt Delegati Apostolici.

Tertio, quod subsequuta observantia annorum 43. post dictæ Constitutionis editionem remanet optima interpres ex iis quæ de viribus, ac operatione observantiæ superius insinuata sunt.

Et quarto demum referebam verba præcisa, quæ res-
40 pondendo huic objecto dixit magnus J. C. Paulus de Castro *consil. 434. in fin. lib. 2.* ibi, *Sufficit auctoritas mea qui video, & cognosco prædicta omnia vera esse, & veritate fulciri*; Et quidem magna insipidura est desiderare auctoritates, ubi (aliis in contrarium non urgentibus) assistunt juris rationes, ac principia, cum quibus processerunt nostri majores, quorum auctoritate nunc utimur, dum auctoritates non habebant, atque ista est vera pars Doctoris, ac sapientis, quoniam scire est rem per causam cognoscere.

S U M M A R I U M.

1 *De indulto Cardinalitio.*
2 *De progressu, & statu causæ, de qua disc. 3.*

ANNOT. AD DISC. I. cum plurib. seqq.

Agitur in his discursibus de materia Indulti Cardinalitii conferendi reservata, super qua videri poterunt deducta *in hoc tit. dis. 101. 102. 103. 104. 110. 126. & 141.* 1

Decisio enunciata *in disc. 3. est impress. part. 13. recent. decis. 266.* Et postmodum sub die 13. Januarii 1668. coram Bourlemont proposita causa, dilata fuit resolutio, habitoque deinde recursu ad Signaturam Gratiæ pro aperitione oris, & reductione ad viam juris adversus Constitutionem Alexandri VII. habitam 2
per Clem. X. prodiit rescriptum, *quod audirentur Officiales Datariæ*, quibus auditis, reproposita causa in Signatura Gratiæ sub eodem Pontifice, rescriptum fuit ad R. P. D. Datarium pro concordia, quæ nunquam effectum sortita est.

Habitoque iterum recursu ad Signaturam Gratiæ habitam per Innoc. XI. causaque proposita, rescriptum fuit mihi; Propositaque deinde causa in Rota super dubio, an & cui esset dandum mandatum de manutenendo, sub die 25. Junii 1677. cor. Bourlem. decisum fuit dandum esse mandatum de manutendo R. P. D. Severolo, & in hoc statu causa reperitur.

BONONIEN. INDULTI,

INTER

CARDINALES LUDOVISIUM, ET BONCOMPAGNUM.

Discursus pro veritate in Congressu.

An indultum Cardinalibus concedi solitum generaliter super vacatione beneficiorum reservatorum etiam ratione Episcopatuum, vel Archiepiscopatuum, quos possideant, vel habere contingat, suffragetur absque alio indulto speciali post Episcopatum, vel Archiepiscopatum dimissum, potissime ubi illud de tempore possessi Episcopatus nunquam effectum habuit ob superviventiam alterius Cardinalis indultarii, Et de Constitutione 60. Urbani VIII. indultorum moderatoria.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De consilio aliquorum jurisconsultorum in ista controversia, & eorum fundamentis.*
3 *Pensio reservata ad favorem Cardinalis, ut duret etiam post dimissum Cardinalatum, & n. 15.*
4 *Indultum conferendi beneficia reservata concessum Episcopo durat etiam post dimissum Episcopatum, & num. 16.*
5 *Indultum datum Cardinali ratione Episcopatus durat donec Episcopatus retinetur.*
6 *De differentia inter indultum ordinarium, & solitum, quando Ecclesia possidetur, & aliud post Ecclesiam dimissam.*
7 *Quod unum dicatur favorabile, alterum vero odiosum.*
8 *Indultum ordinarium, donec Ecclesia possidetur nihil dat de novo, sed solum removet obstaculum.*
9 *De cons. Socciai super duratione indulti dimissa Ecclesia.*
10 *Quod hodie indultum inducat delegationem, & non procedat conclusio, de qua num. 8.*
11 *Etiam hodie durat praxis dandi annuum, ac particulare indultum pro Ecclesia dimissa.*
12 *De motivo observantiæ.*
13 *Ad regulandam, vel interpretandam gratiam attenduntur circumstantiæ reddentes verisimilem voluntatem Papæ concedentis.*
14 *Dari non potest retentio ejus, quod non possidetur.*
15 *Expeditur conclusio, de qua supra, num. 3.*
16 *Declaratur conclusio, de qua num. 4.*
17 *De Constit. 60. Urb. VIII. ut indultum suffragetur solum pro ultima Ecclesia.*
18 *Decisio controversiæ, ac sensus Auctoris.*

D I S C. II.

Resignavit Cardinalis Columna in manibus Papæ Archiepiscopatum Bononiensem, sub reservatione fructuum, & cum concessione specialis indulti conferendi beneficia illius Diœcesis in octo mensibus reservatis, ut pas- 1

sim Cardinalibus concedi solet; Atque de dicta Ecclesia vacante provisus fuit Cardinalis Ludovisius tunc Prælatus, cui deinde intra breve tempus ad Cardinalatum evecto concessum fuit consuetum indultum Cardinalitium generaliter conferendi omnia beneficia reservata, tam ratione tituli Cardinalitii pro tempore possidenti, quam ratione dictæ Ecclesiæ Bononien. cui tunc præerat, omniumque aliarum Cathedralium, & Metropolitanarum, vel Abbatialium, ad quas transferri contigerit, seu ei commendarentur, cum præservativa tamen, respectu dictæ Ecclesiæ Bonon. dicti indulti concessi Cardinali Columnæ, acsi, & postquam illud cessaverit; Cumque dicto Cardinali Columna adhuc vivente, præfatus Cardinalis Ludovisius ad Summi Pœnitentiarii munus assumptus esset, idem Innocentius Decimus, sub quo præmissa omnia sequuta fuerunt, in Concistorio habito 11. Decembris 1651. dictam Ecclesiam Bononiensem, quam asseruit vacantem per liberam dimissionem in suis manibus factam, contulit Cardinali Boncompagno tunc Prælato, sub sola mentione reservationis fructuum, ac facultatis conferendi ad favorem dicti Cardinalis Columnæ, nulla facta mentione indulti Cardinalis Ludovisii, qui neglexit speciale indultum obtinere, sortiturum post dictam cessationem alterius, dictaque negligentia sequuta fuit, eo quia consulendo duos primi ordinis Juris Consultos, & qui reputabantur materiæ beneficialis peritissimi, dixerant aliam concessionem non requiri, atque primum indultum generale sufficere, etiam pro Ecclesia dimissa, innixi Constitution. 60. Urban. VIII. disponenti indultum Cardinalitium suffragari debere pro Ecclesia dimissa ultimo loco possessa; Ac etiam ex eo quod indultum esset personale concessum Nicolao Cardinali, non autem Archiepiscopo cum illis verbis *Tibi quoad vixeris*. Dictoque consilio causam præbuit opinio, quam iidem Juris Consulti habuerant in consimili controversia habita inter Cardinales Carpineum, & Alterium super collatione beneficiorum Ecclesiæ Tudertinæ, & super pensione eventuali, sopita per concordiam quoad pensionem ad favorem Cardinalis indultarii, & quoad collationem beneficiorum ad favorem Cardinalis Titularis, ut liquet ex deductis in dicta causa Tudert.
2 *sub tit. de pension.* (dum ego in ea quoque scripsi;) Cumque vivente adhuc Cardinali Columna, per Alexan. VII. promotus esset ad Cardinalatum dictus Boncompagnus jam Archiepiscopus, qui idem indultum Cardinalitium obtinuit cum eadem præservativa dicti indulti Cardinalis Columnæ, per eadem adamussim verba, per quæ illud Ludovisii ejus prædecessoris; Hinc sequuta deinde Columnæ morte, orta est dubitatio, cuinam ex dictis Cardinalibus supervaventibus collatio indultaria in mensibus reservatis in dicta Ecclesia Bononiensi competeret; Et quoniam hoc medio tempore obtinebant præfati Consulentes, idcirco Ludovisius me, ac alios desuper pro veritate concludendo, communicatoque dicto consilio.

Aliqui dictis fundamentis acquiescentes, credebant
3 ipsum bonum jus fovere, Addentes quoad regulas generales in dicto Responso solum contentas super indulti personalitate, firmata apud Buratt. *dec.* 12. & in Patavina pensionis 13. Junii 1561. coram Cello *inter suas decis.* 355. repetita post Zuff. *de ligitim. process. decis.* 59. ubi de reservatione pensionis ad favorem Cardinalis, ut duraret etiam post dimissum Cardinalatum: Et magis proxime, & ad rem ego deducebam decisionem tunc de recenti editam in Varmien. Canonicatus 28. Junii 1666. coram Cerro, ubi de indulto conferendi beneficia reservata concesso cuidam Episcopo, quod suffragaretur etiam post di-
4 missum Episcopatum; quæ decisio ab aliquibus reputabatur individualis, quodque decideret casum in puncto.

Ego vero desuper aliquam habebam difficultatem, quam etiam, licet puncto non ita mature examinato, habebam in dicta alia consimili Tudertina, unde propterea punctum tamquam novum, ac indecisum reputabam honestæ concordiæ temperamento dignum.

Indulta siquidem concessa Cardinalibus respectu Ec-
5 clesiarum, quas obtinent tamquam Episcopi, durant donec retinetur Episcopatus, quo dimisso cessant, ut in specie tamquam absolutum supponitur apud Germon. *de induit.* §. *Nec non quorumcumque*, *n.* 19. *cum seq. fol.* 444. ubi restringitur quæstio ad solum tempus hujusmodi cessationis, an scilicet resultet illico per dimissionem, vel expectandum sit tempus effectuationis, ac circa vacationes intermedias, quasi quod sequuta effectuatione, nulla superlit dubitatio, & cum Germon. pertranseunt Massobr. *de concurs. prælud.* 26. *dub.* 6. *n.* 6. & Dian. *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 44.

Quod etiam non data particulari reservatione cum particulari indulto, absolutum supponit Rota apud Achill. *dec.* 1. *de off. ord. n.* 4. ubi *n.* 5. *& seq.* ponderat 6
differentiam inter indultum Cardinalis ordinarii collatoris possidentis Ecclesiam, cujus ratione alias ad jure seclusis reservationibus collatio competeret, & aliud indultum reservationis post Ecclesiam dimissam, ut primum dicatur favorabile tamquam præservativum facultatis de jure communi alias competentis, sive remotivum accidentalis obstaculi per Regulas reservatorias supervenienti; Alterum vero dicatur superinductum, ac extraordinarium, tamquam inductivum formalis servitutis; Atque in fine *n.* 7. supponitur istud indultum post Ecclesiam dimissam provenire ex gratia nova; Et 7
de eadem distinctione inter indultum ordinarium pro Ecclesia, quæ retinetur, ac extraordinarium post eam dimissam, ut istud secundum dicatur odiosum, primum vero favorabile, Put. *dec.* 93. *n.* 7. *& per tot. lib.* 3.

Quodque indulta Cardinalibus concedi solita quoad Ecclesias, quas administrant, nihil de novo tribuant, sed tantum removendo obstaculum, præservent id, quod alias de jure communi, cessantibusque reservationibus, competeret, & sic cum præsupposito retentionis ac administrationis Ecclesiæ, Cassad. *dec.* 3. *n. fin. de priv.* 8
Put. *dec.* 200. *n.* 1. *lib.* 1. *dec.* 783. *n.* 3. *&* 4. *p.* 3. *div. lib.* 3. Lotter. *lib.* 2. *q.* 21. *n.* 103. Et conferunt quæ in proposito hujusmodi indultorum cessantium post dimissam Ecclesiam plene habentur deducta apud Soccin. *cons.* 260. *lib.* 2. quod videtur in materia magistrale.

Et quamvis alii ut supra nuper consulti, pro ista difficultate removenda ponderarent, quod hodie ex moderna formula indultorum, ac post Constitut. 59. Urbani VIII. Cardinales indultarii conferant in mensibus reservatis ex jure delegato magis quam ordinario, ut per 9
Lotter *dict. quæst.* 21. *n.* 117. Rota *decis.* 10. *num.* 10. *part.* 8. *recent.* & in aliis, de quibus *disc. præced.* Attamen id non videbatur tollere difficultatem, quoniam dicta innovata propositio conferendi jure delegato magis quam ordinario inolevit ad diversos effectus, illum 10
præsertim, ne indultum suffragetur Capitulo, vel alteri, qui ex sola dispositione juris communis simultaneam cum Episcopo haberet, continuatur vero in præsupposito, quod indultum percutiat Ecclesias, quæ retinentur, itaut indultarius cessantibus reservationibus esset collator, *ut d. disc. præced.*

Id evidenter probari observabam, quoniam etiam post dictam Constitut. 59. Urbani, ac postquam inolevit dicta nova propositio de jure delegato, adhuc tamen Dataria 11
practicat antiquum stylum concedendi per viam novæ & particularis gratiæ Cardinali dimittenti Ecclesiam alterum Indultum particulare super retentione, seu reservatione.

Magisque me stringebat observantia individualis continens discretivam claram, quoniam dimittente Cardinali 12
Columna istam Ecclesiam, in decreto Consistoriali, una cum reservatione fructuum, sibi expresse reservata fuit hæc facultas conferendi, ac desuper expeditum fuit indultum particulare; Non obstante quod idem haberet indultum generale, magis etiam amplum, quam generaliter sint illa concedi solita aliis Cardinalibus, ut de hoc individuali indulto habetur actum infra in Bonon. benefic. & in Rom. beneficiatus S. Joannis *disc. seq. & disc.* 5.

Et quando eadem ita dimissa Ecclesia, collata fuit ipsi Cardinali Ludovisio tunc Prælato, Papa memor fuit dicti indulti particularis concessi Cardinali Columnæ, illudque expresse præservavit; E converso autem quando hic noviter provisus Ecclesiam dimisit, idem Papa memor quoque fuit dicti Indulti Cardinalis Columnæ, & tamen nullam fecit reservationem ad favorem Ludovisii, qui erat in Concistorio præsens & audiebat, minusque de dicto indulto particulari curavit. Unde propterea dicta descretiva evidenter probare videbatur hanc veritatem; Potissimeque quia dubitari non poterat de ignorancia in Papa, vel de minori benevolentia, dum agebatur de Cardinali creatura, cui ipsemet Ecclesiam, ac indultum concesserat; Ac etiam ratione affinitatis quodammodo conjuncti satisque benevoli, dum ei contulerat adeo qualificatum officium Sacr. Pœnitentiariæ, ac prius adeo qualificatam Legationem ad Reginam Hispaniarum secundam Sponsam Philippi IV. dum a Germania 13
versus Hispanias transitum fecit per Civitatem Mediolani: E converso autem Columna non erat creatura, neque aliquam consanguinitatis, vel affinitatis attinentiam habebat, ideoque nulla suberat ratio, cur jura unius, & non alterius reservare voluerit; Atque receptum habemus, ex his, vel similibus circumstantiis Papæ voluntatem desumi, vel interpretari, Mantic. *dec.* 314. Gregor. *decis.* 150. *ubi adden.*

…pal-

& passim; Potissimum deficeret utrumque extremum habile, quoniam de tempore indulti, illud de facto operari non poterat hujusmodi collationem, utpote ab eo expresse exceptuatam; Atque de tempore dimissionis Ecclesiæ, idem indultum operari neque poterat retentionem, dum iste terminus cadit in iis, quæ jam obtenta sunt, ac possidentur, non autem in iis, quæ nunquam obtenta,
14 neque possessa fuerunt, sed solum sperantur sub spe mere eventuali; Ideoque ex pluribus mihi videbatur casum habere non leves difficultates.

Motivum autem personalitatis, cui tam primi quam posteriores Consulentes innitebantur ex firmatis præsertim in dicta Patavina pensionis coram Celso ut supra, non videbatur facere ad rem, quoniam ibi ponderatur quod pensio reservata esset, ac respective facta
15 obligatio ad favorem personæ, non autem tamquam Cardinalis, ac solo Cardinalatus intuitu, unde propterea dicitur, quod dimisso Cardinalatu adhuc retinetur, & durat; In præsenti autem dici non poterat indultum concessum esse personæ, tamquam scilicet Nicolao, minusque tamquam Archiepiscopo, sed bene tamquam Cardinali, cum præsupposito tamen, quod esset Cardinalis, cui jus conferendi alias competeret impeditum a reservationibus, quas indultum tollit, ideoque istud simile non multum ad rem facere videbatur.

Magis proxima primo aspectu videbatur dicta altera decisio in Varmien. canonicatus coram Cerro, ubi in specie de indulto cuidam Episcopo suffraganti post dimissum Episcopatum; sed pariter non videbatur facere multum ad casum, quoniam illius Indulti tenor, juxta ejusdem decisionis præsuppositum, clare ostendebat illud principaliter concessum fuisse personæ, non autem ratione Episcopatus qui demonstrative solum enuntiatus fuit; Quinimo cum præsupposito ejus dimissionis, dum non conceditur facultas ipsi indultario conferendi jure suo, sed solum nominandi ad collationem faciendam a Nuntio Apostolico.

Quatenus vero pertinet ad Constit. 60. Urbani Octa-
16 vi, sub cujus fundamento dicti primi Consulentes processerant, retinentes opinionem, quam (ut supra me satis dubitante) habuerant in dicta alia consimili controversia Tudertina inter Cardinales Carpineum, ac Alterium; Dicebam in hoc etiam æquivocari, quoniam dicta Constitutio, ut ejus contextus clare probat, non prodiit in gratiam Cardinalium, ac ad eorum facultates indultarias ampliandum, sed potius in odium, ac restrictionem, atque cum præsupposito indultorum particularium, seu extraordinariorum super retentione facultatis conferendi etiam post Ecclesias dimissas; Cum enim casus daret, ut idem Cardinalis plures Ecclesias obtinendo, ac successive dimittendo, pro singulis plura obtineret Indulta particularia, unde propterea plurium Ecclesiarum collationem eodem tempore haberet; Hinc providere voluit dicta Constitutio, ita restringendo hujusmodi particularium indultorum usum ad unam tantum Ec-
17 clesiam ultimo loco dimissam, retentis tamen terminis habilibus, dicti scilicet indulti particularis, cum dimissione per viam novæ gratiæ concessi, juxta præsuppositum decisionis Achill. cum aliis supra allegatis; Ideoque cum hæc essent specialia, contenta vero in dictis Consiliis essent mere generalia super verbis personalitatem denotantibus, exinde aliqua mihi remanebat dubitandi occasio; Fatebar tamen casum, utpote novum, atque adhuc non decisum, recte dici posse dubium, atque honestæ concordiæ temperamento dignum; Et hæc dicebam in congressu in sola forma discursiva nihil firmando.

Cumque per Clement. IX. causa commissa fuisset particulari Congregationi trium Prælatorum, duo ex eis fuerunt in Voto pro Boncompagno ex motivo quod dimittendo Ludovisius Ecclesiam simpliciter absque dicti indulti reservatione, omne jus quod ratione dictæ Ecclesiæ sibi competeret, a se abdicaverat juxta terminos generales di-
18 missionis, ac resignationis Episcopatuum, & beneficiorum; Alter vero fuit in voto pro Ludovisio ex dicto motivo personalitatis stante illo verbo mere personali *tibi* juxta dictum primum Consilium, atque in hoc statu causa silet; Ego tamen, utpote utriusque Cardinalis Advocatus, ac benevolus, in disputatione habita coram dictis Prælatis abstinui a scribendo, ut mos est Romanæ Curiæ Advocatorum, quando sunt utriusque collitigantis Advocati, unde propterea defuit occasio maturum judicium desuper efformandi; Credebam tamen quod iste casus cum dicto temperamento sopiri deberet, pro futuris autem accedere deberet Apostolica determinatio juxta dictas meas dubitationes, ut scilicet, nisi in actu dimittendi novum speciale indultum obtineretur, primum indultum generale, ac ordinarium non deberet suffragari.

BONONIEN. BENEFICIORUM,

PRO MARCELLO SEVEROLO,

CUM ALEXANDRO CAPRA.

Casus disputatus in Rota, & in Congregatione particulari, ac varie decisus.

Quales esse debeant duæ reservationes, quæ faciant cessare indultum Cardinalium conferendi beneficia reservata; Et an reservatio ratione officiorum sit personalis, vel potius localis, & an familiaritas Papæ, ac Prothonotariatus, quæ ab eisdem Officiis resultant, multiplicent, itaut causent duplicitatem reservationis ad dictum effectum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod quandoque concedatur reductio Constitutionum Apostolicarum in causis particularibus.*
4 *Ubi plenius tractatur de ista controversia remissive.*
5 *Ad effectum, ut duæ reservationes faciant cessare indultum, quales esse debeant.*
6 *Etiam in beneficialibus, reus, & possessor vincit, per non jus actoris.*
7 *Familiaritas Cardinalis cessat per familiaritatem Papæ, & num. 15.*
8 *Refertur tenor Constitutionis Alexandri VII. super duplici reservatione.*
9 *Quod magis placeat opinio Rotæ, quam illa Congregationis particularis, juxta cujus votum prodiit dicta Constitutio.*
10 *Reservatio certa, & fixa resultat in officiis, ex Constitutione Pauli III.*
11 *Quod ante dictam Constitutionem ad terminos extrav. ad regim. reservatio esset localis.*
12 *Plures reservationes resultantes ex eodem fonte, seu eadem causa, non multiplicant.*
13 *De argumento resultante ab eodem indulto.*
14 *De alio casu controversiæ similis.*
15 *De conclusione, de qua num. 7.*

DISC. III.

PEr obitum Leonardi Landini, qui fuerat familiaris Cardinalis Columnæ, ac aliqua etiam possidebat officia Cancellariæ, Scripturatum scilicet Apostolicum, ac duas militias Lilii, & Pii nuncupatas, in Civitate Bononien. sequutum, vacarunt quædam simplicia beneficia in eadem diœcesi Bonon. per Cardinalem Columnam in vim indulti, de quo supra, in Bonon. indulti *disc. præced.* collata Marcello Severolo, cum sequuta possessione; Eadem vero impetravit Alexander Caprara a Sede Apostolica, tamquam affecta duplici reservatione, faciente cessare indultum; Expeditoque Brevi de capienda possessione nomine Cameræ, ac præsentato pro executione coram A. C. cum iste occasione disputationum in contradictorio motivasset contra provisum Apostolicum actorem super non justificata dicta duplici reservatione, quæ erat fundamentum ejus gratiæ; Hinc proinde per commissionem manu Papæ signatam mandatum fuit eidem A. C. ut procederet de voto Rotæ, ubi assumpta dispu- 2
tatione cor. Priolo super dubio; *An Breve esset exequendum,* post aliquas propositiones sub die 24. Januarii 1661. negative resolutum fuit ad favorem rei conventi, provisi ab indultario, ex eodem fundamento non justificatæ duplicis reservationis, eo modo, quo requiritur, ad effectum faciendi cessare indultum; Editaque decisione, post aliquas propositiones absque resolutione, avocata fuit causa a Rota, & commissa Congregationi particulari aliquorum Prælatorum, a qua diversa prodiit resolutio, quod scilicet adesset talis duplex reservatio, quæ faceret cessare indultum, atque ad hujus resolutionis normam sub die 12. Aprilis 1666. emanavit Constitutio Alexan. VII. per quam sic sublata, seu impedita fuit, nisi adversus eam, ejusque clausulas concederetur oris apertio,

cum reductione ad viam juris, ut adversus alias Con-
stitutiones pro causis particularibus, jam introductis,
practicari vidimus, præsertim adversus Constitutio-
nem 151. Urbani VIII. super moderatione indulto-
rum transferendi pensiones, in Ferrarien. pensionis,
de qua *sub tit. de pension.*

In hujusmodi autem disputationibus Ego, & alii,
potius nomen quodammodo accommodavimus, cum
4 causæ pondus substinuerit ejusdem Marcelli rei con-
venti pater doctus Jurisconsultus ex hujus Curiæ se-
nioribus Advocatis, qui cum eo particulari studio, &
applicatione, ut in gravi causa proprii filii decebat,
hanc materiam radicitus, ac ab alto examinare cura-
vit, ut ostendent ejusdem scribentis labores jam pu-
blicæ luci promissi, & qui in dies expectantur, solum-
que brevibus hic adnotantur ea, quæ Ego responden-
do, vel etiam scribendo, pro meo sensu deducebam, ha-
bita in reliquis remissione ad dictum alium Scribentem.

Concordabant siquidem Scribentes hinc inde in eo
principio, quoad effectum ut intret conclusio duarum
reservationum facientium cessare indultum conferendi
reservata, Cardinalibus concedi solitum, juxta deducta
apud Dunozett. *decis.* 632. *& in aliis*, debent esse duæ
reservationes principales, & coæquales, seu ejusdem spe-
cici, non autem sufficiunt dispares, ac diversæ speciei,
juxta votum Verospii & Ubaldi Rotæ Auditorum, quod
reputatur in materia magistrale, passim receptum, ac re-
latum per Gratian. *discept.* 982. *n.* 24. Tondut. *quæst. be-*
5 *nef. part.* 2. *cap.* 3. §. 5. *num.* 35. Adden. ad Gregor. *de-*
cis. 291. *n.* 10. & admittit Rota coram Dunozetto *decis.*
232. *& decis.* 350. *part.* 9. *recent. & in aliis*, atque expli-
cat eamdem Constitut. 163. alias 164. Urbani VIII.

Quare tota quæstio erat applicationis, an scilicet adess-
sent nec ne duæ reservationes hujusmodi naturæ seu qua-
litatis, quod onus erat provisi Apostolici actoris justifica-
re, tamquam suæ intentionis fundamentum, cum alias
fundata esset in indulto intentio rei, & possessoris, cui
etiam vincere sufficit per non jus actoris, & ex defectu
6 probationum juxta vulgarem regulam text. *in l. qui accu-*
sare, *C. de eden.* quam locum quoque habere in beneficia-
libus advertitur apud Mont. *decis.* 278. & 364. Burait.
decis. 380. *in princip.* ibique Adden. & frequenter.

Duplicem autem reservationem deducebant Scribentes
pro actore, ac pro Dataria illi adhærente; Unam scilicet
ex officio scriptoris Apostolici; Alteram vero ratione
Prothonotariatus, qui militiis a beneficiato possessis
inesse dicitur, ut etiam, tam officio, quam militiis inest
Papæ familiaritas: Non deducebatur autem familiari-
tas Cardinalis, ex pariter recepta conclusione, quod
7 sicut luminare majus occupat luminare minus, ita fa-
miliaritas Papæ occupat, ac supprimit familiaritatem
Cardinalis, in nulla consideratione proinde habendam,
Cassad. *dec.* 9. *de præbend. n.* 5 Gonzal. *ad reg.* 8. *gl.* 51.
n. 65. *& seqq.* Lotter. *lib.* 2. *q.* 32. *n.* 7. Rota apud Seraph.
dec. 1251. *n.* 5. & 15. & apud Pœniam, *dec.* 1177. *n.* 9.
cum aliis per add. ad Greg. *d. dec.* 291.

Præscindendo autem a dicta Constitutione Apostolica
Alexandri VII. contra quam donec obtineatur moderatio,
8 non licet loqui, & per quam iste punctus nimis clare deci-
ditur per hæc verba præcisa, *Beneficia Prothonotariorum*,
Scriptorum & aliorum Officialium enumeratorum in d.
extravag. ad regimen esse reservatam ubicumque decedant
etiam extra Romanam Curiam & duas dietas; Itemque
reservationem Beneficiorum obtentorum per dictos officia-
les intrare etiam ratione solius officii, & insuper Pro-
thonotariatum ex militiis resultantem, dictumque scri-
ptoratum separatim acquisitum constituere duas reserva-
tiones personales coæquales, exclusivas indulti.

Mihi, reflectendo etiam ad veritatem, magis placebat
opinio quam sequuta est Rota, quod scilicet ista duplex
reservatio personalis & coæqualis non adesset; Siquidem
seclusa reservationis causa resultante a familiaritate Car-
dinalis utpote absorpta, & suffocata a majori familiarita-
te Papæ ut supra, remanebant solum tres causæ dictæ re-
servationis inductivæ; Primo scilicet officium scriptora-
tus; Secundo officium militis Pii; Et tertio aliud offi-
cium militis Lilii, ideoque singulas examinando.

Quatenus pertinet ad primam officii scriptoratus, super
9 qua major accepta inspectio fuit, non dubitabatur quod
hodie ex isto, aliisque similibus officiis resultet reservatio
personalis, ac fixa, juxta ea quæ habentur apud Gomez ac
10 alios Beneficialistas moderniores postea scribentes. Dice-
batur tamen ex hac parte, atque Rota amplexa est respon-
sionem pro meo sensu probabilem, quod id resultaret ex
Constit. Pauli III. ob familiaritatem Papæ, & Prothono-
tariatum, quæ eisdem officiis post dictam Constitutionem
annnexa fuerunt, & sic ex ista qualitate, non autem ratio-
ne ipsius officii considerati de per se absque dictis novis ad-
jectis, ac in solis terminis Extravag. Ad regim. quibus 11
attentis probabilius videtur reservationem esse potius
localem quam personalem, quatenus scilicet tales offi-
ciales moriantur in Curia, vel intra duas dietas, quod
attento sensu litterali, seu grammaticali clare probare
videtur ipsius Extravagant. littera, seu contextus; Stan-
te potissimum discretiva illorum officiorum, ex qui-
bus dicitur reservationem resultare ubicumque decede-
rent; Ac etiam quia sic firmant omnes illi Doctores,
qui scripserunt ante prædictam Pauli III. Constitutio-
nem, nempe Geminian. *cons.* 92. *num.* 1. *& seqq.* & Re-
buff. in Addit. *ad regul.* 1. *Cancell. vers. in primis post pra-*
xim benefic. Quod etiam bene agnoscitur ex moder-
nis Beneficialistis Lotther. *l.* 2. *quæst.* 32. *n.* 25. *&* 61. ubi
dicit necessariam fuisse præfatam Pauli III. Constitut. di-
ctas qualitates adjicientem, ex quibus sublata fuit diffi-
cultas, quæ alias circa hujusmodi reservationem urgebat.
Idque melius mihi probari videbatur per ipsammet Con-
stitutionem ita agnoscentem difficultatem, ad quam
removendam ea prodiit, cum alias inanis vel superflua
fuisset; Et quamvis Æneas de Falconibus *de reserv. q.* 3.
sub n. 15. de dicta Gemin. doctrina dubitare videatur, &
in qua Æneæ auctoritate Scribentes pro Dataria magnum
fundamentum constituebant, nihilominus non videbatur
illi deferendum esse, cum loquatur dubitative, nihil de-
super firmando ob reverentiam debitam auctoritati Ge-
min. quam fatetur esse magnam; Ac etiam quia ultra di-
ctam auctoritatem, ac alteram Rebuff. urgebant præmis-
sæ aliæ rationes, seu considerationes, illa præsertim de-
ducta ex ipsius Extravagantis littera, clarius comproba-
ta ex antiquiori canone *in cap.* 2. *de præbend. in* 6. ubi etiam
habetur, reservationem beneficiorum possessorum per
hujusmodi officiales, resultare ex eorum obitu in Curia,
vel intra duas dietas, & sic eam esse localem.

His autem positis, quod scilicet reservatio non proveni-
ret ab officio, sed a familiaritate, ac Prothonotariatu ipsi
officio annexis, ut supra; Hinc resultare dicebamus ego,
& cæteri, atque Rota admisit, dicta alia duo officia non
multiplicare reservationem, dum in eis reservatio resultat 12
etiam ex eadem causa, & sic semper est unica & ex eodem
fonte, non autem duplex ex diversa causa; Atque in hoc
videbatur consistere æquivocum deducendi ex uno officio
familiaritatem, & ex altero Prothonotariatum, ut ita re-
sultarent duæ disjunctæ coæquales, ac principales reser-
vationes, cum utriusque unica esset causa productiva duo-
rum effectuum connexorum, qui pro unico habendi sunt,
quamvis plures concurrant tituli uniformes eumdem effe-
ctum producentes, quoniam hic semper est unus, & idem;
Ut puta ex Doctoratu in legibus, vel alia scientia resul-
tant de jure communi, vel municipali aliqua privilegia,
seu aliqui effectus; Si autem quis lauream Doctoratus as-
secutus in Universitate Bononiensi, velit eundem gradum
assumere in Universitate Parisiensi, ac Salmanticensi, &
in aliis, semper tamen erit unus Doctor, neque effectus
doctoratus multiplicabuntur; Ita pariter de effectibus,
vel privilegiis in idem tendentibus qui resultant a di-
gnitate Episcopatus si plures Ecclesias ex Apostolica dis-
pensatione unus obtineat, cum similibus; Multiplica-
tio siquidem resultat solum circa illos diversos effectus,
qui resultant ex diversis causis concurrentibus in una
persona materiali, quæ tamen consideranda veniat tam-
quam diversa, & multiplex persona formalis, juxta eam
distinctionem quæ frequenter in omnibus fere materiis
considerata habetur, frequentius vero *sub tit. de jurisd.*
& sub altero de præeminent. præsertim *disc.* 1. quod ad
rem applicabile non videbatur.

Quodque pluralitas illorum officiorum, seu munerum
quæ producunt eas plures qualitates, seu prærogativas, 13
quæ distinctæ, ac de per se sufficerent ad inducendam dupli-
cem reservationem, non habeatur in consideratione quan-
do ea est unica, clare comprobari observabam ex ipsomet
indulto, in quo explicite datur facultas conferendi Benefi-
cia vacantia per obitum hujusmodi Officialium qui sunt
familiares & Prothonotarii; & tamen si quis esset fa-
miliaris Papæ, ac efficeretur etiam Prothonotarius ex
diverso titulo, facilius intraret duplicitas reservationis,
quoniam punctus est in diversitate causæ; sed duplex qua-
litas resultans ex ea causa non attenditur; Ista ita summa-
tim imo brevius, ego, ut aliquid dicerem, insinuabam,
præter etiam necessitatem, dum dictus alter scribens, cum
uberiori doctrina, magisque elaborate deducebat fere
omnia quæ in materia desideranda videntur, ut supra.

Oc-

Occasione autem alterius disputationis habitæ coram
Datario *in Romana Canonicatus S. Mariæ in via Lata*
14 pro Cardinali Ursino dictæ Ecclesiæ Titulari ob va-
cationem Canonicatus sequutam per obitum Pauli Jor-
dani, qui fuerat familiaris Cardinalis Borgiæ, ac et-
iam possessor duorum consimilium officiorum Cancel-
lariæ Scriptoratus scilicet, & Abbreviatoriæ, in qua
causa licet ista Bononien. adhuc penderet in Rota,
atque jam edita esset dicta decisio; Adhuc tamen Da-
tarius eam attendere noluit, sed præsupponendo ita
adesse duplicem reservationem, executioni demanda-
ta fuit provisio per ipsam Datariam facta tamquam de
reservato.

Cogitabam, occasione hujus alterius causæ aliquam
difficultatem desuper cadere posse; Non quidem ex
præmissis, cum quibus processum fuit, sed ex dupli-
citate resultante a duplici diversa causa, nempe a di-
ctis officiis unam tantum reservationem (quamvis plu-
ra essent) causantibus, & a familiaritate Cardinalis
15 Borgiæ utpote omnino diversa, & ex diversa causa;
Nil obstante dicta conclusione quod familiaritas Car-
dinalis absorpta, seu suffocata remaneat ab alia majori
familiaritate Papæ, juxta superius allegatas auctorita-
tes, id enim inductum videtur in gratiam, ac favorem
ipsius Papæ, seu Datariæ, & ne Cardinalis prætendere
posset intrare ad ejus favorem Regulam 31. cum simili-
bus, ac propterea non videtur retorqueri debere in
odium juxta vulgata axiomata de quibus Barbos. *axiom.
96. n. 1. & axiom. 34. n. fin.* cum similibus; Non ta-
men super hoc maturum judicium efformare potui, quo-
niam cum istud motivum ex parte Datariæ deductum non
esset, ita defuit occasio illud examinandi; Potissime dum
utraque causa desiit habere ulteriorem disputationis pro-
gressum, quoniam prima sopita fuit per dictam Con-
stitutionem Apostolicam, & altera per collationem de
facto, ob quam (& forte prudenter) Cardinalis Titula-
ris acquievit, ac abstinuit a conferendo; pro tempore
autem futuro, stante dicta nova lege id exprese de-
cidente, cessat in radice occasio disputandi.

NEAPOLITANA MONASTERII, AD PETITIONEM

CARDINALIS CARACCIOLI Archiepiscopi Neapolitani.

Consilium pro veritate.

De eadem materia Indulti Cardinalitii confe-
rendi reservata, an & quando cesset ob plu-
res reservationes; Et prætertim, An capiat
Monasteria Concistorialia, vel non Conci-
storialia descripta in libris Cameræ, seu
alias Commendata.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Monasteria Concistorialia non cadunt sub indul-
to a quo sunt exceptuata.*
3 *Monasterium Concistoriale dicitur ubi taxatum est
in libris Cameræ florenis 66. cum dimidio & qua-
re provideatur in Concistorio.*
4 *Dicitur Concistoriale ubi habet valorem 200. duca-
torum, quamvis taxatum esset in libris in sum-
ma minori florenarum 66. cum dimidio.*
5 *Dicitur etiam Concistoriale si provideri solitum est
in Concistorio, sed non per hoc debet ibi perne-
cesse provisio fieri.*
6 *Monasteria taxata in libris Cameræ etiamsi non sint
Concistorialia, non cadunt sub indulto.*
7 *De reservatione Beneficiorum, quæ obtinent Nuntii
& alii Officiales per extravag. ad regimen.*
8 *Beneficium semel affectum, vel reservatum semper
pro ea vacatione est tale etiam si per mortem Pa-
pæ cessent regulæ.*
9 *De reservatione, vel affectione quia possessor esset
Episcopus, & de ratione.*
10 *Quod non intret in Episcopis in partibus infidelium.*
11 *Commenda causat reservationem, vel affectionem.*

DISC. IV.

1 Defuncto de mense Februarii 1670. Sede Papali va-
cante Augustino Franciotto Archiepisc. Trabi-
sonen, exercendo munus Nuntiaturæ Apostolicæ Ger-
maniæ inferioris alias Coloniæ, cum sibi commenda-
tum esset quoddam Monasterium situm in insula Pro-
cidæ, orta est dubitatio, an Archiepiscopus Neapolita-
nus Ordinarius habens indultum Cardinalitium confe-
rendi reservata, illud ita vacans conferre posset, meo-
que desuper expetito consilio pro veritate,

Respondi plures obstare difficultates negativam sua-
dentes, illam potissime insuperabilem, quatenus subsi-
steret dicti Monasterii præsuppositus valor excedens
200. ducatos Cameræ; Posito enim isto valore, non 2
solum intrat reservatio contenta in Regula secunda
Cancellariæ, sed etiam quod ita dicendum esset Mo-
nasterium Concistoriale exprese exceptuatum in ipso in-
dulto; quamvis enim Monasteria Concistorialia hodie
dicantur illa, quæ in libris Cameræ taxata reperiun-
tur in florenis sexaginta sex cum dimidio, cum ita da-
to augmento aliarum duarum tertiarum partium taxa-
tum dicatur in ducatis bicentum, quo casu ob nota-
bilem redditum annexam habere videatur quandam ad- 3
ministrationem, ob quam Monasteria exæquantur Ec-
clesiis Cathedralibus providendis ut per Lotter. *lib. 1.
quæst. 26. num. 41. cum seqq. ubi concordanter.*

Attamen ex declaratione Sacræ Congregationis Con-
cistorialis de anno 1591. quoties revera adest dictus
valor, vel major, adhuc dicitur Concistoriale, quam-
vis in libris Cameræ taxatum reperiretur in summa 4
minori, adeout regula secunda reservans Monasteria
dictum valorem habentia, continere videatur quandam
declarationem Concistorialitatis, ut ex dicta declara-
tione Sacræ Congregationis firmatum fuit per Rotam
in Palentina Abbatiæ de bene vivere 19. Aprilis 1617.
& 14. Decembris 1618. coram Coccino, quarum pri-
ma est impressa *decis. 791. part. 3. rec.* easque refert
etiam Lotter. *d. q. 26. n.* 52. qui *n. 49.* ex eisdem
decisionibus firmat dici etiam Concistoriale, quando
in Concistorio provideri consuevit, licet id non sit 5
præcise necessarium, quoniam etiam Concistorialia
provideri possent per Papam extra Concistorium, ut
idem Lotter. *num.* 47.

Hinc advertebam opus non esse agere de aliis exce-
ptuationibus, vel reservationibus, seu affectionibus di-
ctum indultum cessare facientibus, cum esset literalis
exceptuatio Concistorialium, ideoque ista sola qualitas
sufficiebat. Verum illa etiam cessante, adhuc plura 6
obstabant; Primo scilicet altera exceptuatio in eo-
dem indulto literaliter contenta de Monasteriis inde-
finite descriptis, ac taxatis in libris Cameræ, quam-
vis taxa esset minor illa, quæ facit Concistoriale, quo-
niam ista exceptuatio stare videtur augmentative, seu
discretive ab altera concistorialium, ut probare vide-
tur ipse verborum sensus grammaticalis, ac in spe-
cie advertit Gemon. *de indult.* verbo, *seu S. Regula-
ria num.* 82.

Secundo observabam adesse affectionem personalem,
cum possessor esset utriusque Signaturæ Referendarius,
ut etiam fuisset Rector, seu Gubernator plurium Civi-
tatum, & forsan provinciarum Status Ecclesiastici, ac
etiam Prolegatus Avenionen. atque de tempore obitus
esset Nuntius Apostolicus, ut supra, ideoque intrabat 7
clara reservatio contenta *in extravagant. ad regimen de
præbend.* Et super qua dicebam cadere non posse quæ-
stionem quoad alios Officiales disputatam supra *in Bo-
nonien. beneficiorum disc. præced.* an esset localis, vel per-
sonalis & fixa; Tum quia etiam in aliis officiis hujus-
modi difficultatem jam substulit Constitutio Alexandri
VII. edita occasione dictæ causæ Bononien. Tum clarius
quia in eadem Extravaganti, ad literam disponitur, be-
neficia Nuntiorum, Thesaurariorum, Legatorum, ac Re-
ctorum esse reservata ubicumque decedant, & ex qua
discretiva locutione in dicta Bononien. inferebatur, quod
circa alios Officiales reservatio esset localis, & ulterius
etiam quoad alios dicta quæstio cadebat in ordine ad
duplicitatem resultantem ab ipsis officiis, ac a familiari-
tate, & Prothonotariatu, quæ fuerunt eisdem annexa
per Constitutionem Pauli III. & ob quam, seclusa et-
iam dicta moderna Constitutione Alexandri, indubita-
ta est reservatio, vel affectio fixa, & personalis.

Et quamvis hæc unica non obstaret, cum in indulto
exprese concedatur facultas conferendi etiam beneficia
hujusmodi quatuor majorum Officialium, attamen se-
clusis etiam dictis exceptuationibus ac inspectione, an
eorumdem officiorum diversitas duplicaret reservationes,
dum possessor fuerat Rector, Prolegatus, ac Nuntius, ut
supra (quod examinatum non fuit;) Adhuc obstabat
multiplicitas reservationum, dum ultra jam dictam cir-
cum-

cumstantiam quod fuisset Rector, Prolegatus, ac Nuntius, erat etiam Prælatus utriusque signaturæ Referendarius, & consequenter familiaris & commensalis Papæ ex Constitutione Pauli III. ac ulterius accedebat dicta alia reservatio contenta in Regula secunda ratione valoris ducatorum 200. & sic erant mulctæ inevitabiles.

Nil obstante quod per mortem Papæ cessassent regulæ Cancellariæ, quoniam, ut pluries in aliis advertitur, atque ex clara dispositione Extravag. *ad Roman.* pluries firmatur per Rotam præsertim apud Merlin. *decis.* 192. quoties non agitur de reservatione discontinua, & contingibili, puta ratione mensis, vel loci, sed de continua, personali, vel reali, quamvis cesset reservatio, adhuc tamen durat affectio, ex regula, quod beneficium semel affectum semper remanet tale, atque semel impressa qualitas pro illa vacatione non cessat; juxta materiale exemplum, quod antiqui Curiales beneficialistæ dare solebant de oleo, quod semel effusum super panno imprimit maculam non delendam, quamvis cesset causa effusionis. Ultra quod ista est reservatio clausulæ in corpore juris, quæ non pendet solum ex regulis Cancellariæ.

8 (margin number, beside "tingibili")

Tertio considerabam, an obstare posset altera reservatio, vel affectio ex eo, quod possessor esset etiam Episcopus, verum credebam eam non obstare, quoniam hujusmodi affectio in beneficiis possessis per Episcopos, resultat ab appositione manuum Papæ occasione dispensandi super eorum retentione alias incompatibili cum Episcopatu, per quem alia beneficia non data dispensatione vacant, ex deductis per Buratt. *decis.* 464. *num.* 9. ubi Add. *num.* 11. *& decis.* 473. *num.* 1. ubi quod etiam vacant pensiones.

9 (margin number, beside "pus")

Hæc autem ratio intrare non videtur hujusmodi Episcopatibus titularibus in partibus infidelium, per quos utpote administrationem actualem non habentes, saltem de recepta consuetudine, beneficia, & pensiones non vacant, Garz. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 44. Barbol. *de Episcopo alleg.* 57. *num.* 74. Adden. ad Buratt. *dict. decis.* 464. & consequenter necessaria non est dispensatio, ex qua resultat appositio manuum Papæ inductiva affectionis.

10 (margin number, beside "scopatibus")

Quarto demum ponderabam, quod intraret alia reservatio, vel affectio resultans ex sola qualitate Commendæ, ex Beneficialistarum propositione, quod ex Commenda resultat reservatio donec provideatur in titulum; Put. *decis.* 154. *lib.* 1. Pœnia *decis.* 1355. *repetit. decis.* 154. *part.* 1. *recent.* Cavaler. *decis.* 559. *n.* 5. Burat. *decis.* 36. *in fine, ubi add. lit.* D Lotter. *d. lib.* 1. *q.* 26. *n.* 38.

11 (margin number, beside "vatio")

Et quamvis id percutere videretur exclusionem electivæ qualitatis, ut advertunt superius allegati, & ne alias Conventus Monachorum prætendere posset in casu vacationis sibi eligere Abbatem, vel Priorem, eo modo, quo de jure competit in illis Monasteriis, quæ non solent dari in Commendam; Attamen appositio manuum Papæ causat hunc effectum; Hæc tamen omnia dicebantur ad superabundantiam, quoniam stantibus dictis exceptuationibus claris, omnem difficultatem removentibus ac extra controversiam excludentibus indultum, nulla suppetebat necessitas assumendi hanc inspectionem duplicis reservationis, vel affectionis principalis, & coæqualis, ideoque ista solum exuberanter, ac discursive insinuabantur.

21 (margin number, beside "troversiam")

His stantibus Cardinalis indultarius abstinuit a conferendo, istaque modestia sibi nimium profuit, quoniam Clemens X. in eo Conclavi creatus illud Monasterium eidem Cardinali contulit, seu commendavit.

ROMANA BENEFICIATUS S. JOANNIS, PRO VINCENTIO MARCHESIO, CUM DOMINICO SATO.

Casus varie decisus per Rotam.

De eodem indulto, de quo in præcedenti concedente facultatem conferendi beneficia reservata etiam per obitum familiarium Pontificum prædecessorum defunctorum; cum exceptuatione beneficiorum vacantium per obitum familiarium ipsius Papæ concedentis, aliorumque Pontificum viventium; An quoad familiares ipsius Papæ dicta exceptuatio procedat, ubi vacatio contingat post ejus mortem; Et aliqua de reservatione resultante a Prothonotariatu concesso per Nuntium Apostolicum, an constare debeat de acceptatione. & juramento, & de executione Brevis de capienda possessione nomine Cameræ, an constare debeat de claris reservationibus excludentibus indultum: Et quid in dubio dicendum sit; Et an dictum Breve continere debeat mentionem litis.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Resolutio causæ, & de contraria resolutione numero 27.
3 Ut in casu dubio procedendum sit ad exequutionem Brevis de capienda possessione ad favorem provisi Apostolici.
4 De punctis cadentibus sub disputatione.
5 Reo, & possessori sufficit vincere per non jus Actoris, idque procedit etiam in Beneficialibus.
6 Proviso ex capite reservationis, ac prætendenti indultum non suffragari incumbit onus id probandi.
7 Reo sufficit offuscare probationes actoris.
8 Declaratur conclusio, de qua n. 3. quando procedat.
9 Reus est actor in sua exceptione adversus actionem jam probatam.
10 Quando dubietas sufficiat proviso ab inferiore contra provisum Apostolicum.
11 Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam.
12 Conciliantur contrariæ conclusiones, de quibus n. 5. 6. 8. & 10.
13 Quid ubi reservatio oritur ex ventre ipsius indulti.
14 Exceptio oriens ex ventre scripturæ, ex qua oritur actio admittitur in omni judicio.
15 In brevi de capienda possessione nomine Cameræ debet fieri mentio litis, alias est subreptitium.
16 Declaratur, quando id procedat & quando non.
17 Ut exceptuatio familiarium ipsius Pontificis concedentis indultum intelligatur etiam ipso Pontifice mortuo.
18 Contrarium verius, & respondetur fundamentis, de quibus num. præcedenti, præsertim circa decis. Durani, & de rationibus differentiæ.
19 Pro latiori interpretatione indulti, vel alterius gratiæ attenditur verisimilis voluntas concedentis ex benevolentia erga concessionarium.
20 Mortuo Papa & dissoluta familiaritate, Beneficia ejus familiarium, non dicuntur reservata, sed affecta.
21 De differentia inter reservationem & affectionem.
22 Quod non sit immorandum in verbis, vel regulis grammaticæ, sed in substantia veritatis, & verisimilis voluntatis.
23 Dedecet quod inferior conferat beneficia vacantia per obitum familiarium ipsius Pontificis viventis.
24 Ubi agitur de Prothonotariatu concesso per Nuntium habentem conditionem præstationis juramenti, justa conditio debet impleri ad effectum reservationis.
25 Quod sufficiat implementum præsumptum.
26 An affectio quæ resultat a familiaritate jam cessata, causet reservationem pro istius duplicitate faciente cessare indultum.
27 De recessu a prima decisione.

DISC. V.

Vacato Beneficiatu Basilicæ Lateranensis per obitum Hieronymi Toccacæli, qui fuerat familiaris Urbani VIII. Cardin. Columna dictæ Basilicæ Archipresbyter ac ordinarius collator, illud contulit Vincentio Marchesio cum subsequuta executione, deindeque tamquam reservatum obtinuit a Dataria Dominicus Satus, qui expedito Brevi de capienda possessione nomine Cameræ, ab A.C. in possessionem immissus fuit expulso Marchesio, qui tamen a Signatura Justitiæ ob dictam executionem attentatam pendente recursu ad eam, in possessionem reintegratus fuit; commissaque causa in Rota coram Bevilaqua, cum clausula *parito literis arbitrio*, datoque solito dubio ex rescripti ventre resultante, an intret necne arbitrium super paritione, post plures propositiones, demum sub die 11. Februarii 1669. prodiit resolutio, *arbitrium non intrare pro retardatione*, Atque in decisione desuper edita in §. finali assignatur pro resolutionis fundamento, quod quicquid esset de subsistentia reservationis, & an Cardinalis indultarius haberet necne facultatem conferendi controversum Bene-

beneficium, super quo vota non erant concordia, in eo tamen concordabant, quod sufficeret id esse ambiguum, ac altioris indaginis, ut in dubio præferendus esset
3 provisus Apostolicus, neque impedienda sit executio Brevis, quod paratam habet executionem ex deductis apud Burat. *decis.* 805. *in fin.* Rot. *decis.* 381. *n.* 1. *par.* 1. *rec. decis.* 31. *n.* 5. *part.* 10. & in aliis, unde propterea motiva respicientia negotium principale indecisa remanserunt.

In his igitur disputationibus quatuor fuerunt puncti; Primo circa subreptionem ejusdem Brevis, executionem propterea non merentis utpote impetrati, lite jam introducta, nulla istius facta mentione; Secundo an indultum suffragaretur stante exceptuatione in eo contenta Beneficiorum vacantium per obitum familiarium ipsius Urb. VIII. concedentis in illis verbis; *Non tamen affecta ratione familiaritatis nostrorum, seu Romanorum Pontificum pro tempore viventium familiarium*; Tertio, quatenus dicta exceptuatio non obstaret, an adesset altera reservatio resultans ex defuncti Prothonotariatu, quæ juncta cum altera resultante a dicta familiaritate tamquam duplex faceret cessare indultum; Et quarto demum, cuinam contendentium suffragaretur dubietas, an scilicet ista sufficeret, ut Brevis executio impedienda non esset, vel e converso tueretur possessorem ab indultario provisum.

Cum autem iste ultimus fuerit causa resolutionis in eo solum fundatæ, idcirco videbatur eam non subsistere, cum potius regula esset in oppositum, potissime ubi provisus
5 ab indultario est possessor; cum enim huic tamquam reo, & possessori sufficiat vincere per non jus actoris, cui de jure incumbit onus concludenter, ac perfecte probandi id quod est suæ intentionis fundamentum juxta vulgarem regulam textus *in l. Actor. C. de probat. & cap. ex literis extra eodem*, quam regulam receptum est in Beneficialibus quoque pocedere, Innocent. *in cap. ex insinuationr, de procurat. & in cap. olim, de rescript.* ubi alii præsertim Felin. *n.* 18. & 22. Rot. *decis.* 4. *de re judicat. n.* 1. *nov. & decis.* 6. *eod. tit. in antiq.* Mantic. *decis.* 278. *n.* 4. & *decis.* 364. *n.* 2. Burat. *decis.* 380. *in princip. ubi add.* & Rot. *sæpius*.

Hinc proinde onus videtur actoris petentis executio-
6 nem Brevis fundati in reservatione exclusiva facultatis indultarii, illam clare & concludenter probare tamquam fundamentum suæ intentionis, itaut proviso ab indultario, & possessori sufficiat dubietas, ut in specie indulti firmatur per Rotam apud Duran. *decis.* 14. *num.* 18. & *decis.* 340. *numer.* 3. & in individuo hujus indulti Cardinalis Columnæ, *decis.* 350. *in fine, part.* 9. *recent.* & in Viterbien. Canonicatus 26. Junii 1651. coram Verospio edita in causa, de qua *infra, disc.* 8. & in aliis.

Ea etiam suffragante, pariter in foro quotidiana, &
7 recepta propositione, de qua Surd. *cons.* 505. *n.* 6. Merlin. *decis* 397. *num.* 33. Rota *decis.* 158 *num.* 3. *part.* 10. *recent.* & sæpius, quod reo sufficit offuscare dubiamque reddere probationem, seu intentionem actoris, ut ita ipse per non jus obtineat.

Neque præmissis obstare videbantur deducta in fine hujus decisionis, præsertim dicta *decis.* 31. *part.* 10. *recent.* me scribente edita in Nulcana Canonicatus, de qua *infra*,
8 *disc.* 17. ubi concordantes, ob casus diversitatem, cum in casibus, de quibus agunt dictæ decisiones, ageretur in concursu provisi Apostolici cum proviso ab Ordinario non indultario occasione vacationis sequutæ in eo mense, qui sine dubio ad normam Regulæ octavæ hodie nonæ esset reservatus, unde propterea absque alia probatione, vel discussione, clare fundata erat intentio provisi Apostolici ratione reservationis incontinenti probatæ per ipsam regulam; Excipiebat autem provisus ab Ordinario de reservationis moderatione resultante ab alternativa, ob quam ille mensis efficiebatur ordinarius, sed super hoc cadebat dubietas, an scilicet alternativa suffragaretur quoad Beneficia conferenda per simultaneam,
9 sive ad alterius electionem, vel præsentationem, & in his terminis procedunt *d. decis.* 31. *part.* 10. & *decis.* 805. Burat. & *decis.* Tarracon. Canonicatus post Marchesf. *part.* 1. *fol.* 343. & sic turbiditas erat in exceptione, & consequenter intrabat altera pariter vera, & recepta propositio, quod quando actor clare ac bene fundavit suam actionem, quam reus per exceptionem elidere prætendat, tunc ipse reus fungi dicitur persona actoris, cui obstent dictæ aliæ propositiones, quod scilicet sibi incumbat onus perfecte & concludenter probandi exceptionem tamquam suæ intentionis fundamentum, actori vero sufficiat talem probationem offuscare, dubiamque reddere, ut ita remaneat actio clara, exceptio autem turbida ex cumulatis per Gregor. & Adden. *decis.* 228. Rotæ *decision* 25 *num.* 2. *part.* 7. *recent.* late in Pontmien. Archipresbyteratus 15. Junii 1649. Corrado, & *frequenter*.

Non sic est ubi provisus Apostolicus agat contra provisum per Cardinalem indultarium habentem in facultatibus conferendi omnia, & quæcumque beneficia in qui- 10
busvis mensibus vacantia, seu alias quomodolibet reservata, itaut ipse habeat pro se regulam, limitandam solum in aliquibus casibus exceptuatis, quoniam tunc ille qui habet pro se regulam, habere dicitur intentionem fundatam, ac propterea qui intendit eam elidere per limitationem, seu exceptionem, tenetur istam perfecte, & concludenter probare, ut generaliter Manric. 11
decis. 251. *n.* 4. *decis.* 357. *n.* 24. *part.* 10. *rec.* cum aliis per Barbos. *axiom.* 198. ideoque sufficit talem probationem offuscare, dubiamque reddere ut supra: Igitur habente indultario pro se regulam generalem, atque fundante proviso Apostolico suam provisionem in exceptuatione, seu limitatione, utique sibi probationis onus incumbere debet.

Ideoque observandum est combinando auctoritates, ac decisiones, quæ hinc inde super hujusmodi propositione circumferri solent, quod illæ quæ in hujus cau- 12
sæ decisione adducuntur favore provisi Apostolici, ac pro executione Brevis in dubio facienda, & non admittente exceptiones dubias, ac altioris indaginis, procedunt in dicto primo casu provisionis factæ ab Ordinario de vacatione in mense reservato, unde regula assistat Datariæ ob reservationem incontinenti probatam, quam regulam Ordinarius elidere prætendat per limitationem alternativæ, in qua sit turbiditas, juxta casus *decis.* 805. Burat. & *decis.* 35. *part.* 10. *rec.* cum aliis supra allegatis, sive ubi non dubitetur de reservatione, sed prætendatur excludi cum jurepatronatus laicali juxta casum, de quo dicta *decis.* 381. *part.* 1. *recent.* cum similibus.

E converso autem in casu indulti adsunt dictæ decisiones 54. & 340. coram Durano *decis.* 350. *part.* 9. *recent.* in dicta Viterbien. coram Verospio, ac etiam in Bononien. beneficiorum coram Priolo edita in causa, de qua *disc.* 3. & aliæ, ex dicta clara differentiæ ratione, quod isto casu res est in oppositum, quod scilicet regula generalis assistit indultario, provisus autem Apostolicus se fundat in limitatione.

Replicabant scribentes pro proviso Apostolico id forte procedere, quando exceptio, quæ allegatur, esset extrinseca, ut est casus duarum reservationum coæqualium cessare facientium indultum, in quibus terminis loquuntur dict. decisiones Viterbien. & Bononien. ac si- 13
miles, secus autem in hac facti specie, in qua exceptuatio resultabat ex ventre ipsius indulti, in quo provisus ab indultario suam intentionem fundabat, dum juxta superius registrata verba, ibi, *familiarium nostrorum*, clare exceptuata erant beneficia familiarium ipsius Pontificis concedentis, ideoque intrare dicebant conclusionem pariter veram ac receptam quod exceptio resultans ex ventre ejusdem scripturæ, ex qua resultat 14
actio, dicitur incontinenti probata, & admittitur in omni judicio quantumvis executivo, & privilegiato omnes exceptiones rejiciente, ut generaliter Grass. *de except. cap.* 13. Dunozet. *decis.* 914. *num.* 4. Et in beneficialibus de exceptione resultante ex ipso Brevi, seu ipsius literis Apostolicis late Burat. *decis.* 122. *n.* 2. & 3. Rot. *decis.* 124. *num.* 5. *part.* 11. *recent.* An autem dicta exceptuatio intelligenda esset de ipso Pontifice vivente, non autem eo defuncto juxta nostram replicationem, in hoc dicebant consistere turbiditatem, quæ proinde non aderat in exceptione jam clare probata, sed in replicatione, & sic exceptio clara, replicatio turbida, atque hoc aliqualiter me torquebat; Adhuc tamen ponderabam, quod turbiditas, seu dubietas esset in ipsamet exceptione ob subsequentia verba, *& aliorum Pontificum, viventium*, quasi quod illud verbum *viventium* ad universam orationem referretur, ut infra super tertio puncto, in quo istius causæ cardo consistit, & consequenter quod intrarent dictæ propositiones generales favore illius, qui de facto est reus, & possessor, ne per turbidam actionem repelli debeat.

Quo vero ad primum punctum respicientem pariter ordinaria, magis quam decisoria, super subreptione scilicet Brevis ob non factam mentionem litis, Regula est pro invaliditate, ut in specie Brevis de capienda possessio- 15
ne nomine Cameræ continere debentis mentionem litis,

quod

quodque alias sit nullum & inexequibile, Garz. *de Beneficiis, part. 6. cap. 3. num. 14. & sequent.* Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss. 9. in adnotat. num.* 172. Lotter. *de benefic. lib. 3. quæst.* 11, *num.* 48. Pœnia *decis.* 208. *num.* 4.

E contra vero ex parte actoris dicebatur litis mentionem contineri in supplicatione habente clausulam *litis & causæ &c.* quæ supplicatio attendi debet, cum in
16 ea resideat substantia gratiæ, literæ autem, vel Breve expediantur ad executionem, vel probationem, ut advertitur in specie respondendo huic objecto apud Royas *decis.* 94. *n.* 41. & 42. ubi observatur quod Garzias loquitur de gratia, *perinde valere*, diversam ac particularem rationem habente, seu quod alias ob omissam mentionem litis ipsa gratia corruat, ut idem Garz. *num.* 19. Atque mihi pro hac parte possessoris scribenti licet more Advocati una cum aliis hujusmodi subreptionis objectum deducerem, illud debile videbatur, nedum ex dicta responsione quam Rota recepit, sed etiam ex iis quæ bene habentur deducta in Beneventana Canonicatus coram Bichio *decis.* 14. *part.* 19. *recent. num.* 35. *& seqq.* ac etiam advertitur *in Civitatis Castelli Jurisdictionis, sub tit. de feudis, disc.* 66. quod scilicet tunc non facta mentio litis inducit subreptionem, ac vitiat gratiam, quando ex lite ejusque oppositione alteri collitiganti aliquod jus quæsitum esset, unde intraret ratio verisimiliter deficientis voluntatis Principis tollendi jus tertio quæsitum, quod in dubio præsumitur nolle tollere, quodque si id narratum fuisset, vel non esset concessum, vel difficilius, & in quo proprie consistit subreptionis essentia, secus autem ista ratione non intrante, quodque ubi etiam mentio facta esset, Breve sine dubio fuisset concessum, ideoque motivum non videbatur tutum.

Quo vero ad tertium punctum, in quo pene tota fuit disputatio circa merita, & a quo vere pendebat controversiæ exitus, An scilicet dicta exceptuatio contenta in verbis supra registratis, indefinite intelligenda esset quocumque tempore vacatio sequeretur, ut erat prætensio provisi Apostolici, vel potius intelligenda veniret, vivente solum ipso Pontifice, non autem eo defuncto, ut erat hujus partis prætensio. Scribentes pro dicto actore proviso Apostolico, ad probandum quod indefinite, ac generaliter id intelligendum esset, sive ageretur de vacatione per obitum familiaris ipso Papa vivente, sive defuncto, duo adducebant funda-
17 menta. Primo nempe specialem auctoritatem Rotæ apud Duran. *decis.* 154. & 167. ubi in individuo id deciditur, ut exceptuatio comprehendat etiam istum casum vacationis post ipsius Pontificis mortem; Et secundo eum regulis grammaticalibus docere conabantur quod verba dictam exceptuationem continentia, aliaque præcedentia, & sequentia istum sensum haberent, non autem alium ex hac parte prætensum, ut in decisione etiam insinuatur.

Quatenus igitur pertinet ad primum fundamentum
18 deductum ex *dict. decis.* 154. & 167. Duran. facilis videbatur responsio ex defectu applicationis ob multiplicem differentiam inter unum & alterum indultum militantem; Illud enim, de quo in præfatis decisionibus agitur, erat in forma communi omnibus Cardinalibus concedi solita, istud vero magis amplum, ac in ea forma speciali, quæ Cardinalibus conjunctis, vel ex alia particulari benevolentia concedi solet, ut occasione indulti concessi Cardinali nepoti habetur in Romana Beneficiatus Sancti Petri *decis.* 14. & 174. *part.* 12. *recent.* coram Bevilaqua; Et generaliter de benigna, magisque lata interpretatione gratiæ, vel indulti ad favorem nepotis, vel conjuncti ex verisimili
19 voluntate concidentis apud Burate. *decis.* 658. *in fine*, apud Dunozett. *decis.* 830. *decis.* 464. *num.* 13. *& seqq. part.* 5. *recent.* & in aliis.

Secundo quia dictum indultum, de quo loquuntur decisiones, moderationem recepit ex superventa Constitutione 59 ipsius Urbani VIII. Istud vero dictæ Constitutioni posterius erat cum amplissima derogatoria omnium Constitutionum & regularum editarum, ac edendarum, aliisque obstantiis, ut ponderatur in specie *in dictis decis.* 14. & 174. *parte* 12.

Tertio magis in specie ac stringenter, quod potissima ratio, cui innituntur dictæ decisiones Durani, præsertim prima, consistere videtur in eo quod inverisimile sit Papam concedentem cogitare voluisse ad tristem eventum ejus mortis, quodque indultum suffragaturum esset pro vacationibus eo defuncto contingere debentibus ideoque tanquam casus omissus sub indulto non comprehendatur.

Ista ratio cessat in præsenti indulto illud habente speciale in alio non contentum, quod nominatim, ac expresse conceditur facultas conferendi etiam beneficia vacantia per obitum familiarium Pontificum prædecessorum, ac etiam successorum defunctorum; Si enim concedens cogitavit casum, quod indultarius aliis successoribus Pontificibus supervivere posset, atque eorumdem jam defunctorum familiarum beneficia conferre, utique per necessarium antecedens cogitavit casum ejus mortis, ne alias diceretur cogitasse de magis tristi eventu depositionis, sub verisimili cogitatione sine dubio non cadentis; Minusque de altero semel sequuto in Cœlestino V. quem Rusticus *in repetitione, l. cum avus, lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 29. *cum seqq.* late ab impugnantibus tuetur, & præsertim *num.* 34. respondet ad id quod ex Joanne Andrea refert Bald. *in cap.* 1. *de natura feudi*,

Et quarto in idem, quia in dicto primo indulto, de quo loquuntur decisiones, fit mentio tam de reservatis, quam de affectis ratione dictæ familiaritatis, in præsenti autem fit mentio solum de reservatis; signum clarum, quod intellexit de casibus contingentibus Papa vivente; Ista enim est differentia, ubi casus vacationis contingit per mortem familiaris Papæ viventis, vel post ejus mortem; quod primo casu dicitur adesse reservatio, in altero autem, cum familiaritas tanquam species Societatis jam per mortem unius 20
dissoluta sit, ac cessaverit, ut advertitur in eadem decision. Durani 154. *n.* 7. hinc beneficia remanent affecta, non autem reservata, *ut ead. decis.* 154. *num.* 11. Et de differentia inter affecta & reservata Mandos. *ad regul. Cancell. quæst.* 5. *prœmial. per totum, præsertim ex num* 9. *cum. seq.* Gonzal. *ad regul.* 8. 21. *glos.* 52. *in principio*, & alii beneficialistæ communiter.

Quo vero ad alterum fundamentum deductum ex regulis grammaticalibus super verborum sensu, vel orationis constructione, cæteri tam in facto quam in jure pro hac parte scribentes, satis elaborate ac erudite ostendebant, quod sensus potius huic parti assisteret, atque super hoc inter Scribentes hinc inde, ac forte etiam inter judices non modicum certamen fuit; Ego vero, non improbando, imo laudando ea quæ desuper ex parte deducebantur, eisque subscribendo. Attamen in sensu etiam veritatis, principaliter insistebam in propositione satis frequenti insinuata *sub tit. de fideicom.* ac etiam sub altero *de contractibus*, & aliis pro meo sensu in omnibus ambiguis, & conjecturalibus, seu interpretativis principatum obtinente, ut non cortex & formula verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debeat, ex iis quæ in ultimis voluntatibus habentur apud Mantic. *de conjecturis, lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 9. Ottobon. *decis.* 254. *in fine*, Dunozett. *decis.* 417. *alias decis.* 93. *part.* 7 *recent.* & pluries, & de actibus inter vivos idem Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 7. *num.* 1. *cum seqq.* Burat. *decis.* 113. *n.* 7. in Romana fidejussionis 24. Maji 1660. coram Verospio, & frequenter.

Cum igitur in hoc indulto Papa expresse concesserit, ut supra dictum est, facultatem conferendi beneficia vacantia per obitum familiarium Pontificum, ne- 22
dum prædecessorum, sed etiam successorum defunctorum, exceptuaverit vero ea, quæ vacare contingeret per mortem familiarium suorum, vel aliorum Pontificum successorum viventium, claram exinde observabam desumi voluntatem Pontificis concedentis, ut aliud in animo non habuerit nisi exceptuare casus ipso vivente, seu etiam viventibus successoribus contingentes, ex illa congruentiæ, ac reverentiæ ratione per Beneficialistas passim assignari solita, quod incongruum est, ut inferior conferat in faciem ipsius Papæ viventis beneficia vacantia per obitum alicujus ex ejus familiaribus, ut advertitur per Granut. ad Simonett. *de reserv. quæst.* 34. *num.* 46. & habetur apud Beneficialistas passim receptum.

Cessante autem hac ratione, nulla subesse videtur congrua ratio, cur Pontifex jam cogitando ad dictum casum suæ mortis, ac etiam illam successorum, tam istorum, 23
quam prædecessorum defunctorum casum comprehendi voluerit, & non istum, cum, eo defuncto, nil penitus referat, an unus, vel alter conferat beneficia eorum, qui non erant amplius sui familiares, atque ista substantia veritatis, seu verisimilis voluntatis attenta, mihi videbatur, quod

qua-

quatenus pertinet ad istud motivum, justitia huic parti assisteret, quodque si aliqua difficultas cadere posset, illa esset circa quartum, & ultimum punctum supra distinctum, quatenus scilicet bene constaret Prothonotariatus, qui in defuncto supponebatur, itaut intraret motivum duplicis reservationis, quæ cessare facit indultum juxta deducta *disc. præced.*

Hic autem punctus duplicem habebat inspectionem, Primo scilicet, an constaret de acceptatione Prothonotariatus cum præstatione juramenti & professione fidei, ut in literis ipsius Prothonotariatus concessi per Nuntium Apostolicum pro forma præcisa præscribitur, & qua for-
24 ma non impleta, reservatio ex Prothonotariatu non resultat, ut late contrariis respondendo habetur *decis. 706. part. 3. rec. d. decis. 350. a n. 14. ad 20. part. 9. & in d. decis. 174. part. 12. & in aliis*; Et secundo, an familiaritas jam cessata de tempore vacationis per mortem Pontificis induceret talem reservationem, quod posita altera resultante a Prothonotariatu, adesse dicerentur duæ reservationes personales, ac principales, & coæquales ad effectum cessationis indulti requisitæ.

Prima inspectio super præstatione juramenti tota consistebat in facto, dictarumque conditionum implementum præsumptive deducebatur ex usu dicti Prothonotariatus, tam circa denominationem, quam circa insignia & alia, unde propterea dum illud juramentum sine scriptura in
25 forma extrajudiciali præstari potest, præstitum præsumeretur, idque sufficere advertitur, *dec. 2. n. 3.* Crescent. *de jurejur.* Duran. *decis. 263. & 277.* Quodque præsumpta probatio tam circa acceptationem quam circa formæ implementum sufficiat, in specie de Prothonotariatu concesso per Nuntium habetur apud Dunozet. *dec. 632. n. 4.* & in Varmien. Canonicatus 23. Januarii ejusdem anni 1669. coram eodem Bevilaqua, cum aliis in hujus causæ decisione.

Et quoad alterum punctum, an qualitas familiaritatis
26 jam cessatæ inducens potius, ut supra dictum est, affectionem quam reservationem sufficeret ad inducendam eam duplicitatem, quæ necessaria est pro cessatione indulti; probabilior primo aspectu videbatur negativa, cum ad hunc effectum desiderentur duæ reservationes principales & coæquales, *ut d. decis. præced.* ideoque non deberet obstare affectio ob notabilem differentiam quæ esse dicitur inter affectionem & reservationem. Verum super hoc maturum judicium adhuc efformare non potui, efformandum forte occasione ulterioris progressus hujus disputationis, cum ego scribendo in ista causa, ignarus dictæ alterius reservationis resultantis a Prothonotariatu, (in primis disputationibus ignoto) institerim solum ac principaliter super dicto tertio puncto exceptuationis beneficiorum familiarium ipsius Pontificis concedentis, an intelligenda solum veniret de vacationibus contingentibus ipso Pontifice vivente, ut mihi omnino probabilius videbatur; Post sequutas autem
27 has adnotationes reproposita causa sub die .... Junii 1670. recessum fuit a decisis, atque dum hæc materia est sub prælo, adhuc non prodiit decisio, unde inspici valeant fundamenta, cum quibus processum est.

ROMANA CAPELLANIÆ INNOCENTIANÆ,

PRO ADRIANO CECCARINO,

CUM DATARIA.

Casus disputatus coram Datario, & tacite resolutus pro Adriano.

De eadem materia Indulti Cardinalitii, ejusque moderatione per Constitutionem 58. Pauli V. excipientem vacationem per obitum familiarium Cardinalium, quomodo intelligenda veniat, & an regula tertia, seu quarta de familiaribus comprehendat Beneficia de Jurepatronatus etiam Ecclesiastico. Et de probatione ac requisitis familiaritatis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Indulta Cardinalium non comprehendunt beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium.*
3 *Ubi vacatio contingit in Curia, derogatur etiam juripatronatus laicali.*
4 *Familiaritas est plene, & concludenter probanda.*
5 *Quid requiratur ad familiaritatem.*
6 *An requiratur solum servitium Cardinalis in genere pro familiaritate, vel requiratur certum servitium.*
7 *De alio requisito familiaritatis.*
8 *Quando non contrahatur familiaritas etiam si vivat in domo Cardinalis, & victum habeat.*
9 *De exceptuatione beneficiorum competentium ratione tituli Cardinalitii quomodo intelligatur.*
10 *Etiam in jurepatronatus Ecclesiastico non intrant reservationes si id adjectum est in lege fundationis.*
11 *Quod sub regula quarta de familiaribus non cadant beneficia de jurepatronatus.*
12 *Regula tertia, seu quarta cessat ex contraria consuetudine.*
13 *Quando juspatronatus dicatur Ecclesiasticum, vel sæculare.*

D I S C. VI.

Innocentius Octavus in extremis constitutus, oretenus mandavit Laurentio tituli S. Cæciliæ, ac Antonio tituli S. Praxedis Cardinalibus ejus nepotibus, ut quamdam pecuniarum summam eis relictam erogarent in restaurationem ac ornamentum cappellæ B. Mariæ existentis in Basilica Vaticana, quo præcepto etiam superabunde adimpleto iidem Cardinales quamplura bona propria præfatę cappellę donarunt pro erectione quatuor cappellaniarum (quæ Innocentianæ nuncupantur) cum Apostolica auctoritate A- 1
lexandri VI. erectarum, sub ea lege, ut earum collatio in quocumque vacationis casu spectare deberet ad Cardinales pro tempore titulares S. Marci, & S. Praxedis conjunctim, si ambo in Romana Curia, vel intra duas dietas reperiantur, sin minus ad illum, qui præsens esset, ambobus vero absentibus, ad Cardinalem Titularem S. Cæciliæ, & in omnium respective absentia, seu discordia, aut negligentia, itaut collatio non sequeretur intra quatuor menses, tunc jus præsentandi pro illa vacatione spectare deberet ad Guardianos Hospitalis S. Salvatoris, institutio vero ad Capitulum ejusdem Basilicæ Vaticanæ, juxta quam legem semper pacifice servatum fuit. Atque sequuta vacatione unius ex dictis Cappellaniis, de anno 1651. absentibus ultra duas dietas præfatis Titularibus S. Marci & S. Praxedis, Cardinalis Rapacciolus Titularis S. Cæciliæ illam contulit Francisco Griffio ejus avunculo, quo defuncto de anno 1663. pariter absentibus dictis Cardinalibus S. Marci & S. Praxedis, Cardinalis de Aquaviva Titularis dictæ Ecclesiæ S. Cæciliæ illam contulit cum subsequuta possessione Adriano Ceccariano ejus familiari; Datariæ vero Officiales prætendere cœperunt collationem ad ipsam spectare, ex eo fundamento, quod aut dictus Cardinalis collator fundabat ejus intentionem in Indulto Cardinalitio conferendi etiam reservata, quale istud supponebatur per Regulam tertiam, seu quartam, de familiaribus, cum dictus Griffius vivens in domo præfati Cardinalis Rapaccioli, munus Præfecti cubiculi exercebat, & suffragari non poterat 2
ex Const. 58. Pauli V. Indultorum moderatoria, per quam expresse excipiuntur Beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium, & ad cujus Constitutionis limites hujusmodi indulta generaliter conceduntur, ejus scilicet forma servata, quoties ex gratia specialiter non statuitur, ut sequi solet in indultis, quæ nepotibus, vel satis benevolis conceduntur; Aut ratione jurispatronatus & ex lege fundationis, & tunc dicebant quod ob vacationem apud Sedem illud non esset habendum in consideratione, cum tali casu soleat etiam juripatronatus mere laicali derogari, ex deductis, *dec. 630. part. 4. rec. tom. 3. & in aliis* fortius vero dum agebatur de jurepatronatus Ecclesiastico, quod non indiget speciali derogatione, sed venit sub regulis Cancellariæ ac derogationibus, ut 3
habetur infra occasione *regul. 8. seu 9. de mensibus.*

His non obstantibus, scribens pro substinenda collatione dicebam, parum probabilem esse Datariæ prætensionem, qualis de facto per Datarium agnita fuit, dum ad aliam provisionem processum non est, unde provisus in ejus pacifica possessione continuavit usque ad obitum, vel resignationem, ex potissimo fundamento facti, deficientis scilicet probationis prætensæ familiaritatis, quæ probatio quoties agitur ad effectum reservationis, debet esse plena & concludens, cum tractetur de materia odiosa & tertio præjudiciali, Berous *q. 35. n. 3.* Gomes. (qui in Rota & Curia citari solet sub nomine, seu vocabulo Sarnen. *ad regulam de impetrandis per obitum familiarium, q. 13. n. 6.* Martin. 4
Andr.

Andr. *decis.* 3. *n.* 2. Pœnia *decis.* 775. Adden. ad Gregor. *decis.* 166 *num.* 10. & ad Buratt. *decis.* 225. *num.* 18.

Ad inducendam vero familiaritatem productivam reservationis, vulgare Beneficialistarum axioma est, quod requiruntur copulative mens, & dens, idest, quod quis 5 actu addictus sit alicui honesto servitio Cardinalis, per quem tamquam per speciem reciproci contractus sit receptus inter ejus famulos, atque in eorum rotulo descriptus cum destinatione ad aliquod servitium concernens ejus personam, Lotther. *lib.* 2. *q.* 32. *n.* 8 11. & 14 Add. ad Burat. *dec.* 228. *n.* 15. & *seqq.* & ad Greg. *d. dec.* 6 166. *n.* 10. Ideoque adeo rigorose procedit, ut aliqui crediderint, necessarium esse aliquod officium habens suam particularem denominationem, ut sunt Cubiculi Præfectus, Secretarius, Dapifer, & similes; unde non venirent famuli assistentes vulgo nuncupati *Gentiluomini di spalliera*, licet contrarium sit receptum, ut alibi infra deductum habetur ad materiam hujus regulæ de familiaribus.

Et ulterius, quod vivat expensis Cardinalis, recipien-
7 do in ejus domo victum tam in pane & vino, quam in ferculis, & obsoniis, ac aliis ad vitam necessariis, sive quod habeat in pecunia quantum ad prædicta opus est, itaut non sufficiat accipere aliquam partem panis & vini, quia non in solo pane vivit homo, Berous *d. q.* 35. *n.* 3. Gomes. *d. q.* 13. *n.* 12. Rot. *dec.* 42. *n.* 4. *in fine part.* 1. *rec. cum aliis supra allegatis*.

Quinimo neque sufficit, quod vivat in domo Cardinalis, atque ab eo alimenta percipiat, eique aliquando obsequium, seu etiam servitium præstet, quoties id re-
8 ferri potest ad conjunctionem sanguinis, vel ad amicitiam, seu ad motivum eminentis virtutis, aut ex motivo charitatis, cum requiratur formalis addictio servitio actuali, quod concernat cultum personæ Cardinalis, & per speciem illius specifici contractus, qui inter dominum, & famulum contrahi dicitur, Pœnia *d. dec* 775. Garz. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 13. Add. ad Gregor *d. dec.* 166. Lotther. *d. q.* 32. *num.* 14. Add. ad Bart. *d. dec.* 128. *n.* 16. Rota Hispalen. Archidiac. 20. Februarii & 26. Junii 1605. coram Justo.

In hac vero facti specie dicta requisita non justificabantur, sed potius constabat de contrario ex negativa rotuli, in quo dictus Grithus scriptus non erat, probata etiam expressa ordinatione Cardinalis, quod non describeretur, utpote retentus domi potius tamquam avunculus quam tamquam famulus, non obligatus præcise ad servitium ratione salarii, seu victus juxta aliorum familiarium obligationem, sed pro libito dictum honorificum, & confidentiale munus Præfecti cubiculi quandoque exercens, ut etiam de Cardinalibus germanis fratribus frequens observantia docet, unde propterea cessabat ex facto præcipuum fundamentum reservationis per Datariam prætensæ.

Et quamvis ad superabundantiam more Advocatorum motiva cumulantium dicerem, quod ubi etiam de familiaritate constaret, adhuc tamen non essemus in casu exceptuationis, dum eadem constitutio 58. Pauli V. ad litteram excipit eas collationes, quæ Cardinalibus competunt ratione Ecclesiarum, quibus in titulum, aut denominationem sui Cardinalatus præsunt, circa quæ expresse dicitur nihil de novo statui; Attamen motivum non erat tutum,
9 Tum quia iidem officiales dicebant in praxi receptum esse ut dicta exceptuatio suffragetur quoad beneficia in ipso titulo existentia, & quorum collatio ejusdem tituli ratione tamquam per ordinarium collatorem competat, Tum etiam propter obstantiam voti impressi apud Amaden. *de stylo Datariæ*, *cap.* 34. *n.* 8. *usu recept.* ut proxima observantia docuerat in duabus vacationibus cum Cardinalibus Ginetto, & Carpineo, ideoque in hoc motivo nullum constitui potuisset solidum fundamentum.

Quo vero ad alterum punctum juris conferendi, non ex
10 indulto Cardinalitio, sed ex ratione Jurispatronatus, & ex lege fundationis, exclusa familiaritate, per quam defunctus dici posset curialis, cum ageretur de Beneficio in Urbe, non intrabat vacatio apud Sedem, & nihilominus quando etiam intrasset, ita ut vel ex generali derogatione, cui subjacent beneficia de Jurepatronatus Ecclesiastico, vel ex speciali, quæ tali casu fieri potest etiam de Jurepatronatus laicali; Adhuc tamen dum in limine fundationis apposita erat lex, ut perpetuis futuris temporibus, & quantumcumque casus vacationis contingeret, collatio a dictis Cardinalibus fieri deberet, ista lex erat servanda etiamsi ageretur de Jurepatronatus Ecclesiastico, ut bene in Romana Jurispatronatus coram Sacrato post Vivian. *de jurepatronat. lib.* 4. *cap* 9. *n.* 56. apud Royas *decis* 252. *n.* 2. *cum seq.* Rhegien. beneficii 27. Junii 1653. Bevilaqua, & in aliis; Et de jurepatronatus Ecclesiastico ad favorem capituli Royas *decis.* 274. cum lex fundationis illæsa conservari debeat, *ut in sua materia sub tit. de jurepatr.*

Clarius vero, quoniam derogatio Juripatronatus Ecclesiastici continetur in Regula octava, seu nona de mensibus, non autem in Regula quarta de familiaribus, sub qua proinde non cadunt Beneficia de jurepatronatus ex 11
fundatione, ut *dec.* 304. *par.* 2. *divers.* Put. *dec.* 307. *lib.* 3. Garz. *cap.* 1. *p.* 5. *n.* 571. *cum seq. dec.* 767. *n.* 1. *p.* 2. *rec.* Accedente potissimum contraria antiquissima, & continuata pacifica observantia, ita ut non adesset memoria, quod Dataria ex capite reservationis in his cappellaniis manus apposuerit; Atque dictam Regulam tertiam, seu quartam cessare, accedente contraria immemorabili, habetur apud Buratt. *dec.* 570. *n.* 2. 12

Motivabatur etiam hoc non esse Juspatronatus Ecclesiasticum, sed potius laicale, utpote fundatum per dictos Cardinales ex bonis patrimonialibus, vel acquisitis, quorum liberam dispositionem habebant, & sic non de bonis Ecclesiæ. Verum motivum non erat tutum, cum qualitas Ecclesiastica resultaret, non ex parte fundatorum, seu ratione bonorum, sed ratione personarum, quibus jus conferendi, seu præsentandi respective reservatum fuerat. Quamvis
enim aliqui ex scribentibus pro hac eadem parte insisterent 13
in eo, quod cum in absentia dictorum trium Cardinalium reservatum esset jus præsentandi Guardianis Hospitalis, qui sunt sæculares, juspatronatus dicendum esset laicale, nihilominus id non videbatur habere subsistentiam; Tum quia quæstio non erat cum eis, sed cum Cardinalibus, sive eorum altero, quos indubitatum est esse Ecclesiasticos; Tum etiam quia dicti Guardiani considerati fuerant non tamquam privati, & ratione eorum personalis qualitatis, sed tamquam Officiales loci Ecclesiastici, seu pii, unde merito Officiales Datariæ illud motivum omnino spernebant; Acquieverunt tamen aliis supradictis, nempe illi cessantis probationis familiaritatis, ac alteri legis adjectæ in limine fundationis de consensu Papæ, stante potissimum ejus antiquissima, & immemorabili observantia.

JANUEN. BENEFICII AD PETITIONEM BABILANI PALLAVICINI.

Responsum pro veritate.

An Indultarius, vigore Indulti sibi concessi conferendi beneficia reservata ex unica reservatione, illa unire possit Seminario, vel aliam facere unionem Beneficio pleno antequam vacet; Et quatenus unio fieri posset, An illa impediat beneficii possessorem, quin illud ad favorem resignare valeat.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*

2 *In resignationibus ad favorem suspenduntur uniones, vel gratiæ expectativæ, eisque non obstantibus resignatio admittitur.*

3 *De investitura feudi, vel emphyteusis præventiva, seu abusiva.*

4 *Indultarii per Constitutionem Urbani non possunt facere unionem.*

5 *Quando Ordinarius possit facere unionem de beneficiis reservatis, distinguitur.*

6 *Etiam in casu, quo unio fieri potest, fallit si concurrat suspicio fraudis.*

7 *Ante Constitutionem Urbani poterat indultarius unire beneficia reservata.*

8 *Secus post dictam Constitutionem, & de ratione differentiæ.*

D I S C. VII.

POssidente Babilano beneficium simplex, ejusque vacatione verisimiliter imminente ob aliquem tractatum 1
matrimonii ab ipso contrahendi, Archiepiscopus Januensis tunc Cardinalis in vim Indulti Cardinalitii conferendi reservata, beneficium prædictum quamvis adhuc plenum ac reservatum reservatione fixa, & personali resultante ab officio militiæ Lauretanæ, quod dictus Babilanus possidebat, illud univit ejusdem Civitatis Seminario, unde propterea ex parte ejusdem beneficiati pro veritate consultus fuit, an dicta unio subbsisteret, necne, & quatenus subsisteret,

an

an ipsum impediret, quin idem beneficium resignare posset in manu Papæ ad favurem certæ personæ.

Quatenus pertinet ad hoc secundum quæsitum, Respondi planam esse affirmativam ex Datariæ stylo admittendi resignationes ad favorem, non obstante unione, vel gratia
2 exspectativa, quibus passim derogatur, seu illarum suspensio conceditur pro illius resignationis effectuatione tantum, ex ea ratione, quod non videatur præjudicium considerabile, ob incertitudinem an Beneficium per obitum resignantis magis quam resignatarii vacaturum esset, ex deductis per Lotter. *lib.* 1. *q.* 28. *n.* 182. Adden. ad Gregor. *dec.* 159. *n.* 9. Rot. *dec.* 614. *part.* 4. *rec. tom.* 3. atque habemus frequens in materia translationis pensionis, ac etiam in proposito abusivæ, seu præventivæ investituræ feudalis, vel emphyteuticæ de consensu possessoris, de
3 qua habetur *sub tit. de emphyt. disc.* 1. ubi isti termini beneficiales quoque adbibentur, cumque id passim ex dicto stylo receptum sit, ideoque dixi parum desuper immorandum videri.

Quo vero ad primum quæsitum, pariter dixi hodie cessa-
4 re quæstionem prius desuper cadentem ob superventam Constitut. 163. Urbani VIII. per quam innovantem, seu verius declarantem decretum Urbani VIII. expresse ista facultas Indultariis adimitur, uniendi beneficia reservata, quæ sint plena, & priusquam casus vacationis contingat, & consequenter per casum clarum legis cessat omnis quæstio.

Verum quia ille qui ex parte dicti Babilani consilium petiit, cupiebat, ut ad requirentis, vel ejus Sapientum satisfactionem, de quæstione etiam in puncto juris, dictaque Constitutione seclusa, ageretur. Hinc proinde desuper discurrendo, duas constituebam inspectiones, Unam generalem in omnibus Ordinariis habentibus solum jus conferendi non reservata, & alteram in babentibus Indultum conferendi etiam reservata, quales ut plurimum sunt Episcopi, Cardinalitiam quoque dignitatem babentes, ac etiam (licet nimium rari) sunt aliqui satis qualificati Præsules, præsertim Germaniæ, quibus sedes Apostolica id concedere quandoque solet.

Primo casu, præsuppositis terminis babilibus, quod sci-
5 licet unio alias de jure, vel ex dispositione S. Conc. Trid. seclusis reservationibus valide fieri possit (nam alias improprium esset de hoc agere, si unio ex sua intrinseca qualitate invalida esset); Atque agendo conclusive ut commendabilem Curiæ stylum decet, respondi hodie planam, receptamque esse distinctionem, quod, aut agitur de reservatione, vel affectione personali, vel reali, fixa, & coutinua, seu invariabili quocumque mense vacatio sequatur, ut sunt primæ Dignitates, vel beneficia subcollectorum, prothonotariorum, familiarium, officialium, cum similibus, & tunc uniendi potestas generaliter, ac indefinite interdicta sit; Aut de reservatione discontinua incerta & eventuali, qualis est illa ratione mensis, vel altera ratione loci in quo sequatur vacatio, & secus; isto enim secundo casu recte unionem facere potest ratione bonæ fidei, sive ob absentiam illius fraudis, quæ inesse dicitur, quando fiat unio beneficii reservati, dum Ordinarius uniens, incertus est an vacatio in suo, vel in Apostolico mense sequi debeat, unde potest ita sibi præjudicare. Ac etiam quia cum Sacrum Conc. Trid *sess.* 23. *de reform. c.* 18. agendo de hac unione facienda Seminario, expresse disponat etiam de reservatis fieri posse, nunquam alias verificari posset, dum receptum est illud procedere, quando de tempore unionis certum sit illud esse reservatum, vel ob vacationem jam sequutam in mense Apostolico, vel ob reservationem continuam, seu fixam, ideoque capit istum casum, in quo ex accidenti deinde sit reservatum, ut ita distinguendo Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 5. *n.* 136. Garz. *de benefic. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 102. *& seq.* Barbos. *in collectan.* ad Concil. *d. cap.* 18. *n.* 42. *cum seq.* Adden. ad Gregor. *dec.* 419. *n.* 7. Rota apud Royas *dec.* 423. edita in Marianen. seu Acrien. de qua *infra, disc.* 19. & in qua prodiit etiam altera decisio coram Corrado *dec.* 208. *part.* 11. *rec. n.* 21. & in aliis frequenter.

Quod tamen recipiendum est, quatenus bona fide, ut supra, id sequatur, adeout nulla subsit suspicio fraudis, ob verisimiliter speratam, seu imminentem vacationem in
6 mense reservato, vel in loco, ex quo reservatio resultet, cum similibus ex facti qualitate pro judicis prudenti arbitrio pensandis. Ad quod in quodam congressu occasione alterius consimilis unionis, in qua ista suspicio cadere poterat, ponderabam conferre, ac recte a simili applicari posse ea quæ habentur *sub. tit. de feudis, disc.* 1. super præsumpta fraude in illis subinfeudationibus, quas alias feudatarius facere potest, ut an sufficiat fraus re ipsa, quam alii fraudem præjudicium appellant, non curata fraude Concilii. Licet enim alii motivarent, expetenda non esse extranea, vel similia, dum habemus peculiaria & individua in hac materia beneficiali ob regulam scilicet de infirmis resignantibus, quam alii de viginti appellant; Replicabam tamen ex ista regula resultare actus nullitatem ex sola ratione temporis ita inducentis, ex potentia legis præsumptionem fraudis, ideoque continere quid diversum ab illa invaliditate actus, quæ non inducatur ipso jure per legem claram, sed resultet a fraudis suspicione, vel præsumptione resultante ab aliis circumstantiis, ex quibus illa subesse potest, quamvis majus temporis intervallum accedat, ideoque tamquam quæstio facti potius quam juris, pro ipsius facti particulari qualitate judicis arbitrio decidenda est.

In altero autem casu, in quo præsupponatur Ordinarium habere indultum conferendi etiam reservata, retentis pariter terminis habilibus, quod scilicet Indultum suffragetur, quatenus illius Beneficii vacatio sequeretur pro jure conferendi, quia nempe non sit de casibus exceptuatis, vel
non urgeat duplicitas reservationis, quæ illud cessare facit. 7
Et tunc dicebam subdistinguendum esse inter tempus antiquum ante annum 1626. priusquam prodiret Constitutio 59. Urbani VIII. ac tempus posterius a præfatæ Constitutionis editione citra. Primo enim casu, quamvis non deessent contradicentes, probabilius tamen videbatur, facultatem uniendi competere, dum non alteri, sed sibi tantum ita præjudicium parabat uniens, ac etiam quia, ut distinguendo latius habetur supra *disc.* 1. tunc Indultum nihil dabat, sed solum removebat obstaculum resultans a Regulis Cancellariæ, aliisque reservationibus, unde propterea tamquam per reversionem ad statutum antiquum, ac juris communis dispositionem, Ordinarius conferebat jure suo juxta exemplum eodem *disc.* 1. insinuatum illius qui habendo membra naturaliter valida, & operativa, accidentalia vincula patiatur, quoniam si vincula solvantur, ille ambulat, ac operatur jure suo, & primæva, & naturali operatione membrorum, solvens autem vincula non dat novam facultatem ambulandi, vel operandi, sed solum tollit obstaculum accidentale. Atque ita in specie unionis factæ per Cardinalem Indultarium, infirmando præcedentem sententiam fundatam in celebri Voto, quod in materia duplicis reservationis habemus, de quo supra, *disc.* 3. decisum fuit per Rotam in Tudertina coram Cavalerio inter suas *dec.* 627. ubi refertur ita fuisse pluries declaratum per Sacr. Congregationem Concilii, atque ista videtur illa Tudertina relata per Aldanum, quem refert collector Barbos. *ad Concil. d. cap.* 18. *n.* 46. quamvis ex errore dicatur esse de anno 1628. cum attento isto tempore ob proditam dictam Constitutionem Urbani diversimode dicendum sit.

Per dictam siquidem Constitutionem, ut latius advertitur *d. disc.* 1. rerum status immutatus est, atque Indultarius non dicitur amplius conferre jure ordinario & suo, sed po-
tius jure delegato, ex rationibus ac auctoritatibus ibi de- 8
ductis, & consequenter cum delegatio sit stricti juris, stricteque intelligenda, neque illius extensio de casu ad casum, vel de persona ad personam admittatur ad text. *in cap. cum P. & G. de offic. deleg. & cap. significanti, de rescript. cum concord.* apud Gregor. *dec.* 34. *& passim.* Hinc proinde cum Indultum loquatur de jure, seu facultate conferendi, trahendum non videtur ad diversam facultatem uniendi. Quæ tamen, ut supra insinuatum est, ita discurrebam ad quandam requirentis superabundantem satisfactionem, ac potius more Academici disputantis, vel discurrentis in abstracto, quam more viri forensis, juxta præsertim Curiæ stylum, non immorantis nisi in casu præciso, ac in necessariis pro controversiæ decisione, dum dicta Apostolica Constitutio omnem sustulit quæstionem.

VITERBIEN. CANONICATUS PRO VALERIO VALERONO, CUM JOANNE BAPTISTA.

Casus decisus per Rotam pro Valerio.

De reservatione resultante e regula quarta, hodie quinta ratione subcollectoriæ ad effectum inducendi duplicem reservationem facientem cessare Indultum Cardinalis collatoris, quomodo de tali subcollectoria constare debeat, Et an præcise necessaria sit ejus justificatio per literas deputationis.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *F Acti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Pro quo in dubio sit respondendum, an pro proviso Apostolico, vel pro proviso ab indultario.*
4 *Recenseatur aliquæ probationes subcollectoriæ.*
5 *Quod non sit necessaria probatio per literas, sed possit fieri per testes.*
6 *Quid requiratur, ut subcollectoria spoliorum inducat reservationem, ac intret Regula quarta, hodie quinta.*
7 *Quare soleat desiderari probatio per literas.*
8 *Non dicitur perfecta probatio, quæ habeat contrariam possibilitatem.*
9 *Quomodo testes debeant deponere de subcollectoria, vel tenore scripturæ.*

D I S C. VIII.

1 CAnonicatum Collegiatæ Viterbien. vacantem per obi-
tum cujusdam Spinelli Prothonotarii Apostolici, Epi-
scopus ratione Cardinalitiæ dignitatis habens solitum In-
dultum conferendi reservata, contulit Valerio ejus fami-
liari cum subsequuta possessione. Joannes Baptista vero
cum præsupposito duplicis reservationis cessare facientis
Indultum, quarum una extra controversiam resultabat a
Prothonotariatu, alteram vero prætendebant resultare a
subcollectoria per defunctum habita in diœcesi Castren.
eundem Canonicatum impetravit a Sede Apostolica, expe-
ditoque solito Brevi de capienda possessione nomine Came-
ræ sententiam reportavit ab A. C. super illius executione,
sed commissa per Signaturam causa appellationis in Rota
coram Verospio, cum clausula translativa, datoque dubio
an Breve exequendum sit, sub die 26. Junii 1651. ad fa-
vorem Valerii rei & possessoris prodiit resolutio, cui actor
2 provisus Apostolicus acquievit, unde propterea causa ul-
teriorem progressum non habuit.
Dictæ resolutionis fundamentum fuit defectus justifica-
tionis dictæ subcollectoriæ, ex qua deducebatur altera spe-
cies reservationis, quæ cum alia non controversa resultante
a Prothonotariatu induceret duplicitatem, in qua erat acto-
3 ris fundamentum, ideoque recte practicata fuit conclusio,
de qua supra, *disc.* 5. (ubi istius causæ decisio allegatur)
quod scilicet cum illa duplicitas sit fundamentum intentio-
nis actoris, tamquam limitatio regulæ quæ assistit indulta-
rio, seu proviso per eum, plene & concludenter justificari
debeat, quodque alias reo ac possessori talem probationem
offuscare, dubiamque reddere sufficiat, itaut in dubio pro
non executione sit respondendum, ut latius distinguendo
habetur supra, *d. disc.* 5. super hoc puncto, an scilicet in du-
bio pro executione, vel non executione literarum Aposto-
licarum, seu brevis de capienda possessione responderi de-
beat.
Deficiebat siquidem justificatio, quoniam nullæ exhi-
bebantur literæ patentes deputationis, sed tantum ejus pro-
4 batio deducebatur ex testium depositionibus circa hujus-
modi subcollectoriæ exercitium, comprobatum etiam ex
literis patentibus deputationis super spolio Episcopi ejus-
dem Civitatis Castrensis, necnon ex libro Secretarii The-
saurarii, ubi inter nomina subcollectorum spoliorum repe-
ritur iste Spinellus descriptus, ac etiam exhibebantur li-
teræ deputationis alterius subcollectoris hujus Diœcesis,
enunciantes, seu continentes revocationem deputationis
dicti Spinelli, ex quibus omnibus simul junctis dicebant
scribentes pro actore, satis claram & concludentem resul-
tare dictam probationem, quamvis non exhiberentur li-
5 teræ deputationis, cum nullibi in jure cautum sit illas
præcise necessarias esse, ac etiam sine eis id posse probari
advertitur apud Lotther. *lib.* 1. *quæst.* 30. *n.* 158. *cum seq.*
His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis,
qualem agnovit Rota, ac prius agnovit etiam Signatura,
ita adversus sententiam latam super executione Brevis re-
scribendo de appellatione cum clausula translativa dicebam
dictam probationem non adesse, quoniam dictæ probatio-
nes concludebant quidem præfatum Spinellum controversi
beneficii possessorem gessisse munus subcollectoris spolio-
rum, aliorumque jurium Cameræ in ista Diœcesi de fa-
cto, sed hoc non sufficit ad effectum, ut intret reservatio
contenta in Regula *quarta, hodie quinta.*
Licet enim hodie, sublata antiqua quæstione, extra
controversiam sit, Regulam prædictam locum habere etiam
6 in hujusmodi particularibus singularum Diœcesum subcol-
lectoribus spoliorum, a generali provinciæ, seu Principatus
Collectore deputatis, attamen duplex qualitas copulative
desideratur. Una scilicet unicitatis in ea Diœcesi, & alte-
ra jurisdictionis universalis, ac omnimodæ circa omnia hu-
jusmodi collectoriam concernentia, ideoque non sufficit
unica & generalis deputatio ad solam collectionem de facto
sine jurisdictione etiam spirituali, minusque sufficit depu-
tatio cum dicta jurisdictione ad unum, vel plura negotia
particularia, ex deductis per Gonzales *ad regul.* 8. *gloss.*
43. *n.* 197. *& gloss.* 51 *n* 75 Garz *part.* 5. *cap* 1. *n.* 375.
Barbos. *de Episc. alleg* 57. *n.* 119 *cum seqq.* Lotther. *de be-
nef. lib* 2. *d. q.* 32. *n.* 158 *& seq* Duran. *d c.* 233. *n.* 19.
Dunozett. *dec.* 5. ac cæteris relatis in consimili, ac individua
controversia ad effectum faciendi cessare indultum
Ordinarii Cardinalis habetur plene in Januen. Canonica-
tus 31 Maji 1647. coram Ghislerio, cum aliis in hujus
causæ decisione.
Hinc proinde advertebam, quod in ista materia neces-
saria reputatur probatio per scripturam, per ipsas scilicet 7
literas deputationis, non quidem de jure, sed de facto.
Admittebam siquidem id de jure præcise necessarium non
esse, ut etiam advertitur in Ferrarien *disc. seq.* sed requiri-
tur de facto ob alias nimium difficilem probationem, quæ
concluderet dictas qualitates unici & universalis cum om-
nimoda jurisdictione, quod pene impossibile videtur dedu-
cere ad praxim cum depositionibus testium, aliisque actibus
super exercitio ob contrariam possibilitatem, quod id fue-
rit super negotiis particularibus, unde propterea probatio 8
remanet æquivoca, & non bene concludens, qualis non
dicitur illa, quæ contrariam habeat possibilitatem. Gre-
gor. *dec.* 353. *num.* 2. Cels. *dec.* 161. *n.* 3. *cum concordant.
collectis* per Barbos. *axiom.* 191 *num.* 2 *& seqq.*
Ideoque eatenus testes in hoc admittuntur, quatenus de-
ponant eo modo quo requiritur testium depositio super te-
nore alicujus instrumenti, vel similiter, quia scilicet præ-
sentes fuerint deputationi, seu viderint literas deputatio-
nis, atque recte de illarum tenore deponant, juxta eam
formam probandi, quam in testibus deponentibus de teno- 9
re scripturæ necessariam esse ex theor. Bart. *in auth. si quis
in aliquo documento*, C. *de eden* Add *dec* 274 *&* 302. Ca-
valer. *decis.* 523 habetur *sub titul. de jurisdict. disc.* 12.
sive juxta eam probationem, *de qua disc. seq.*

ANNOT. AD DISC. VIII. & seqq.

DE reservatione resultante ratione subcollectoriæ Apostolicæ habetur pariter actum *in hoc eod. tit. disc.* 108.

FERRARIEN. CANONICATUS,

PRO DOMINICO MARIA GATTI,

CUM JOANNE ZAGANONO.

Casus decisus per Rotam pro Zaganono, & pendet.

De eadem reservatione ex Regula quarta, seu quinta ratione subcollectoriæ, An resultet a collectoria subsidii classis triremium ex deputatione ejusdem subsidii Apaltatoris sæcularis; Et de ejusdem deputationis probatione.

S U M M A R I U M.

1 *F Acti series.*
2 *De facultate Capituli Ferrariensis eligendi ad Canonicatus vacantes.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Subcollectores debent esse personæ in Ecclesiastico dignitate constitutæ, alios non intrat reservatio.*
5 *Quod subcollectoria ad effectum reservationis debet justificari per literas, & non sufficiant aliæ probationes.*
6 *Intrat reservatio etiam in subcollectoribus decimarum Papalium, aliorumque jurium Cameræ.*
7 *De conclusione, de qua num. 5. super modo probandi subcollectoriam.*
8 *Officiali deponenti de re spectante ad officium suum creditur.*
9 *De aliis adminiculis, seu speciebus probationis.*
10 *Non solet, sed potest Papa committere laico jurisdictionem Ecclesiasticam in personas, & res Ecclesiasticas.*
11 *In dubio non præsumitur, sed si adsit probatio, cessat in contrarium præsumptio.*

12 Lai.

12 *Laicus in collatione beneficiorum, vel aliis ecclesiasticis dicitur nudum organum, seu instrumentum, unde actus fieri dicitur a Papa.*
13. *Dubitatur de conclusione, de qua num.* 4.

D I S C. IX.

1 IMposito per Sixtum V. onere, tamquam per speciem decimæ Papalis duorum pro centenario super redditibus Ecclesiarum, & beneficiorum Status Ecclesiastici, quod vulgo nuncupatur *subsidium*, pro manutentione classis triremium adversus incursiones infidelium, & pyratarum; Cum dictum subsidium, vel jure appaltus, vel alias concessum esset per Thesaurarium Generalem cum approbatione Papæ cuidam in Urbe negotiatori ad novennium, cum amplissima facultate illud exigendi etiam sub censuris & pœnis, aliisque remediis contentis in Apostolica Constitutione ab eodem Sixto desuper edita, & cum facultate etiam deputandi unicum pro qualibet Diœcesi subcollectorem, qui omnem jurisdictionem, ac potestatem necessariam desuper haberet; Hinc ab eodem Deputato vel Appaltatore per litteras in eadem forma generaliter conceptas, ac impressas, deputatus fuit, cum subsequuto exercitio, Matthæus Pasqualis Canonicus illius Cathedralis, quo defuncto, Episcopus, qui erat Cardinalis, in vim indulti Cardinalitii, Canonicatum ita vacantem contulit Dominico Matiæ Gatto; E converso autem ejusdem Ecclesiæ Capitulum, cui competit ex antiqua
2 consuetudine ad Canonicatus vacantes electio cannonizata per Rotam *dec.* 530. *&* 588. *part.* 4. *rec. tom.* 3. elegit Joannem Zaganonum. Unde orta desuper inter hos provisos controversia, & commissa causa in Rotam coram Carpineo, datoque dubio, *An & cui Canonicatus esset adjudicandus*, illoque proposito ad instantiam Zaganoni
3 solum informantis, pro eo die 28. Junii 1669. prodiit resolutio, ex eo unico fundamento, quod in dicto Pasquali defuncto non concurreret qualitas necessaria ad effectum, quod intret Regula quarta, seu quinta, quod scilicet sit unicus, cum universa, & omnimoda jurisdictione etiam spirituali juxta deducta in Viterbien. *disc. præc.*

Hæc autem jurisdictio communicari non potuit per dictum laicum qualis in dubio præsumendus est, dum mercatura clericis est prohibita; laicis enim Papa jurisdictionem ecclesiasticam ac spiritualem, quamvis possit, non solet in personas, & res Ecclesiasticas concedere, potissime vero, quia collector, vel subcollector non solum debet esse persona ecclesiastica, verum etiam in ecclesiastica dignitate constituta, cum dicatur Apostolicus delegatus ad terminos text. *in cap. Statutum, §. San-*
4 *cimus, de rescriptis* Bellen. *in tract. de charitativo subsidio, quæst.* 118. *n.* 1. Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 52. *n.* 79. Garz. *de benefic. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 385. Castropalao *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 20. *n.* 3. Quodque alias facta deputatione non intret reservatio ex Barbos. *de Episcopo, alleg.* 127. *n.* 126. firmavit Rota in Calaguritana Archidiaconatus 4. Februarii ejusdem anni 1669. coram Cerro.

Quamvis autem Rota huic soli fundamento innitatur in decisione desuper edita, attamen scribentes pro eodem Zaganono, duo alia deducebant fundamenta pro exclusione reservationis; Primo scilicet, quod hujusmodi subsidii collectio tamquam cujusdam juris particularis non induceret illam subcollectoriam generalem, quæ necessaria est, ut supra ad effectum, ut intret dicta Regula quarta, seu quinta; Et secundo, quod non constaret de dicti
5 Pasqualis deputatione cum universali ac omnimoda jurisdictione, dum non exhibebantur literæ patentes deputationis; Aliæ autem species probationis remanere poterant æquivocæ, utpote referibiles ad negotia particularia, sive ad exactionem de facto juxta firmata in Viterbien. Canonicatus coram Verospio, *de qua disc. præced.*

Concessa vero nova audientia, scribens ego pro Gatto proviso ab indultario, pro repropositione causæ, ut nedum decisioni, sed etiam aliis jam deductis objectis satisfacerem, tres constituebam inspectiones; Primo scilicet super puncto in genere, an retentis aliis terminis habilibus, istius subsidii subcollectoria caderet sub dicta regula, & induceret reservationem; Secundo super deputationis sufficienti justificatione cum suis requisitis; Et tertio super dicto fundamento decisionis ob depositionem a laico factam.

Quatenus igitur pertinet ad primum, dicebam, etiam cum sensu veritatis, hodie istam quæstionem sopitam videri per tot decisiones id firmantes in similibus terminis collectoris decimarum Papalium, quinimo & fortioribus, cum dictæ decimæ impositæ essent non ad beneficium Cameræ, neque essent redditus Camerales, ut sunt spolia,
de quibus proprie loquitur Regula, itaut intraret ratio 6
æquiparatorum, sed imposita essent pro subsidio Imperatoris contra hæreticos, & tamen pluries decisum fuit, hujusmodi decimarum subcollectoriam eo ipso quod est unica in Diœcesi, cum universali ac omnimoda jurisdictione, cadere sub Regula, quamvis in eadem Diœcesi alii adessent subcollectores spoliorum, aliorumque jurium, cum id non tollat unicitatem, quia sufficit istam verificari discretive ac in genere suo, juxta decisiones Licien. coram Dunozetto *inter suas dec.* 100. *&* 111. & dec. Durani 233. *ac etiam dec.* 347. *&* 351. coram Royas, & 876. coram Dunozetto editas in Monopolitana Canonicatus, *de qua disc. proxime sequenti, & decis.* 155. *p.* 1. *rec.* ac in aliis. Sufficit enim, ut dictum est, unicitas, ac respective universitas in genere suo, cum pluralitas officialium vel superiorum in eadem Diœcesi, vel eodem loco, quoties est ex diversis respectibus, non excludat istam unicitatem, ut plenius advertitur *discurs. seq.*

Quodque in animo Papæ ac Thesaurarii, qui tanquam Papæ organum ita ejus voluntatem explicasset, ut isti quoque censendi essent veri subcollectores ad formam Regulæ, comprobari observabam ex litteris deputationis ipsius Collectoris generalis, dum per eas datur quidem facultas deputandi subcollectores, sed unicos in quibuslibet respective Diœcesibus; Ac etiam comprobari dicebam ab observantia, quod deputationes fieri consueverunt de Canonicis Cathedralis, vel alias in ecclesiastica Dignitate constitutis, unde propterea hic punctus videbatur planus; Et in specie de collectione hujus subsidii duorum pro centenario, licet incidenter, ac agendo de collectione decimarum habetur *dicta dec.* 155. *n.* 12. *p.* 11. *rec.*

Quo vero ad alteram inspectionem magis facti quam
juris, super dictæ deputationis probatione, constitue- 7
bam certam conclusionem, de qua Lotter. *lib.* 2. *q.* 32. *n.* 168. *& seq.* & admissam in eadem Viterbien. coram Verospio, ac etiam *disc. seq.* super eadem Viterbien. quod scilicet præcise necessarium non est, ut ista probatio fiat per scripturam, seu litteras deputationis, quasi quod istis peremptis, desperatum sit eam alias fieri posse, sed solum ista videatur quædam necessitas moralis, seu causativa ob nimiam difficultatem alias militantem, eo quia probatio per testes, vel alias species, ut plurimum esse solet æquivoca, & non bene concludens utpote referibilis ad negotia particularia, vel ad collectionem de facto absque plena jurisdictione; Sed dentur testes, qui præsentes fuerint deputationi, seu alias concludentes scientiæ causas reddentes deponant de forma, seu tenore deputationis cum similibus, id prohibitum non est, ut eodem *disc. præced.* advertitur, cum in hoc attendatur effectus, seu finis, non autem forma.

Ista vero concludens probatio recte concurrebat, quoniam licet ipsæmet individuales literæ, ut supponebatur, occupatæ non haberentur, attamen quia omnium, quæ desuper ab isto Collectore generali concedi consueverunt, una & eadem erat formula etiam typis cussa & inalterabilis, idem Collector generalis in dorso consimilium litterarum impressarum testabatur se ad illam formam & consimilibus literis deputasse dictum Pasqualem, cujus opera & exercitio mediantibus plures dicti subsidii exactiones obtinuerat, unde propterea illi deferendum veniebat tanquam officiali attestanti de rebus ad ejus officium pertinentibus, potissime vero ubi concurrit qualitas ac integritas personæ, & cessat suspicio, quæ a proprio commodo, vel incommodo, seu alio interesse resultare potest, cum tunc omnino defe-
rendum sit, ut in terminis specialibus *dec.* 252. *n.* 1. 8
& seqq. p. 2. *recent.* & generaliter *dec.* 243. *n.* 8. *&* 9. *par.* 6. Buratt. *dec.* 706. *& frequenter.*

Clarius vero concurrentibus aliis adminiculis, quæ plura erant, Primo scilicet effectiva subsequuta exactio justificata ex liberis ejusdem Collectoris generalis; Secundo de-
positio testium super ejusdem subcollectoriæ exercitio, 9
absque eo quod alter in hoc munere se ingereret; Et tertio ejusdem Capituli litteræ missivæ præfato Collectori generali directæ, mentionem facientes de dicta deputatione; Omnes etenim istæ probationis species, quando non adesset attestatio ipsius Collectoris generalis relativa ad præcisam formam litterarum deputationis, essent æquivocæ, & non concludentes juxta latius deducta *dicto disc. præced.* sed bene in hac facti specie operativæ remanebant, utpote deservientes, non pro principali probatione, sed pro adminiculo dictæ alterius probationis univocæ resultantis ab attestatione Collectoris generalis.

Demum quoad tertiam ac ultimam inspectionem, quæ potissima, & principalis erat pro enervando dicto contrariæ decisionis fondamento, duo dicebam; Pri-
10 mo quod licet Papa non soleat concedere ecclesiasticam, & spiritualem jurisdictionem laicis supra personas, & res Ecclesiasticas, attamen sine dubio potest, ut advertunt Sbrozz. *de Vicaria l. 1. quæst. 31. n. 15.* Alterius *de censuris, tom. 1. disp. 7. l. 3. cap. 6.* & alii, & in specie censurarum comminatarum a laicis ob oraculum, seu commissionem Papæ advertitur per Rotam in Romana pecuniaria 22. Junii 1657. coram Cerro edita in casu, de quo *sub tit. de dote disc.* 22.

Est bene verum, quod id tamquam rarum ac insolitum in dubio non est præsumendum, sed ista præsumptio semper cessat ex contraria probatione, quæ in
11 præsenti clare concurrere videbatur, dum agebatur de exactione facienda a personis, & ex bonis Ecclesiasticis, & tamen ei conceditur facultas illam faciendi etiam sub censuris & pœnis aliisque remediis in Sixtina Constitutione contentis, unde propterea dictæ potestatis concessio adesse videbatur.

Et secundo clarius, quia duo præfato Appaltatori, seu Collectori generali conceduntur. Primo scilicet facultas exigendi; Et secundo facultas pro eadem collectione deputandi unicos collectores in omnibus Diœcesibus, unde propterea quando etiam in prima parte dicendum non esset communicatam esse laico jurisdictionem ecclesiasticam, adhuc tamen non implicabat, personam ecclesiasticam, ab eo deputatam in subcollectorem habere hanc jurisdictionem, quam ita habere dicitur, non ab ipso laico nominante, sed ab ipso Papa, vel Thesaurario Generali dictam facultatem tribuente, adeo ut laicus dicatur solum nudum organum; seu instrumentum explicativum voluntatis superioris, talem facultatem habentis juxta terminos tex-
12 tus *in l. unum ex familia, ff. de legatis secundo cum ibi notatis*, ut in specie de collatione, vel provisione Beneficii ecclesiastici, quam laicus faciat, quod intelligatur fieri per Papam ad id potestatem concedentem cum ministerio laici, qui proinde consideretur tamquam nudum organum, seu instrumentum, ut per Lotter. *de benefic. l. 1. q. 6. n. 45.* atque advertebam ita dicere frequentem praxim in pluribus Beneficiis & Dignitatibus annexam habentibus plenam quasi Episcopalem ac ordinariam jurisdictionem etiam cum territorio separato, ut præsertim est Archipresbyter Altamuræ in Regno Neapolitano enunciato *sub tit. de præeminent. disc. 6 & sub tit. de jurisdictione, disc. 16.* cum similibus, & tamen talis collatio fit per solum Regem, sed quia ista facultas provenit ex concessione Apostolica, ideo a Papa potius quam a Rege isti Prælati potestatem, ac jurisdictionem habere dicuntur.

Super puncto autem obiter insinuato in hujus cau-
13 sæ decisione, quod hujusmodi subcollectores debeant esse personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, quodque alias non intret reservatio, opus non erat agere, dum tollebatur difficultas ex facto, quoniam iste erat Canonicus Cathedralis; Verum id saltem in Italia ex contrario usu ita generaliter sumpto periculosum videtur, saltem antequam prodirent modernæ declarationes Sac. Congreg. Concilii de hoc anno 1670. licet etiam illæ contineant moderationem, ut non debeant præjudicare juribus Datariæ pro reservationibus.

MONOPOLITANA CANONICATUS,

PRO JOSEPHO MORANDO,

CUM FRANCISCO PAULO TORRES.

Casus decisus per Rotam pro Morando.

De eadem Regula quarta, hodie quinta super reservatione Beneficiorum, quæ possessa fuerunt per subcollectores Apostolicos, de quibus sucollectoribus intelligatur. Et an habeat locum in subcollectore decimarum, qui in eadem Diœcesi sit diversus ab alio subcollectore spoliorum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Judex appellationis exequi potest Breve de capienda possessione ex integro, etiam si prima executio sit nulla, & de similibus.*
3 *Resolutionis causæ.*
4 *De requisitis, ut quis dicatur subcollector ad effectum reservationis.*
5 *Quod etiam collector decimarum Papalium cadat sub regula si est unicus cum universali jurisdictione, etiamsi adsit alter spoliorum.*
6 *De ratione id comprobante.*
7 *De duobus Vicariis in eadem Diœcesi.*
8 *Si in Cathedrali adsunt duæ primæ dignitates coæquales, utraque cadit sub regula tertia, vel quarta.*
9 *De alio casu controversiæ sub eadem regula de collectoribus.*
10 *De stylo Datariæ circa impetrationes certo modo.*
11 *Subcollectoria probatur per litteras deputationis.*
12 *An debeat constare de acceptatione deputationis.*
13 *Quod non requiratur exercitium.*
14 *Unicitas præsumitur donec probetur pluralitas.*
15 *Quid si constet alias adesse in eadem Diœcesi.*
16 *Beneficium semel affectum ratione subcollectoriæ semper remanet tale, licet subcollectoria cesset.*
17 *De alio casu cadente sub eadem regula quarta, seu quinta, ut unicus dicatur in Diœcesi, quæ alteri unita esset, ubi alter adesset subcollector.*

D I S C. X.

IMpositis Decimis (quæ vulgo Papales dici solent) super beneficiis Ecclesiasticis per Urbanum VIII. 1
commissaque illarum exactione Cardinali Camerario, per quem in singulis Diœcesibus illarum subcollectores deputari consueverunt, in hac Diœcesi Monopolitana pro hujusmodi collectione deputatus fuit Joannes Baptista Patritius Canonicus Cathedralis, quo defuncto in mense Ordinarii, hic de Canonicatu providit Franciscum Paulum Torres. Verum Josephus Morandus eumdem Canonicatum impetravit a Sede Apostolica tamquam reservatum in vim Regulæ quartæ, seu quintæ ratione subcollectoriæ, expeditoque desuper consueto Brevi de capienda possessione nomine Cameræ, reportavit super illius exequutione ab A.C. sententiam, a qua commissa per Signaturam causa in Rota coram Royas cum clausula *Parito litteris arbitrio*, seu cum altera, *Si quid exequendum*, opponente reo & possessore de dictæ primæ sententiæ manifesta nullitate ex defectu citationis, prodiit sub die 11. Maji 1646. resolutio sibi favorabilis super dictæ sententiæ annullatione, ut liquet *ex dec.* 291. Royas *inter ejus impressas*, quare Morandus actor agnoscendo nullitatem, atque renunciando dictæ sententiæ, omnibusque gestis in prima instantia, ex integro obtinuit subscribi dubium, *An dictum Breve esset exequendum*, quod non dubitatur fieri posse, quamvis commissio directa esset cum clausula respiciente exequutionem sententiæ, vel decreti judicis a quo, quoniam ubi tali exequutioni ex 2
capite nullitatis, vel alio defectu locus esse non potest, non prohibetur judex ad quem, cognoscere de exequutione ex integro concedenda, illamque decernere, quomvis etiam ad exequutionis consummationem de facto processum esset, quoties gestis renunciatum est, atque omnia reposita sunt in integrum, ut in terminis commissionis cum clausula *qui ad legitimam* habetur in Melphien. Cantoriæ apud Otthob. *dec.* 58. & in terminis Brevis de capienda possessione nomine Cameræ, quod ejus nova & integra exequutio non impediatur per ejusdem Brevis exequutionem nulliter precedentem, cui renunciatum sit, habetur in Nuscana canonicatus coram Arguelles *dec. 31. p. 10. rec. edita in casu, de quo infra, disc.* 17. quod fere quotidianum in praxi habemus in causis prophanis exequutivis, in quibus ob aliquam turbiditatem per Signaturam rescribi solet cum clausula, *si quid exequendum*, quoniam si decretum, seu mandatum Judicis a quo est nullum & non exequibile, passim conceditur per Rotam, seu alium Judicem ad quem mandatum ex integro.

Assumpta igitur disputatione hujus novi dubii, an Breve esset exequendum, sub die 2. Junii 1647. affirmativa prodiit resolutio confirmata 13. Januarii 1648 ut li- 3
quet ex decisionibus ejusdem Royas 347. & 351. & quamvis adeo progressum sit, quod relaxatis exequutorialibus, eisque intimatis, ob non paritionem possessoris magis obe-

obedire volentis Episcopo, qui suam provisionem de facto substinere volebat, cum bina resolutione decretæ essent declaratoriæ, ut liquet ex *dec.* 464. & 471. adhuc tamen dicto reo & possessore adeunte Signaturam, per istam satis dubitantem de sublistentia dictarum decisionum canonizantium reservationem, denuo commissa fuit causa in eadem Rota coram Dunozetto, cum clausul. *parito litteris arbitrio*, ad cujus rescripti normam dato dubio, *an arbitrium intraret*, sub die 23. Januarii 1651. canonizatis dictis decisionibus coram Royas negativa prodiit resolutio, de qua inter decisiones Dunozetti *dec.* 876. cui demum possessor acquievit, unde provisus Apostolicus Canonicatum adeptus fuit.

In disputationibus autem habitis tam in Signatura, quam in hac ultima instantia in Rota, in quibus solum scripsi, duæ erant difficultates circa hujusmodi reservationem; Primo stante quod Regula quarta, seu quinta loquitur de unicis singularum Diœcesum subcollecto-
4 ribus, an sub ea caderet iste collector decimarum, dum in eadem Diœcesi aderat alter subcollector Apostolicus Spoliorum deputatus cum universitate jurisdictionis per Nuntium, seu Collectorem generalem Neapolis, unde propterea inferebatur istum potius dicendum esse subcollectorem deputatum ad unum negotium particulare exactionis decimarum, & consequenter non cadebat sub regula, ex iis, quæ de hujusmodi subcollectoribus, vel commissariis ad unum spolium, seu nudum factum exactionis absque delegatione ad universitatem causarum habentur deducta in Viterbien. canonicatus, *disc. preced.* juxta decisiones Asten. canonicatus 30. Januarii 1617. & 9. Decembris 1618. coram Coccino, quæ reputantur in materia magistrales. super requisito unicitatis ad effectum reservationis, ex convincenti ratione omnimodæ supplantationis Ordinariorum alias resultantis, quoniam Collector generalis deputando, modo unum ad unum negotium, & alium ad alterum, ita faceret affecta, seu reservata omnia diœcesis Beneficia, quæ decisiones fuerunt confirmatæ 15. Junii 1620. & 3. Junii 1621. coram Remboldo; & coram eodem Dunoz. *dec.* 5. ac etiam latius canonizatæ in Januen. canonicatus 31. Maji 1647. cor. Ghislerio, & in d. Viterbien. coram Verospio; Et altera erat difficultas ex eo quod Capitulum Cathedralis testaretur etiam quod ad hujusmodi decimarum exactionem ab eodem Cardinale Camerario plures fuissent deputati, unde etiam in hoc genere excludebatur unicitas omnino ac præcise necessaria.

Ista secunda difficultas utpote consistens in facto, sublata fuit per causæ Patronum, distinguendo tempora, seu justificando aliarum deputationum ineffectuationem, & sic nulla cadebat juris inspectio, quæ tota fuit super prima, an scilicet stante alio subcollectore spoliorum deputato per Nuntium, iste alter subcollector decimarum deputatus per Camerarium veniret necne sub regula, atque affirmativæ resolutioni præcipuum ac pene totum motivum dedit auctoritas ejusdem Rotæ ita
5 decidentis in Licien. canonicatus 19. Januarii, & 25. Martii 1629. coram eodem Dunozetto *inter suas dec.* 100. & 111. *repet. dec.* 255. & 261. *p.* 5. *rec.* & in aliis relatis in præfatis decisionibus cor. Royas.

Ultra vero dictas auctoritates, quando articulis ex integro tamquam novus decidi debuisset, adhuc ratiocinando dicebam idem determinandum fore; Licet enim vera sit conclusio firmata in allegatis Alten. canoni-
6 catus super qualitate unicitatis cum delegatione ad universitatem causarum juxta deducta in d. Viterbien. canonicatus; Attamen id procedit, quando plurium delegatio provenit ab eodem delegante juxta casus, de quibus dictis Alten. & Viterbien. & in Januen. canonicatus, quia nempe idem Collector generalis spoliorum plures eodem, vel diverso tempore ad idem negotium spoliorum deputaverit; Secus autem ubi deputationes proveniunt a diversis fontibus, atque ex omnino diversis causis, quarum singulæ in suo genere sint universales, & unicæ, quia tunc quilibet dicitur in suo genere unicus ac universalis subcollector cum jurisdictione ad universitatem causarum illam collectionem respicientium.

Ad quod probandum adducebam practicum exemplum Vicarii Generalis Episcopi, in quo ex Statuto, vel privilegio aliquid dispositum sit, quoniam juxta ea, quæ ha-
7 bentur pluries *sub tit. de jurisd.* in una diœcesi unus tantum datur Vicarius Generalis, cui data sit universa jurisdictio in tota diœcesi, ideoque deputati ad certum genus causarum, seu in certa parte diœcesis quamvis cum titulo Vicarii Generalis dicuntur foranei, seu deputati ad negotia particularia; Sed si detur casus, quod absque monstruositate duorum capitum in uno corpore, ex Apostolica provisione dentur in eadem diœcesi duo Episcopi, unus scilicet in ritu Græco, & alter in Latino, quod quandoque potest esse practicabile, & tunc quilibet ex dictis Episcopis deputet suum Vicarium, & quilibet ex eis erit Generalis & unicus in diœcesi respective; & quoad sibi commissam jurisdictionem, atque hunc dicebam casum, cum duo essent diversi Collectores generales, unus spoliorum, alter decimarum, & quilibet eorum respective in singulis diœcesibus deputet suos subcollectores, qui proinde respective dicuntur unici & generales.

Ponderabam quoque, quod dum isti duo subcollectores æqualiter essent unici & generales ministri ejusdem Sedis Apostolicæ in suo respective genere, sequeretur alias, quod vel ratione incertitudinis nulla adesset reservatio, quod esset absurdum, quoniam ita esset destruere dictam Regulam subcollectorum, vel probabilius quod stante coæquali jure, uterque venire deberet sub regula, adinstar eorum, quæ habemus de regula tertia, hodie quarta super reservatione primæ dignitatis in Cathedralibus, vel Collegiatis, quia si adsint duæ dignitates æque principales & majores, tunc singularitas 8
resolvitur in pluralitatem, atque utraque cadit sub regula Garz. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 265. Rot. *in Neapolitana Cimiliarcatus* 26. Junii 1647. Bichio *dec.* 99. *part.* 10. *rec.* sic a pari.

In proposito etiam hujusmodi Regulæ quartæ, seu quintæ de subcollectoribus in alia Monopolitana canonicatus disputata coram Datario, cum Joannes Bosanus 9
peteret provideri a Dataria de Canonicatu quamvis vacato de mense Decembris, ex eo quod defunctus esset unicus subcollector spoliorum, quamvis Datariæ stylus esset concedendi quibuscumque petentibus impetrationes ex causa reservationis, seu alias certo modo, non curando inquirere an prætensio impetrantis subsisteret necne, ex antiquo expeditorum dicterio, ut expellendi 10
non sint pipiones a columbaria, nihilominus a moderno tempore per Datarios, pie ac laudabiliter introductum est, saltem aliqualiter gustare de prætensa reservatione, seu affectione, ne injustæ suscitarentur adversus possessores Beneficiorum lites ac molestiæ, quibus Principis est occurrere.

Difficultas in eo erat, quod prætendebatur non constare de subcollectoria cum qualitate unicitatis, & quatenus constaret de deputatione, non constaret de acceptatione ac exercitio cum necessaria qualitate unicitatis ac deputationis ad universitatem causarum, unde propterea desuper ex parte impetrare volentis requisitus.

Respondi, quod nisi ex parte provisi per Ordinarium doceretur in facto de contrario, probabilius pro reservatione ac successive pro supplicatione signanda respondendum videretur, siquidem de deputatione cum dicta qualitate ad universitatem spoliorum in hac diœcesi constabat ex litteris Nuntii Apostolici Neapolis, generalis Collectoris spoliorum in toto eo Regno, per quas certum est dictam deputationem probari ad effectum Regulæ, at- 11
que est melior & tutior species probationis, Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 51. *n.* 67. *cum seqq.* Lotter. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 158. & *seq.* Duran. *dec.* 263. *n.* 2. Royas *dec.* 347. *n.* 4 & 351. *n.* 3. quæ sunt in dicta alia Monopolitana Canonicatus, in Burgen. beneficiorum 26. Junii 1651. coram Celso inter suas *dec.* 130. & habetur *disc. prac d.*

In quibus decisionibus coram Royas, & Celso, ac etiam in altera supra allegata decisione edita in eadem Monopolitana coram Dunozetto firmatur conclusio hodie firma, licet alias de ea dubitatum esset, ut solæ litte- 12
ræ ad hunc effectum sufficiant, neque requiratur probatio acceptationis & exercitii, nisi extrinsecus constaret litteras deputationis expeditas esse absque animo, & voluntate deputati, qui sciens acceptare noluerit, ex ea clara ratione, quod hujusmodi deputationes utpote ipsis deputatis satis favorabiles; Tum ob emolumenta exinde resultantia; Tum fortius ob exemptionem a jurisdictione Ordinarii, concedi non solent motu proprio invitis, sed solum petentibus, qui cum magnis favoribus id procurant, potissime quia in earum expeditione aliqua requiritur expensa notabilis excedens absque dubio unum scutum, ex cujus excessu resultare solet mandatum præsumptum, & frequenter in materia ordinis judiciarii *sub tit. de judiciis*.

Neque ex eo quod non constaret de aliquo exercitio dictæ jurisdictionis inferri posse dicebam ad cessationem reservationis ac exclusionem Regulæ, quoniam

niam cum in ista Diœcesi, ut frequentius in toto Regno sub Sixto V. Capitulum & Clerum se composue-
13 rit cum Camera super spoliis Beneficiatorum morientium, reservato solum casu illicitæ negotiationis, ita ut excepto casu spolii Episcopi morientis, raræ sint occasiones exercendi potissime ubi agitur de personis qualificatis ac probis, quæ hujusmodi subcollectorias non ad lucrum procurant, sed solum ad evitandam Episcopi subjectionem, unde propterea abstinere solent ab odiosis inquisitionibus super illicitis negotiationibus, vel aliis extraordinariis causis, in quibus spolium intrare possit, hinc non exercitium provenire potuit a deficientia occasionis.

Quo vero ad unicitatem, dicebam istam qualitatem
14 præsumi, donec constaret de contrario, ut post Mandos. Garz, & alios Duran. d. dec. 263. n. 8. dec. 225. nu. 15. p. 7. rec. Gadigen. beneficiorum 11. Martii 1644. coram Meltio dec. 259. p. 9. rec. & in supra allegatis Monopolitan, & in aliis.

Quinimo posita probatione deputationis per litteras, ex quibus constat de dicto requisito universalitatis, ubi etiam constaret, alios subcollectores in eadem Diœcesi idem munus exercuisse, adhuc tamen non dicitur bene probata pluralitas Regulæ exclusiva, nisi constet deputationem alterius esse contemporaneam & coæqualem;
15 Aut enim præcedit, & censetur per secundam revocata, aut subsequitur, & dicitur revocatoria præcedentis, in qua proinde non cessat affectio quoad Beneficia tunc possessa, licet secus quoad postmodum obtenta ex regula in Beneficialibus receptissima, quod Beneficium semel affectum penes eumdem remanet semper tale, ac sufficit brevi tempore habitam esse qualitatem affectio-
16 nis inductivam, Simonett. Garz. Barbos. & cæteri, de quibus dec. 255. n. 6. p. 5. rec. dec. 225. n. 13. & 14. p. 7. & in allegatis in Monopolitan., coram Royas & Dunozetto, & Burgen. coram Celso; Idque admisso quod alterius deputatio esset ejusdem speciei, cum jurisdictione scilicet habituali ad Universitatem causarum, cum alias recte sit compatibilis plurium deputatio in eadem Diœcesi, absque eo quod præjudicetur unicitati subcollectoris ordinarii, quia nempe alii deputati sint ad nudum factum exactionis absque dicta habituali jurisdictione universali, sive etiam cum jurisdictione, sed ad unum spolium, seu negotium particulare, cum isti non dicantur subcollectores cadentes sub regula, juxta ea quæ habentur supra in Viterbien. canonicatus disc. 7.

Easdem conclusiones obtinui canonizari coram A. C. occasione exequutionis Brevis de capienda possessione nomine Cameræ in una Avellina canonicatus pro Horatio Faccilata cum Josepho Devivo proviso per Ordinarium de Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis Avellin.
17 juxta facti seriem, de qua infra in Avellina canonicatus disc. 54. in qua causa actum fuit, an unicitati obstaret coæqualis & contemporanea deputatio alterius subcollectoris cum eadem universali jurisdictione pro diœcesi, tamen Frequentina cum dicta Avellinen. unita sub eodem Episcopo, sed facilis fuit objecti solutio, dum ista unio est absque dubio æque principaliter, unde propterea reputantur duæ omnino diversæ diœceses, adeout Rota in una Frequentina nullitatis concursus 13. Junii 1635. coram Coccino dixerit examinatores Synodales pro una diœcesi non esse habiles pro concursu in parochialibus alterius, ut habetur actum occasione quæstionis super alternativa infra in Marianen. & Accien. beneficii disc. 19.

HISPALEN. PRÆSTIMONII PRO FRANCISCO BORGIA CUM AMBROSIO SPINOLA.

Discursus in Congressu pro veritate, & directione causæ.

De regula tertia, seu quarta super reservatione ob familiaritatem Cardinalis, quando intret, & quomodo familiaritas ad effectum Regulæ probetur.

Aliqua de sequestro in vim Bullæ Pii IV. Et in concursu inter provisum ab Ordinario & Apostolicum, quis obtinere debeat in possessorio retinendæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De requisitis familiaritatis remissive.*
3 *Conclavistæ dicuntur familiares.*
4 *Familiaritatis jam probatæ continuatio præsumitur.*
5 *Rotulus an probet familiaritatem.*
6 *De circumstantiis excludentibus familiaritatem.*
7 *Non implicat quem esse familiarem & comedere cum domino, & cum eo tractare operto capite.*
8 *Assumptio diversi muneris non tollit familiaritatem.*
9 *Possessio capta de beneficio pleno non citato possessore est invalida.*
10 *An & quando decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ inficiat possessionem.*
11 *An & quando intrusus sit citandus.*
12 *De sequestro in vim Constitutionis Pii IV.*
13 *De familiaritate, quando dicatur non adesse licet detur pars panis, & vini.*

DISC. XI.

Vacante per obitum Didaci de Saja Vedra extra 1 Curiam in mense ordinario Beneficio *præstimonio* nuncupata, Ordinarius illud contulit Ambrosio Spinolæ, Franciscus autem Borgia impetravit a Sede Apostolica tamquam reservatum ex Regula tertia, seu quarta, cum præsupposito quod Didacus fuisset Cardinalis Borgiæ familiaris, atque post plures disputationes habitas in partibus, coram eodem Ordinario, & Nuntio, magis in possessorio, quam in bono jure, introducta demum causa in Rota coram Verospio ex parte Borgiæ provisi Apostolici habitus fuit congressus pro examinando ejus bonum jus, ex cujus inspectione pendebat determinatio, an cedere, vel contendere deberet, quod pendebat a puncto probatæ, vel non probatæ familiaritatis perfecte & concludenter probandæ cum formalibus requisitis mentis & dentis, de quibus supra in Ro- 2
mana capellæ Innocentianæ, disc. 6.

Probatur quidem illa ex Constitut. 1. Urbani VIII. edita ad favorem Conclavistarum, in qua Didacus prædictus dicitur Cardinalis Borgiæ conclavista, quæ qualitas 3
de necessario antecedenti supponit veram familiaritatem, cum ex Constitut. 63. Pii IV. §. 17. assumi non possint in conclavistas, nisi veri familiares, & continui commensales ab anno; Ac etiam ulterius, de eo tempore per testes, aliasque justificationes absoluta erat probatio dictæ familiaritatis in munere Secretarii.

Verum id non concludebat ad effectum, de quo agebatur, cum percuteret annum 1623. controversum autem beneficium ab eodem Cardinali Didaco prædicto, nulla mentione facta familiaritatis, vigore indulti Cardinalitii collatum fuerat de anno 1632. dum posterius tempus probatio familiaritatis percutere debet ad effectum reservationis.

Satis tamen hanc certam & non æquivocam probationis speciem prodesse, ac attendi debere dicebam ad constituendum veræ familiaritatis initium, seu præcedentem statum, dum eo posito, declarabantur actus subsequentes ab anno 1632 usque ad 1638. habitationis in domo ac receptionis partis, qui de per se dici poterant æquivoci, & non bene concludentes utpote referibiles ad amicitiam, vel alium titulum, stante honorifico munere, quod pro hoc tempore idem Didacus habuerat Agentis Regis Catholici in Curia, ex regula, quod familiaritas cum suis requisitis semel contracta præsumitur continuata, d. nec illius dissolutio probetur, Gomes. ad Reg. de familiaribus, q. 13. n. 5. Cresc. dec. 16. n. 1. de probat. Martin. Andr. dec. 4
3. n. 2. alias 584. p. 1. rec. dec. 645. n. 4. eadem p. 1. cum aliis per Add. ad Greg. dec. 166. & sæpius; Potissime vero quia dicta juris præsumptio adminiculata remanebat a rotulo, qui licet solus non sit aptus ad concludentem probationem, attamen magnum præstat adminiculum aliis probationibus; sive ex aliis adminicu- 5
lis probat Greg. & Add. d. dec. 166. Martin. Andr. ubi supra, n. 6. Burat. dec. 228. nu. 11. apud quos habetur etiam probationem resultare ex dicta Bulla conclavistarum.

Verum tres circumstantiæ inferebant difficultatem super dictæ familiaritatis exclusione; Primo scilicet quod dicto anno 1632. ac etiam antea, Didacus prædi- 6
ctus ob sibi demandatum dictum munus Agentis Regii, habitaret in propria domo conducta extra illam Cardinalis; Secundo quod exerceret dictum munus diversum ab illo Secretarii, cujus ratione dictam familiaritatem contraxerat; Et tertio quia justificabatur in facto quod tractaret cum Cardinali cooperto capite, quod exclu-

excludere videtur qualitatem famulatus ac familiaritatis ad hunc effectum.

Adhuc tamen credebam, quod nisi aliæ probationes accederent, vel saltem vehementia adminicula cum prædictis conjungenda, ista de per se non sufficerent ad probandam dictam dissolutionem, excludendamque continuationis præsumptionem a rotulo ac receptione partis comprobatam; Et fortius quia causæ Patronus supponebat per testes etiam in Curia justificari posse eumdem Didacum; his non obstantibus adhuc continuasse in antiquo munere secretarii, cum aliqua tamen majori honorificentia, habendo scilicet in ejusdem muneris exercitio plures adjutores, ac tractando solum graviora, & occulta negotia, ex qua futura probatione dicebam omnem removeri difficultatem; Dicti vero actus non videbantur incompatibiles, cum frequenter videamus in Curia aliquos qualificatos familiares admitti ad standum in præsentia Cardinalis operto capite, ut in specie de familiari sedente, & comedente in ea-
7 dem mensa, quod non tollit familiaritatem, Buratt. *d. dec.* 228. *n.* 10. qui actus est magis rarus, quam ille tolerandi capitis operturam, potissime ex dicta superventa honorifica qualitate Agentiæ Regiæ.

Habitatio autem extra domum nil facit, cum id in nobilibus præsertim, & qualificatis familiaribus sit usu frequentissimum, dictumque munus Agentis Regii non videbatur inducere incompatibilitatem, qua cessante,
8 novi muneris assumptio, vel exercitium non tollit præcedentem familiaritatem, ut per Buratt. *d. dec.* 228. *n.* 18. ubi Add. *dec.* 573. *nu.* 6. *p.* 4. *rec.* & confert *dec.* 645. *n.* 4. *p.* 1. Quinimo nedum compatibile, sed congruum videbatur utrumque munus in eadem persona, stante quod Cardinalis omnia negotia Regis in Curia tractabat, ut quominus fieri posset, multiplicarentur personæ, quibus ea innotescerent, ideoque nulla aderat implicantia, quinimo prudens consilium videbatur, ut idem esset Agens Regius ac secretarius ipsius Cardinalis, proindeque discurrendo dicebam hujusmodi circumstantias satis esse considerabiles ad effectum impediendi, ne sequeretur concludens ac perfecta probatio familiaritatis, quando illa non haberetur, reddendo æquivocam perceptionem partis per aliam speciem probationis, ista vero posita, itaut ageretur de probando dissolutionem familiaritatis jam contractæ, credebam nullatenus posse sufficere, & in quam sententiam etiam cæteri devenerunt.

Actum etiam fuit de concernentibus ordinem circa assumptionem possessorii retinendæ, super quo diu litigatum fuerat in partibus, atque in hoc mihi videbatur opus desperatum pro hac parte, stante anteriori possessione dicti provisi ab Ordinario, unde posterior possessio hujus provisi Apostolici remanebat turbativa,
9 & clandestina non manutenibilis, præsertim quia capta erat non citato possessore, ut apud Buratt. & Add. *dec.* 527 *n.* 4. Beneventana Parochialis 29. Novembris 1649. Cerro *dec.* 352. *part.* 10. *rec.* & sæpius.

Motivabatur per alios, quod per decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ infecta remanebat di-
10 cti provisi ab Ordinario possessio habenda pro vacua, itaut posteriori proviso Apostolico impedimentum non præstaret, Coccin. *dec.* 51. Buratt. *dicta dec.* 527. *n.* 3. Valentina Rectoriæ 24. Maji 1647. Bichio *dec.* 57. *p.* 10. *rec.* Verum non videbatur id prodesse, quoniam licet conclusio sit vera, ad effectum, ut non faciat possessorem legitimum contradictorem ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum, non tamen tollit, quin possessor sit citandus ac audiendus, potissime vero ubi reservatio non est certa incontinenti probata, qualis est resultans ex Regula octava, seu nona ratione mensis, in quibus terminis frequentius dicta conclusio procedit ob decretum irritans in dicta Regula magis innixum, sed agitur de reservatione pendente ex qualitate facti per alteram partem negata, & super qua est controversia; Non dubitatur etenim quod decretum irritans inficiat etiam possessionem, quæ proinde utpote infecta non est manutenibilis; quoties certum est decretum prædictum intrare, sed ubi de hoc dubitatur, an scilicet adsit necne illa qualitas, cujus ratione decretum prædictum intrat, tunc non denegatur manutentio, quoniam non est tollere vim decreti, sed negatur, quod illud intret ex deductis in Gerunden. Capellaniæ 27. Januarii 1645. Bichio post Dianam *p.* 8. *repetit. in rec. dec.* 326. *p.* 9. *rec.* Bonon. manutentionis 26. Junii 1648. coram eodem, & in aliis frequenter, unde potest dari casus, possessorem dici quoque posse legitimum contradictorem, quia non est appellare ab executione litterarum, seu a reservatione, sed a declaratione facti, super existentia scilicet illius dubiæ & controversæ qualitatis, ex qua reservatio resultet.

Verum quicquid sit ad dictum effectum legitimi contradictoris, super quo certa regula tradi non potest, cum adeo varia experientia doceat id redditum esse arbitrarium, adhuc tamen indubitatus, ac insanabilis remanebat defectus citationis; Licet enim habeatur quod intrusus non est citandus, unde sæpius manutenibilis 11
reputata fuit posterior possessio, capta per provisum Apostolicum existente in possessione intruso non citato, attamen id procedit, ubi omnino notorium est illum esse talem, nullamque sibi competere defensionem, *ut dec.* 234. *nu.* 1. apud Post. *de manut.* 211. *p.* 2. & 187. *p.* 3. *rec. utrobique nu.* 1. Valentina Rectoriæ 2. Maji 1647. Bichio, Montis Cassin. Parochialis 17. Febuarii 1648. eodem, & in aliis frequenter, quod in præsenti dici non poterat, dum quæstio erat facti super familiaritatis dissolutione, ac non existentia de tempore provisionis, quæ in causæ progressu melius probari poterat, dum præsertim dicta adminicula concurrebant.

Demum actum fuit, an insistendum esset super sequestro demandato per Constitutionem 17. Pii IV. de qua Gonz. *ad reg.* 8. §. 7. *proœm.* Marescott. *l.* 2. *variarum*, 12
c. 77. *n.* 44. & *seq.* Et in hoc conclusum fuit affirmative, dum Rota moderna illud practicaverat in una Nicien. Prioratus 5. Decembris 1653. coram Zarata, nescio tamen qualem eventum ista causa habuerit, dum amplius de illa actum non audivi, vel quia mutaverit defensores, vel quia fuerit concordata, ut est probabile propter gravia obstacula prudentialia, quæ urgebant.

In eodem autem proposito *dictæ Regulæ tertiæ*, *seu quartæ*, seu Regulæ 32. ratione familiaritatis disputationem habui coram A. C. in una Romana Capellaniæ 13
pro Crescentio Cozzardo proviso per Canonicum Turnarium Sanctæ Mariæ Majoris de una Capellania Toletana vacata per obitum Claudii de Benedictis, qui Cardinalis Barberini prætendebatur familiaris, ex eo quod partem panis & vini ei per plures annos dedisset, unde propterea ad ejus nominationem provisus fuit tamquam de reservata Bonaventura Loretus petens executionem suæ provisionis. Verum in contrarium pro reo & possessore dicebam probabilius esse respondendum, ut credo sequutum ob non probatam concludenter familiaritatem cum suis requisitis, addictionis scilicet servitio in concernentibus cultum ac personam ipsius Cardinalis, & suppeditationis victus, itaut concurrant mens & dens, cum reciproca conventione ac voluntate, tamquam per speciem societatis, quæ inter dominum & familiarem contrahi dicitur, ex deductis per Martin. Andr. *d. dec.* 3. Buratt. *dec.* 117. & alios, dum in facto justificabatur præfato Claudio alias famulo D. Thaddæi Barberini Principis Prænestinorum ejusdem Cardinalis patris, Cardinalem prædictum, tamquam decrepito, & continua infirmitate detento dictam subventionem partis panis & vini dedisse ex munificentia tamquam antiquo famulo emerito & indigenti, & sic deficiebat principale requisitum addictionis servitio concernenti cultum ac personam, atque cessabat etiam omnimodus victus, qui in sola parte panis & vini non consistit *juxta quæstionem* 35. Beroi, Rot. *dec.* 43. *n.* 4. *p.* 1. *rec.* & sæpius supra.

ANNOT. AD DISC. XI.

De reservatione ex capite familiaritatis, & quomodo ista probetur, videri poterunt deducta *hoc eod. tit. disc.* 105. & *ttt.* Et de reservatione ex capite conclavistatus enunciati *n.* 3. *habetur in disc.* 141.

NULLIUS PROVINC. SIPONTINÆ ARCHIPRESBYTERATUS,

PRO JOANNE DOMINICO JANELLO, CUM BONAVENTURA GISOLFO.

Casus decisus per Rotam pro Joanne Dominico.

De Regula tertia, seu quarta super reservatione primæ Dignitatis in Cathedrali, vel Collegiata, an & quando cesset ex contraria consuetudine, vel ex indulto Apostolico; Et quando istud in proposito, suffragetur.

SUMMARIUM.

1 *Falli series,*
2 *De decisionibus editis super isto beneficio in alia controversia.*
3 *De resolutione hujus controversiæ.*
4 *Ex indulto Apostolico cessat Regula tertia, seu quarta.*
5 *Dispositio Sac. Concilii Tridentini super rigorosa probatione jurispatronatus non procedit in Universitate Ecclesiastica.*
6 *Si Papa exceptuat reservationes intelligitur de aliis, quam de fixa incompatibili, ne alias fatua sit loquutio. nu. 16.*
7 *Ad acquirendum juspatronatus requiritur possessio centenaria, vel quadragenaria cum effectu, idest quod vigore præsentationis, non autem ex alio titulo provisio sequuta sit.*
8 *Enunciativæ non probant, ubi sunt ad partis supplicationem, & incidenter, potissime ubi agitur principaliter de enunciato.*
9 *Juspatronatus ex privilegio, vel consuetudine cadit sub reservationibus apostolicis, etiam si esset in parte non præponderante ex causa onerosa.*
10 *Etiam ex dotatione, & fundatione Ecclesiasticum cadit sub reservationibus.*
11 *Quando improbabile sit juspatronatus ex fundatione, & dotatione in Capitulo ipsius Ecclesiæ.*
12 *Grata nominatio non inducit juspatronatus.*
13 *In Collegiatis collatio fit ad electionem ipsius Collegii.*
14 *Decretum irritans infirat quamcumque contrariam possessionem, ideoque impedit consuetudinem.*
15 *An Regula quarta habeat decretum irritans, & tollat optandi consuetudinem*
16 *Declaratur conclusio, de qua n. 6. & non omnis prima dignitas in Collegiatis est reservata, sed solum, quæ excedit centum.*

DISC. XII.

1 Cum Archipresbyter Oppidi Cirignolæ Provinciæ Sypontinæ ab antiquo tempore sit in statu Prælati, cum ordinaria quasi Episcopali jurisdictione, & cum territorio separato, ac nullius; Hinc priusquam Apostolicæ reservationes prodirent, seu proditæ effectum ubique sortirentur, eadem antiqua consuetudo concedebat ipsius Ecclesiæ Collegiatæ Capitulo, vel Clero dicti Prælati electionem in casu vacationis: Et quamvis postea dictis reservationibus magis ad praxim redactis ista Dignitas tamquam principalis in Collegiata ideoque reservata in vim *Regulæ tertiæ, hodie quartæ,* in casu vacationis obtenta esset a Sede Apostolica; Attamen de facto in dicta antiqua possessione, vel consuetudine eligendi continuatum fuit, ita & taliter quod provisio Apostolica sequuta fuit in ea persona, quam ipsum Capitulum elegerat, nulla tamen dictæ electionis in litteris Apostolicis facta mentione; Cum autem de anno 1646. casus dedisset, quod spreto electo, dicta Dignitas collata fuisset cuidam Josepho Francischino, hinc acriter se opposuit dictum Capitulum ex duplici objecto; Primo scilicet, quod non esset civis oriundus, ut ex Apostolico privilegio requiri supponebatur; Et secundo quod non haberet ipsius Capituli electionem; Et
2 introducta desuper causa in Rota coram Verospio, variæ prodierunt resolutiones; prima enim sub die 14. Martii 1646. fuit contra provisum ex primo objecto, quod non esset oriundus, sed reproposita causa, sub die 25. Junii ejusdem anni, recedendo a decisis, pro executione provisionis Apostolicæ responsum fuit, & hæc posterior resolutio fuit confirmata 28. Novembris sequentis, respondendo ad primum objectum cum solo facto; Et ad alterum electionis cum dispositione juris resultante a dicta Regula tertia, seu quarta, per quam exceptis casibus Indulti Apostolici, vel Jurispatronatus ex fundatione, vel dotatione, primæ Dignitates in Cathedralibus, & Collegiatis sunt de reservatis reservatione continua, non obstante quocumque jure eligendi, vel præsentandi, Cumque ex parte Capituli deduceretur quoddam Indultum Apostolicum Julii Secundi, de quo infra, processum fuit cum sola responsione, quod illud loqueretur cum clausula, *cessantibus tamen reservationibus Apostolicis,* ut patet ex decisionibus desuper editis, ad quarum normam prodiit dictæ Apostolicæ provisionis executio.

Sequuta vero denuo vacatione de anno 1663. Capitulum continuando dictam consuetudinem, elegit Bonaventuram Gilolphum, a Dataria vero provisus fuit Joannes Dominicus Jannellus civis originarius, cujus pariter provisioni idem Capitulum se opposuit, curando reassumere dictam causam pendentem in Rota coram Verospio, coram quo dato dubio; An constaret de pertinentia juris nominandi ad Capitulum, sub die 6. Junii 1664. ne- 3
gativa prodiit resolutio, unde successive provisus Apostolicus suæ provisionis executionem, a Signatura etiam canonizatam, cum subsequuto effectu obtinuit.

In hac autem disputatione habita in Rota, & in plerisque aliis præcedenter habitis coram Datario super relaxatione supplicationis ad favorem Joannis Dominici signatæ, duo erant Capituli oppositoris fundamenta; Primo Indultum Apostolicum Julii Secundi approbativum
hujus juris eligendi, seu nominandi, quo concurrente 4
non dubitatur illud attendi debere juxta casum, de quo in Hyldesimen. Præpositæ *disc. seq.* Et alterum erat jurispatronatus, super cujus justificatione scribentes pro Capitulo cum longo allegationum apparatu nimium se diffundebant in probando, quod rigorosa probationis forma inducta per Sacr. Conc. Tridentinum *sess. 25. de reform. c. 9.* non percuteret casum præsentis quæstionis, dum loquitur de personis potentibus, sub quarum nomine licet veniant etiam Universitates, quamvis jurisdictionem non habentes, attamen dicitur de universitatibus laicalibus, non autem Ecclesiasticis, in quibus non cadit
ea mala usurpationis præsumptio, cui Conciliaris di- 5
spositio innixa est, ut firmatur per Rotam apud Merlin. *dec. 407. n. 17. & 18. dec. 401. n. 7. & seq. par. 5. rec.* cum aliis per Barbos. *ad idem Concil. n. 46.* Et consequenter quod sufficeret probatio ordinaria ad limites juris communis per quadragenariam possessionem, ac præsumptiones ambiguas & enunciativas quorum magnus cumulus fiebat.

Atque præventive respondendo ad fundamentum dictarum præcedentium decisionum circa Indultum Julii Secundi continens illam clausulam, *restantibus Apostolicis reservationibus,* dicebant pernecesse id intelligendum esse compatibiliter, de aliis scilicet eventualibus,
seu accidentalibus reservationibus resultantibus, vel ra- 6
tione mensis juxta Regulam octavam, vel ratione loci vacationis, puta in Curia, vel ratione qualitatis personæ possessoris, quia scilicet esset Prothonotarius, vel subcollector Apostolicus, aut familiaris Papæ, vel Cardinalis, cum similibus, nullatenus vero dictam clausulam adaptari posse huic reservationi resultanti a Regula tertia, seu quarta, quoniam cum ista reservatio esset realis & continua, ex cujuscumque persona, & quocumque tempore vacatio sequeretur, idcirco esset fatua loquutio in Papa non admittenda, ut in simili habemus de clausula, *sine præjudicio,* intelligenda compatibiliter in aliis, quam in expressis juxta *dec. 1445.* Seraphini, & passim.

His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis, qualem Rota agnovit, scribens pro Joanne Dominico proviso Apostolico, improbabilem dicebam dictam oppositionem; Singula etenim ejus fundamenta examinando; Quatenus pertinet ad secundum prætensi jurispatronatus, non negabam dictam juris theoricam, seu propositiones per scribentes in contrarium deductas, quod scilicet hujusmodi universitates Ecclesiasticæ, sub dicta rigorosa Concilii Tridentini forma non caderent, sed incorrecta remaneret juris communis dispositio, qua attenta, etiam adminiculativa probatio sufficit, ut pluries in sua materia *sub tit. de jurep.* Negabam tamen applicationem ad factum, unde propterea inanes remanebant labores, accademicorum potius, quam forensium more adhibiti ad probandum conclusiones juris, dum non assistebat factum ex pluribus.

Primo scilicet, quia etiam juris communis dispositione attenta, quoties de explicito titulo fundationis, vel dotationis, vel privilegii Apostolici non constat, sed recurritur ad præsumptivam, seu adminiculativam probationem, requiritur possessio, vel juxta unam opinionem magis rigo-
rosam centenariam, vel juxta alteram benigniorem quadra- 7
genaria cum fama tituli, cum subsequuto tamen effectu, quod scilicet præsentationes effectum sortitæ fuerint, earumque vigore tantum, ac univoce, non autem ex alio jure, vel titulo institutio, seu collatio sequuta fuerit, quoniam alias quilibet posset ita in longissima possessione præsentandi se constituere, præsentando, vel nominando eum, quem a Sede Apostolica, vel ab Ordinario videt fuisse provisum, seu verisimiliter credit esse providendum, atque cum hoc præsupposito procedunt dicentes ex possessione resultare hanc probationem, ex deductis per Buratt. & Add.

dec.

dec. 142. 172. & 875. *dec.* 218. *p.* 6. & *dec.* 29. *p.* 7. Dunoz. *dec.* 809. Lotter. *lib.* 2. *q* 7. & in dicta sua materia.

Et propterea cum in facto doceretur ex hac parte spatio annorum 150. circiter de continuatis provisionibus Apostolicis in vim reservationis resultantis ex dicta Regula tertia, seu quarta ratione primæ Dignitatis, absque eo quod electionis, vel nominationis aliqua mentio haberetur, hinc proinde corruebat hæc prætensio in radice, neglectis omnino aliquibus enunciativis Apostolicis incidenter emissis, cum istæ incidenter ac ad alium effectum emanatæ nullam constituant probationem, potissime ubi sunt ad partis supplicationem, atque de enun-
8 ciato principaliter agitur, ex deductis apud Merlin. *dec.* 405. *n.* 4. Otthob. *dec.* 169. *n.* 23. Rota *dec.* 169. *n.* 18. *par.* 9. *rec.* cum aliis in hujus causæ decisione, & passim.

Secundo clarius, quia ubi etiam de hujusmodi præsupposita possessione, seu consuetudine constaret, etiam a Sede Apostolica tolerata, seu approbata, non tamen exinde in aliquo relevaret, cum ad summum id importaret quoddam jus patronatus ex privilegio, vel ex consuetudine, quorum utrumque subjacet tam dictæ quam aliis Regulis Cancellariæ, ac reservationibus Apostolicis, a quibus tantum exemptionem obtinent beneficia de jurepatronatus laicali ex fundatione, vel dotatione, non autem ex consuetudine, vel privilegio, adeo ut neque sufficeret, quod non ex mera gratia & privilegio, sed partim ex causa onerosa, puta pro augumento dotis, quoniam nisi causa onerosa præponderet, vel saltem adæquet antiquam Ecclesiæ, vel beneficii dotem,
9 semper dicitur ex privilegio & gratia, & consequenter cadit sub reservationibus Apostolicis juxta magistrales *dec. in Conzana coram Litta*, *dec.* 58. & 88. *p.* 1. *rec.* sæpius canonizatas, præsertim *dec.* 218. *p.* 6. & *dec.* 29. *p.* 7. *rec.* cum aliis per Add. ad Greg. *dec.* 397. & *d. tit. de jurepatr.* Idque benigne procedendo, atque admittendo, quod non obstarent revocatoriæ Concil. Tridentini, vel Constitutionis Adriani VI. cum similibus, ex iis, quæ habentur in dicta sua materia *sub tit. de jurepatr.* Quinimo etiam si esset jus patronatus ex fundatione, vel donatione, sed Ecclesiasticum, adhuc caderet sub reservationibus, nisi in limine fundationis aliter cautum esset, ex deductis
10 supra, *disc.* 5. & consequenter ubi etiam in hac facti specie probaretur, quod esset jus patronatus ex fundatione vel donatione Capituli, idem resultaret effectus, dum esset Ecclesiasticum, ut in specie hujus Regulæ quartæ super prima dignitate Rota *dec.* 285. *p.* 9. *rec.* ubi concordantes; Et generaliter Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 18. *nu.* 6. & 9. Greg. *dec.* 48. Caval. *dec.* 278. & 547. & in Bonon. jurispatr. 13. Maji 1658. Cerro, & in dicta sua materia, *sub tit. de jurepatr.*

Vere autem, nec quidem fumus hujus tituli dabatur, neque dari poterat ex clara improbabilitate in contrarium urgente, bene in simili ponderata per Rotam in dicta Bononien. jurispatr. 13. Maji 1658. Cerro,
11 de qua in dicta sua materia, quod scilicet cum ista Ecclesia antiquitus, & in primæva origine hujus Oppidi unica parochialis suum haberet Rectorem, ac consequenter congruam dotem pro illius sustentatione, aliorum vero clericorum electio, juxta communem usum ob fidelium augmentum, introducta fuerit in Rectoris adjutorium pro Sacramentis aliisque Divinis ministrandis, unde paulatim magis crescente numero, ex consuetudine, vel Apostolica concessione transiit in Collegium. Hinc prorsus improbabile est, ut ipsum Collegium potuerit fundare ac dotare ipsam Rectoriam, seu Archipresbyteratum, qui pernecesse ex facti qualitate supponendus est antiquior, dum non agitur de simplici Collegiata existente in loco, in quo diversæ essent parochiæ, sed in Ecclesia, quæ totius loci est matrix & unica parochialis.

Bene tamen dicta eligendi, seu nominandi consuetudo oriri potuit, vel quia antiquitus in usu erat, ut etiam a populo & parochianis in provisione Recto-
12 ris exigeretur quædam consultiva nominatio, ut ita Rector populo gratus daretur, ex quo tamen inferri non potest ad jus patronatus, ut advertitur apud Cavaler. *dec.* 419. & pluries in dicta sua materia *de jurepatr.* Vel quia cum in Collegiatis collatio Canonicat-
13 um, vel aliorum Beneficiorum fiat nomine ipsius Ecclesiæ ab ipso Collegio, ex deductis per Garz. *de benef.* *p.* 5. *c.* 4. *nu.* 58. & *seqq.* Rot. *dec.* 157 *p* 6. & *dec.* 31. *nu.* 8. *par.* 10. *rec.* ita ex hoc jure ipsum Collegium sibi eligere potuit Prælatum ac primam Dignitatem, dum stante territorio separato, alter non aderat Ordinarius Collator.

Ponderabam quoque ad superabundantiam, quod ubi etiam constaret de dicta præsupposita antiqua possessione, illa esset infecta, & non apta inducere consuetudinem, ob decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ, cujus virtus ac operatio est inficere quamcumque contrariam possessionem, sine qua non datur consuetudo, quæ propterea ita impeditur, ne unquam nascatur, ex iis, quæ generaliter super ista conclusione colliguntur in Cæsenaten. seu Sarsenaten. coram Ghislerio 14
dec. 400. *p* 9. *rec.* & in eadem coram Albergato *impress.* *dec.* 199. *p.* 12. Et in specie hujus Regulæ tertiæ, seu quartæ cum præsupposito, quod contineret decretum irritans, pro absoluto habitum fuit in celebri Messanen. Decanatus coram Ghislerio, & Dunozetto, ut apud istum *dec.* 678. & *dec.* 285. *p.* 9. *rec.* in quibus agendo de consuetudine optandi, an intraret in primis Dignitatibus propter hujus regulæ obstaculum, quæstio fuit, an illa con- 15
tineret, necne dictum decretum irritans, quod in ea specialiter non legitur, eo modo, quo est in Regula octava, seu nona, per quam proinde receptissimum est, ac extra controversiam, ut possessio ita semper habeatur pro vacua, quamvis a proviso per inferiorem de facto apprehensa esset, ut habetur infra in materia executionis litterarum Apostolicarum, ac legitimi contradictoris.

Quo vero ad alterum fundamentum Indulti Apostolici Julii II. illud revera nullam habet subsistentiam, quoniam vere non est indultum per Papam super hoc principaliter concessum; Siquidem cum inter Capitulum, & Archipresbyterum aliquæ exortæ essent controversiæ sopitæ per concordiam, in quam enunciative, vel præsuppositive dicitur electionem spectare ad Capitulum, obtenta desuper fuit confirmatio Apostolica principaliter emissa super approbatione transactionis, non autem 16
super enunciatis; Ac etiam clarius ob dictam clausulam, seu exceptuationem; *cessantibus tamen Apostolicis reservationibus*: Nil obstante dicto motivo fatuitatis, seu incompatibilitatis, illud enim recte intraret, quando ageretur de prima Dignitate in Cathedrali, in qua indefinite intrat ista regula; Secus autem in Collegiata, in qua eatenus intrat, quatenus ejus valor excedat decem florenos auri, & consequenter remanet compatibilis, dum dari posset casus, quod ob dictum minorem valorem reservatio non intraret, & ex qua possibilitate remanet sine dubio exclusa fatuitas, pro qua tollenda sufficit qualis qualis etiam modica operatio.

ANNOT. AD DISC. XII. & seqq.

De regula quarta, seu quinta super reservatione primæ Dignitatis in Cathedrali, vel Collegiata; habetur quoque *in disc.* 107.

HYLDESIMEN. PRÆPOSITURÆ. PRO CARDINALI DE THUM, CUM EPISCOPO ARGENTINO.

Casus disputatus in Rota, non resolutus.

De eadem Regula quarta, seu quinta super primis Dignitatibus, an cadat sub concordatis Germaniæ; Et quatenus non, sed ex indulto Apostolico Capitulum, vel alter inferior habeat jus conferendi primam Dignitatem sub certa forma, An ob non servatam male servatam indultum corruat; Et incidenter quando electio sit valida, vel invalida, Et de pluribus ad hanc materiam.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De punctis causæ.*
3 *Concordata Germaniæ non capiunt primas dignitates, quæ sunt reservatæ.*
4 *Devolutio ob non servatam formam indulti illud non tollit, sed potius confirmat.*
5 *Quando dicatur electio conclusa a majori parte.*
6 *De contraria consuetudine Germaniæ.*
7 *De conclusione electionis factæ a minori parte ob accessum, vel consensum aliorum, & n. 14.*
8 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum.*
9 *Doctoribus attestantibus de Consuetudine non est deferendum.*
10 *Quod neque deferatur attestantibus de Constitutionibus Apostolicis, vel decretis Sac. Congregationis.*
11 *Quare consuetudo habeatur pro lege, atque legem scriptam tollat.*
12 *An id procedat in lege Papali.*

13 *Decretum irritans impedit contrariam consuetudinem.*
14 *Declaratur conclusio, de qua n. 7. & quando superveniens consensus non revalidet electionem.*
15 *De cautela protestationis Datario deneganti provisionem.*
16 *Quod impedimentum excuset a devolutione.*

D I S C. XIII.

1 PRæposituram primam Dignitatem Cathedralis Hyldesimen. vacatam de mense Martii Alexander VIII. motu proprio tanquam reservatam per Regulam quartam seu quintam sub concordatis Germaniæ non cadentem, sed ab eis exceptuatam, commendavit Cardinali de Thun Archiepisc. Salisburgensi; Comperto vero istam Dignitatem a dicta Regula exemptam esse ob speciale Indultum per Clement. VIII. ejusdem Ecclesiæ Capitulo concessum, eligendi, seu nominandi Præpositum sub duplici conditione, Primo quod eligendus esset de gremio ipsius Ecclesiæ, qui residere deberet, 2 Et secundo quod electus infra sex menses teneretur provisionem Apostolicam accipere, vel saltem comparere coram Datario, & protestari sub pœna nullitatis actus ac devolutionis; Compertoque etiam quod Capitulum processisset ad electionem a majori parte non conclusam in persona Episcopi Argentini, qui neque infra sex menses comparuerat pro Apostolica provisione obtinenda; Hinc proinde per novum motum proprium idem Pontifex eandem Præposituram præmissis modis vacantem præfato Cardinali commendavit, cum autem executioni litterarum Apostolicarum se de facto opponerent tam Capitulum, quam electus, atque pro coloranda oppositione aliqua edidissent Jurisconsultorum Responsa manifestantia dictum Cardinalem ita violare velle Germaniæ concordata, seu Ecclesiarum privilegia, deindeque commissa esset causa in Rota cor. Cerro; Hinc proinde ex parte dicti Cardinalis de duobus requisitus fui; Primo scilicet de Responso pro veritate adversus dicta contraria Responsa ad effectum probandi, quod citra concordatorum ac indulti violationem, valide ac juste dicta Præpositura sibi commendata esset; Et secundo pro directione causæ, unde propterea dato Responso, atque laudando prosecutionem causæ in Rota, disputatione assumpta, datoque dubio, *An dicto Cardinali danda esset immissio*, eo proposito sub die 30. Januarii 1668. dilata fuit resolutio, neque causa ulteriorem progressum habuit ob subsequutam ejusdem Cardinalis mortem, quæ controversiæ finem dedit.

3 In hac igitur disputatione, ac in Responso ut supra tradito, quinque fuerunt puncti, Primo, an ista provisio Apostolica adversaretur concordatis Germaniæ; Secundo, an adversaretur dicto particulari Indulto hujus Ecclesiæ: Tertio, an electio per Capitulum facta esset invalida utpote a majori parte non conclusa; Quarto, ubi etiam eadem electio ratione formæ valida esset, an adhuc esset invalida ex defectu electi, qui ratione Episcopatus Argentin. ad residentiam eum obligantis, non poterat ad Indulti formam continuo residere in ista Ecclesia; Et quinto demum an factus esset locus devolutioni ob non obtentam, vel saltem, non petitam provisionem Apostolicam infra sex menses.

De primo, & secundo actum solum fuit in dicto Responso in ea regione publicando, ut satisfieret vulgo sinistram opinionem alias concipienti ex dictis contrariis responsis, ut supra publicatis, atque ad utrumque plana erat responsio, Ad primum scilicet, quod Concordata Germaniæ non solum non capiunt reservationem Regulæ quartæ, seu quintæ circa primas Dignitates, sed eam expresse excepiuant, ut passim cessantibus Indultis particularibus aliquarum Ecclesiarum, illæ providentur per Sedem Apostolicam, ita docentibus quotidiana praxi, eorumdemque concordatorum contextu.

4 Et quoad secundum, dicebam quod secunda provisio Apostolica sequuta ex capite nullitatis electionis, seu devolutionis ob non servatam Indulti formam, non solum eidem Indulto non adversabatur, sed potius illud ita præsuppositive confirmabat, juxta ea quæ a simili habemus in materia Jurispatronatus, quod provisiones Apostolicæ, vel Ordinariæ ex capite devolutionis ob non factam præsentationem in tempore, sive ob illam male factam, non adversantur juripatronatus, sed potius illud comprobant & confirmant, ut præsertim cæteris relatis advertitur per Rotam *dec. ult.* post Modernum Vivian. *de jurepatr. n. 3. repetit. dec. 63. p. 10. rec. eodem n. 3.* Buratt. *dec. 172. nu. 16.* & sæpius ut in sua materia *sub tit. de jurepatr.*

5 Major autem inspectio fuit super tertio puncto, an electio conclusa esset a majori parte, & in hoc inspecto tenore ipsius electionis plana erat negativa, dum ex 29. vocalibus, 12. tantum concurrebant in personam dicti Episcopi Argentini, aliis sparsim in diversas personas abeuntibus; Clarum enim ac absolutum juris principium est, quod ut electio dicatur conclusa, requiritur ut major pars ultra medietatem congregatorum in unam personam concurrat, quoniam major pars non judicatur comparatione minoris, sed computatis omnibus vocalibus congregatis juxta text. expressos *in c. Ecclesia vestra, & c. in Genesi, de electione*, ubi glos. Abb. & cæteri collecti per Barb. *in collect. ad d. c. Ecclesia vestra*, & per Add. ad Buratt. *dec. 809. nu. 10.* Duran. *dec. 232. nu. 2.* & passim Passerin. *de elect. c. 19. n. 18.*

Pro illo objecto evitando, in præfatis Responsis ut supra publicatis ante causæ introductionem in Rota, scribentes de partibus dicebant istam conclusionem alioquin 6 de jure veram, limitari ex consuetudine Collegiorum Germaniæ relata per Zipeum *in ejus novo jure Pontificio, tit. 3. de his quæ fiunt a majori parte Capituli*, cum quo simpliciter relato pertransit Valenz. *eod tit. nu. 4.* ut scilicet dicatur major pars comparatione alterius non curato computo omnium.

Scribentes vero in Curia in disputatione habita in Rota, omnino negligentes istud fundamentum, utpote nullo pacto sustentabile, insistebant in eo, quod cæteri vocales huic electioni non contradixerint, sed potius adhæ- 7 serint, stante mandato nomine Capituli dato ad petendam confirmationem, seu provisionem Apostolicam juxta doctrinam gloss. *in cap. sicut, de elect. in 6.* Abb. *in cap. quia propter, extra eod. nu. 11.* cum aliis per Rotam *dec. 22. nu. 27. & seqq.* post Tambur. *de jur. Abb. tom. 3.*

Prima responsio vere nullius momenti erat, ac potius irrisione quodammodo digna, unde merito Romanæ Curiæ Professores pro eodem electo scribentes, illam omnino neglexerunt; Tum quia dictus Doctor loquitur de Collegiis, ideoque ejus dictum verificabile remanere potest in Collegiis Scholarium, vel aliis similibus laicalibus ac privatis, in quibus ita ex Statutis, vel particulari consuetudine servetur, eo modo quo in plerisque Tribunalibus servari conjicimus; præsertim in Urbe in illo Cameræ Apostolicæ juxta exemplum, de quo *sub tit. de regal. disc. 117.* ideoque trahi non potest ad Capitula & Collegia Ecclesiastica vivere debentia juxta canonicas sanctiones; Consuetudinis enim natura nimium stricta, est intelligenda in suo casu præciso, ne- 8 que extendenda de loco ad locum, de persona ad personam, vel de casu ad casum, juxta ea quæ in terminis longe fortioribus habentur infra in Majoricen. canonicatus *disc. 30.*

Secundo clarius, quia DD. attestantibus de consue- 9 tudine non defertur, cum illa utpote facti probanda sit, etiamsi esset versatus in loco, juxta *dec. 2. & 3. de consuet.* & bene in terminis specialibus electionis Rota in Terveren. Abbatiæ coram Coccino *dec. 23.* post Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. repet. dec. 724. p. 4. rec. tom. 3. n. 17. & 18.* ubi habetur, quod semper Rota reprobavit opinionem tenentium credendum esse Doctori testanti de consuetudine, eo quia versatus esset in loco, vel in foro. Et generaliter Mantic. *dec. 357. n. 6.* Orthob. *dec. 194. n. 14. & seq. dec. 101. n. 14. p. 10. rec.* Quinimo neque defertur DD. attestantibus de decretis Sacr. Congregationis, vel de Constitutionibus Apostolicis, ut 10 firmatur in Sulmonen. distributionum 20. Junii 1653. & 11. Decembris 1654. coram Bichio, de qua causa habetur infra *sub tit. de Canonicis, & Capitulo, disc. 12.*

Et tertio quia ideo consuetudo habet vim legis, atque 11 apta est legem scriptam tollere, vel quia Principis potestas, qui legem tulit, derivat a populo, vel quia inter legis requisita illud est præcipuum, ut populi moribus recepta sit, ideoque ex contrario non usu, vel nunquam legis vim habet, vel tolli potest, ex plene collectis per Farin. *in fragm. verbo lex*, & per Adden. *ad dec. 20. n. 28. & seq. par. 3. rec.* ubi de illo consuetudinis requisito, quod eam inducentes talem habeant potestatem.

Hæc autem applicari non possunt sacris Canonibus, 12 vel alteri legi Pontificiæ, quoniam Papa non metitur ejus potestatem a populo, sed immediate a Deo, ideoque non pendet a populi usu, vel non usu ejus legum observantia, sed catenus in legibus Pontificiis admittitur obligatio ex non usu, quatenus usus contrarius ipsi Papæ cognitus esset ac toleratus, ut ita advertitur cæteris relatis per Rotam *dec. 194. p. 4. rec. tom. 2. n. 15. & seq.* & habetur etiam *sub tit. de censibus, disc. 1.* & alibi in proposito usus, vel non usus Constitutionis Pii V. super forma creandi census cum similibus.

Fortius vero ubi ageretur de Canone, vel Apostolica 13 Con-

Constitutione continente decretum irritativum, quod ita inficit quamcumque contrariam consuetudinem, imo impedit ne illa nascatur, ut in his specialibus terminis electionis ob non servatam formam *c. quia propter* per mixturam non Capitularium bene advertitur *d. dec. 23.* post Tambur. alias 574. *par. 4 rec. tom. 3. n. 26. & seq.* & generaliter late *dec. 400. p. 9. & dec. 199. par. 12. rec.* & frequenter.

14 Altera responsio data per scribentes in contrarium in Rota super dictæ electionis revalidatione ob aliorum consensum, continebat propositionem de jure veram in casu suo, non tamen bene applicatam ad istum, procedit enim quando eodem scrutinio durante, illoque non dissoluto, neque adhuc publicato, reliqui Vocales, qui in scrutinio in diversas abierant personas, per viam accessus adhærent illi, quæ aliquam notabilem votorum partem habeat, eo modo quo frequentius practicari videmus in omnium majori Summi Pontificis electione; Sive ad summum quod in ipso pariter actu non dissolutis comitiis, & non publicata electione, alii faciant actus implicite dictam adhæsionem, seu approbationem præseferentes; Dissolutis vero comitiis, nullaque existente publicata electione, utpote non conclusa a majori parte, subsequentes actus extra Capitulum, seu actum eligendi eam revalidare non possunt, ut clare deciditur *in dec. d. c. in Genesi, & c. Ecclesia vestra, de elect.* Calder. *cons. 1. de elect. cum concord.* per Rotam *dec. 184. n. 17. & 18. par. 10. recent.*

15 Quoad quartum punctum invaliditatis electionis ex defectu electi, inspectio erat potius facti quam juris, super intelligentia cujusdam dispensationis Apostolicæ ab ipso electo impetratæ; Et quoad quintum, casus devolutionis videbatur planus, dum in ipso Indulto expresse disponitur, quod provisio Apostolica infra tres menses obtineri debeat, vel Datario eam negante, aut eo differente, protestari coram Notario & testibus juxta cautelam traditam per Rot. apud Caputaq. *dec. 72. p. 2.* Et quamvis scribentes in contrarium deducerent doctrinam Hostien. *in c. quondam, n. 17. de jurep.* illa tamen extranea erat a casu, cum contineat solum excusationem

16 Capituli ob litem, vel aliud impedimentum a devolutione ob non factam electionem in tempore, quod nil commune habet cum his terminis; Nullum autem maturum judicium super præmissis efformari potuit, dum causa decisa non fuit, neque ulteriorem progressum habuit.

VICENTINA PRÆPOSITURÆ, SEU PAROCHIALIS, PRO EPISCOPO ILLIQUE ADHÆRENTE, CUM DATARIA, ET ADHÆRENTIBUS.

Casus disputatus coram Datario.

De eadem materia Regulæ quartæ, seu quintæ super reservatione primæ Dignitatis; Et quando dicatur constare de collegialitate, ad hunc effectum, ut Lectoria dicatur prima Dignitas, cadens sub dicta regula.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De signis generalibus collegialitatis.*
3 *De ultimo statu attendendo in beneficialibus.*
4 *Per spatium longissimi temporis intrat beneplacitum Apostolicum præsumptum.*
5 *De differentia ubi agitur de collegialitate, incidenter, & quando principaliter.*
6 *De differentia ubi agitur de collegialitate principaliter, vel incidenter.*
7 *Quod de signis generalibus, de quibus n. 2. non sit habenda ratio, & de ratione.*
8 *De dec. 240. Otthob. & illius casu.*
9 *De nuncupatione Capituli, & Canonicorum.*
10 *Sententia justificanda est ex actis, sine quibus non probat.*
11 *Fortius ubi sumus in prohibitis, & dantur similia.*
12 *Quod erectio Collegiatæ fieri non possit ab Episcopo.*
13 *Qualia sint signa univoca collegialitatis.*
14 *Status beneficii firmatur per annos triginta, vel quadraginta ad hunc specialem effectum.*
15 *Constitutio Urbani VIII. tollens beneplacitum præsumptum non procedit inter Ecclesias, & personas Ecclesiasticas.*
16 *Pro beneplacito præsumpto non sufficit lapsus temporis sine observantia, & quomodo ista esse debeat.*
17 *Præsumptio beneplaciti ex lapsu temporis tollitur ex contraria probatione, & quomodo.*
18 *Quales sint probationes tollentes hanc præsumptionem.*

DISC. XIV.

Cum ad præscriptum S. Concilii Trident. *sess. 24. de reform. c. 18.* vacante Ecclesia parochiali etiam in mense reservato, concursus fieri debeat coram Ordinario, cui conceditur prælectio, atque cum ejus litteris datur provisio Apostolica, ut de hujus concursus forma habetur pluries *sub tit. de parochis & parochiis*; Hinc proinde sequuta vacatione Rectoriæ Ecclesiæ Matricis N. cum illa spatio annorum septuaginta, & ultra, tamquam parochialis juxta dictam formam provideri solita esset, Episcopus in dicto concursu prælegit magis idoneum, cui petenti provisionem Apostolicam, se opposuerunt ejusdem loci Communitas; ac ille, qui petebat provisionem tamquam de prima dignitate in Collegiata, eique adhærebant Officiales Datariæ, cujus intererat hanc reservationem fixam, & continuam seu realem firmari; Cumque id penderet a puncto, an constaret necne de collegialitate, qua posita, de plano intrabat Regula, cum valor longe excederet decem florenos, idcirco assumpta desuper disputatione coram Datario. 1

Scribentes pro Communitate, & aliis allegantibus collegialitatem, plura deducebant ad eam probandam; Primo scilicet ea signa generalia, & vaga, quæ in infra allegandis decisionibus recensentur, nempe sigillum, arca, sindicus, consuetudo se congregandi, celebratio missæ conventualis, & similia ad hunc effectum ponderata per Mascard. & alios in iisdem infra allegandis decisionibus deductos. 2

Secundo plures enunciativas, usque ab anno 1447. cum subsequentibus super concessionibus emphyteuticis aliquorum bonorum, aliisque actibus, in quibus enunciatur Ecclesia Collegiata cum Archipresbytero, Canonicis, & Beneficiatis, enunciando etiam vocabulum Capituli.

Tertio magis in specie, ac stringenter adducebatur sententia Episcopi Stellæ lata de anno 1634. per quam ista Ecclesia declaratur Collegiata, atque sex antiqui Beneficiati declarantur Canonici, & quatenus opus cum Canonicatuum erectione, a quo tempore citra supponebatur fuisse semper in statu collegialitatis, ideoque dicebatur sufficere debere hunc ultimum statum de facto, juxta terminos text. *in c. consultationibus, de jurepatr.* ac ea, quæ apud Beneficialistas passim habentur super ultimo statu attendendo, ex deductis per Greg. & Add. *dec. 77. 112. & 434.* Buratt. & Add. *dec. 153. & 776. p. 5. rec.* & frequenter. 3

Eoque magis id procedere dicebant, stante quod post dictam sententiam lapsum fuerat spatium triginta annorum, per quod junctum cum observantia intrat præsumptio beneplaciti Apostolici, etiamsi dicta sententia pro nova erectione capienda esset, ut in his terminis individualibus, & super consimili erectione facta per Episcopum firmatur apud Otthob. *dec. 240. n. 11. & 13.* edita in causa Terdonen. de qua infra. 4

His tamen non obstantibus, scribens ego pro Episcopo, ac providendo ex Episcopi prælectione in concursu, tamquam de parochiali, dicebam in hac materia probandi collegialitatem, longam esse differentiam inter casum, in quo de illa agatur incidenter ad effectum præeminentiarum, juxta casum, de quo in Aliphana *sub tit. de præemin. disc. 8.* ubi de hac materia collegialitatis incidenter, Et casum, de quo de eadem collegialitate agatur principaliter, ac pro firmando statum Rectoriæ, sive Præposituræ ipsius Ecclesiæ, an remaneat in terminis parochialis providendæ per concursum juxta dictam formam Concili Trident. vel tamquam prima Dignitas in Collegiata cadat sub Regula quarta, seu quinta; Ad primum enim effectum non adeo perfecta, & concludens probatio requiritur, sicuti ad secundum; Potissime vero, ubi qui allegat collegialitatem, est actor, qui agendo veniat, ut infringeret provisionem sequutam, vel ad formam jam sequuti concursus sequendam, tamquam de parochiali juxta hujus statum, beneficium conferre solitum esse, Ut ultra generalia, quæ occasione præsertim filiationis, vel descendentiæ, ad effectum successionis cum similibus in foro quotidiana habemus super dicta distinctione probationis ejus, de quo principaliter, vel respective incidenter agatur; In his terminis specialibus cæteris relatis habetur apud Cavaler. *dec. 266. dec. 56. p. 5. rec.* in Venusina Archipresbyteratus coram Carillo inter suas *dec. 41. & 60. repetit. p. 7. rec. dec. 143. & 216.* & latius in Materanen. Archipresbyt. coram Corrado, *dec. 147. par. 10. recent.* in Pistorien. coram Royas inter suas *dec. 341.* in Placentina Archidiaconatus 5. Aprilis 1658. coram Albergato, in quibus omnibus, ac similibus agitur in specie de probatione collegialitatis ad hunc effectum; 5 6

& ge-

& generaliter de eadem probatione ad alium effectum habetur in Marsicen. *sub tit. de jurisdict. disc. 13.*

His igitur ita constitutis; quodque collegialitas, tamquam qualitas accidentalis, quæ in dubio non præsumitur ab allegante concludenter, ac perfecte probanda sit, ut præsertim (juxta consuetum stylum extensoris) ad nimiam satietatem firmatur *d. dec. 147. part. 10. recent.* & in aliis supra allegatis; Punctus erat, an ea quæ supra ad hujusmodi probationem deducebantur, sufficerent necne, stantibus potissimum aliis, quæ urgebant in contrarium, ut infra, ideoque singula dicta fundamenta examinando.

7 Quatenus pertinet ad primum fundamentum deductum ex signis, illud hodie post toties hujusmodi materiam ita discussam, solum, & de per se inter fabulas quodammodo reponi meretur, quoniam ut præsertim advertitur in dictis decisionibus Carilli, *& in d. dec. 147. par. 10.* ac discurritur in supra allegata Marsicen. *sub tit. de jurisdict. disc. 13.* omnes fere parochiales, ubi præsertim sunt unicæ matrices in loco, habent clericos, & capellanos nationales illi adscriptos pro Ecclesiæ cultu, ac Rectoris adjutorio, qui massam faciant, atque vulgo Capituli denominationem de facto habeant, sindicum constituant, Missam Conventualem celebrent, aliaque similia peragant, quæ proinde sunt absque dubió signa æquivoca, attenden-
8 da quidem pro adminiculis collegialitatis habentis alias probationes univocas pro iis supplendis, seu corroborandis; non autem, quod de per se sint alicujus operationis, ut etiam admittitur in dicta Terdonen. coram Otthob. inter suas *dec. 240.* ubi firmatur collegialitas ex principali fundamento antiqui instrumenti erectionis usque ab anno 1573. cum subsequuta observantia individuali circa ipsam provisionem Præpositurae usque a temporibus Greg. XIII. & Sixti V. provisæ tamquam de prima Dignitate, & in qua causa ego scripsi pro Riccio proviso ab Ordinario; Multo magis quia in hac facti specie plura ex dictis signis generalibus deficiebant, unde istud motivum potius poterat retorqueri.

9 Quo vero ad alterum deductum ex enunciativis, pariter illud erat æquivocum, quoniam ex pluribus aliis in facto ostendebatur istos esse Beneficiatos; qui vulgo, & per modum loquendi nuncupabantur Canonici, habendo in loco pro synonymis istos terminos Canonicorum, & Beneficiatorum, & præsertim id justificabatur de tempore, quo etiam pars adversa admittebat non adesse hunc statum collegialitatis.

Quare tota difficultas reducebatur ad tertium fundamentum deductum ex dicta sententia Episcopi de anno 1634 quæ magnam faciebat impressionem, & circa quam dicebam, decisionem pendere a puncto, an illa esset sententia lata in terminis justitiæ tamquam a judice super declaratione, seu canonizatione antiqui, ac naturalis status Ecclesiæ, vel potius lata esset per viam gratiæ tamquam per speciem novæ erectionis, ut aliqua ejusdem sententiæ verba innuere videbantur.

10 Ad hunc autem effectum dicebam necessarium omnino esse, quod illa sententia justificari deberet ex actis, Tum ex regula generali, quam quotidianam habemus, ut sententia debeat justificari ex actis, sine quibus nihil probat, neque statum firmat, ex deductis apud Greg & adden. *dec. 1.* Burrat. *dec. 283 n. 2. dec. 336. post 2. vol. consil.* Farin. *dec. 197. n. 11. & seqq. part. 5. rec* & sæpius.

11 Tum clarius, quia sumus in prohibitis, in quibus ne quod directe fieri non potest, indirecte sequatur, atque lex magis verbis, quam rebus imposita sit, omnino ac pernecesse talis justificatio requiritur, ne alias ita sub nomine sententiæ fiat nova erectio, ut in similibus terminis sententiæ latæ super canonizatione jurispatronatus habetur *dec. 199. n. 5 part. 2. divers. dec. 235. n. 4. p. 2. rec dec. 197 n. 50. & seq. p. 5.* & sæpius; Et in terminis dismembrationis ut sententiis, vel aliis assertionibus Ordinariorum non tu diferendum absque justificatione, apud Otthobon. *dec. 6 n. 13* late *dec. 224. part. 10. recent.* n. 7 & pluries.

12 Certum autem est istam materiam esse de prohibitis, quoniam ut advertitur in dicta Marsicen. *sub tit. de præeminentis disc. 13* quamvis antiquiores Canonistæ *in c. quoniam, de vita, & honestate Clericor.* tribuant Episcopo hanc potestatem erigendi Ecclesiam Collegiatam; Attamen Curia Romana constanter contrariam sequitur, ac inconcusse servat, ut scilicet non nisi Apostolica auctoritate id fieri possit; ut post Rebuff & alios, Lotter. *de benefic. l. 1. q. 14. n. 49.* ubi dicit ita fuisse decisum per Sacram Congregationem de anno 1626. adden ad Buratt. *dec. 912. n. 14.* Rota *dec. 99. n. 9. p. 7. rec.* atque ita docet quotidiana praxis, de qua præsertim in Messanen erectionis Collegiatæ *sub eadem tit. de præeminen. disc. 9.*

Multo magis, quia in contrarium urgebant; Primo 13
quod nullum dabatur hujusmodi antiquæ collegialitatis signum univocum, ut præsertim esse solet illud electionis Prælati, seu provisionis Canonicorum, juxta deducta *disc. 31. part. 10. rec & supra disc. 11.* ac alibi; Et secundo fortius, quia constabat usque ab anno 1573. istam Rectoriam solitam esse provideri per concursum, tamquam de parochiali ad formam Concilii, ita continuando per actus in temporibus proximis, de annis scilicet 1617. & 1630. & semper, quod casus vacationis contigit, unde aderat status annorum septuaginta quinque, cum ad hunc effectum inducatur præscriptio per annos triginta, vel quadraginta, ut punctualiter advertitur *in d. dec. 41.* Carilli, alias 143. *par. 7. rec. n. 2. & 3.* unde propterea propositio de ultimo statu potius retorquebatur. 14

Quo vero ad beneplacitum Apostolicum præsumptum 15
deductum ex lapsu triginta annorum post dictam sententiam, juxta punctualiter firmata apud Otthobon *dec. 240. n. 12.* advertebam revera istud fundamentum dupliciter non subsistere; Primo quia admittendo, quod ista præsumptio resultans ex dispositione juris communis adhuc vigeat, atque sublata non sit per Constit. 157. Urbani VIII. quoties agitur inter Ecclesias, & Ecclesiasticos juxta *dec. 713.* Dunozett. sæpius canonizatam, præsertim in Mediolanen. pensionis 10. Decembris 1664. Albergato, adhuc tamen absolutum est ad hunc effectum non sufficere solum lapsum temporis, sed præcise necessariam esse observantiam continuam,
pacificam, & univocam, ac non sufficere æquivocam, vel in- 16
terruptam, seu discontinuam ex deductis apud Otthobon. *dec 210* cum aliis in Acernen. *sub tit. de jurisd. disc. 24.* & frequenter in materia alienationis bonorum, vel jurium Ecclesiæ *sub tit. de alienat. & contractibus,* cum sit principium indubitatum; Ista vero observantia non aderat, sed potius erat in contrarium circa casum præcisum controversiæ, super provisione scilicet Beneficii, seu Rectoriæ, in quo principalis collegialitatis punctus consistere videtur, cum status, seu observantia, quæ post dictam sententiam deducebatur, referri posset ad honorificentiam, seu præeminentiam, quod scilicet in concursu aliarum parochialium, vel simplicium Ecclesiarum, ista in reverentiam dictæ sententiæ Episcopi habita esset tamquam collegiata, dum nullus concurrebat actus univocus, non nisi veræ collegialitati competens.

Præterea continet beneplacitum præsumptum, quod 17
resultat ex longissimo tempore juncto cum observantia, simplicem juris præsumptionem de facili elidibilem ex contraria probatione resultantem, vel ex infectione actus, quem verisimile non est Papam fuisse approbaturum, cum nunquam fictio, seu præsumptio intrare possit, ubi constat beneplacitum expressum ac verum adesse non posse; Vel ubi contraria veritas convinci potest ex revolutione registrorum aliorumque actorum, in quibus pernecesse beneplacitum adesse debet registratum, seu adnotatum, ut bene in Bononien. dismembrationis 22. Martii 1658. coram Verospio, in causa de qua *sub tit. de Paroch. disc. 35.* & sæpius,
quoniam ex dicta ratione est principium certum. 18

Utrumque autem recte applicabatur; Tum quia in iis, quæ sunt temporis recentis, præsertim in hoc sæculo, certum est registra Datariæ, & Cancellariæ diligenter teneri, & custodiri; Tum clarius ratione subjectæ materiæ; quoniam non agitur de provisione facta per Episcopum, quæ per Sedem Apostolicam approbari potuerit per simplex Breve, sive per rescriptum S. Congregationis Episcoporum, vel Concilii, quo casu difficile est, negativam convincere, quoniam hujusmodi Collegiatarum erectiones non conceduntur nisi ex gratia speciali, prævia solutione satis notabilis componendæ, & cum expeditione litterarum Apostolicarum, quarum registrum sine dubio non negligitur; Ideoque in dicta Terdonen. dicebam vere istud motivum esse fallax, ibique motivum, quod mihi inferebat difficultatem, erat illud status contrarii, & continuati per spatium annorum septuaginta circiter, univocum, ac præcisum ad effectum præsentis controversiæ, quod scilicet Præpositura conferri consuevit per Sedem Apostolicam, non ratione mensis, vel alterius accidentalis, seu discontinuæ reservationis, sed ex ista continua, & reali reservatione, tamquam prima Dignitas Collegiatæ, unde ea, quæ habentur *d. dec. 143. n. 2. & 3. p. 7. d. dec. 147. par. 10.* & in dicta Placentina coram Albergato, super ultimo statu attendendo, ac istius præscriptione, ita in eo casu assistere videbantur Datariæ, cujus oppositum erat in præsenti.

Et

Et in summa ista est quæstio potius facti quam juris ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda, ut de Canonizatione Collegialitatis ad hunc effectum patet in Reatina Archipresbyteratus 30. Maji 1670. coram Bevilaqua, de qua forte in supplemento, cum in ea causa ego scribebam.

MAJORICEN. BENEFICII, PRO GREGORIO REAL, CUM ANTONIO CIL.

Casus disputatus coram A. C. & resoluto pro Gregorio.

De regula octava, seu nona super reservatione mensium; An intret quando vacatio contingat in media nocte ultimæ diei mensis labentis; ita ut incertum sit, an in uno, vel in altero mense illa sequuta sit; Et quid ubi adest discrepantia horologiorum super pulsatione horæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod dies terminet in media nocte, qua sequuta incipiat altera dies.*
3 *De differentia inter diem, & noctem, & an detur medium remissive.*
4 *Cum dicta regula, de qua n. 2. proceditur in materia beneficiali ad effectum regulandi vacationem.*
5 *De punctualibus decisionibus editis in alio consimili casu.*
6 *Quod etiam in beneficialibus procedant regulæ generales inter actorem, & reum.*
7 *Ubi tempus est de substantia, tunc stricte ac precise debet justificari.*
8 *In dubio pro reo, & possessore.*
9 *Reservationes Apostolicæ an sint favorabiles, vel odiosæ remissive.*
10 *Forenses non debent assumere superfluas quæstiones.*
11 *De quæstione prelationis dandæ primæ provisioni remissive.*
12 *Plura horologia prævalent minoribus.*
13 *Quibus horologiis magis deferendum sit.*
14 *De differentia, an mensis, qui expirat sit Apostolicus, vel ordinarius.*
15 *Moribundus habetur pro mortuo.*
16 *De argumento jejunii, an violetur comedendo ante, vel post mediam noctem.*
17 *Resolutio causæ.*
18 *De alio casu & de cautela adhibita.*

D I S C. XV.

1 IN ultima die mensis Aprilis 1658. vacavit beneficium in Parochiali Ecclesia de Soler, quod per Episcopum Majoricensem jure ordinario, cum præsupposito quod vacaverit in dicto mense, qui ratione alternativæ erat suus, collatum fuit Gregorio Real cum subsequuta possessione; Cum autem Antonius Cil, cum præsupposito vacationis de mense Maji reservato, illud impetrasset a Sede Apostolica; Hinc expedito solito Brevi de capienda possessione nomine Cameræ, atque pro ejus exequutione introducta causa coram A. C. punctus disputationis videbatur potius facti quam juris.

Quamvis enim juxta mores locorum, ac diversarum Na-
2 tionum, sub quæstione sit; an, & de quo tempore computandum sit initium novæ diei incipientis, & consequenter finis diei labentis, & ex quo pendet, an in uno, vel in altero mense vacatio sequatur; Plerisque volentibus computandum esse a crepusculis vespertinis; Aliis a matutinis, quæ sub nomine auroræ, seu ortus solis explicari solent; Ac aliis a meridie, quod ut dictum est pendet a Provinciarum, seu Nationum receptis moribus; Attamen per jus Romanorum statutum est terminare, ac respective incipere in media nocte, ex cujus excessu etiam in momento resultat expiratio præcedentis diei ac initium sequentis juxta textus *in l. more Romano, ff. de feriis*, ubi gloss. & Doctores; Atque quidquid sit ad effectum actorum judicialium ac alios, ad quos considerari solet differentia inter diem & noctem, & an detur medium inter unum & alterum ex plene deductis per Eugen. *cons.* 48. & 63. *l.* 1. Antonell. *de temp.*
3 *legal. l.* 1. *c.* 3. & *alios*; In materia tamen beneficiali, atque ad præcisum effectum de quo agitur metiendi vacationem, an in uno, vel alieno mense sequatur, receptum est, procedi cum dicta regula text. *in l. more Romano*, ut per Rebuff. *in l.* 2. *ff. de verb. signif.* & *in tract. Nominat. q.* 16. *n.* 2. & *alibi*, Gonz. *ad reg.* 4
gloss. 11. *n.* 9. *cum seqq.* Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 1. *n.* 523. Barbos. *de Episc. alleg.* 57. *n.* 183. *cum seq.* ubi allegantur Rip. *de noctur. temp.* Castro Pal. & alii, & hanc sequuta fuit Rota occasione disputandi eamdem individuam quæstionem vacationis sequutæ in media nocte in Abulen. Portionis 17. Decembris 1645. coram Ghislerio, 14. Junii 1647. coram Celso, & 23. Junii 1648. coram Dunozett. 5
quæ omnes sunt registratæ apud Pasqual. *qu. moral. Canon. cent.* 4. *q.* 393. ubi de eodem puncto, de quo in dictis decisionibus, & quarum secunda coram Celso, est inter suas *dec.* 19. repetita *part.* 10. *rec. dec.* 76. & tertia coram Dunoz. inter suas *dec.* 804. Unde propterea in hac disputatione scribentes hinc inde concordabant in dicta theorica, sed sola discrepantia, ut dictum est, erat in applicatione, quæ pendebat ex circumstantiis facti, cujus potius quam juris quæstio erat.

Scribens igitur pro Gregorio proviso ab Ordinario reo & possessore, duas formabam inspectiones; Unam generalem, & ex regulis generalibus constitutam, quam solam sufficere dicebam ad ipsius possessoris victoriam resultantem ex denegatione exequutionis dicti Brevis; Et alteram specialem, ob quam etiam si disputaretur in bono jure, atque neutro possidente ageretur de dubio cuinam beneficium adjudicandum esset, adhuc pro eodem proviso ab Ordinario responderi deberet.

Quatenus enim pertinet ad primam, juxta distinctionem 6
latius traditam supra *disc.* 5. nimium refert in hac materia quisnam gerat partes actoris, vel rei, quoniam etiam in Beneficialibus recepta est vulgaris regula quod actori incumbit onus concludenter, ac perfecte probandi id quod est suæ actionis, vel intentionis fundamentum; Reo autem sufficit vincere per non jus, atque offuscare, dubiasque reddere actoris probationes ex auctoritatibus deductis *d. disc.* 5. ac habetur in supra allegatis Abulen. cor. Ghisler. Celso. & Dunozet. præsertim vero latius in secunda, dum enim actor venit 7
ex provisione Apostolica in vim reservationis resultantis ex tempore, quod propterea dicitur de substantia, atque in eo est suum jus, tunc illud concludenter ac precise probandum est, ut præsertim in *d. dec.* 19. Celsi *n.* 2. & habetur *disc. seq.*

Unde cum concordaretur in facto, quod ex tribus horologiis Civitatis, illud solum Collegii Societatis Jesu pulsasset horas vivente possessore, alia vero duo Cathedralis, & Conventus Sancti Dominici pulsassent considerabili tempore post expirationem, hinc proinde istud dubium sufficiebat reo, ut actor deficeret in salutari, atque non adesset illa concludens probatio quæ sibi incumbebat.

In idem etiam ponderabam ea, quæ generaliter habe- 8
mus, ut in dubio respondendum sit pro reo & possessore juxta tex. *in c. si a sede, de præbend. in* 6. cum concordantibus *in d. dec.* 804. Dunoz. *n.* 16. Atque ita cessabat 9
necessitas assumendi quæstionem, de qua apud Lotter. *l.* 2. *q.* 36. *n.* 7. *cum seq.* & Gonzal. *ad regul.* 8. §. 6. *proœm.* an reservationes Apostolicæ sint favorabiles, vel odiosæ; Incongruum enim est, atque potius scholasticorum quam 10
forensium, evagari super quæstionibus ad casum præcisum non necessariis, & quæ ex facto, vel ex aliis magis planis propositionibus evitari.

Et ex eadem ratione censui incongruum assumere aliam 11
quæstionem super qua multos cumulat Pasqual. *d. q.* 393. *n.* 4. super dispositionem text. *in d. c. si a sede*, & *c. dudum*, an scilicet quod dicitur de præcedenti provisione Apostolica præferenda, procedat e converso, cum cessaret hæc necessitas.

Quo vero ad alteram inspectionem, de qua ex judicis placito; atque ad ejus superabundantem satisfactionem actum fuit; Dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod ubi cessantibus præmissis, atque neutro possidente, æqualis esset contendentium conditio, adhuc meliores magisque concludentes essent hujus partis probationes super casu sequuto ante mediam noctem, & sic in mense ordinario, cujus expiratio imminebat, idque ex pluribus.

Primo quia ex tribus horologiis duo assistebant huic 12
parti, unde propterea intrabat ponderatio contenta *in d. dec.* Celsi & Dunoz. de duobus testibus prævalentibus unico, ut *in dec.* 804. Dunoz. *n.* 7.

Secundo ob horologiorum qualitatem, cum huic parti 13
assisteret illud Cathedralis dupliciter attendendum, quia parochia, & quia defunctus erat ejus Canonicus; Tertio assistebat depositio plurium infirmo assistentium, ac etiam publica vox & fama quod Canonicus obiisset in mense Aprilis. Quarto, quia justificabatur per testes stylus horologii Collegii Societatis Jesu pulsandi cum aliqua anticipatione;

tione; Et quinto, quia non de facili admittendum est mendacium, ac delictum Episcopi, ac etiam totius Capituli, quæ omnia simul juncta cum regula, *ut singula quæ non prosunt*, &c. rem in claris ponere videbantur.

14 Et ulterius observabam, longam satisque considerabilem differentiam, inter casum disputatum in Rota in dicta Abulen. & istum, unde propterea intrare dicebam argumentum text. *in Auth. multo magis*, *C. de Episc. & Cler.* quod scilicet si in eo casu decisum fuit in favorem provili ab Ordinario, multo magis in præsenti, in quo res erat in oppositum; Ibi enim mors sequuta fuit in media nocte distinguente mensem Augusti reservatum ac labentem, a mense ordinario Septembris incipiente. In præsenti autem casus erat in oppositum, quod scilicet mors sequuta fuit in media nocte distinguente mensem ordinarium Aprilis expirantem, a mense reservato Maji intrante.

15 Magna vero differentia est inter unum casum & alterum, quoniam cum possessor Beneficii in ipso mense Aprilis ad mortem infirmatus, in eodem sine dubio constitutus esset in agonia, & articulo mortis, ita ipse mensis videbatur quodammodo constitutus in possessione hujus mortis, quoniam moribundus atque in articulo mortis constitutus, pro mortuo potius, quam pro vivo habendus est, magisque de morte quam de vita participat, ex iis quæ ceteris relatis habentur per Phenut. *de moment. temp. c. 6. nu. 2. cum seq.* Polidor. Rip. *de act. in art. mor. c. 1. nu. 1. & 3. cum seq.* & insinuatur *sub tit. de dote*, *disc. 27.* Non quod ista mors ficta sufficeret ad vacationem beneficii ejusque tempus regulandum, cum sine dubio attendatur ipsum vacationis momentum; sed ad effectum ut aliqua major præsumptio in concursu probationis assisteret uni magis quam alteri mensi, itaut, per quendam modum loquendi, mensis Aprilis gereret personam rei & possessoris, ille vero Maji qui de novo ingrediebatur, gereret personam actoris, ita novum jus, novamque possessionem adipisci volentis, ad dictum effectum conflictus probationum.

16 Unde propterea argumentum jejunii deductum in dicta Abulen. quod ingeniosum dicitur per Rot. *in d. dec.* Dunozett. *in fin.* ita bene huic parti assistebat, & de qua materia violationis jejunii post mediam noctem habetur forte *sub tit. miscellaneo rerum Ecclesiast.* ideoque ex pluribus videbatur justitiam assistere proviso per Ordinarium, pro quo merito judicatum fuit cum sententia absolutoria, cui credo quod actor acquieverit, dum non audivi amplius actum de causa.

17

18 In hoc autem proposito, de anno 1628. seu 1629. cum adhuc in pupillari ætate in Civitate Salerni vacarem studiis institutionum, contigit adamussim idem casus Canonici constituti in articulo mortis circa mediam noctem ultimæ diei mensis labentis, unde cum sedes vacaret, Capitulum, quod ibi habet collationem in quatuor mensibus ordinariis, inhærendo monitis per Gonzal. *d. gloss. 11. n. 11.* adhibuit Notarium, ac testes ut moribundo assisterent cum pluribus etiam privatis horologiis ad dignoscendam majorem concordantiam, quatenus inter duo horologia publica aliqua adesset discrepantia, sed casus sustulit quæstionem, quoniam agonia adeo ultra protracta fuit, si memoria non fallit, quod extra dubium mors sequuta fuit in mense novo, vel e converso.

ANNOT. AD DISC. XV. & seq.

Agitur in his discursibus de regula octava, seu 9. super reservatione mensium, super qua nulla postmodum suppetiit occasio disputandi.

Decisio prodita in casu, de quo *disc. 17.* est inter illas Arguell. *dec. 34.*

Quoad concernentia materiam alternativæ contentæ *in disc. 17. cum seqq.* videri poterunt deducta *in hoc tit. disc. 126.* in quo agitur, an Episcopus possessor Ecclesiæ, in qua Cardinalis habeat indultum conferendi reservata, possit acceptare alternativam in præjudicium indultarii.

TURRITANA CANONICATUS, PRO GAVINO TOLA, CUM JOANNE PINNA.

Causa pendet in Rota.

Ad eandem Regulam octavam, seu nonam mensium; An attendatur mors naturalis, vel potius civilis per captivitatem; Et aliqua de probatione mortis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De stylo Rotæ in materia concessionis remissoriæ.*
3 *Mortuus in captivitate fingitur mortuus præambula hora captivitatis.*
4 *Ubi Episcopus sit captivus, Capitulum succedit in jurisdictione, seu administratione.*
5 *In materia beneficiali attenditur tempus mortis naturalis, etiam ipsius momenti rigore attento.*
6 *Mors civilis non venit sub nomine mortis naturalis, nisi in casibus a jure expressis.*
7 *Sub nomine mortis venit civilis, quando exprimitur a lege, secus si ab homine.*
8 *Regulæ Cancellariæ dicuntur continere dispositionem hominis, & cessare per mortem Papæ.*
9 *Dataria, & Cancellaria sunt organum Papæ, eorumque observantiæ deferendum est.*
10 *Mors, & obitus differunt, quia sub nomine obitus venit solum mors naturalis.*
11 *Declaratur conclusio, de qua n. 4.*
12 *Mulier habens virum captivum, seu alias inutilem habetur pro vidua.*
13 *Quod lex civilis non debeat attendi in materia beneficiali, & de legis civilis inventione.*
14 *Provisus Apostolicus ex capite reservationis ratione mensis tenetur concludenter, ac precise probare tempus mortis, ejusque momenti.*
15 *Quando rigorosa, & exacta probatio mortis requiratur, & quando non, puta si in captivitate, vel bello.*
16 *De regula, ut singula quæ non prosunt attendenda in probatione difficili.*
17 *De probatione mortis, & præsertim per epistolas.*
18 *An ex probatione sepulturæ resultet probatio mortis, ad affectum, de quo agitur.*

DISC. XVI.

Captus a pyratis infidelibus, Leonardus Sequy Canonicus Turritanus de mense Junii 1663. ob pestem crassantem in loco captivitatis, ad breve tempus obiit sub die 3. Julii sequentis; Cumque dictæ mortis fama ad dictam Turritanam Civitatem pervenisset, cum credulitate, quod sequuta esset in ipso mense Junii, Archiepiscopus Canonicatum prædictum contulit Joanni Pinnæ, supervenientis autem litteris, aliisque certificationibus quod obitus prædictus sequutus fuisset in dicto mense Julii reservato; Hinc proinde Gavinus Tola eumdem Canonicatum impetravit a Sede Apostolica, præsentatisque litteris Apostolicis Prælato executori in Curia, hic ex motivo non bene probatæ mortis in mense reservato, absolutoriam dedit Pinnæ possessori; Introductaque causa in Rota coram Bevilaqua, licet ego, etiam in sensu veritatis, crederem sufficientem adesse probationem, ad omnem tamen difficultatem tollendam, consului obtineri debere remissoriam pro melioribus probationibus, ut sequutum fuit, unde imminet disputatio dubii; *An litteræ Apostolicæ sint justificatæ, itaut sint exequendæ*; Verum quia altera parte se opponente remissoriæ concessioni, stylus notorius Tribunalis est per viam dubii id formiter disputare, atque decisionem super resolutis edere, ut patet ex tam copioso numero decisionum, quas passim in materia remissoriæ habemus, præcipuumque ac frequentius denegationis motivum solet esse illud irrelevantiæ; magis autem rarum est illud calumniæ, ut patet ex deductis in sua materia *sub tit. de Judiciis*; Hinc de irrelevantia opponebant scribentes pro reo, eo quia vacatio regulari potius deberet ex die captivitatis, quam non dubitabatur sequutam fuisse in mense ordinario, & consequenter quod nil referret, an mors naturalis in alio mense sequuta esset, sed motivum tamquam novum ac numquam disputatum, nec decisum reservatum fuit disputationi negotii principalis, atque non reputatum aptum impedire remissoriæ concessionem.

In his igitur disputationibus habitis, tam coram Prælato executore, quam in Rota dicta occasione remissoriæ, ac etiam in Informationibus editis pro imminente disputatione dicti dubii principalis, ultra justificationem aliorum narratorum in litteris Apostolicis, super quibus utpote in nudo facto consistentibus, frequentius soleant ac debeant esse partes causæ Patroni, non autem Advocatorum, (ex quibus tamen non desunt qui frequenter super his levitatibus cartas cum copiosissima inani allegationum farragine repleant)

pleant) duo erant puncti, Unus prædictus juris tantum,
an scilicet vacantia regulanda esset ex die captivitatis,
vel potius mortia naturalis; Et alter, partim facti, &
partim juris, super sufficienti probatione mortis in
mense reservato.

3 Quatenus pertinet ad primum, scribentes pro altera
parte, seu alii id motivantes, fundamentum constitue-
bant; Primo in dispositione juris civilis *in l. omnibus,
& l. seq. ff. de captivis & postliminio reversis*, *§. ab hosti-
bus, instit. quib. mod. jus patriæ potestatis solvitur*; utro-
bique communiter scribentes, quod scilicet moriens in
captivitate ex fictione legis Corneliæ fingitur mortuus
ipsa præambula captivitatis hora, ad quam mors natu-
ralis licet ex longo intervallo sequuto retrotrahitur.

4 Et secundo fortius, magisque stringenter in disposi-
tione juris canonici *in cap. si Episcopus, de supplenda ne-
gligentia Prælatorum in 6.* ubi disponitur, ut Episcopo
in captivitatem redacto, Ecclesia censeatur vacare, atque
jurisdictio ad Capitulum devolvatur, ut in specie ad-
vertit Rebuff. *in §. cum nulla, de concessione præbendæ,
columna 2. in fine*.

His tamen non obstantibus, scribens ego pro Tola pro-
viso Apostolico, etiam in sensu veritatis, absque principio
dubitandi, dicebam contrarium esse verius, quodque in
quacumque materia canonica, præsertim vero in ista bene-
ficiali attendi deberet tempus mortis naturalis per verita-
tem, ipsius etiam momento, seu instanti rigorose attento
5 juxta ea quæ habentur *disc. praeced.* super puncto mortis
sequutæ in nocte dividente unum mensem ab altero,
ad quod probandum plura adducebam fundamenta.

6 Primo receptam conclusionem, quod mors civilis num-
quam æquipollet naturali, neque sub ejus nomine venit,
nisi in casibus, in quibus ita reperiatur expresse in jure
cautum, Oldrad. *cons. 284. in fin. verbis*, Anchar. *cons.
273. in principio*, Joan. Monach. *in c. Episcopus, nu. 2.
de supplenda negligentia Prælatorum in 6.*, Fagnan. *in c.
perpetuas primo, n. 16. & seq. de simonia*, ubi tractat
de clerico simplici, vel beneficiato ad plures effectus,
Add. ad Buratt. *dec. 461. n. 18.* bene Rota *dec. 543.
n. 1. & seq. part. 2. rec.*

7 Secundo quia, ut patet ex eisdem auctoritatibus mox
allegatis, sub nomine mortis venire solet civilis, quando il-
la exprimitur a lege, secus autem ubi ab homine, unde cum
Regulæ Cancellariæ inducentes reservationes non clausas
in corpore juris, hominis potius quam legis dispositionem
contineant, Papæ scilicet pro tempore, qui eas edere so-
let pro solo tempore ejus vitæ, seu Pontificatus duraturas
8 & quæ per ejus mortem evanescunt, unde Sede Papali
vacante jus Ordinariorum revertitur ad primævos termi-
nos juris communis, exceptis reservationibus clausis in
corpore juris, sive affectionibus personalibus, ut pluries
supra; hinc proinde tamquam in dispositione hominis
mortem naturalem solum attendere debemus.

9 Tertio, Dataria & Cancellaria Apostolica dicuntur or-
ganum Papæ, cujus voluntatem explicant, ideoque ea-
rum observantiæ deferendum est, ut firmatur præsertim in
Sipontina Cathedralitatis 13. Janoarii 1659. coram Cer-
ro, & habetur in eadem Sipontina *sub tit. de præmi-
nentiis, disc. 2.* unde cum Dataria & Cancellaria perpe-
tuo vacationem ex tempore mortis naturalis regulare con-
sueverint, neque unquam detor casus providendi Benefi-
cia ex isto capite, hinc proinde dicebam quod ex hoc solo
fundamento punctus remaneret extra dubitationem.

Et quarto demum ponderabam observantiam ejusdem
Ordinarii collatoris in ipsamet collatione facta ipsi reo &
possessori, non per mortem civilem ex captivitate sequu-
tam, sed per mortem naturalem, super cujus probatione
per famam processum formavit; Ponderando etiam,
quod in hac materia beneficiali adhibetur frequentius
10 potius terminus, seu vocabulum *obitus*, sub quo sola
mors naturalis significari videtur, ad differentiam alte-
rius vocabuli *mortis*, sub quo tamquam latiori civilis
etiam venit, ut bene *d. dec. 543. n. 2. in fine par. 2. rec.*

Respondendo autem ad contraria, Quatenus pertinet ad
11 secundum fundamentum, quod utpote juris canonici ma-
gis existimandum videbatur, advertebam dictam Decreta-
lem *in c. si Episcopus, de supplenda negligentia Prælat. in 6.*
non declarare Ecclesiam per Episcopi captivitatem vere
viduatam, quoniam si ita esset, disponeretur eam de no-
vo pastore, vel sponso providendam esse, ne pati cogeretur
diuturnam vacationem, quam utpote Ecclesiis nimis præ-
judicialem sacri canones abhorrent, sed solum adhibet re-
medium provisionale; quod non solum intrat ob impedi-
mentum resultans a captivitate, sed etiam ex quocumque
alio accidenti, ob quod Capitulum suscipit Ecclesiæ admi-
nistrationem, ex iis, quæ habentur pluries *sub tit. de
jurisdict.* præsertim in Barcbinon. *disc. 54.*

Et licet in casu hujus impedimenti adhiberi videatur
ac soleat terminus viduitatis, attamen id provenit per 12
quemdam improprium loquendi modum, ad instar eo-
rum, quæ habemus in muliere habente virum captivum,
seu etiam deportatum, vel ad triremes condemnatum, aut
capitaliter bannitum &c. quod reputatur vidua, & gaudet
privilegiis de jure viduæ competentibus ex collectis per
Novar. *in tract. de elect. fori, sect. 2. qu. 49.* Ridolph. *in
praxi, part. 3. c. 4. n. 19. cum seq.* non tamen sequitur ma-
trimonium esse solutum, illamque vere viduam esse.

Et quoad alterum fundamentum deductum ex fictione
legis civilis, dicebam quod cum versaremur in materia
spirituali ac beneficiali, in qua habemus sacros canones & 13
Apostolicas constitutiones, ac regulas particulares, cum
istis, non autem cum jure civili procedi debet; potissi-
me quia jus canonicum non de facili admittit istas fictio-
nes, quæ continent mendacium quamvis non pecca-
minosum, a jure canonico potius adhorritæ videntur;
Atque altius materiam assumendo, ponderabam lega-
lem historiam latius ac distincte recensitam *sub tit. de
serv. disc.* 1. quod scilicet jus civile hujusmodi fictionum
inductivum de tempore Reipublicæ, vel Imperii Roma-
ni conditum, quamvis sub Justiniano compilatum sit,
attamen in his præsertim partibus Occidentalibus per
multa sæcula obliteratum fuit, atque post modernam in-
ventionem potius ex quodam populorum usu, ac Ponti-
ficiis decretis in casibus, de quibus canones non pro-
viderint, vel eorum dispositioni, aut rationi & intentioni
non adversetur, pro lege habetur, quæ receptio est longe
posterior sacris canonibus, ac forte etiam editione, seu
origine Regularum Cancellariæ, & consequenter pror-
sus improprium est, ut urgente in contrarium incon-
cussa observantia Datariæ & Cancellariæ Apostolicæ,
in materia beneficiali attendere debeamus istas juris ci-
vilis fictiones introductas de tempore, quo servorum
usus adeo magis frequens erat.

Quo vero ad alterum punctum justificationis mortis
in mense reservato, non negabam receptam conclusio- 14
nem generalem, cui innixus fuit executor, quod scili-
cet proviso Apostolico gerenti partes actoris adversus
provisum ab Ordinario reum & possessorem, incum-
bat onus perfecte & concludenter probandi reservatio-
nem tamquam suæ intentionis fundamentum, quodque
ubi vir est in tempore, illudque est de substantia, con-
cludenter ac præcise probandum sit ex deductis *d. disc.
praeced.* & in ibidem insinuatis decisionibus Abulen. co-
ram Ghislerio, Celso, & Dunoz. præsertim in illa
coram Celso, inter suas *dec. 19. n. 2.* quodque regula
de actore non probante etiam in beneficialibus proce-
dat, ubi ibi *& disc. 5.* ac alibi, & cum quibus gene-
ralitatibus dictus executor processit.

Dicebam tamen, etiam pro veritate, quod iste ri- 15
gor probationis congruus est ubi mors sequeretur inter
fideles, ubi servaretur dispositio S. C. T. super libro
mortuorum, seu quod alias mors probari posset per
testes, qui fuerint præsentes funeribus, vel morti in
propria domo sequutæ, cum similibus; Secus autem ubi
agatur de probando mortem in bello, vel in navigatio-
ne, sive in captivitate, aut tempore pestis cum simili-
bus casibus accidentalibus; tunc enim receptum est, mor-
tem etiam levioribus, ac adminiculativis probationibus
justificari, Crescen. *dec. 4. de except. n. penul. & fin.* bene
Add. *ad dec 666. n. 1 & 2. part. 3. div.* & generaliter Ma-
scard. *de probat. concl. 1075. n. 8 & concl 1075. n. 5.*
Sanchez *de matrim. l. 2 disp 46 n* 12. Farinacc *in frag-
men. verbo mors, n. 340.* Letter. *l. 3. q. 10. n. 54. &
seq.* & probat ad sensum ipse naturalis discursus.

Plura vero concurrebant, quæ simul juncta cum regula, *ut 16
singula quæ non prosunt &c.* attendenda in iis quæ sunt diffi-
cilis probationis, ut apud Caval. *dec. 93 n. 10. & dec 201. n. 1.*
& passim, constituere videbantur probationem omnino cer-
tam; Primo enim aderat epistola scripta per Comitem de
Bonarva concaptivum, virum qualificatum, ejus socero, in
qua narrando totam historiam captivitatis, ac status in quo
reperiebatur, distincte narrantur infirmitas, mors, & sepul-
tura dicti Canonici, ut de probatione per epistolam in spe-
cie *d. dec 666 part. 3 divers. l. 3.* huic enim epistolæ omni- 17
no deferendum esse dicebam; Tum quia viri qualificati
informatissimi loquentis de facto proprio, ac in statu mor-
tis imminentis, etiam postea subsequutæ; Tum etiam quia
nullum nec quidem excogitabile interesse habere poterat,
an mors in uno, vel alio mense sequuta esset, ideoque ces-
sante causa mentiendi, nullatenus admittenda est mendacii

præ-

præsumptio; eo modo quo in simulatione, vel falsitate habemus quotidianum.

Secundo aderat examen testium juxta morem obeuntium in captivitate factum coram Consule Christianorum in loco, absque eo quod pariter imaginabilis suspicio mendacii, vel subornationis cadere posset, dum apud Turcas, ac in tali statu nil interesset an mors uno, vel altero mense sequeretur; Et tertio aderant etiam testes formiter examinati in vim remissoriæ de auditu, ac etiam aliqui a captivitate reversi de visu.

18 Dicebant scribentes in contrarium in prima instantia coram Exequutore, quod cum testes ut supra examinati coram Consule Christianorum in loco captivitatis loquerentur solum de sepultura sequuta sub die 3. Julii, non concluderent mortem in eo mense sequutam, cum mors sequi potuerit mense præcedenti, atque ad aliquos dies differri sepultura, ut firmatur per Rotam in Sutrina parochialis 8. Junii 1588. coram Pluto, cujus particula registratur per Garz. *de benef. part. 11. c. 1. nu. 59.* Atque juxta tam damnabilem, ac perniciosum abusum attendendi doctrinas in sola littera, aliud non inquirendo, id fecit magnam impressionem; Sed reveta videbatur motivum irrisione dignum; Tum quia testes declarati remanebant a dicta epistola bene distinguente tempora, etiam cum minutis circumstantiis. Tum clarius ob omnimodam improbabilitatem, quod in Africa calidissima regione de mense Julii cadaver miserabile morientis in captivitate, & ex peste, retineri debuisset insepultum per tres dies absque excogitabili causa cui hæc mora referri posset; Casus autem dictæ decisionis est diversus; Tum quia aderat attestatio plurium dicentium mortem sequutam esse in die Sancti Silvestri, & sit ultima mensis Decembris; Tum etiam quia in regione montuosa, & inter Christianos, non adeo improbabile est ut tempore hyberno ad duos dies sepultura differri possit; Accedente etiam causa differendi, ut scilicet ita aspirantes ad beneficium diligentias parare possent, quodque eorum interesset beneficium esse potius reservatum, quæ omnia in præsenti cessabant. Verum hæc difficultas omnino sublata fuit in facto cum probationibus in vim remissoriæ.

NUSCANA CANONICATUS, PRO FABIO GOGLIA, CUM HONUPHRIO ZOINA.

Casus decisus per Rotam pro Fabio.

Ad eandem Regulam octavam, seu nonam mensium quando Ordinarius gaudet alternativa; An illa capiat beneficia quæ non sunt ad liberam Episcopi collationem, sed ad alterius electionem, vel nominationem; Et quando beneficia in Ecclesia Collegiata sint de una, vel altera specie.

De pluribus ad materiam Brevis de capienda possessione nomine Cameræ.

Et de ætate necessaria in Canonicatibus Collegiatæ, & cui incumbat cura animarum, & an istius mentio facienda sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Resolutio causæ.*

3 *Ubi causa commissa est in Rota, cessant omnes executores, ipsaque Rota exequitur & instituit, vel confert.*

4 *Alternativa capit solum Beneficia liberæ collationis, non autem ad aliorum electionem, vel collationem.*

5 *Canonicatus in Collegiatis conferuntur ad electionem ipsius Capituli.*

6 *Declaratur ut id non procedat quando Canonicatus sunt fundati de Beneficiis liberæ collationis.*

7 *Ista qualitas non præsumitur, sed est probanda.*

8 *Ubi etiam adesset, adhuc cessat si Papa id sciens, concedit hanc facultatem Capitulo.*

9 *De dispositione S.C.T. quod tollit jus electivum quando procedat.*

10 *De ratione ob quam collationes Ordinarii, vel alterius inferioris solent esse ratæ.*

11 *Quod in dubio sit respondendum pro exequutione Brevis, & de ratione.*

12 *Allegans limitationem qualificatam, debet probare qualitatem.*

13 *Executio invalida Brevis non tollit quin denuo executioni demandari possit.*

14 *An & quando secunda gratia debeat facere mentionem de prima, & quando id non sit necessarium.*

15 *An in Brevi de capienda possessione nomine Cameræ sit facienda mentio litis.*

16 *Non est facienda mentio curæ animarum in Canonicatibus, si cura incumbat Capitulo.*

17 *Idem de ætate quæ hoc non obstante in Collegiata sufficit 14. annorum.*

18 *Decretum apponi solitum in Brevi de capienda possessione super expeditione litterarum infra sex menses, quomodo sit intelligendum.*

DISC. XVII.

Sequuta vocatione Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Montellæ per obitum Pompei possessoris de mense Aprilis qui Episcopo alternativa gaudente, ex Apostolico effectus erat ordinarius, Episcopus illum contulit Honuphrio ejus familiari, Capitulum vero habens ex Indulto Apostolico Leonis X. in ipsa Collegii erectione jus eligendi ad Canonicatus vacantes, elegit Fabium, qui tamen cumulando titulos, provisionem obtinuit Apostolicam ex vacatione in mense reservato; atque obtento solito Brevi de capienda possessione nomine Cameræ, quidam suppositus ipsius absentis procurator in vim dicti Brevis, possessore non citato, neque servatis iis, quæ de jure, vel stilo servari debent, in possessione de facto se intrusit, (ut frequenter in partibus ex ignorantia contingit) unde propterea provisus ab Ordinario & possessor curavit committi causam in Rota coram Arguell. in quo statu ego in ipso primo initio susceptæ Advocationis, & forsan antea, desuper consultus, agnoscendo omnium gestorum invaliditatem, consului novi Brevis expeditionem, eoque præsentato in Rota coram eodem Arguelles, atque facta renunciatione dictæ possessionis, omnibusque subse- 1
quutis, datum fuit dubium; An Breve esset exequen- 2
dum, quod sub die 11. Martii 1647. affirmative resolutum fuit, dictæque resolutioni acquievit Honuphrius, unde propterea hæc provisio suum sortita est effectum, decisio vero desuper edita est hodie impressa *inter recent. part. 10 dec. 31.*

Exhibitum siquidem fuit Breve in Rota pro ejus exe-
cutione, quoniam licet hujusmodi Brevium consuetus 3
executor sit A. C. attamen illud est Rotæ peculiare, quod quando causa beneficialis in hoc Tribunali commissa, seu introducta reperitur, tunc cessent omnes executores, etiam illi, qui specialiter in litteris dati sunt, sed eorum loco succedat Rota, cum eadem facultate exequendi, vel respective conferendi, aut instituendi, omniaque alia gerendi, quæ executor, vel Ordinarius, aut alter collator, seu institutor facere posset juxta dispositionem *Clement. Auditor, de rescriptis*, Mant. *dec.* 122. *nu.* 2. *decis.* 398. *nu.* 1. *part.* 3. *recent. dec.* 279. *nu.* 5. 6. *& part.* 9. Et de cessatione cujuscumque executoris *dec.* 152. *n.* 3. *part.* 11. *rec.* & habetur infra in Firmana, *disc* 52.

In hac autem disputatione, ultra justificationem narratorum, nempe valoris, & clericatus, ac similium, de quibus, ut alias insinuatum est, utpote in nudo facto consistentibus, ad causæ Patronum agere pertinet; Quoad ea, quæ juris sunt, duæ fuerunt inspectiones; Una in meritis negotii principalis; an scilicet constaret necne de reservatione, in qua erat actoris fundamentum, ac Brevis, necessarium præsuppositum; Et altera super objectis, ex quibus scribentes pro reo possessore, posita etiam reservatione, dicebant Breve non mereri executionem.

Quatenus pertinet ad primum, non controvertebatur in-
ter scribentes hinc inde theorica, seu principio in ab- 4
stracto, quod alternativa, qua ex eadem Regula octava, seu nona Episcopis gaudere conceditur, ita ex quatuor mensibus obtinendo sex, suffragetur solum in Beneficiis ad ejusdem Episcopi solam ac liberam collationem; secus autem in iis, quæ ad aliorum collationem, vel præsentationem, aut nominationem, seu quamcumque aliam dispositionem pertineat, ut litteraliter disponitur in eadem Regula, & advertunt Gonzal. *ibid. glos.* 44. *nu.* 1. *cum. seq.* Rota apud Buratt. *dec.* 805. *n.* 1. *cum. seq.* & passim, quoniam, ut dictum est, assumptum procedit de plano, nullamque admittit controversiam, quæ propterea tota fuit super applicatione pendente ex hujusmodi Canonicatuum natura, & qualitate, an scilicet essent liberæ collationis Episcopi, vel potius ad electionem Capituli ipsius Ecclesiæ; Posita enim hac secunda parte, iidem scribentes dabant manus, quod alternati-

va non intraret, ideoque mensis Aprilis, in quos equu-
ra fuit vacatio, remaneret Apostolicus.
5 Ad docendum ergo de dicta electiva qualitate, duo
scribens pro Fabio deducebam; Primo scilicet dispo-
sitionem juris communis, quam aliqui deducunt ex
dispositione textus *in c. ex transmissa, de renunc. &*
c. significatum, de præbendis, & concord. ut in Ec-
clesiis Collegiatis, Canonicatuum, vel Beneficiorum
provisio pertineat ad ipsum Collegium, seu Capitu-
lum, Cassador. *dec.* 22. *de præben.* cum aliis per Garz.
de benef. p. 1. *c.* 4. *n.* 58. *& seq.* Rota *dec.* 157. *n.*
22. *p.* 6. *dec.* 133. *n.* 3. *part.* 7. *& in aliis*; Et se-
cundo ob Indultum Apostolicum Leonis X. concessum
de anno 1515. in ipsius Collegii erectione, quod esse
in usu ex hac parte in facto justificabatur.
6 In contrarium quoad dispositionem juris communis,
dicebatur illam procedere quoties militet ratio, cui ta-
lis conclusio innixa est, quia nempe Beneficia erecta,
seu fundata fuerint de bonis ac juribus ipsiusmet Ec-
clesiæ, cujus nomine ac vice ipsum Capitulum, seu
Collegium conferre, seu nominare dicitur, & cum quo
præsupposito procedunt superius allegati & alii, secus
autem ubi constat, ut in præsenti constabat, quod
Canonicatus erecti fuerint de beneficiis alias liberæ col-
lationis ipsius Episcopi, cum tunc cesset dicta ratio,
atque per novam erectionem hujusmodi, non alteretur
jus Episcopo quæsitum, neque ipsorum Beneficiorum
natura, ut advertitur præsertim *dec.* 600. *num.* 4 *part.*
2. *rec. & dec.* 43. *n.* 2. *&* 3. *part.* 6. atque motivum
7 erat solidum, dum de ista qualitate (quæ tamen in
dubio non præsumitur, ut in specie advertitur *d. dec.*
157. *n.* 25. *p.* 6. *recent.*) in facto bene docebatur.
Verum replicabam objectum tolli ex dicto Indulto
Apostolico concesso in limine ipsius erectionis, ex quo
patet, recte hujusmodi qualitatem Papæ innotescere,
dum ex beneficiis alias fundatis ac liberæ collationis
8 hæc erectio facta est, ideoque dubitandum non esse
dicebam de derogatione juris Episcopi, juxta *alleg.*
139. Lapi *n.* 7. *cum aliis*, *d. dec.* 43. *n.* 4. *p.* 6. *rec.*
& Rota admisit motivum utpote solidum ac probabi-
le, cum voluntas esset clara, de potestate vero Papæ
nefas esset dubitare.
Replicabant scribentes in contrarium d. Indultum
Leonis, ad quod in effectu tota illius partis defensio
restringebatur, fuisse sublatum per S. C. T. *sess.* 25.
9 *de reform. c.* 9. *vers. reliqui Patronatus*, atque in hoc
tota erat causæ difficultas.
Respondebam quod Concilium in hac parte se restrin-
git ad juspatronatus electivum, non autem tollit eligen-
di facultatem competentem de jure communi ut supra,
atque decisio admittit motivum; Quod tamen reflecten-
do ad veritatem, non videbatur tutum, cum illud recte
procedat, retentis terminis d. regulæ in dubio proceden-
tis, ut scilicet quod ob præsumptionem, ut canonicatus,
aliaque beneficia erecta sint de bonis ipsius Ecclesiæ, ita
ejus nomine per capitulum fiat provisio, vel electio, &
tunc responsio recte procedit, quod Concilium non per-
cutiat istum casum, hoc autem cessabat in facto ut su-
pra, & consequenter corruebat applicatio.
Solida vero ac tuta, etiam in sensu veritatis, vide-
batur altera responsio, quod Concilium substulit pa-
tronatus ex privilegio, per quod Ecclesiæ liberæ redi-
gerentur ad servitutem, secus autem ubi agitur de hu-
jusmodi indultis conferendi, seu eligendi concessis ca-
pitulis, vel Prælatis Ecclesiasticis inferioribus, juxta
declarationem S. Congr. Concilii, de qua in adnota-
tionibus ad idem *c.* 9. *n.* 6. *&* 8. Ideoque pro hujus-
modi indultorum validitate ac observantia Rota fre-
quenter respondere consuevit, ut patet *ex dec.* 240.
Greg. *dec.* 71. 113. *&* 226 *p.* 7. *rec.* Et multo ma-
gis quia accedebat observantia post ejusdem Concilii
publicationem, dum ex hac parte in facto docebatur
de aliquibus collationibus, una præsertim de anno 1605.
ab Episcopo illius temporis approbata; Licet enim
10 hujusmodi actus non essent multum frequentes: atta-
men id proveniebat a reservationibus Apostolicis, ob
quas, vel ratione mensium absorbentium duas partes
anni, vel ob accidentales, seu personales, in quocum-
que tempore sequantur, ubi præsertim modicus est ca-
nonicatuum numerus, collationes ordinarii, vel alte-
rius inferioris non de facili sunt frequentes, ideoque
circa istam primam partem clara videbatur reservatio.
Et nihilominus juxta distinctionem, de qua supra,
disc. 5. ut in istius causæ decisione enunciatur, sufficere dice-
bam (& Rota admisit) quod versaremur in dubio; Cum
enim mensis Aprilis regulariter sit Apostolicus ac re-
servatus, unde propterea intentio provisi Apostolici 11
absque alia justificatione fundata erat in regula: quam
provisus ab ordinario elidere prætendebat cum limita-
tione resultante ab alternativa, limitatio autem sit qua-
lificata, quatenus scilicet agatur de beneficiis liberæ
collationis; Hinc proinde qui se fundat in exceptione
seu limitatione qualificata, clare justificare tenetur ip-
sam qualitatem, quæ est suæ exceptionis fundamentum
ut late colligit Font. *de pact. claus.* 5. *gloss.* 1. *p.* 2. 12
n. 19. *& seqq.* Rota *dec.* 357. *p.* 10. *rec. n.* 24 & ad-
mittitur in *d. dec.* 5. retentis tamen terminis quod
regula assistat in contrarium.
Quo vero ad alteram inspectionem super objectis,
ex quibus, posita etiam reservatione, prætendebatur
locum non esse executioni Brevi; Objiciebatur primo
de illius executione jam sequuta ex vulgari regula text.
in l. boves, §. hoc sermone, ff. de verb. signific. Verum
nimium facilis fuit solutio ex solo facto, dum non
constabat de legitimo mandato in eo qui vice hujus 13
provisi dictos actus ita inutiliter gesserat; Et secundo
quia cum nihil ac nullum parificentur, actus nulliter
gesti non consumunt actionem juxta communem limi-
tationem, quæ traditur præfatæ regulæ desumptæ ex
l. boves, ut in hujus causæ dec. 31. *p.* 10. *rec. n.* 22.
ubi concordantes, & advertitur etiam supra in Mono-
polit. canonicatus *disc.* 10. solumque adversus ita inu-
tiliter gerentem actum, prætendi potest refectio expensa-
rum, vel damnorum, atque ita passim servat praxis in
processibus, ac actibus judicialibus nulliter gestis.
Objiciebatur secundo de expeditione alterius brevis,
unde propterea dicebatur istud secundum esse invali-
dum ex regula, quod secunda gratia facere debet men-
tionem de prima, alias est invalida ad text. *in c.* 2.
de fil. presbyt. in 6. *& c. veniens. de præscript.* ubi 14
Innoc. *n.* 4. late Abb. *n.* 13. *& seq.* Felin. *num.* 2.
Caputaq. *dec.* 118. *p.* 2. Sanch. *de matr. lib.* 8. *disp.*
22. Sed pariter facilis erat solutio, quoniam dicta re-
gula procedit quando secunda gratia continet quid di-
versum, secus autem, ubi super eadem gratia absque
illius alteratione, amissis, vel impeditis primis litteris,
aliæ obtinentur, quoniam tunc non est obtinere gra-
tiam novam, sed habere duplicatam expeditionem pro
ejusdem gratiæ executione ex deductis in hujus causæ
dec. n. 24. ubi enim secunda gratia est super eadem re
atque nihil plus continet quam prima, tunc regula
non intrat, ut per Abb. & alios *in d. c. veniens*, San-
ch. *d. disp.* 22. Rot. *dec.* 7. *p.* 5. *rec.*
Tertio objiciebatur de subreptione brevis ob non fa-
ctam mentionem litis; Verum & hoc de plano tolle- 15
batur ex eisdem quæ super isto motivo habentur in Rom.
beneficiatus S. Joannis *eod. supra alleg. disc.* 5. illud
enim breve expeditur in vim supplicationis signatæ de
tempore, quo non aderat lis, ut in hujus causæ deci-
sione advertitur, cum aliis deductis *d. disc.* 5.
Quarto objiciebatur de nullitate gratiæ ob non factam
mentionem curæ animarum incumbentis huic Ecclesiæ,
ejusque capitulo, seu collegio; Sed pariter objectum de
facili sublatum fuit ex iis, quæ me quoque scribente 16
(quamvis adhuc munus Advocati non suscepissem) firmata
fuerunt in Melphien. Cantoriæ, de qua infra, *disc.* 55.
Quinto objiciebatur de defectu ætatis dicti Fabii ad ob-
tinenda beneficia, quibus incumbat cura animarum, pro
quibus ad præscriptum S. C. T. necessaria est ætas habi-
lis ad sacerdotium intra annum suscipiendum; Sed pari-
ter erat leve objectum, quoniam receptum est id proce-
dere in beneficiis principaliter curatis, secus autem ubi
cura imminet habitualiter penes ipsum capitulum, seu
collegium, quoniam tunc singuli canonicatus non dicun- 17
tur beneficia curata, ut advertitur *d. disc.* 55 & conse-
quenter cum in canonicatibus collegiatarum sufficiat
ætas 14. annor. nulla exinde alteratio resultat, ubi sa-
cer ordo non est annexus, vel non incumbit ipsi cano-
nicatui exercitium curæ, in specie ætatis Barbos. *de Episc.*
alleg. 60. *n.* 71. Narbona *de ætate*, *qu.* 155. Ventrig. *in*
prax. rer benefic. adnot. 6. *§.* 1. *n.* 11. *&* 12. cum aliis in
hujus causæ *dec. fin. & infra disc.* 95.
Demum objiciebatur de non expeditione litterarum in-
fra sex menses a data supplicationis juxta decretum in hu-
jusmodi brevibus apponi solitum, sed erat etiam leve obje-
ctum; Tum quia istud decretum non continebatur in hoc 18
secundo breve, de cujus exetutione agebatur; Tum etiam
quia de receptostylo id intelligitur a die quo provisus pa-
cificam possessionem obtinuerit. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 15. *n.*
158. *& seq.* & in causæ decisione, atque ita passim servatur.

TAU-

TAURINEN. CANONICATUS, PRO JOSEPHO ANTONIO GILIO, C U M N.

Casus disputatus coram A. C. credo resolutus pro Gilio:

De eadem materia alienativae non capientis beneficia, quae non sint ad liberam collationem; Et quid ubi illa acceptata est mense jam coepto, an fiat ordinarius si erat Apostolicus, vel e contra fiat Apostolicus si erat ordinarius.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De conclusione quod alternativa non capiat nisi beneficia liberae collationis.*
3 *Si alternativa acceptetur mense Apostolico jam incepto, adhuc mensis continuat Apostolicus, & quid in casu converso.*
4 *Alternativa continet contractum inter Papam, & Ordinarium, & quid exinde resultet.*
5 *Contrarium verius in mense ordinario, quod si eo incepto acceptetur alternativa, fiat Apostolicus:*
6 *De ratione differentiae inter unum casum & alterum.*
7 *Dantur similes circa dictam inaequalitatem, seu claudicationem.*
8 *Ille mensis, qui ob non residentiam ratione alternativae factus est Apostolicus, perseverat talis etiam si Ordinarius redeat ad residentiam.*
9 *Non residens privatur beneficio alternativae cum amissione suorum mensium, etiam si absit ex causa justa, vel publica, vel si occasionaliter sit praesens.*
10 *De eadem conclusione, de qua n. 2.*
11 *Papa potest concurrere cum quolibet Ordinario collatore, illumque praevenire.*
12 *Id autem non solet, neque praesumitur, & quomodo id dignoscatur.*
13 *Quod Conc. Trid. non capiat jus electivum competens de jure communi.*

D I S C. XVIII.

1 Canonicatum cujusdam Ecclesiae Collegiatae Taurinen. ad electionem capituli ejusdem Ecclesiae provideri solitum vacantem de mense Martii, Ordinarius contulit Gilio, Alter vero illum impetravit a Sede Apostolica tanquam reservatum ob alternativam de eodem mense acceptatam; Et introducta causa coram A. C. occasione executionis brevis de capienda possessione nomine Camerae; Cum ejusdem Gilii defensores, seu consultores in partibus, ac etiam causae Patronus, ad evitandam reservationem, nimium ac principaliter insisterent, quod dicta alternativa supervenerat mense incepto, cupcrentque super eo quoque insisti; Hinc proinde scribens pro eodem, ut requirentibus morem gererem, advocati more illud motivum quoque deducebam, quod tamen ab initio insinuavi non subsistere; Solidum tamen, etiam in sensu veritatis, credebam alterum, ex quo puto quod pro eodem pos-
2 sessore judicatum fuerit, cum absolutoria, quod scilicet alternativa capiat solum beneficia liberae collationis, non autem ea quae providenda sunt ad alterius electionem, vel nominationem, &c. juxta deducta *disc. praec.* quae pariter in hac disputatione deducebam, cum idem esset casus, eaedemque intrarent rationes ac auctoritates.

Quatenus vero pertinet ad dictum punctum mensis incepti, deducebam argumentum in hac materia deduci solitum, & de quo pro ratione dubitandi punctualiter
3 in his terminis acceptationis alternativae factae de mense ordinario Septembris jam incepto deducta habentur in Oscen. Archidiaconatus coram Peuting. & Verospio *dec.* 49 117. & 299. *p.* 10. *rec.* quod scilicet quemadmodum receptum est, ac extra controversiam apud beneficialistas, ut sequuta alternativae acceptatione in mense Apostolico jam coepto, ille non desinat esse Apostolicus, sed perseveret in sua natura usque ad finem, alternativa non obstante, ita dici debeat in casu converso, ut mensis ordinarius in eo statu inceptus, perseverare debeat ob aequalitatem servandam inter contrahentes, quales dicuntur Papa & Ordinarius in hac ma-
4 teria alternativae, dum Papa ad alliciendum Ordinarium ad residentiam, sub illius conditione illi concedit duos menses ex Apostolicis, adeout ex quatuor alias sibi competentibus sex obtineat, e converso autem in casu non residentiae amittat duos ex suis quatuor sibi remanentibus Junio & Decembri, qui dicuntur menses ordinarii fixi, quinimo non desunt volentes, ut istos etiam amittat, ut infra, *disc.* 93.

Contrarium tamen est verius in isto casu converso, in quo alternativae acceptatio sequatur in ipso mense ordinario, qui in instanti efficitur Apostolicus, quamvis ille qui incepisset in statu Apostolici, in eodem statu usque 5
ad finem perseveraret, ex deduct. per Barb. *de canon. & dignitatibus, c.* 14. *n.* 24. *& de Episc. alleg.* 53. *n.* 38. *&* 41. Rota *dec.* 349. *n.* 1. *p.* 3. *rec.* cum aliis cumulatis in dictis Oscen. *dec.* 49. *&* 299. *p.* 10. *& d. disc.* 93. Ex ea differentiae ratione, ob quam recte substinetur claudicatio, quod non est aequalis hujusmodi contra- 6
hentium conditio super hujusmodi acceptatione, vel concessione respective, quoniam Papa volente ac declarante alternativam concedere, non tenetur Ordinarius illam acceptare. E converso autem Papa per ipsam regulam 8. seu 9. se declarat obligatum ad acceptationem, seu concessionem, eo ipso, quod Ordinarius acceptat; Ob hanc igitur inaequalitatem, juste receptum est, mensem Apostolicum jam coeptum retinere suam naturam, seu qualitatem jam impressam, non autem e contra, recteque intrare claudicationem, quoniam Ordinario imputari potest, cur actum tempore congruo non fecerit, anticipando, vel differendo, ac etiam quia aperiri posset via fraudibus ut imminente vacatione in mense Apostolico, Ordinarius mediante acceptatione alternativae illam captare curaret, atque hoc jure vivitur.

Ad quod a simili ponderabam ea, quae pluries habentur *sub tit. de empt. & vendit.* ac etiam *sub illo de serv. ad materiam retractus*, circa inaequalitatem, seu circa augmen- 7
tum medii temporis, quamvis intrinsecum, quod competere debet intermedio possessori, non obstante quod ejus titulus ex pacto retrovendendi, vel ex retractu legali, sive ex jure offerendi resolvatur tamquam ab initio, cum vi retrotractiva quoad hypothecas medio tempore contractas, aliasque effectus, ex dicta ratione inaequalitatis inter ipsas partes, quoniam jus redimendi, vel retrahendi, aut offerendi adinstar hujus acceptationis est voluntarium ex parte ejus, cui illud competit, ille vero, contra quem competit, ad id eum cogere non potest; unde alias resultaret fraus, seu inaequalitas, quod habens tale retrahendi jus, illud exerceret in casu augumenti, non autem decrementi, atque ita possessor, esset in damno absque spe lucri, quod admittendum non est.

Adeoque mensis Apostolicus jam inceptus continuat esse talis, quod si ob alternativae acceptationem jam sequutam, mensis alias ordinarius ob non residentiam, ut supra, efficeretur Apostolicus, ipsoque mense jam coepto Ordinarius rediret ad residentiam, adhuc men- 8
sis continuat esse Apostolicus, Lott. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 87. Rota apud Mar. Aud. *dec.* 110. *n.* 1. 17. *&* 18. in Calven. Parochialis 23. Junii 1642. Peuting. Stricte siquidem in hac materia alternativae proceditur circa residentiam, adeout si Ordinarius absit ex causa quan- 9
tumvis justa, etiamsi pro ipsius Sedis Apostolicae, vel Christianae Reipublicae servitio, puta in Nuntiatura, seu Legatione, &c. adhuc idem resultet effectus; Quinimo etiamsi de tempore quo sequitur vacatio ipse Ordinarius reperiretur in residentia, quae tamen esset occasionalis, non autem fixa, non suffragaretur, cum ita etiam dari posset aditus fraudibus; quod imminente vacatione redire posset, post casum secutum recessurus, ut in dicta Calven. parochialis coram Peuting. *& prius dec.* 98. *n.* 9. *p.* 7. *rec.* apud Greg. *dec.* 70. 163. *&* 239. *& in aliis, de quibus disc.* 63.

Cum autem in ista causa scribentes pro actore proviso Apostolico, de facili cum praemissis responderent ad dictum motivum alternativae acceptatae mense jam incepto, non possent autem respondere ad alterum solidum 10
ac inevitabile, quod immutatio mensium ratione alternativae non congrueret huic beneficio, quod non erat ad liberam Ordinarii collationem, sed ad capituli ejusdem collegiatae collationem, ex deductis *d. disc. praeced.* atque tamquam absolutum supponitur in eisdem supra allegatis *disc.* 49. *&* 299. *p.* 10. *rec.*

Hinc stante illa facti circumstantia, quod provisio Apostolica erat anterior in data, ad aliud recurrebant motivum de jure verum, sed de facto non applicabile, quod scilicet Papa tamquam Ordinarius Ordina- 11
riorum concurrere posset cum quocumque Ordinario collatore: illumque praevenire etiam in vacationibus alias ordinariis, atque ad id probandum pariter chartas alias copiosis allegationibus implebant; Verum quoque frustra, & cum inani labore ex defectu applicationis, quoniam Papa potest quidem id facere, sed non solet,

ſulet, niſi raru, & ex aliqua cauſa, atque ubi vult facere, adhibet quamdam ſpecialem ac diverſam conferendi formulam; qua non adhibita, ſed adhibita conſueta in proviſionibus reſervatorum, talis voluntas excluſa remanet, ut cæteris relatis habetur apud Buratt. *deciſ. 613. n. 4. & plenius deciſ. 25. part. 10. recent.* ac etiam apud Dunoz. *dec. 856. edita in Cæſaraugust. Canonicat.* de qua habetur actum *infra diſc.* 23. ubi de hoc puncto.

Controvertebatur etiam jus electivum capituli ex iiſdem objectis inſinuatis in ſimili caſu *d. diſc. præced.* ſed pariter objecta ſublata fuerunt cum eiſdem reſponſionibus magis de plano intrantibus in iſta cauſa, tum quia melius juſtificabatur quaſi poſſeſſio juris eligendi; Tum etiam quia non conſtabat, ut in dicto alio caſu, quod canonicatus eſſent erecti ex beneficiis alias liberæ collationis, quod in dubio non præſumitur, unde propterea jus electivum non reſtringebatur ad ſolum privilegium, cum quo intrare poſſet dubitatio, an caderet ſub revocatione Conc. Trid. quod ſine dubio non ca-
13 pit illud jus electivum, quod competit ex diſpoſitione juris communis, ut *eod. diſc. præc.* & in deciſione in eo caſu edita *part. 10 rec. dec. 31. n. 16. & ſeq.*

M A R I A N E N.
SEU ACCIEN. BENEFICII,
PRO CAPITULO MARIANEN.
CUM CAROLO ANTONIO ORNANO.

Caſus deciſus per Rotam pro Ornano.

De eadem materia alternativæ, An ſcilicet Epiſcopus duarum Cathedralium æque principaliter unitarum, acceptando alternativam ſub intitulatione unius Eccleſiæ, illam acceptaſſe cenſeatur pro utraque, vel ſolum pro illa, cum qua ſe intitulavit, altera remanente ſub diſpoſitione juris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſa.*
3 *Acceptatio alternativa probatur ex libro Dataria.*
4 *Beneficia reſervata, vel affecta uniri non poſſunt, & quando fieri poſſit unio.*
5 *Epiſcopus duarum Eccleſiarum unitarum poteſt acceptare alternativam pro una diœceſi, & non pro altera.*
6 *Eccleſia æque principaliter unita habentur pro duabus omnino diſtinctis.*
7 *Concurſus ad parochiales unius diœceſis fieri non poteſt coram Examinatoribus ſynodalibus alterius unita.*
8 *Poteſt Epiſcopus duarum Eccleſiarum edere leges diverſas pro una, & pro altera diœceſi.*
9 *De formula acceptationis, an ſit pro una, vel pro utraque diœceſi.*
10 *Dua Eccleſia unita, quoad Epiſcopum habentur pro unica.*
11 *De adminiculis, & præſumptionibus, quod acceptatio eſſet pro utraque.*
12 *An beneficia unius diœceſis uniantur capitulo alterius.*
13 *Unio eſt odioſa, & ſtricte, ac rigoroſe in ea proceditur.*

D I S C. XIX.

1 CUm Eccleſiæ Marianen. & Accien æque principaliter unitæ eſſent ſub uno Epiſcopo, iſte vero ſub ſola intitulatione Marianen. nulla facta mentione Accien modo quo infra acceptaſſet alternativam, eaque durante quodam beneficium vacatum de menſe Martii univiſſet menſæ capitulari Marianen. Ornanus autem illud tamquam reſervatum impetraſſet a Sede Apoſtolica: Hinc introducta cauſa in Rota coram Royas, Ornano ſolum informante, ob ſequutam mortem ejus, qui negotia capituli agebat,
2 duæ prodierunt eidem proviſo Apoſtolico reſolutiones favorabiles, quæ ſunt inter illas impreſſas ejuſdem Royas *deciſ. 373. & 423.* ad quarum deciſionum normam expedita ſententia, & introducta per appellationem cauſa in eadem Rota coram Corrado, utraque parte informante, ſub die 23. Januarii 1651. pro dictæ ſententiæ confirmatione reſponſum fuit, ut patet ex deciſione deſuper edita impreſſ. *part. 11. recent. deciſ.* 108 ad cujus normam expedita etiam ſententia, prodiit quoque tertia coram Bichio prævia brevi deciſione ipſo victore tantum informante, quæ habetur impreſſa *eadem part. 11. recent. deciſ.* 221. dum Capitulum ulteriorem proſecutionem neglexit.

In hac igitur unica diſputatione habita in ſecunda inſtantia coram Corrado, ex parte capituli, pro quo ſcribebam, non dubitabatur de acceptatione alternativæ, dum de illa conſtabat ex libro Datariæ, cui receptum eſt in hoc deferendum eſſe, *ut dec.* 349. n. 1. *part.* 3. *rec. dec.* 205. *n.* 2. *part.* 4. apud Buratt. *dec* 883 *n.* 2. 3
& ſæpius; Minuſque data menſis reſervatione ab alternativa reſultante, negabam ego dictæ unionis nullitatem, quoniam ut advertitur ſupra *in Januen. diſc* 6. & alibi, atque eſt recepta concluſio, quamvis Sacr. Conc. 4
Trident. in aliquibus caſibus concedat Ordinariis facultatem uniendi beneficia etiam reſervata, attamen id intelligitur de reſervatione diſcontinua & eventuali, quæ poteſt contingere & non contingere, ut eſt illa ratione menſium, priuſquam tamen caſus contingat, vel immineat, ſecus autem ubi agitur de reſervatione continua reali, vel perſonali, ſeu etiam de iſta diſcontinua, cujus caſus evenerit, vel immineat, ut etiam abunde deducitur in hujus cauſæ deciſionibus.

Quare ſolus punctus erat, an ex eo quod iſtæ Eccleſiæ eſſent æque principaliter unitæ, alternativa acceptata ſub nomine Epiſcopi Marianen. caperet beneficia alterius diœceſis Accien. iſta vero quæſtio in effectu erat magis facti & voluntatis quam juris, quod ſcilicet iſte 5
Epiſcopus facere voluerit; Ubi enim conſtaret de voluntate acceptandi alternativam pro una diœceſi tantum, & non pro altera, de poteſtate non erat dubitandum, quoniam expedire poteſt illam acceptare pro una diœceſi, & non pro altera, ut obſervat Gonz. *ad reg.* 8. *gloſſ.* 58. *n.* 22. atque tamquam abſolutum præſupponitur in Cæſaraug. coram Platto impreſſ. apud Garz. *de benefic. part.* 5. *cap.* 1. n. 706. ac etiam ſupponitur in hujus cauſæ deciſionibus.

Ut enim pluries habetur in hac materia duarum Cathedralium æque principaliter unitarum ſub uno Epiſcopo *ſub* 6
tit. de præem præſertim *in Ampurien. & Civitaten. diſc.* 7. ubi allegantur celebre *conſ.* 27. Mandoſ *& dec.* 330. Cavaler. & Gratian. *diſcept* 893. cum aliis ibi deductis, ac habetur etiam *ſub tit. de juriſd.* pluries, unio æque principalis operatur, ut quælibet diœceſis remaneat in ſuo primævo eſſe, ſuaque natura diſtincta, perinde ac ſi vere eſſent duæ diverſæ diœceſes, itaut una perſona materialis Epiſcopi habeatur pro duabus formalibus.

Idque adeo verum, quod ſi Epiſcopus duarum Eccleſiarum ita unitarum conſueverit diverſas ſynodos celebrare, concurſus ad parochiales unius diœceſis fieri non poterit coram Examinatoribus deputatis in Synodo alterius Diœ- 7
ceſis, ut in Frequentina nullitatis concurſus 15. Junii 1635. coram Coccin cum ſimilibus, & in ſpecie, ut idem Epiſcopus poſſit duas diœceſes ita unitas cum diverſis legi- 8
bus, & Conſtitutionibus gubernare, itaut leges editæ pro una non afficiant alteram, Alex. *conſ.* 114 n. 19. *lib.* 4. Socc. *conſ.* 79. *n.* 24 *lib.* 4. cum aliis in dicta ſua materia *ſub tit. de præem.* ac etiam *ſub altero de juriſd.*

Quatenus igitur ad dictum punctum voluntatis pertinet quando ſubſiſtentiam haberet præſuppoſitum agentium pro capitulo, quod ſcilicet in libro Datariæ diceretur Julius Epiſcopus acceptavit alternativam pro Eccleſia Marianen. tunc dicebam probabilius eſſe, quod 9
conſtaret de dicta reſtricta voluntate acceptandi pro una, & non pro altera diœceſi, dum ita verba videbantur clara. Verum in diſputatione compertum eſt, factum non aſſiſtere, ideoque mihi quamvis ſuccumbenti, juſtæ viſæ ſunt reſolutiones, quoniam inſpecto libro Datariæ diverſa erat formula, dum præcedebat titulus diœceſis, deinde autem ſubſequebatur nomen Epiſcopi, ibi Marianen. Julius Epiſcopus acceptavit &c. Et ſic intitulatio diœceſis poſita videbatur potius demonſtrative per gratiam ordinis juxta ſtylum, atque ex ejus credulitate deſumendo titulum ab illa Eccleſia, a qua forte tamquam majore, ſeu loco reſidentiæ Epiſcopus vulgo, ſeu de facto denominationem ſumit, eo modo quo advertitur in *d. Ampurien. ſub tit. de præem diſc.* 6. atque docet communis uſus, Ideoque cum Epiſcopus ſimpliciter abſque adjectu acceptationem fecerit, præſumptio eſt quod generaliter, ac indefinite id egerit pro utraque quoad eum habenda pro unica, ex iis quæ occaſione convocationis ad Synodum habentur *in d. Ampurien. diſc.* 7. *de præem.* & in aliis *ſub d. tit. de juriſd.* atque in hujus cauſæ deciſionibus, præſertim tertia coram Corrado *dec.* 108 *n.* 6. *part* 11. *rec.*

Accedentibus etiam pluribus adminiculis; Primo ſcilicet præſumptione generali, quod non docto de ratione diverſi-

11 diversitatis ob quam pro una, & non pro altera dictam
acceptationem facere voluerit, præsumendum potius est
quod pro utraque, ex axiomate quod una & eadem res
diverso jure censeri non debet, dum quoad ipsum Episco-
pum unica reputatur Ecclesia, atque unicum est regimen.
Secundo magis specialiter, ac stringenter, quia ut in
facto justificabatur in mensibus Februarii, Aprilis, &
Octobris, ita alternatis, beneficia hujus diœcesis Accien.
Episcopus in vim alternativæ contulit, cum observan-
tia dicatur optima interpres voluntatis ex collectis *d. dec.*
108. n. 10. & d. dec. 221. num. fin. part. 11. *recent.*
Et tertio (licet scribentes in contrarium id non dedu-
cerent, neque in decisionibus advertatur) magnam im-
pressionem apud me faciebat ipse actus individuus unio-
nis istius controversi beneficii unius diœcesis capitulo al-
terius, quod clare arguit, Episcopum habuisse istas
duas diœceses pro unica; Si enim illas habuisset pro
omnino diversis, eo modo quo ut supra lex fingit, in-
12 congruum erat ac irrationabile, ut beneficia unius diœ-
cesis capitulo alterius Cathedralis unirentur; Licet enim
de facto id quandoque practicetur, ut patet ex *Ampu-*
rien. & Civitaten. Archipresbyt. coram Bich. *dec.* 433.
part. 9 *& dec.* 351. *part.* 10. Attamen id provenit, quia
ob destructum actuale capitulum Civitaten. in reliquis
omnibus reputabantur pro una Ecclesia etiam quoad
electionem Vicarii capitularis, & alia ut patet ex *ead.*
Ampurien & Civitaten. d. disc. 7. de præemin.
Et quamvis ex hac parte circa observantiam plura de-
ducerentur in contrarium diversam voluntatem denotan-
tia, tamen ea distincte recensita *in d. 3. dec.* cor. Corra-
do *dec.* 108. *part.* 11. videbantur æquivoca, & non be-
ne concludentia, vel saltem præmissis non præponde-
rantia, dum tam specialia, quam generalia, magis ur-
gere ac stringere videbantur, potissimum vero quia ut
pluries infra habetur in materia unionis, est potius odio-
13 sa ac satis stricte intelligenda, ideoque de facili contra
eam in dubio datur judicium, & sic non agebatur de
simplici concursu inter duos provisos contendentes so-
lum de pertinentia, seu adjudicatione beneficii, quo ca-
su magis benigne proceditur, dum præjudicium non est
perpetuum, ac omnimodum Datariæ, vel Sedis Apo-
stolicæ, ut est in casu unionis, quæ proinde ex dicta
ratione odiosa reputatur, atque stricte, ac rigorose in
ea proceditur, ut infra pluries in materia unionis.

ROMANA CAPPELLANIÆ TOLLETANÆ, PRO ALOYSIO ARNOLPHINO, CUM BLASIO TESTA.

Discursus pro veritate.

De curialitate necessaria in possessore benefi-
ciorum Urbis, ad effectum, ut dicantur
vacare apud Sedem ac intret reservatio, Et
quando ille dicatur adesse.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Beneficia morientium in curia, vel intra duas dietas sunt reservata.*
3 *Fallit in beneficiis Urbis.*
4 *Sed quid si possessores decedant extra urbem intra districtum.*
5 *Declaratur conclusio, de qua n. 2. ubi agitur de curialibus & qui sint curiales.*
6 *Quod familiares Auditorum Rotæ sint Curiales.*
7 *An Papæ narrativa quod quis esset curialis, probet curialitatem.*
8 *An & quando narrativa Papæ probet, distinguitur.*
9 *De materia assertionis Principis, an ei credatur in præjudicium tertii remissive.*

D I S C. XX.

1 CApellaniam Toletanam in Basilica S Mariæ Majoris
vacatam de mense Martii per obitum Francisci Ma-
jæ capitulum, seu Canonicus Turnarius contulit Arnol-
phino cum subsequuta possessione, Dataria vero, ex præ-
supposita elevatione vacationis apud Sedem de ea pro-
vidit Testam, qui curavit se intrudere, non citato pos-
sessore, qui de facto curavit se confovere in possessione,
in qua continuavit & continuat, deferente Testa prose-
quutionem causæ in Rota coram Albergato, ubi ex reme-
dio jactationum ad instantiam Arnolphini possessoris
commissa fuit; Ex parte vero tam dicti Arnolphini,
quam capituli, seu Canonici Turnarii collatoris desu-
per pro veritate consultus fui.
Respondi, quæstionem esse potius facti quam juris,
ideoque certum ac tutum judicium dari non posse, cum
incertum esset, quænam ex parte provisi Apostolici fieri
possent probationes, ex quibus decisio pendebat super de-
functi possessoris præsupposita curialitate, qua non pro-
bata, fundata remanebat ipsius possessoris intentio, Quam- 2
vis enim ex dispositione *Extravag. ad Regim. & c. præsen-*
ti, de præb in 6. nulla data distinctione, an possessores sint
curiales necne, minusque data distinctione negotiorum,
seu occasionum, pro quibus ad curiam accesserint, atque
sive sequatur obitus in accessu, sive in recessu, beneficia va-
cantia per obitum in curia, vel intra duas dietas, etiam in
mensibus ordinariis, reservata sint, ut *dec.* 150. *par.* 6.
rec. & passim; Attamen id non procedit in beneficiis Ur-
bis, quoniam alias numquam daretur casus, quod jus con-
ferendi competens Archipresbyteris, & capitulis Basili- 3
carum & Cardinalibus Titularibus, aliisque collatoribus
ad effectum deduci posset, juxta tex. *in d. cap. præsenti,*
§. sane, de præb. in 6 Ægid. *dec.*655. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss,*
13. *n.* 18. *cum seq* Burat. & Add. *dec.* 540. *n.* 16. *&* 21,
cum seq. Rot. *dec.* 616. *p.* 4. *div. dec.* 9. *&* 429 *p.* 5. *rec.*
Romana benefic. S. Petri 14 Maji 1655. & 15. Maji 1656.
coram Bevilaqua & passim, cum sit principium absolu-
tum, ac extra controversiam, cadentem solum ab aliquo
moderno tempore in casu quo contingeret possessorem be-
neficii Urbis decedere extra eam, sed intra districtum,
quo casu, attentis regulis, ac rationibus generalibus,
probabilius idem favore inferiorum collatorum dicen- 4
dum videbatur, quasi quod idem sit decedere in Urbe ac
in districtu tamquam Urbis territorio ex iis, quæ haben-
tur *in Rom. canonicatus, disc. seq.* Verum cum casus dedis-
set sub Alex VII. quod possessor Beneficiatus S. Petri in
transitu per quendam torrentem prope Centum Cellas,
seu Civitatem Vetulam, aquis mersus obiisset, exorta ista
controversia (in qua tamen non scripsi) contrarium de-
terminatum fuit per declarationem, seu Constitutionem
ejusdem Pontificis, per quam tamquam legem claram,
cessat nunc omnis occasio disputandi.
Verum quia dicta conclusio de morientibus in Urbe li-
mitatur, ubi contingat possessorem beneficii esse curialem
in Urbe morantem occasione Curiæ, non autem tam- 5
quam in patria originaria, vel domiciliaria, & sub quo-
rum curialium nomine, seu Romanam curiam sequen-
tium veniunt, nedum Cardinales & Prælati, sed etiam
Judices, Advocati, Procuratores, Solicitatores, Nota-
rii, ac etiam Expeditores negotiorum Datariæ & Can-
cellariæ, qui sub vocabulo Solicitatorum apud Beneficia-
listas explicari solent, ex deductis per Mand. *ad reg.* 5.
q. 1. *n.* 18. *& q.* 3 *num. fin.* ad quem cæteri Beneficialistæ
communiter se remittunt, ut per Gonz. *d gloss.* 13. §. 1.
n. 19. Lotter. *lib.* 2. *q.* 32. *n.* 43. *& in supra allegatis dec.*
616. *part* 4. *div. dec.* 9. *&* 429 *part.* 5. Solumque alias 6
dubitatum fuit, an familiares Auditorum Rotæ dicen-
di essent necne curiales, quod tamen affirmative deci-
sum fuit in supra allegatis *dec.* 9. *&* 429. *part.* 5. *rec.*
Hinc proinde difficultas restringebatur ad factum, an
scilicet dictus Maja hujus capellaniæ possessor, ex ipsa fato
genere, seu personarum numero dicendus esset, cumque
esset Regnicola ex provincia Hydruntina, meusque ami-
cus, idcirco pro mea notitia credebam in eo non cadere
talem qualitatem; Licet enim ob ejus eruditionem, atque
tamquam non inter ultimos sui ævi poetas plurimum Car-
dinalium ac Magnatum gratiam haberet eorumque quan-
dam remotam familiaritatem, ita ex eorumdem muneri-
bus vivendo tamquam per speciem illius eleemosynæ, ex
qua frequenter Poetarum malum fatum eis vere conce-
dit, quoties in illa solum parte eorum professio consistat,
secus autem ubi sit ad aliarum scientiarum nimium com-
mendabilem ornatum, attamen nullatenus dici poterat
Advocatus, Procurator, Solicitator, vel actor negotio-
rum, dum aliorum etiam materia prima erat sibi ignota.
Difficultatem solum facere videbatur narrativa Papæ in
literis Apostolicis, seu Brevi de capienda possessione nomi-
ne Cameræ ad favorem d. Testa provisi Apostolici, dum 7
in eis prælatus Maja vocatur Curialis, ut ponderatur *in d.*
dec. 429 *p.* 5. *rec.* Verum non videbatur difficultas conside-
rabilis, tum quia a dicta decisione recessum fuit in dicta al-
tera *dec.* 9. *ad p.* 5 Tum etiam quia talis narrativa ibi pon-
derata fuit ad effectum decidendi juris articulum dubium;
Cum enim sub controversia esset supra insinuatus punctus,
an familiares Auditorum Rotæ caderent necne sub genere
Curia-

Curialium, atque esset punctus juris, idcirco non mi-
rum, si in iis, quæ juris sunt, Papæ declarationi de-
8 fertur; In iis autem, quæ consistunt in puro facto,
tunc narrativa Papæ in literis contenta probat, quan-
do agitur de gratia motu proprio, regulariter non in-
digente justificatione narratorum, atque Papa loquatur
de facto, seu scientia propria tamquam informatus, se-
cus vero in gratia ad partis supplicationem, atque su-
per sibi assertis, vel narratis; Tunc enim ut quotidia-
na praxis docet, necessaria est litterarum, omniumque
in eis narratorum justificatio, sine qua litteræ non me-
rentur exequutionem, ut ita distinguunt Gabr. *de prob.*
concl. 1. Gregor. & add. *dec.* 239. Burat. & add. *dec.*
175. *621.* & 708. & passim, cum nil in Curia frequen-
tius circa justificationem narratorum, sine qua, ubi ut
dictum est non agitur de gratia motu proprio, & su-
per iis de quibus ipse Papa dispositive loquitur ex pro-
9 pria scientia, non datur exequutio literis Apostolicis;
Et de assertiva Papæ, vel alterius Principis circa deli-
cta, vel alia habetur actum *sub tit. de regal. disc.* 148.
super materia potestatis principis tollendi jus tertii.

ROMANA CANONICATUS, PRO CARDINALI URSINO,

CUM DATARIA.

Casus disputatus coram Datario, de facto resolutus pro Dataria.

De regula septima, seu octava super facultate Cardinalium præsentium conferendi beneficia suorum titulorum; eamque denegante Cardinalibus absentibus, an scilicet dicatur præsens, vel absens ille Cardinalis, qui habens fixum domicilium in Urbe, de tempore vacationis casualiter reperiatur extra eam, sed intra districtum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De constitutione Alex. VII. ut Beneficiati Urbis extra ipsam morientes, etiamsi in districtu, dicantur mori extra.*
3 *Distinguuntur casus pro notitia materiæ ad æquivoca tollenda.*
4 *De quæstione Cardinalis absentis ultra duas dietas accidentaliter, ac cito reversuri remissive.*
5 *De alia ubi intra duas dietas ad terminos text.* In cap præsenti, de præbendis in 6.
6 *Curia Romana dicitur ubicumque Papa resideat, etiam si extra Urbem.*
7 *Quod aliud sit agere de duabus dietis prope Curiam, aliud vero de districtu Urbis.*
8 *De casu præciso quæstionis quod Cardinalis sit extra Urbem, sed in districtu.*
9 *Districtus Urbis dicitur ejus territorium.*
10 *De duplicitate personæ Papæ uti Papæ, & uti Episcopi Urbis.*
11 *Appellatione Civitatis venit territorium, seu districtus.*
12 *An ager Romanus & districtus differant.*
13 *Episcopus residendo in diœcesi dicitur satisfacere residentiæ.*
14 *Cardinales absentes ex causis justis non cadunt sub regula absentium.*
15 *De ratione ob quam privantur Cardinales absentes.*
16 *Cardinales in eorum titulis sunt Ordinarii & tamquam Episcopi.*
17 *Privatio juris alias quæsiti, & competentis, importat pœnam.*
18 *De ratione, ob quam Cardinalibus absentibus adimuntur ea, quæ alias competunt.*
19 *Quod constitutio Alexandri, de qua n. 2. non extendatur ad casum.*

D I S C. XXI.

1 Vacato Canonicatu Ecclesiæ S. Mariæ in via lata, cujus
collatio jure ordinario, absque controversia pertinuis-
set ad Cardinalem Ursinum titularem, quando ipse de tem-
pore vacationis repertus esset in Urbe, cum casualiter tunc
(& forsan pro servitio Papæ ac Sedis Apostolicæ) mora-
retur in oppido Bracchiani, orta est difficultas, an sibi ob-
staret regula septima, seu octava super Cardinalibus ab-
sentibus, cumque Alex. VII. desuper consuluisset Data-
rium, hine proinde coram isto, in forma tamen extrajudi-
ciali, de hoc puncto actum fuit, de facto deciso pro Data-
ria, quæ contulit canonicatum cum subsequuta effectuatio-
ne, ipso Cardinali ex prudentialibus motivis acquiescente.

Duo autem erant fundamenta officialium Datariæ, seu
scribentium pro ea, Primo scilicet in constitutione, seu de-
claratione ejusdem Alexandri insinuata *disc. prec.* super 2
morientibus extra Urbem, quamvis intra districtum, un-
de propterea desumebant ita fuisse jam determinatum, ut
existentes intra districtum existere dicantur extra Urbem,
& consequenter, quod reputandi essent absentes, non au-
tem præsentes; & secundo tractabant materiam cum ter-
minis text. *in cap. præsenti, de præb. in 6.* in proposito
duarum dietarum, se diffundendo in quæstionibus tracta-
tis per Beneficialistas, de quibus infra. de Cardinalibus 3
a curia absentibus gratia venationis, vel alia accidentali,
cito ad Curiam reversuris, in ea retinendo palatium ha-
bitationis, ac familiam.

Scribens ego pro Cardinali titulari, dicebam ad tol-
lenda æquivoca, quæ desuper cadere solent, reflecten-
dum esse ad distinctionem casuum, seu quæstionum in-
ter se diversarum. Primus enim casus est, ubi dicta ac-
cidentalis, seu occasionalis absentia esset ultra duas die- 4
tas; Secundus ubi intra duas dietas, sed in loco, qui
dici non possit districtus Civitatis, in qua Papa cum
ejus curia resideat; Et tertius, ubi Cardinalis reperia-
tur in districtu Urbis, seu alterius Civitatis, in qua
sit Papæ residentia.

De prima quæstione in terminis reg. 32. agit Gomes.
ad eand. reg. ubi argumenta hinc inde deducendo ni-
hil decidit. Melius vero post eum agit Mand. *in ead.*
reg. 32. *q.* 22. *ubi n.* 5. concludit probabiliorem esse opi-
nionem, quod Cardinales parum distantes ac cito re-
versuri tamquam accidentaliter absentes, præsentium
potius, quam absentium nomine contineri dicantur,
retractando alias dicta. Super hoc autem immorari
extraneum erat, tum quia non erat casus controver-
siæ. Tum etiam ob modernas additiones ad dictam Re- 5
gulam præfatis Auctoribus ignotas, ex quibus hodie
ista quæstio diversimode tractanda est, adhuc tamen ad-
vertebam rationes, ac fundamenta, quibus Mandos. uti-
tur ponderanda esse ad effectum applicandi ad rem.

In secundo intrat pariter quæstio tractata per eum-
dem Gomes. *d. reg.* 32. *q.* 17. & Mandos. *ad eand.*
q. 22. & *ad regul.* 7. *q.* 3. retentis tamen terminis d.
text. in *cap. præsenti*, quatenus agatur de duabus dietis
prope Curiam in genere, non distinguendo, an illa sit
in Urbe, vel in alia Civitate; Non semper enim Cu-
ria Romana præsupponenda est in ipsa Urbe, in qua
licet frequentius Papa residere soleat, attamen quando-
que in alia Civitate eandem residentiam habere con-
suevit, ut contingit in Civitatibus Avenionen. Urbe-
vetan. Florent. Viterbien. Perusin. Pistorien. & simili- 6
bus, juxta temporum conditiones, vel alias contingen-
tias; Ubicumque autem Papa resideat, dicitur Curia Ro-
mana, quamvis extra Urbem, atque ab ea longe, tum
ex vulgari dicterio, quod ubi Papa ibi Roma, tum etiam
quia sub nomine Ecclesiæ Romanæ venit Ecclesia univer-
salis, cujus Episcopus est Papa tamquam caput visibile to-
tius Ecclesiæ, ac Episcopus totius Orbis, contradistinctus
ab Episcopo Urbis, a qua ipsa Curia Papæ, seu Ecclesia
universalis denominationem accepit ob residentiam, quam
ibi fixit B. Petrus tanquam in Orbis tunc Gentilis capite ac
metropoli. Et sic recte dari potest casus moræ in loco exi-
stente intra duas dietas prope Curiam, & tamen non esse
in districtu illius Civitatis, in qua Papa cum ejus Curia re-
sideat, quia scilicet ille adeo se non protendat, ut frequentius
contingit; Ideoque omnia quæ per Beneficialistas tractantur
in terminis duarum dietarum ad materiam text. *in d. cap.*
præsenti extranea dicebam in casu & ad effectum, de qui-
bus agebatur, quoniam aliud est agere de loco intra duas 7
dietas, aliud vero agere de loco intra districtum Urbis,
seu alterius Civitatis, in qua resideat Curia Papæ.

Tertius igitur est casus præcisus, quod scilicet Cardina-
lis reperiatur in loco intra districtum Urbis, in qua juxta
frequentiorem contingentiam Papa cum ejus Curia resi-
deat, & tunc non intrant termini text. *in d. cap. præsenti* 8
super ficta præsentia, ut scilicet qui est intra duas dietas
habeatur ac si esset in Curia, sed dicitur adesse præsentia
per veritatem, quoniam districtus Urbis per 40. millia-
ria circum circa dicitur ejus territorium, ut probatur *sub*
tit. de Regalibus. disc. 72. & 94. ac etiam pluries
sub tit. de jurisdict. occasione agendi de cumulativa

9 jurisdictione etiam in prima instantia Gubernatoris &
Vicarii, ac etiam Senatoris Urbis intra districtum, ac
etiam advertitur *in Urbinaten. juris metropol. sub tit.
de praem. disc.* 1. & alibi, occasione considerandi in
Papa reduplicationem personæ formalis, quam ipse ge-
10 rit, unum scilicet Papæ tamquam Papæ, & Episcopi
Ecclesiæ Universalis, alteram vero tamquam Episcopi
& Ordinarii Urbis.

Si ergo districtus est territorium, exinde resultat
quod ubi alias expresse cautum non est in contrarium,
existens in territorio dicatur esse præsens in Civitate,
sub cujus nomine, quoties non constat de præcisa re-
11 strictione intra murorum ambitum, seu alium recin-
ctum, venit totum territorium, ut bene in his termi-
nis specialibus advertit Lotter. *l. 2. q. 35. n. 23. & 25.* &
generaliter colligunt Mantic. *de conject. lib. 9. n. 15.* Giz-
zar. *dec. 24.* Rovit. *dec. 12.* apud quos concordant; quo-
niam est juris principium certum; Idque comprobat et-
iam ipse naturalis discursus, quoniam in eodem genere
territorii non datur plus & minus, atque alias seque-
retur quod etiamsi Cardinalis de tempore vacationis
esset in villa, seu vinea prope Urbem, idem resultaret,
quod utique est absurdum.

Et quamvis ex quadam vulgi opinione, territorium
Urbis reputetur illud, quod explicari solet sub nomine
agri Romani, ut advertitur *d. disc. 94. de reg.* attamen
12 id nullam habet subsistentiam, nisi quando subjecta
materia ita exigat juxta casum, de quo *eodem tit. de
reg. disc. 72. et in eodem disc. 94.*

Unde propterea in fortioribus terminis residentiæ E-
piscopi apud suam Ecclesiam, quæ est magis præcisa,
utpote de jure divino tamquam Pastoris pascentis oves,
habemus quod licet debeat saltem pro majori parte an-
13. ni, sive aliquibus temporibus residere in Cathe-
drali ex deductis in *Acerren. sub tit. de jurisdict. disc.
24* attamen ut habetur ibi, & in *Tirasonen. eod. tit.
disc.* 22. ac in aliis, passimque apud Beneficialistas oc-
casione residentiæ necessariæ ad effectum alternativæ,
residere dicitur Episcopus quamvis extra Civitatem, vel
locum Cathedralis in qualibet parte diœcesis, quoniam
sufficit non esse extra illam, & quia tota diœcesis est
territorium spirituale Cathedralis, unumque ac idem
corpus individuum.

Clarius vero ex duplici consideratione, Primo quod
per eandem regulam excipiuntur, atque pro præsenti-
bus reputantur Cardinales absentes pro servitio Sedis
Apostolicæ, vel occasione residendi in proprio Epi-
14 scopatu, sive alias de licentia Papæ, ergo non requi-
ritur præsentia præcisa, & vera, tamquam per spe-
ciem interessentiæ, sed inspicitur an absentia sit lici-
ta, vel illicita.

Secundo in idem, quia privatio Cardinalium absen-
tium inducta est ex eadem ratione, ob quam respecti-
15 ve Episcopis conceditur alternativa, vel tolluntur men-
ses proprii, ut scilicet alliciantur ad residentiam, at-
que non deserant Curiam Papæ cui assistere debent,
ut advertit Lotter. *d. l. 2. quæst. 2 num. 8.* ac adver-
tunt communiter Beneficialistæ ad materiam *reg. 32.*

Tertio fortiter, quoniam Cardinales Titulares in eo-
rum titulis sunt ordinarii & tamquam Episcopi ex deduct.
eod. tit. de jurisdict. disc. 34. & latius *in duplici discept.*
16 Card. de Albicis *impr. sub eod. tit. de jurisd. in fin.* & sic
habent jus conferendi, non ex gratia & privilegio parti-
culari ita qualificato, sed de jure communi ac ordinario,
17 unde quando regula septima, seu octava reservat benefi-
cia alias pertinentia ad collationem Cardinalium in eo-
rum titulis, vel Basilicis ratione absentiæ, id agere vide-
tur tamquam per speciem pœnæ, quam semper importare
dicitur privatio juris alias quæsiti, & competentis jure di-
stinguendi a jure quærendo, ex deductis per Mantic. *de-
cis.* 300. Gregor. & Add. *dec. 225. n. 13. & 20.* cum aliis
quæ ita distinguendo habentur pluries *sub tit. de fideic.*
præsertim *in Neapol. disc.* 134. & consequenter debet esse
absentia talis, quæ redoleat speciem delicti; Sed quidquid
sit de hoc, quoties dici possit vera absentia, istius termi-
nus non cadit quando quis est in territorio, ut supra.
Atque alias advertebam, quod si Papa esset (ut quando-
que solet) in Arce Candulfi, vel Tusculi, aut alio loco,
Cardinales in Urbe morantes dicendi essent absentes a Cu-
ria Papæ, quæ dicitur esse ubi ipse est; Ideoque spectari
solum debet finis, vel effectus, qualis est ut Cardinales,
18. tam in cappellis & Congregationibus, quam in aliis oc-
casionibus sint prompti obsequio ac servitio Papæ, quod
recte adimpletur per morantes in districtu ita occasionali-
ter, & in illis diebus & temporibus in quibus functiones
non urgeant, eisque etiam ex improviso urgentibus ad-
huc prompte occurrunt, ideoque iste finis, seu effectus
attendendus est, neque intrant dicti termini duarum
dietarum, cum sint longe diversi.

Ad argumentum vero deductum ex dicta altera Consti-
tutione, seu declaratione Alexandri VII. reverenter ut de-
cet, deferendo auctoritati summi Pontificis, qui volens pot- 19
est etiam dictas facultates ordinarias, vel indultarias præ-
sentibus tollere; Respondebam cum vulgari, ac recepta
propositione quod in odiosis non datur extensio de casu ad
casum, quodque si Papa ibi potius, quia sibi placuerit,
quam quod de juris censura, voluit ita decernere, non ex-
inde inferendum est ad istum casum, aliquam etiam diver-
sitatis rationem habentem, cum ut dictum est, ista sit spe-
cies pœnæ ac privationis juris ordinarii, non autem adem-
ptionis, vel modificationis gratiæ ac privilegii, ideoque re-
flectendo etiam ad solam veritatem, mihi videbatur quod
Cardinali Titulari bonum jus assisteret, attentis etiam ri-
gorosis juris regulis; Multo vero magis attentis illis con-
gruentiæ, dum dicta mora extra Urbem non erat causa
venationis, vel recreationis, sed potius pro servitio Sedis
Apostolicæ, unde quando etiam fuisset extra districtum,
adhuc intrare debuisset exceptuatio absentium de licen-
tia Papæ, vel pro servitio Sedis Apostolicæ.

ANNOT. AD DISC. XXI.

De facultate, & jurisdictione Cardinalium in eorum titulis videantur deducta *sub tit. de jurisd. disc. 34. & discept.* Card. de Albicis impress. *sub eodem tit. de jurisdict. in fine.*

Et de provisione facienda per Cardinalem titularem habetur *in hoc tit. disc.* 111.

Et aliqua circa *regul.* 32. de consensu Cardinalium habentur *disc. 141. eodem tit.*

LEODIEN. CANONICATUS, PRO JOANNE GERMEA, CUM ÆGIDIO PASQUOT.

Casus decisus per Rotam pro Ægidio.

De reservatione, vel affectione resultante ex appositione manuum Papæ, an intret, quando illa sequuta est eadem die, in qua Ordinarius, sequuta vacatione, contulit idem beneficium, itaut incertum sit, qualis esset anterior, vel posterior; Et an pro dicta affectione justificari debeat gratia Apostolica super resignatione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod quandoque mors teneri soleat occulta.*
4 *Ubi resignatio est invalida non abdicatur jus a resi-
gnante, ex cujus persona vacatio sequitur.*
5 *Materia probationum est judici arbitraria.*
6 *In iis quæ sunt fundamentum intentionis, non ad-
mittitur probatio præsumptiva.*
7 *In concursu provisionis Apostolicæ, & ordinariæ:
si non constat quæ sit anterior, prævalet Aposto-
lica, & de ratione.*
8 *Declaratur conclusio, de qua num. praecd. quomodo
procedat.*
9 *Etiam in beneficialibus procedit regula de actore
non probante.*
10 *Mors, vel vita probari debet per allegantem, &
non admittitur præsumptio centum annorum.*
11 *De defectu gratiæ resignationis ob non justificatam
clausulam,* dummodo habeat aliunde, *non oppo-
nit tertius.*
12 *An & quando resignatio nulla abdicet jus a resi-
gnante remissive.*

D I S C. XXII.

Mathiss possessor Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ S.
Odæ oppidi Amanien. mandatum dedit ad illum
resignandum in manibus Papæ ad favorem Joannis, Cum- 1
que casus dedisset, quod sub eadem die 30. Augusti, in qua
signata fuit supplicatio resignationis, ac præstitus consen-
sus ordinarius ob vacationem per obitum ipsa die sequu-
tum, eumdem canonicatum contulisset Ægidio; Joannes ve-
ro agnoscens resolutum titulum resignationis ob regulam

de

de viginti, eundem canonicatum impetrasset a Sede Apostolica tamquam affectum ob oppositionem manuum Papæ, Hinc proinde introducta causa in Rota coram Bourle-
2 mont sub die 11. Junii 1662. pro Ægidio prodiit resolutio, neque quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit.

Resolutio prodiit magis ex facto quam ex jure, quod scilicet ex facti circumstantiis diversis, atque hinc inde colluctantibus probationibus, Rota censuit probabilius constare obitum dicti Matthiæ sequutum fuisse ex die 29. adeout appositio manuum Papæ sequuta esset re non integra, quod præsertim deducebatur ex eo, quod eadem die 29. de mane prohibitus fuisset accessus utriusque medici, carnalis, & spiritualis, quod verisimiliter sequutum non esset, nisi infirmus fuisset defunctus, ita tamen curando tenere mortem occultam usque ad diem 31. ut perfici potuisset actus resignationis, qui sequi debebat cum reservatione pensionis ad favo-
3 rem nepotis defuncti, ponderando exemplum Liviæ occultantis mortem Augusti, & Agrippinæ illam Claudii.

Et ulterius decisio desuper edita progreditur, quod scilicet ob non justificatam gratiam resignationis tam circa valorem, quam circa clausulam *dummodo resignans haberet aliud vivere*, cessare dicitur voluntas Papæ, ac propterea habita resignatione pro infecta, ac non extante,
4 beneficium vacare dicatur per obitum resignantis, Mand. *in reg. de ann. quæst.* 8. Rot. *dec* 1. *de rer. permutat. in novis* apud Coccin. *dec* 338. *n.* 5. Burat. *dec.* 830. *n.* 12. Merlin. *dec.* 214. *num.* 3. Otthob. *dec.* 106. *n.* 8. *&* 9. & habetur pluries infra ad materiam resignationis.

Cum igitur punctus reduceretur ad factum, ac probationes, quarum relevantia, seu præponderantia con-
5 sistit in arbitrio judicis ad celebrem text. *in l.* 3. *ff. de prob. cum concord.* Hinc proinde, cum unica præsertim disputatione super dicto facti fundamento, non de facili judicium efformari potuit; Quatenus vero pertinet ad ea quæ juris sunt, mihi licet scribenti pro proviso Apostolico succumbente, videbatur ex alio solidiori fundamento dictam resolutionem ad favorem possessoris substineri posse, non autem ex jam dicto argumento possibilis, seu præsumptæ mortis sequutæ de die, præcedenti & occultatæ, quod leve videbatur, tum ob resistentiam regulæ, quod delicta in dubio non sunt præsumenda, tum etiam ex altera, quam retinet Rota
6 & Curia, ut in iis quæ sunt fundamentum intentionis actoris, non admittatur probatio præsumptiva ex deductis per Add. ad Gregor. *dec.* 53. Rot. *dec* 101. *n.* 3 *part.* 5. *rec.* & frequenter, potissime dum potius erat suspicio, quam præsumptio, atque in contrarium efficaciores præsumptiones, ac fortiora argumenta urgere videbantur, quia nempe cadaveris recognitio per Ordinarii officiales facta non esset nisi sub die 31. ac sepulturæ traditum die 1. Septembris, unde cum non fuisset balsamo conditum, improbabile videbatur, attenta temporum conditione, quod ita per tot dies occultum teneri potuisset, quamvi cum ipso id obtineri valeat; Dicebam enim, quod quicquid esset de prædictis ac aliis argumentis ex hac parte deductis denotantibus mortem sequutam non esse, ut supponebatur, nisi eadem die 31. vel in nocte diei 30. jam decursi, illa saltem sufficiebant ad destruendum dictum contrarium argumentum, ut propterea firma remaneret, ac prævalere deberet provisio Apostolica.

Quando enim concurrunt duo actus contemporanei eadem die sequuti cum incertitudine, quis esset prior, & quis posterior, tunc prævalet actus Apostolicus, ex ea ratione,
7 quod in collationibus, seu actibus Ordinariorum viget mala præsumptio antidatæ, juxta text. *in cap. si a Sede, de prab. in* 6. Gonzal *ad regul.* 8. *§.* 3. *proœm. n* 50. *&* *n.* 11. *cum seq.* *&* *n.* 147. *cum seq.* Unde propterea conjungendo simul dictam malam præsumptionem juris contra Ordinarium, cum dictis aliis argumentis, ac præsumptionibus facti, quibus illud argumentum accedebat, inverisimilis moræ provisi ab Ordinario in capiendo possessionem canonicatus in ipsa die 31 de sero, cujus horæ incongruitas etiam arguebat, quod mora non fuisset ex electione, vel negligentia, utique hæc omnia prævalere videbantur præfatæ levi suspicioni possibilis occultationis mortis, & consequenter resolutio ex hoc fundamento non multum satisfaciebat.

Ea tamen mihi, quamvis scribenti pro succumbente, placuit ex altero fundamento pro meo sensu solidiori, quod scilicet dicta conclusio ut gratia Apostolica in concursu provisionis Ordinarii, quando incertum est, qualis sit anterior, vel posterior, prævalere debet, procedat neutro possidente, & quando uterque veniat agendo, secus autem uno eorum
8 possidente, quoniam tunc potior est conditio rei & possessoris, ut clare disponitur in eodem *cap. si a Sede*, & cæteris relatis Gonzal. *d. §.* 3. *proœm. n.* 51. *& seq.* Dunoz. *decis.* 804. *n.* 16. Ex ea clara ratione, de qua supra in Romana beneficiatus S. Joannis *disc.* 5. & in Majoricen. 9
disc. 15. quod scilicet etiam in beneficialibus procedat regula de reo vincente per non jus actoris, & ex defectu probationum; Ideoque cum fundamentum intentionis provisi Apostolici actoris consisteret in eo quod de tempore signatæ supplicationis, ac præstiti consensus (unde resultat perfectio actus, per quem intrat appositio manuum Papæ) viveret resignans, neque vacatio adhuc sequuta esset, sibi incumbebat onus id probandi.

Ubi enim vita, vel respective mors, per aliquem allegatur tamquam suæ intentionis fundamentum, tunc illa debet probari, & non admittitur præsumptio, et- 10
iam illa, quæ urget pro vita usque ad 100. annos, vel urget pro morte post centesimi lapsum, Cavaler. *dec.* 344. *n.* 1. *&* 2. Gregor. & Adden. *decis.* 228. & passim.

Minus placebat alterum supra insinuatum decisionis fundamentum non justificationis gratiæ resignationis circa expressionem valoris, sive ob non justificationem clausulæ, *dummodo habeat aliunde &c.* quoniam de ista non opponit tertius, sed solum ipse resignans, ut apud Rojas *dec.* 492. *n.* 12. *dec.* 313. *n.* 13 *part.* 11 *rec.* Et quoad malam narrativam valoris, dici posset quod ista 11
nullitas utpote culposa tollit jus a resignante, ex iis quæ circa istam nullitatem in specie habentur infra in 12
Hispalen. beneficii *disc.* 35. Ideoque solum placebat dictum proxime insinuatum fundamentum, ob quod ab initio juxta stylum dixi me sentire non levem difficultatem contra requirentem.

ANNOT. AD DISC. XXII. cum seq.

Super iis quæ principaliter disputata fuerunt in sequentibus discursibus defuit occasio postmodum disputandi.

Decisio emanata in casu, de quo *dis.* 22. *est impress. part.* 13. *recent. decis.* 480.

Decisio coram Bich. *prodita in disc* 23. est inter ejus impress. *decis.* 583. Et altera coram Zarat. *decis.* 96.

Altera decisio coram Zarata enunciata in casu, de quo *disc.* 26. est inter ejus impress. *decis.* 88.

Ultima ex decisionibus insinuatis in *disc.* 27. *est impress. decis.* 291. *part.* 15.

Duæ ultimæ decisiones proditæ in casu, de quo *disc.* 29. habentur impressæ *dec.* 261. *part.* 14. *&* *dec.* 266. *part.* 15.

GÆSARAUGUSTANA CANONICATUS,
PRO GREGORIO ALAJETO.
CUM DIDACO HIERONYMO SALA.

Casus decisus per Rotam pro Gregorio.

De concursu Papæ in conferendo cum Ordinario collatore beneficia liberæ collationis, quando censeatur, vel soleat ista potestate uti, atque Ordinarium prævenire.

An & quæ censuræ adimant potestatem conferendi beneficia; Et an prolatis censuris contra majorem partem dignitatum & canonicorum capituli collatoris, aliquibus exceptis, dicatur in istis residere jus capituli, quod etiam a minori numero sit repræsentabile circa jus conferendi; Vel an istud jus impedito capitulo per censuras, consolidetur in Episcopo habente simultaneam, vel aliam participationem in conferendo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Papa tamquam Ordinarius Ordinariorum potest concurrere cum quolibet Ordinario collatore, & conferre beneficia ordinariæ collationis.*
4 *Ista tamen voluntas cessante justa causa non præsumitur.*
5 *Generaliter de non præsumendo voluntatem Principis tollendi jus tertii.*
6 *Quomodo dignoscatur, an Papa voluerit conferre tamquam de reservato, vel jure ordinario præveniendo inferiorem.*
7 *Ubi adest aliqua causa, ad istam collatio est referenda, ideoque causa est verificanda.*

8 *Licet appositio manuum Papæ causet affectionem, cessat si id fuit ex falso præsupposito.*

9 *Jus capituli, vel alterius corporis universalis, aliis impeditis, residet penes paucos non impeditos, etiam unum pro jure conferendi.*

10 *De aliis a simili in Civitatibus, aliisque corporibus.*

11 *Declaratur conclusio, de qua supra, num. 9. quomodo intelligatur, & procedat.*

12 *Etiam innocentes afficiuntur interdicto Civitatis, vel alia censura universali, & quomodo eorum exceptuatio intelligenda.*

13 *De ratione ob quam exceptuatio innocentium non tollat censuram corporis universalis.*

14 *Quando dicantur censuræ singulares contra capitulares, licet enunciretur nomen capituli.*

15 *Levia sunt motiva fundata in formalitate verborum.*

16 *Ille, qui fecit actum bene, potest illum declarare in casu ambiguæ voluntatis.*

17 *Pro debito pecuniario non possunt relaxari censuræ contra corpora universalia.*

18 *Qualitas censurarum regulanda est a causa, pro qua inflictæ sunt.*

19 *In Papa non datur ignorantia eorum, quæ sunt juris, ideoque sufficit narrativam verificari de facto.*

20 *Quando adest causa, licet de per se non sufficiat ad tollendum jus conferendi, solet movere Papam ad concurrendum cum Ordinario.*

21 *De eadem conclusione, de qua n. 19.*

22 *Suspensio tollit jus conferendi beneficia, secus autem interdictum, & respondetur contrariis.*

23 *Fortius in capitulis & corporibus intellectualibus, & de ratione.*

24 *Censurato capitulo, an jus Episcopi ratione simultaneæ, vel devolutionis sit considerabile.*

D I S C. XXIII.

1 PEr Bullam sæcularizationis Ecclesiæ Cæsaraug. divisis mensibus super jure conferendi canonicatus & beneficia, inter Sedem Apostolicam, ac Regem Catholicum Patronum, divisi etiam fuerunt quatuor menses ordinarii inter Episcopum & capitulum, cuilibet assignando duos menses, ut ita tollantur dissensiones oriri solitæ a simultanea, & tamquam per speciem turnariæ divisionis: Ex duobus autem mensibus capituli est ille Septembris, in quo de anno 1648. secuta vacatione canonicatus dictæ Ecclesiæ per obitum Joann. Maulli. cum tunc contra capitulum ejusque dignitates, & canonicos, exceptis aliquibus paucis, qui se parere promptos obtulerant, Rota relaxasset declaratorias ob non paritionem ejus mandatis relaxatis in causa, de qua in Cæsaraugust. distributionum *sub tit. de Canon & Capit.* Hinc proinde Gregor. Alajetus, cum narrativa tam indulti prædicti, quam dictæ declaratoriæ obtinuit de isto canonicatu provideri a Sede Apostolica; Capitulum vero post dictam provisionem illum contulit Didaco Hieronymo Salæ, unde propterea commissa ad instantiam provisi Apostolici executione literarum in Rota coram Dunoz datoque dubio, an literæ essent exequen-
2 dæ sub die 30. Maji 1650. negativa prodiit resolutio de qua *dec.* 856. inter illas ejusdem Dunozet. ad cujus unicæ decisionis normam expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota coram Albergat. sub die 16. Junii 1653. contrarium, pro infirmatione scilicet dictæ sententiæ ac executione literarum responsum fuit, & expedita sententia, commissaque causa appellationis coram Bich pro hujus secundæ sententiæ confirmatione ad favorem provisi Apostolici responsum fuit sub die 4. Februarii 1654 *impress. dec.* 14. post Tond. *de pens.* expedita quæ pariter sententia, & commissa denuo causa in eadem Rota coram Bevilaqua pro istarum sententiarum confirmatione responsum fuit sub die 26. Junii ejusdem anni 1654 atque prolata tertia sententia, & commissa denuo causa per plenam Signaturam in eadem Rota coram Cerro, cum solita clausula, *constito de tribus*, pro executione responsum fuit sub diebus 9 Junii & 4 Augusti 1655 *impress. decis.* 43. & 88 *part.* 12 *rec.* Verum proviso per capitulum possessore non acquiescente, adita fuit Signatura, quæ denuo cum clausula, *ut ad legitimam*, commisit causam *in ead.* Rota *coram Zarata*, coram quo sub die 19. Januarii 1656. responsum fuit favore ejusdem provisi Apostolici pro dictarum sententiarum executione; Inanes tamen remanserunt tot disputationes ac victoriæ, quoniam in hoc statu dicto Gregorio victore ad patriam redeunte, ex ejus malo fato, incidit in servitutem pyratarum infidelium, atque in statu captivitatis misere obiit, ejusque mors causavit aliam litem, de qua in hac eadem Cæsaraug. Canonicatus *sub tit. de jurepatron, disc.* 1.

In hac hujusmodi autem disputatione diversi fuerunt puncti, sive inspectiones; In prima habita coram Dunozetto, contra meum votum assumptus fuit punctus præventivæ collationis, quod scilicet Papa prævenire voluerit Capitulum Ordinarium collatorem, atque jure ordinario conferre; Merito autem in hoc succubuimus unde propterea resolutio fuit juxta meum votum in congressu habito pro directione, in quo tamquam junior, atque circa professionis initia senioribus cedere oportuit; Licet enim certum sit de jure, quod Papa tamquam Ordinarius Ordinariorum concurrere possit cum quolibet inferiori collatore, eumque prævenire, etiam in Beneficiis non reservatis ordinariæ collationis, adeout si 3
gratia Apostolica sit anterior, debeat prævalere, ad text. *in cap. Dudum, & cap. si a sede, de præbendis in 6.* ubi scribentes communiter, de quibus Gonzal. *ad regul.* 8. §. 1. *cum trib. seq. proœmial.* Lotther. *lib.* 2. *q.* 23. *in principio*, Garz. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 8. Argel. *de legitimo contradictore*, *q.* 15. *art.* 5. *n.* 167. & *cum sequ.* Seraph. *decis.* 1144. *n.* 1. Cavalee. *decis.* 184. *n.* 1. Gregor. & Adden. *decis.* 221. *nu.* 9. Rota *decis.* 25. *part.* 10. *recent.* quæ est in materia magistrali.

Attamen admissa potestate tamquam incontrovertibili, difficultas residet in voluntate, quæ in dubio, cessante justa causa, non præsumitur, eo quia licet possit, non 4
tamen solet Papa ista potestate uti nisi nimium de raro ex magna causa, ut advertitur apud allegatos præsertim *in d. decis.* 25. *part.* 10. & *d. decis.* 856. Dunox. *num.* 7 & conferunt quæ generaliter habemus de non præsumenda voluntate Principis præjudicandi tertio, ejusque jus tollendi, ex deductis ad materiam potestatis tol- 5
lendi jus tertii *sub tit. de Regalibus*, *disc.* 118. & alibi; unde propterea hujusmodi quæstiones dicuntur potius facti & voluntatis, quam juris, an scilicet Papa voluerit necne ista potestate uti, atque ex hac via conferre.

Ad id autem dignoscendum, ponderari solent aliquæ 6
clausulæ recensitæ per Beneficialistas supra allegatos, & plene *d. dec.* 25. *par.* 10 *rec.* quæ ut dictum est in ista materia est magistralis, ibique advertitur, istam conferendi speciem continere quandam diversam formulam ab ea quæ adhibetur quando confertur tamquam de reservato, vel affecto, cum illo secundo casu expeditio fiat cum clausula *Dudum*, atque apponi soleat clausula *Dummodo ad Nos*, & alia, *Nullusque de illis præter Nos*, cum similibus, quibus accedentibus, vel respective deficientibus infertur ad unam, vel alteram voluntatem, cujus in effectu, ac facti potius quam juris quæstio esse dignoscitur.

Cumque, ut dictum est, ista voluntas in dubio non præsumatur, adeoque ubi Apostolica provisio aliam causam habere potest, tunc ad eam referenda sit, hinc proinde cum narratæ fuissent capituli censuræ, ad illam causam potius quam ad præveniendi voluntatem dicta provisio referenda veniebat, vel scilicet jure devoluto 7
quatenus verius sit censuras tollere, vel impedire jus conferendi, vel tamquam ex motivo rationabili ad id agendum juxta *decis* 806. & 870. coram Seraph. cum aliis *in d. prima decis* 856. Dunozetti; Et consequenter, quatenus istud præsuppositum non subsisteret, quia nempe jus capituli resideret in Canonicis & Dignitatibus non censuratis, vel saltem in Archiepiscopo jure simultaneo, ita tamquam ex falso præsupposito corruebat actus ex defectu voluntatis, habendus proinde pro infecto.

Adeout quamvis habeamus receptum beneficiale principium ex dispositione *extravag. Romani*, ut appositio ma- 8
nuum Papæ causet affectionem ex deductis *disc. præced.* & plurics infra in materia resignationis, attamen ubi talis appositio sequeretur ex falso præsupposito, affectio non intrat, ut in his specialibus terminis advertitur *d. dec.* 25 *part.* 10. *recent. num.* 31. & 32.

Hinc proinde in aliis instantiis, præsertim in primis disputationibus habitis in secunda coram Albergato, derelicto dicto motivo conferendi, præveniendo Ordinarium ut supra, causa restricta fuit ad punctum veritatis dictæ narrativæ censurarum, qui duas partes habebat, Primo scilicet, an capitulum dici posset censuratum stante exceptuatione aliquorum Canonicorum, & Archiepiscopi a censuris. Et secundo ubi dici posset tale, an exinde resultaret amissio, vel suspensio juris conferendi.

Quatenus ergo pertinet ad primum, scribentes in contrarium insistebant in conclusione, de jure vera, de qua *in*

d. pri-

d. prima dec. 856. Dunozetti, admissa etiam in omnibus aliis doctrina *Innocentii in cap. illa*, *n.* 3. *&* 4. *& de ele-*
9 *ctionibus*, & Abb. *in cap. finali de procurator.* cum aliis per Alter. *de censuris, part.* 1. *disput.* 5. *lib.* 2. *cap.* 2. quod scilicet cum jus conferendi, eodem modo quo jus præsentandi, vel simile, dicatur individuum, habitualiter competens omnibus & singulis, inter quos solum divisum est exercitium, hinc proinde, aliquibus defectis, sive impeditis per censuras, aut captivitatem, aliaque impedimenta, totum jus, tamquam per non jus decrescendi devolvitur ad superstites, seu verius in eis consolidatur, adeout totum capitulum, vel aliud corpus politicum, seu intellectuale, constitutum ex multis personis sit repræsentabile per paucos, imo etiam per unum; Et consequenter cum in hac facti specie adessent, tam Archiepiscopus habens vocem in capitulo, ac interveniens in hujusmodi actibus capitularibus, quam sex, vel circiter Dignitates & Canonici per censuras non impediti, recte in istis, ob aliorum censuratorum impedimentum consolidatum erat jus capituli, quod proinde dici non poterat censuratum.

Non negabamus ego & cæteri scribentes pro proviso Apostolico veritatem assumpti, de quo occasione consolidationis jurisdictionis, ac administrationis Ecclesiæ in ca-
10 pitulo ob mortem, vel aliud impedimentum Episcopi habetur pluries *sub tit. de jurisd.* præsertim *disc.* 24. *&* 54. & sub altero ibid. annexo *de præem.* præsertim *disc.* 19. *&* 22. ac etiam a simili *sub tit. de feudis*, *disc.* 8. *& sub tit. de Regalibus*, *disc.* 125. ac alibi pluries, cum principium, sive assumptum sit verum.

Fallacia tamen erat in applicatione, id enim recte procedit, quando censuræ prolatæ essent contra singulos, quorum infectio non tangeret ipsum corpus, quod
11 sive sit magnum, sive sit parvum, semper est idem: Si enim capitulum juxta suum consuetum numerum constituitur ex. gr. ex 30. Dignitatibus & Canonicis, ex quibus casus præbeat 20. plus, vel minus per mortem naturalem, vel civilem deficere, adhuc idem est capitulum, cujus corpus politicum sufficit non esse infectum, non curata infectione, seu abscissione aliquorum membrorum, quorum infectio non præjudicat integritati, ac unitati corporis, ut advertitur præsertim *d. disc.* 125. *de Regalibus* occasione Civitatis quæ ob revolutiones populares in partes divisa erat.

Secus autem ubi ipsum corpus infectum est, tunc enim talis infectio influit in omnia membra, quæ licet comparative ad alia membra, sint valida, seu non patiantur illam infectionem, quam alia patiuntur, non per hoc apta sunt constituere, vel repræsentare corpus validum, si istud in suo genere infectum est, unde propterea & ipsa membra ita comparative, atque ad alios effectus valida, adhuc infecta dicuntur, non obstante innocentia, vel exceptuatione, utpote compatibili cum diversitate respectuum, sive effectuum.

12 Habemus id in praxi frequens in materia interdicti, cui subjiciatur Civitas, vel provincia, seu Regnum, aut alia universitas, cujus aliqui cives, vel membra ob illud delictum, quod interdicto corporis universalis causam dedit, sint etiam personaliter, ac appellativo nomine excommunicati, quoniam prima species censuræ universalis afficit omnes tam delinquentes quam innocentes, eo quia ipsa Universitas, sive ipsum corpus censuratum est, adeout si novi cives nascantur, vel de novo alliciantur, aut veniant ad habitandum quamvis innocentes, quinimo etiam obedientes & emeriti, ac expresse exceptuati, seu dispensati ab interdicto, representare non poterunt Civitatem, vel provinciam validam, sed solum tanquam non affecti excommunicatione, vel aliis censuris personalibus, quibus affecti sunt delinquentes singulari nomine censurati, non habebunt vinculum animæ, atque ita singulari jure gaudere poterunt aliquibus spiritualibus pabulis, & consolationibus compatibilibus cum censura universali, sub qua habitualiter & ipsi quoque comprehenduntur, juxta distinctionem inter censuras universales & particulares, seu speciales, de qua Alterius *de censuris*, *d. part.* 1. *disp.* 5. *lib.* 2. *cap.* 2. Suarez *de censuris*, *lib.* 5. *disput.* 28. *sect.* 4. *disput.* 36. *sect.* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 10. *resolut.* 22. *& cæteri Morales communiter*.

Et hic erat casus, quoniam cum capitulum recusasset parere mandatis Rotalibus, ista vero non paritio causaretur a pertinacia, seu contumacia aliquorum ex Capitularibus, aliqui vero se promptos obedire offerrent; Hinc proinde duplex censurarum species prolata fuit; Una suspensionis directa ad ipsum capitulum, ejusque corpus universale,

Altera vero personalis, seu specialis excommunicationis vel respective interdicti, directa ad singulos Capitulares, juxta majorem, vel minorem contumaciam, ideoque exceptuatio innocentium, ac obedientium percutiebat hanc secundam speciem censurarum personalium illatarum ob personale delictum singulorum, non autem primam ipsius corporis universalis, quoniam ut supra insinuatum fuit, impossibile est dari membra corporis infecti, quæ non participent de corporis infectione; Sive quod infecto corpore, aliqua membra valida possent constituere corpus validum; Tum ex ratione impossibilitatis, ac implicantiæ dandi duo corpora unius personæ; Tum etiam, magis ad rem, quod ita in 13
hujusmodi corporibus universalibus, quorum censuræ respiciunt solum effectus intellectuales impeditivos jurium præeminentium, seu jurisdictionalium, satis de facili dari posset elusio omnium mandatorum legis, vel hominis, quoniam ita majori parte non obediente, ac de facto causante impedimentum executionis ejus quod a Superiore præcipitur, sive patrante aliud delictum, aliqua minor pars, verbaliter offerendo obedientiam, ita conservaret jurisdictiones, ac præeminentias, aliaque jura, in quorum privatione consistit principaliter effectus hujusmodi censurarum universalium.

Admittebant pariter e converso scribentes in contrarium veritatem hujus theoricæ, dictumque discursum, adinstar ejus quod nos faciebamus, sed objiciebant eundem defectum applicationis, quod scilicet censuræ non essent universales contra ipsum corpus capituli, quo casu fatebantur præmissa procedere, sed essent solum speciales, seu singulares contra Capitulares inobedientes, non 14
obstante quod in declaratoria enunciaretur etiam nomen universale capituli; quoniam non implicat istud quandoque explicari improprie ad demonstrandum, quod major capitularium in delicto esset; Hoc autem satis stringenter probabant ex firmatis per eandem Rotam occasione consimilium declaratoriarum alias relaxatarum contra illud capitulum, (quod ita videtur quodammodo vivere in hac declaratoriarum possessione, ob quam forte, Deo permittente, quamvis pro meo sensu contra omnem probabilitatem passum est ac patitur illa mala & præjudicia, de quibus *sub tit. de præemin. disc.* 3. *cum pluribus sequentibus*) in alia scilicet *Cæsaraugustana distributionum* coram Coccino *decis.* 20. *part.* 7. *recent. confirmata* 18. *Februarii &* 11. *Decembris* 1641. coram Panzirolo, in quibus ita istæ declaratoriæ explicantur; atque in hoc præsertim apud Signaturam residebat difficultas, ob quam cum raro exemplo commissa fuit denuo causa appellationis, etiam adversum executorialem trium conformium.

Pro isto objecto tollendo, plures ego, ac cæteri pro hac parte scribentes dabamus responsiones; Primo scilicet, quod inter illas ac istas declaratorias aliqua dignosceretur verborum differentia; super quo utpote nudi 15
facti nullæ erant partes Advocatorum, atque pro meo sensu erat responsio levis, cum semper levia & contemptibilia crediderim motiva resultantia ex sola formalitate verborum, quæ per Notarios, uno, vel altero modo, juxta diversas eorum formulas concipi solent, ut præsertim frequenter habetur *sub tit. de fideicommissis*.

Secundo, ex contraria magis speciali auctoritate Rotæ in decisione edita *in Cæsaraugustana distributionum* 29. *Maji* 1652. coram Verospio, ubi agendo de illa declaratoria, in individuo dicitur censuras esse universales ipsius capituli; Ubi enim in aliquo actu cadit quæstio voluntatis, nemo melius eam explicare potest 16
quam illemet, qui ipsum fecit; Adeout etiam in donationibus inter vivos aliisque contractibus præcise obligatoriis & irrevocabilibus, in casibus ambiguis deferatur ipsius donatoris, vel contrahentis declarationi, ut pluries *sub tit. de donationibus*, ac in aliis respective materiis, cum sit principium receptum & frequens.

Tertio demum pro meo sensu, magis solide ac stringenter, spectata subjecta materia, ac substantia veritatis negotii, neglectis verborum formulis; In primo siquidem casu de quo *d. dec.* 20. *part.* 7. *rec.* & in aliis ejus confirmatoriis coram Panzirolo, quæstio percutiebat interesse bursale ob non solutionem quarumdam præstationum, unde propterea incongruum erat censuras relaxari contra ipsum capitulum & corpus universale, atque dictus possibilis intellectus ibi adhibetur ad effectum substinendi actum, illumque salvandi a nullitate resultante a dispositione *text. in extravag. Provide*, per quam prohibetur pro debito pe- 17
cuniario censuras generales, seu universales proferri; Cum

enim pœna regulari debeat a delicto, atque istud revera esset singulorum denegantium solvere quasdam portiones, idcirco ad evitandam, ut dictum est, præsertim nullitatem, adhibetur dictus intellectus conciliativus; Secus autem in ista declaratoria, quæ prodierat ex causa universali, seu Capitulari individua, principaliter, ac directe respiciente magis ipsum corpus politicum, quam singulas personas, ob quædam Statuta, quorum revocatio, seu moderatio per Rotam deman-
18 dabatur, ideoque si delictum esset ipsius corporis universalis, ejusdem quoque esset debebat pœna, quæ delicto commensurari debet, ut præsertim bene advertitur in secunda decisione edita coram Cerro 4. Augusti 1655. in Rota memorialium occasione concedendi expeditionem, dum tunc magis stricte de hoc disputatum fuit.

Idque clare comprobari observabam a discretiva inter unam declaratoriam & alteram, quoniam prima non continebat exceptuationem innocentium, ac obedientium, quorum plures aderant, signum clarum, quod ibi unicam tantum censuram specialem, seu personalem in animo fuit proferendi, de jure non afficientem, nisi contumaces ac delinquentes, non autem obedientes; In præsenti vero fuit in animo eam duplicem proferendi, unde propterea opportunum, imo necessarium erat a secunda specie censurarum personalium exceptuare innocentes comprehensos sub prima generali, atque illa videbatur genuina veritas.

Quo vero ad alteram inspectionem, an suspensionis censura tolleret necne potestatem conferendi beneficia, & super quo scribentes in contrarium cum copiosis allegationibus, ac magnis ratiociniis nervose insistebant in probando negativam; Advertebam, istum esse laborem inanem, cum ageretur de nudo puncto juris, cujus ignorantia non datur in Papa, quem ob assistentiam peritissimorum Datariæ Officialium præsumitur
19 recte scire omnia consistentia in jure; Unde provenit quod juris ignorantia in eo non datur, ideoque receptam conclusionem habemus, quod sufficit narrativam verificari de facto, ut cæteris relatis Garz. *de benefic. part. 6. cap. 2. n. 205. & seq.* Add. ad Gregor. *dec. 84. n. 6.* Adden. ad Burrat. *dec. 778. n. 11.*

Et consequenter intrabat dilemma inevitabile; Aut hujusmodi censuræ de jure causant hanc privationem, aut non; Si causant, ergo recte intrabat jus devolutum ad Papam; Et si non causant, ergo Papa id re-
20 cte sciens, censuras attendere voluit tamquam causam impulsivam ad præveniendum inferiorem collatorem ita minus dignum ab eo reputatum, quod in eo contumaciæ, ac censurarum statu hanc facultatem exerceret juxta *d. dec. 806. & 870.* Seraph. præsertim *in secunda, n. 3. & 4.* Burrat. *dec. 225. & 259. n. 1.* Gonzal. *ad regul. 8. d. §. 4. proœm. n. 43. & sequ.* Garz. *part. 5. cap. 4. n. 39. & 40.* Ideoque ut dictum est, sufficit narrati-
21 vam verificari de facto; quoniam id quod est de jure prætupponendum est Papæ cognitum, juxta receptum *conf. 143.* Anchar. & bene præsertim advertitur apud Gregor. *decis. 221. num 7. cum seq.*

Hinc nulla suberat necessitas disputandi de dicto articulo, an scilicet censura suspensionis tamquam minor tollat, vel impediat necne jus conferendi, cum sive uno, sive altero modo dicatur, idem resultet effectus
22 ut supra; Verum quando etiam de hoc agendum esset, adhuc verius videbatur, dictam censuram hujusmodi effectum operari, quoniam verior videtur opinio, ut suspensio istum effectum causet ad text. *in cap. dum dilectus, de consuet. cap. cum inter lib. 1. de elect. cap. quia diversitatem de conces. Præbend. & cap. unico in princ. ne Sed. Vac. in 6.* atque post *gloss. in cap. cum dilectus, verbo a suspensis* firmant Innoc. ibidem *n. 4. & 5.* Abb. *n. 18. & 20.* Butr. *n. 20. & cæteri*, atque ex auctoritate Bonifac. Clem. 1. *§. si quis, n. 10. de Stat. Monach.* firmat etiam Rot. *dec. 17. n. 4. in fin. par. 2. rec.* Et quamvis apud Seraph. *d. dec. 860. n. 6.* videatur contrarium insinuari ex doctrina *gloss. in cap. sacro de Sentent. Excom.* Nihilominus non videtur huic auctoritati deferendum; Tum quia in subsequenti *dec. 870. sub n. 3.* de hoc dubitatur; Tum etiam quia proceditur cum auctoritate dictæ *gloss.* ejusque sequacium, præsertim Abb. *in cap. tanta, n. 5. de excess. prælat.* & Covar. *in cap. Alma mater*, qui omnes loquuntur de interdicto quod non tollit jurisdictionalia, & sic in censura diversa, *Innoc. vero & Abb.* qui ibidem allegantur potius dicunt contrarium.

Clarius vero ratione subjectę materię, seu qualitatis personæ, difficultas enim cadere potest in personis singularibus, in quibus ista censura suspensionis remaneat in aliis verificabilis, ut est in Episcopis, aliisque Prelatis, in quibus suspensio impedit exercitium ordinis Episcopalis, vel
Sacerdotalis cum similibus, sed ubi agitur de hujus- 23
modi corporibus polyticis, seu intellectualibus, in quibus verificabilis non est dictus effectus, pernecesse illum referre oportuit ad hujusmodi jurisdictionalia, seu præeminentialia, ob quorum amissionis timorem & non alias censuræ per corpora polytica, seu universalia timentur, ac operativæ sunt, ut etiam supra insinuatur.

Demum quoad motivum consolidationis hujus juris 24
in Archiepiscopo constituente corpus omnino distinctum, ac sine dubio neque sub una, neque sub altera censuræ specie veniente, observabam quod, Aut considerandum esset in eo jus simultanee, & non intrat, quoniam illud per Bullam sæcularizationis, ut supra per turnum divisum fuit in menses, & consequenter in mense Capituli nullam habet participationem; Aut consideratur idem Archiepiscopus tamquam unus ex Capitularibus, ac habens vocem in Capitulo, & tunc in idem conveniunt omnia quæ superius dicta sunt de Canonicis & Dignitatibus non censuratis, ac innocentibus adhuc participantibus de censura totius corporis; Aut demum ex eo jure devoluto quod ad ipsum tamquam superiorem dari advertitur supra *disc.* 1. & tunc eo etiam posito cum id consistat in puncto juris, recte cognitum fuit Papæ, qui contentus solo impedimento Ordinarii collatoris, ita istud jus prævenire voluit, cum, ut dictum est, in iis quæ juris sunt, non admittatur subreptio, vel defectus intentionis, ideoque totus punctus erat in eo, an censuræ essent universales, vel singulares.

GERUNDEN. CANONICATUS, ET SACRISTIÆ, PRO FRANCISCO DE ARLA, CUM FRANCISCO DE VERDIER.

Discursus pro veritate.

An & quando Ordinarius conferre possit Beneficia reservata ob non provisionem infra mensem sequuta vacatione Sedis Apostolicæ ad materiam text. *in cap. si Apostolica, de præbendis in sexto.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Beneficium semel reservatum, vel affectum semper est tale, durante illa vacatione, quamvis Regulæ Cancellariæ cessent.*
3 *De dispositione* text. in cap. si Apostolica, de præbendis in sexto, *ut sede Papali vacante Ordinarius conferat parochiales etiam reservatas ex quacumque reservatione.*
4 *Loquitur in parochialibus, ideo non procedit in aliis beneficiis.*
5 *Contrarium verius, ut dicta Decretalis non procedat nisi ex ea reservatione, quæ sequatur ob vacationem in Curia.*
6 *Beneficia quibus accessorie incumbit cura animarum, non dicuntur curata, tam ad effectum ætatis, quam concursus, vel expressionis curæ cum similibus.*

DISC. XXIV.

Vacantibus Canonicatu, & Sacristia Cathedralis 1
Gerunden. per obitum possessoris de mense Januarii 1655. adhuc vivente Innoc. X. eodem mense defuncto, Episcopus post mensem a die vacationis Sedis Apostolicæ de illis providit Franciscum de Arla innixus dispositioni text. *in cap. si Apostolica, de præbendis in sexto.* Creato autem Alex. VII. successore, de eisdem Beneficiis tamquam reservatis provideri obtinuit Franciscus de Verdier; Hinc propterea ex parte dicti provisi ab Ordinario consultus fui pro veritate, an ejus provisio esset substentabilis.

Respondi negative, quoniam cum vivente adhuc Pontifice, Regulæ Cancellariæ vigerent, atque vacatio sequu-
te esset in mense reservato, plana erat contra eum regula 2
in beneficialibus receptissima, ut Beneficium semel reservatum, vel affectum, illa vacatione durante semper sit tale, neque Ordinarius in ejus provisione se ingerere valeat quamvis per mortem Papæ expirent Regulæ reservatoriæ, Anchar. *conf. 138. n. 3.* Geminian. *conf. 93. n. 16.* ubi hoc dicit tritissimum axioma, Rot. *dec. 12. & 13. de præben. in not.*

Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœm.n.* 85. *& seqq.* cum aliis per Rot. apud Merl. *dec.* 192. *n.* 8. *& seq. & sæpissime*, cum videatur propositio absoluta, potissime vero hodie ob Regulam 11. ita expresse disponentem, unde propterea stante lege clara, cessat omnis ratio dubitandi, quæ alias cadere posset.

Unica limitatio videtur illa, quæ resultat ex dispositione text. *in c. si Apostolica* 35. *de præbend. in* 6. qui licet loquatur de parochiali, cui vacatio sequuta sit in Curia, attamen aliqui crediderunt eam Decretalem generaliter ac indefinite intelligendam esse in
3 quibuscumque vacationibus occurrentibus tam in curia, Sede plena, vel vacante, quam etiam extra eam, quocumque modo sequatur vacatio, & ex quacumque reservatione, ut præsertim tenent Zerola *in praxi Episcoporum*, *part.* 1. *verb. benef.* §. 3. *dict.* 10. Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœmiali*, *n.* 137. *& seq.* & hanc opinionem sequi etiam videtur Pacif. Jordan. *de benef. lib.* 10. *tit.* 2. *de benef. affectis n.* 57. *cum seq.* ac etiam sentire visa est Rota in Abulen. parochialis de Rachalsado 19. Novemb. 1593. coram Corduba apud Garz. *de benef. part.* 5. *num.* 91.

Verum dicta limitatio suffragari non poterat in casu, de quo agitur, dum ea loquitur solum de parochialibus peculiarem habentibus rationem non militan-
4 tem in aliis Beneficiis, ne scilicet cura animarum ob diuturnam vacationem detrimentum patiatur, & consequenter, qualis qualis esset dictæ decretalis intellectus in dicto casu suo, nil ad rem facere videbatur, utpote extra casum, cum ageretur de beneficiis non curatis, ideoque inanis labor videbatur quærere de dicto intellectu, ac utra opinio esset verior.

Et nihilominus quando etiam ageretur de parochiali, atque de ipsius Decretalis casu, adhuc verius est,
5 magisque communiter receptum, ita dictam Decretalem bene conciliando cum altera *in c. statutum*, *eod. tit. de præbend. in* 6. loqui solum de illa reservatione, quæ resultaret ob vacationem in curia, adeout si illa sequuta esset extra curiam, etiam Sede plena Ordinarius potuisset eam conferre, quia nempe alia non obstaret reservatio mensis, vel personalis, aut aliqua affectio, & sic tollitur solum illa reservatio accidentalis, seu localis, quæ resultat ob vacationem in Curia, quoties superventa vacatione Sedis Apostolicæ sequuta non sit provisio; ita removendo istud unicum obstaculum, quod impediret Ordinarium, alias jure suo conferentem, ut per Franch. *in d. cap. statutum*, *n.* 6. Gaspar. de Perusio *de reservat. quæst.* 5. Garz. *d. part.* 5. *cap.* 5. *num.* 103. Barb. *in collectam ad idem cap. si Apostolica*, *in fin.* ubi nominatim rejiciuntur Zerola & Gonzal. *ubi supra*, & tamquam absolutum firmat Massobr. *in praxi habendi concursum*, *requisit.* 7. *dub.* 43. *n.* 13. *cum sequent.* atque in eodem sensu loquitur Pirr. Corrad. *in praxi beneficiali*, *l.* 3. *cap.* 6. *num.* 56. *& seq.* ubi testatur de declaratione facta per Datarium Pauli V. ad favorem provisi ab Ordinario, cum dicto scilicet præsupposito, quod vacatio sequuta esset in mense ordinario, neque alteram reservationem, vel affectionem pateretur, nisi illam resultantem a vacatione in Curia; Neque dicta decisio *Abulen.* contrarium firmat, cum solum loquatur incidenter.

Et quamvis ex parte requirentis motivaretur, quod Beneficia dici possent curata, dum eis, vel eorum alteri annexa erat cura animarum, ac propterea caderent sub præfatæ Decretalis dispositione, nihilominus respondi, neque id suffragari; Tum quia præsupposito etiam, quod versaremur in Ecclesia vere ac indubitanter parochiali, adhuc non essemus in casu Decretalis, dum reservatio non resultabat a vacatione in curia, sed a vacatione in mense reservato; Tum etiam, quoniam animarum cura non incumbebat principaliter, sed solum erat accessorie annexa, quod non facit Beneficium curatum; Ut receptum atque
6 quotidianum habemus ad plures affectus; Primo scilicet ad illum ætatis, quæ in Beneficiis curatis debet esse, quod secum ferat habilitatem ad assequendum infra annum sacerdotium, & tamen in Canonicatibus Collegiatarum, aliisque Beneficiis, in quibus ad præscriptum juris communis, vel Concilii Trident. sufficit ætas 14. annor. vel in Cathedralibus, in quibus ob nullum annexum ordinem sufficit illa inducens habilitatem ad se constituendum in sacris, adhuc ea sufficit, quamvis Canonicatibus annexa esset habitualiter cura animarum, nisi ageretur de illo Canonicatu, vel Beneficio, cui sixe annexum sit ejusdem curæ exercitium, ut advertitur supra *in Nuscana Canonicatus*, *disc.* 16. & habetur infra, *disc.* 65. ubi in genere agitur de ætate in Beneficiis requisita.

Secundo, idem habemus circa formam concursus ad præscriptum *S. Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. c.* 18. servandam in provisionibus Ecclesiarum parochialium, quoniam non requiratur in Dignitatibus, vel Canonicatibus aliisque Beneficiis, quibus ita accessorie cura annexa sit, habetur pluries infra *sub tit. de parochis, & parochiis*, præsertim *disc.* 37. ubi generaliter agitur de dicta forma concursus; Tertio, quia in Beneficiis curatis facienda est expressa mentio curæ animarum in quacumque provisione facienda, atque alias illa remanet invalida, ut infra *in Melphien. cantoriæ*, *disc.* 55. & in aliis, & tamen id non desideratur in provisione Dignitatum, vel Canonicatuum, ita habitualiter habentium curam annexam ipsi Ecclesiæ, vel Collegio, ut *in eadem Melphien.* ac in decisione in ea causa edita coram Otthobono inter suas *dec.* 58. *n.* 8. *& 9.* cum similibus, quoniam dispositiones loquentes de Ecclesiis parochialibus & curatis, intelligendæ veniunt de illis, quæ principaliter sunt tales, non autem ubi accessorie cura immineat, vel scilicet quia ipsa cura habitualiter resideat penes totum Capitulum, seu Collegium, vel quia eidem Dignitati, vel alteri Beneficio accessorie unita sit aliqua Ecclesia habens curam animarum, & consequenter ex eadem ratione, ob quam in dictis aliis ac similibus casibus leges loquentes de parochialibus, vel Beneficiis curatis non conveniunt hujusmodi Beneficiis, quibus cura non principaliter incumbat, sed solum accessorie, cum nihilominus earumdem legum ratio in suis respective casibus quandoque omnino congruere videatur, multo magis ad effectum hujus Decretalis, quam pro certo credebam istum casum non comprehendere; Non tamen opus fuit desuper multum immorari, atque veritatem maturius inquirere, dum nulla suberat necessitas, ista vero discurrebantur ad superabundantiam, quoniam ubi etiam ageretur de vera parochiali, adhuc tamen ex alia ratione ut supra, decretalis non intrabat; Incertum autem est, quid sequutum sit, dum amplius de negotio actum non audivi, probabiliter tamen credo, quod provisus ab Ordinario acquieverit, vel quod litis aleam tentare voluerit, mutatis defensoribus, dum sæpe contingit, quod litigantes abhortent eos, qui candide ac sincere veritatem insinuant, amant vero Consulentes prurientes auribus.

VICEN. PAROCHIALIS, PRO ANTONIO CAMAMOLA, CUM JOSEPHO ROSEL.

Responsum pro veritate.

De eadem materia text. *in c. si Apostolica de præbend. in 6.* An scilicet Ordinarius ob vacationem Sedis Apostolicæ providere possit Ecclesias parochiales quamvis reservatas, quomodo & quando.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In possessorio retinendæ, seu manutentionis prævaleat possessio anterior.*
3 *Potest de hoc dubitari, ubi clare obstaret decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ.*
4 *Dispositio text.* in cap. si Apostolica, *de qua reservatione loquatur.*
5 *Etiam in casu dictæ decretalis ea procedit quatenus provisio Ordinarii sequatur, sede Papali vacante.*
6 *Forma concursus servari debet etiam in parochialibus de jurepatronatus Ecclesiastico.*
7 *In casu, quo intret dicta decretalis, an facultas competat Episcopo, vel inferiori Collatori.*

DISC. XXV.

In diœcesi Vicen. adsunt 48. parochiales, circa quarum 1
provisionem, ex præsupposita concordia inter Episcopum & Capitulum, statutum est, ut contingente casu vacationis, Capitulum infra 30. dies a die notæ vacationis, præsentare possit Rectorem; ab Archidiacono, vel antiquiori Canonico instituendum, quo termino elapso devolveretur provisio ad Episcopum; Cum autem casus dedisset vacationem controversæ parochialis sub die 10. Maji 1667. unde propterea tamquam in mense reservato in vim Regulæ octavæ hodie nonæ, cessabat dictum jus Capituli; hinc proinde in dicto concursu coram Episcopo ad formam Conc. Trid. renunciatus fuit magis idoneus Antonius Camamola, ad cujus favorem expediri debebant consuetæ litte-

litteræ testimoniales ad effectum obtinendi provisionem Apostolicam; Verum superventa notitia vacationis Sedis Apostolicæ per mortem Alexandri VII. sequutam sub *die 22. ejusdem mensis Maji*, hinc Episcopus innixus dispositioni text. *in cap. si Apostolica, de præbendis in 6.* dictam parochialem eidem Antonio prælecto contulit sub die 20. Junii, Capitulum vero sub die 23. ad formam dictæ concordiæ, seu Archidiaconus ad Capituli præsentationem, eam contulit Josepho Rosel, quorum uterque curavit adipisci possessionem, prior tamen per unum, vel duos dies fuit illa Antonii provisi ab Episcopo; Quibus sic stantibus, ex parte ejusdem Antonii, vel Episcopi, de tribus pro veritate consultus fuit; Primo, quisnam dictorum contendentium obtinere deberet in possessorio retinendæ, quod vulgo *manutentionis* dicimus; Secundo, an dicta provisio facta per Episcopum substentabilis esset in concursu alterius, qui obtineret provisionem Apostolicam, itaut præfato Antonio incumberet necne necessitas in vim testimonialium dictam Apostolicam provisionem obtinendi; Et tertio, quatenus non obstante reservatione, locus esset ordinariæ facultati ad præscriptum dictæ decretalis *in cap. si Apostolica*, altera provisio prævalere deberet, an illa Episcopi, vel illa Capituli.

Ad primum respondi, planam esse resolutionem ad favorem Antonii prioris possessoris, cum receptum sit, in hoc judicio spectari possessionem anteriorem manutenendam in concursu posterioris, quæ reputatur clandestina & turbativa, etiamsi anterioritas esset per ho-
2 ram, vel momentum, non curatis concernentibus justitiam ac merita negotii principalis non attendendis in hoc judicio, in quo solum quæritur de nudo facto possessionis, ut in specialibus terminis parochialis habetur per Rot. *dec. 352. part. 10. recent.* & generaliter ad satietatem colligit Posth. *in hoc tr. de manut. observ. 42. n. 88. cum seq.* & est principium quotidianum & vulgare, quo nil in praxi frequentius in quacumque materia, præsertim vero in ista beneficiali; Et clarius in æque habentibus causam ab Ordinariis collatoribus, unde propterea non intret difficultas, quæ in casu re-
3 servationis claræ cadere potest contra provisum ab Ordinario in concursu provisi Apostolici ratione manifestæ intrusionis, ac infectionis possessionis resultantis a decreto irritanti contento in Regulis Cancellariæ, præsertim clarius in Regula octava, seu nona mensium, unde propterea apud Beneficialistas, quotidiana & absoluta propositio est, possessionem censeri vacuam, non obstante intrusione provisi ab Ordinario, vel alio inferiori collatore, ut infra in materia legitimi contradictoris pluries.

Ad secundum respondi, omnino obtinendam esse Apostolicam provisionem per dictum Antonium in concursu jam prælectum, ut credo sequutum fuisse; Tum quia ob reservationem resultantem ratione mensis, ac alias
4 quam ratione vacationis in Curia, non intrabat dispositio dictæ Decretalis *in c. si Apostolica* ex eisdem fundamentis, & auctoritatibus deductis *in Gerunden. disc. præced.* quæ in hoc pariter responso deducebantur; Tum clarius quia retentis etiam terminis dictæ decretalis, quodque illa intraret, adhuc tamen eatenus provisio Ordinarii sustinetur, quatenus illa sequatur; Sede adhuc vacante, ac ante diem creationis novi Pontificis, ut apud Lotter. *lib. 2. q. 27. n. 74.* & præsuppositive Rota apud Cavaler. *dec. 184. in princip.* unde propte-
5 rea cum illa provisio sequuta esset, sub dicta die 20. Junii, in qua sequuta fuit electio Clementis IX. de consequenti resultabat, quod ubi etiam versaremur in terminis dictæ Decretalis, neque provisio fuisset substentabilis.

Hinc proinde magis de plano, atque extra principium dubitandi dixi, nullam penitus rationem habendam esse de dicta provisione facta per Capitulum, utpote sequuta die 23. & sic triduo post assumptionem Pontificis; Alia etiam clara infectione resultante ob non servatam formam concursus in parochialibus præscriptam *a Sacr. Conc. Tri-*
6 *dent. sess. 24. de reform. cap. 18.* quam non dubitatur servandam esse etiam in parochialibus de jurepatronatus Ecclesiastico, cum solum exemptæ sint illæ de jurepatronatus laicali ex deductis per Add. ad Greg. *dec. 494.* Add. ad Buratt. *decis. 25.* Merlin. *decis. 198. n. 3. & seqq. & in aliis*, & habetur in propria materia concursus.

Et his stantibus, inhærendo commendabili Curiæ stylo, effugiendi inanes evagationes, ac non immorandi in superfluis, neglexi agere de puncto, quem adhuc occasio disputare non dedit, an scilicet in casu, quo intret dicta decretalis *in capit. si Apostolica*, ut ob vacationem Sedis Apostolicæ, Ordinarius non obstante reservatione, parochiales providere possit, ista facultas ex quodam jure delegato demandata videatur ipsis locorum Ordinariis, quamvis alias cessantibus reservationibus provisio spectaret ad alium inferiorem collatorem, vel potius huic tamquam per remotionem obstaculi sua facultas restituta esset; Merito autem ista quæstio non reperitur multum tractata, cum nimium raro ac pene nunquam in foro audiantur casus hujusmodi controversiæ.

ABULEN. BENEFICII PRO GABRIELE DIAZ, CUM BENEDICTO ALVERO.

Casus decisus per Rotam pro Benedicto.

De facultatibus Nuncii Hispaniarum conferendi Beneficia reservata ratione mensis, non excedentia 24. quomodo & quando locum habeant: Et cui incumbat probare valorem ad effectum videndi, an intrent necne facultates, An scilicet proviso Apostolico actori, vel proviso per Nuncium reo, & possessori.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ, & de ejus fundamento.*
3 *Materia probationum est arbitraria.*
4 *In arbitrariis non de facili convincitur injustitia.*
5 *De facultatibus Nuncii Hispaniarum conferendi beneficia reservata, in quibus casibus & quomodo procedant.*
6 *Debet tamen pro forma præcedere informatio super valore.*
7 *Sufficit quod dicta informatio capiatur per delegatum.*
8 *Defertur circa dictam informationem ejus assertioni.*
9 *Quod valor probetur per confessionem provisi Apostolici in sua impetratione.*
10 *Impugnatur & contrarium verius, & de differentia inter narrativam valoris in provisione Apostolica, & illam Nuncii.*
11 *Provisus Apostolicus ratione mensis habet fundatam intentionem in reservatione probata vacatione in mense, absque alia justificatione.*
12 *Possessio Beneficii reservati ob decretum irritans habetur pro vacua*
13 *Provisus a Nuncio licet reus & possessor debet probare quod facultates intrent.*

DISC. XXVI.

Cum sequuta vacatione controversi Beneficii in mense reservato, Nuncius Hispaniarum vigore suarum 1
facultatum cum præsupposito valoris infra 24. illud contulisset Benedicto, Gabriel autem impetrasset tamquam reservatum a Sede Apostolica; Hinc introducta causa in Rotam coram Zarata, datoque dubio, An dicto proviso Apostolico habenti etiam subrogationem gratiosam in juribus & possessione defuncti danda esset immissio, sub
die 28. Junii 1655. negativa prodiit resolutio ex funda- 2
mento regulæ generalis desumptæ ex theorica Bart. *in l. finali, C. de edicto Divi Adr. toll.* quod cum Benedictus possessor haberet titulum etiam a Sede Apostolica, cujus vice & ex juribus delegatis providet Nuncius, Hinc proinde dicendus est legitimus contradictor.

In hoc statu, cum non scriberem in causa, ex parte dicti Gabrielis, requisitus de meo sensu super decisione de-
super edita, an ea subsisteret necne; Respondi punctum 3
videri magis facti quam juris, cujus decisio pendet a judicis arbitrio, cui repositum est, an probationes relevent necne ad text. *in leg. 3. ff. de testibus cum ibi notatis*; Cum enim ex parte rei & possessoris aliquæ darentur probationes super valore infra ducatos 24. ex quo pendet, an facultates Nuncii intrent necne, hinc proinde quæstio principaliter reduci videbatur ad hoc factum, an scilicet hujusmodi probatio adesset quæ sufficeret, & sic erat punctus arbitrarius, in quo juxta quotidianam experientiam; ob ingeniorum varietatem, non de facili certum judicium dari potest, unde habemus propositionem, quod in arbi-
trariis judex non de facili redargui potest de injustitia, ex 4
deductis per Gregor. *decis. 106. n. 2.* Rovit. *super pragm. in rubr. de appellat. n. 25. & seqq.*

Ex iis autem, quæ facti erant, magis quam ex iis quæ juris, credebam resolutionem aliquam habere probabilitatem,

eatem, ideoque dubitabam de juribus provisi Apostolici in ipso negotio principali, quoniam ubi etiam probationes resultantes ab informatione, quam ut infra Nuncius pro forma habere debet valoris antequam ad provisionem procedat, de stricta juris censura non omnino perfectæ, & concludenter dici possent, eo quia testes essent examinati nemine citato, ac etiam quia vehemens fumus per provisum Apostolicum dabatur in contrarium; Attamen id videbatur sufficiens ad faciendum legitimum contradictorem eo ipso quod constabat servatam esse formam, cum qua Nuncius dictam facultatem exercere potest.

5 Nuncii enim prædicti facultas est conferendi beneficia reservata non excedentia valorem ducat. 24. in totum, computatis etiam incertis, quoties tamen agatur de sola reservatione ratione mensis, secus autem ex alia reservatione, ac dummodo non agatur de Beneficiis in Metropolitanis, vel Cathedralibus, aut Collegiatis, ut de dictis facultatibus habetur apud Gonzal. *ad regul. 8. §. 2. proœmiali, n. 55. & seqq.* Garz. *de benef. part. 5. capit. 3. num. 83. cum seq.* Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. num. 59.* Rota apud Duran. *decis.* 114. *num.* 8. apud Celsum *decis.* 130. *num.* 14. & in aliis, de quibus infra.

Ut autem ad hujusmodi facultatis exercitium procedere valeat, requiritur pro forma quod fide dignorum
6 testimonio sibi prius constet de dicto valore non excedente 24. alias ob decretum irritans in eisdem facultatibus contentum, provisio corruit, adeout si deinde justificetur vere dictum valorem esse talem, id non sufficiat juxta decisionem in alia Abulen. præstimoniorum coram Manzanedo, cum qua proceditur, atque tamquam certum admittitur in Gerunden. beneficii coram Sacrato *decis. 548. part. 3. recent.*

In qua duo affirmantur; Primo quod si Nuncius dictam informationem per seipsum non ceperit, sed per ejus commissarium, seu delegatum, cui etiam confe-
7 rendi facultatem delegaverit, sub dicta tamen forma præcedentis informationis, adhuc sufficiat, ex regula, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur; Et
8 secundo, quod circa dictæ formæ servationem deferatur ejus assertioni, neque perfecta & concludens probatio desideretur, cum sit circa accidens, potissime ubi constet de veritate substantiæ circa veritatem valoris, ideoque, ut dictum est, hujusmodi quæstiones sunt potius facti, quam juris.

Quo vero ad ea quæ juris sunt, non placebant duæ generales propositiones in dicta decisione deductæ generaliter in suis casibus veræ, non bene tamen ad casum ap-
9 plicabiles; Primo scilicet, quod valor per non excessum 24. justificatus diceretur ex ejusdem provisi Apostolici confessione, qua nulla major probatio datur, dum suam impetrationem fecerat cum eadem narrativa non excessus 24 ex deductis per Garz. d. *part. 5. c. 3. n. 202. cum seq.* cum aliis in decisione; Et secundo circa dictam propositionem desumptam ex theorica Bartoli, ut provisus per Nuncium, ac possessor tamquam habens parem titulum Apostolicum dicatur legitimus contradictor.

Quatenus enim pertinet ad primum, fallacia videbatur clara circa applicationem, ob magnam differentiam inter
10 unam speciem provisionis & alteram; Ubi enim agitur de provisione Apostolica, quamvis juxta Regulam de valore, necessaria sit expressio veri valoris, cujus falsa narrativa vitiat gratiam, plura tamen concurrunt, quæ diversificant casum; Primo scilicet quod sub isto valore non computantur incerta, quæ tamen computanda veniunt ad effectum ut intrent facultates Nuncii; Secundo, quod de stylo expresse sustinetur, quamvis constaret de sexta parte pluries; Et tertio, quod admittitur justa excusatio, quorum neutrum procedit in provisionibus Nuncii ex iis quæ habentur *infra, disc. 90.* ubi generaliter agitur de ista materia valoris in utroque casu provisionis Apostolicæ, ac Nuncii; Et ulterius, neque perfecta valoris probatio sufficit, nisi adimpleatur dicta forma præcedentis informationis; Et consequenter dicta propositio justificationis valoris, per confessionem collitigantis in ejus impetratione recte procedit in concursu alterius provisionis Apostolicæ, in qua militent eædem rationes, non autem isto casu ob adeo longam diversitatem, quidquid indigeste dicat Garz. *ubi supra*; Solumque si constat de dicta forma præcedentis informationis, atque disputari contingat de ipsarum probationum relevantia, talis confessio collitigantis in sua impetratione, taliter qualiter conferre videtur pro aliquo adminiculo supplente aliquas factæ probationis exceptiones pro judicis arbitrio, nunquam vero quod intret dicta propositio generalis de confessione partis perfectam omniumque majorem probationem inducente, cum ea procedat inter collitigantes ex simili provisione, inter quos ita caderet regula, *quod quisque juris*, sive altera de non objiciendo proprium delictum, seu defectum, quo ipse objiciens laborat.

Quo vero ad alterum assumptum legitimi contradictoris cessare facientis processum exequutivum, unde propterea debeat procedi in judicio ordinario, & per tres conformes, ex iis, quæ in hac materia legitimi contradictoris habentur, præsertim *disc. 73.* Adhuc fallacia erat in applicatione, cum titulus non esset æqualis & ex eodem fonte, sed recte isto casu intraret distinctio, seu limitatio regulæ de actore non probante, de *qua supra, disc. 5. & in aliis*; Cum enim provisus Apostolicus tamquam de reservato ratione mensis, quæ est reservatio naturalis & notoria, probata vacatione in mense, non indigeat aliqua extrinseca justificatione, ideoque habeat intentionem fundatam in sua provisione,
atque possessori suffragari non valeat possessio ad im- 11
pediendam executionem litterarum Apostolicarum, eo quia decretum irritans contentum in Regula octava, seu nona mensium, inficit quamcumque possessionem,
quæ proinde habetur pro vacua, ut habetur pluries in- 12
fra in materia legitimi contradictoris, & an possessio faciat eum talem necne, & est principium receptissimum.

Hinc proinde reus & possessor, qui prætendit elidere jam fundatam actionem, seu intentionem actoris cum ex-
ceptione, seu limitatione qualificata, resultante a faculta- 13
tibus Nuncii, a quo ipse causam habet, dicitur in sua exceptione actor, gravatus onere concludentis probationis suæ exceptionis, seu limitationis cum sua qualitate, atque nisi incontinenti de hoc doceat, non dicitur actori legitimus contradictor; Ideoque ea quæ habemus, quod reo & possessori sufficit probare per non jus actoris, ac etiam sufficit offuscare, dubiasque reddere ejus probationes, recte procedunt isto casu in oppositum, ut ultra generalia, de quibus *dict. disc. 5.* in his specialibus terminis provisi per Nuncium, ut non sit legitimus contradictor proviso Apostolico, nisi incontinenti doceat de requisitis, sine quibus facultates sui collatoris non intrant, ceteris relatis habetur apud Orthobon. *decis. 172. n. 53. & dec.* 221. *n.* 3. & per Rotam *dec. 337. n. 22. & seqq. part. 10. recent.* & tamquam absolutum supponitur *d. dec. 548. part. 3 recent.* Incertum autem est, quid deinde de causa sequutum sit, cum amplius de illa apud me actum non sit.

VASIONEN. PRIORATUS PRO PETRO ANTONIO LASCARO, CUM CLAUDIO ANDREA SCOTTO.

Casus varie decisus per Rotam.

De concordatis Galliæ, an capiant Beneficia existentia in locis extra Regnum, seu jurisdictionem Regis Galliarum, quamvis spectantibus ad Ecclesias Cathedrales, vel majores existentes intra dictum Regnum, seu jurisdictionem; Vel e converso, an capiant Beneficia existentia in locis intra Regnum, seu jurisdictionem, spectantibus ad Ecclesias, seu Diœceses extra Regnum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod omnia adnotentur ad memoriam, & in forma discursiva nihil firmando.*
4 *Concordata favorabiliter, ac benigne interpretanda sunt.*
5 *De opinione, ut non attendatur locus beneficii, sed qualitas, seu locus collatoris.*
6 *De alternativa acceptata pro una Ecclesia, quod suffragetur pro altera.*
7 *De exceptuatione Cardinalium a Regula 8. seu 9.*
8 *Concordata sunt magis favorabilia, quam indulta.*
9 *Beneficia unius diœcesis si spectant ad collationem alterius Prælati, non dicuntur de diœcesi.*
10 *Beneficium exemptum non dicitur esse in loco ubi situm est.*
11 *Refertur tenor concordatorum, & quid contineant.*
12 *Verbum consistere, vel existere denotat localitatem.*
13 *De Regula subrogatorum.*
14 *Concordata capiunt beneficia existentia in Regno, licet sint sub Ecclesiis Cathedralibus extra Regnum.*

15 *Æqua-*

15 *Æqualitas est servanda inter concurrentes, ac evitanda inæqualitas, seu claudicatio.*
16 *De attendenda localitate beneficiorum.*
17 *Quod observantia sit optima interpres, eique deferendum sit.*
18 *De materia immutationis, seu alterationis status beneficii.*
19 *De opinione Romani, ejusque sequacium, ut attendi debeat locus beneficii.*
20 *Respondetur ad fundamenta, de quibus n. 9. & 10.*
21 *De Prælato habente beneficia in alia diœcesi.*
22 *Beneficia litigiosa cadunt sub concordatis.*
23 *Ex concordatis ist locus præventioni.*
24 *Ad quid sit considerabile motivum litis.*

D I S C. XXVII.

SEquuta vacatione Prioratus S. Romani, quod est situm in diœcesi Vasionen. Status Avenionensis per obitum possessoris de mense Januarii 1661. Vice-Legatus Avenion. vigore suarum facultatum conferendi beneficia vacantia in mensibus reservatis, illum contulit Petro Antonio Lascaro, Abbas autem Insulæ Barbaræ, seu Archiepiscopus Lugdun. d. Abbatiæ possessor, ad
1 cujus provisionem, cessantibus reservationibus, pertinet ejus ordinaria collatio, in vim concordatorum Galliæ contulit Ludovico Cameret, unde introducta desuper lite in Rota cor. Albergato, seu cor. Legato Avenionensi cum voto Rotæ, ad favorem d. Ludovici provisi ab Ordinario solum informantis in contumaciam Las-
2 cari *sub die 4. Maji* 1665. prodiit resolutio, a qua in repropositione *sub die* 21. *Junii* 1666. recessum fuit firmando non intrare concordata, ideoque attendendam esse provisionem Vice-Legati, stante quod beneficium non erat in Regno Galliæ, licet in eo esset Prælatus collator, atque sequuta postmodum morte dicti Ludovici, ac proviso per eumdem Abbatem Claudio Andrea Scotto, cum isto assumpta fuit disputatio coram eodem Albergato; An standum esset in primo, vel in secundo loco decisis, & proposita causa, nulla capta resolutione, ob difficultates habitas contra secundam decisionem, dictum fuit, quod iterum proponeretur, quod juxta frequentiorem contingentiam est magnum indicium, atque ut Curiales dicunt, est vigilia recessus, & in hoc statu assumptus fui ad scribendum ex parte Lascari in alia propositione *sub die* 18 *Junii* 1668. in qua contigit id quod jam timebatur, dum recedendo a secundo, persistum fuit in primo loco decisis, quod scilicet intrarent concordata, & in hoc statu causa pendet. Cumque ego in uni-
3 ca tantum disputatione intervenerim, neque post hanc ultimam resolutionem, vel antea super causæ directione, vel examine habiti fuerint congressus, quorum præsertim occasione melius veritas inquiri solet, atque maturum judicium pro veritate in causa efformari, hinc proinde adhuc indeterminatus remansi, qualis resolutio majorem haberet probabilitatem, & consequenter integrum locum relinquendo veritati, atque maturius reservando judicium quatenus istius, vel alterius causæ occasione de hoc puncto denuo disputare occasio præbeat, adnotantur solum in forma discursiva & ad memoriam, ac propriam instructionem (ad quos effectus omnes meæ adnotationes principaliter ordinatæ sunt) ea quæ hinc inde deducebantur.

Ex parte provisi ab Ordinario collatore in vim concordatorum, cui adhærent prima, & tertia decisio, dicebatur, quod cum hujusmodi concordata prodierint in gratiam pacis & unionis Ecclesiæ, ac ad effectum tollendi pragmaticam sanctionem, idcirco favorabiliter interpretanda sunt, ac benigne favore collatorum, juxta dec. *unicam* Cassad. *n.* 2 *de pactis*, Put. *decis.* 108. *n.* 1. *lib.* 2. Simonett. *de reserv. q.* 99. *n.* 24. & 27. Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 25. *n.* 9 Cocchier. *ibid. gloss.* 11 *n.* 10. Et consequenter quod comprehendere debeant tam Beneficia in Regno existentia quam sita extra Regnum ad collationem Prælatorum Regni, quasi quod non ipsorum beneficiorum localitas juxta opinionem Roma-
5 ni *cons.* 361. sed ipsorum Collatorum status, vel locus attendi debeat, ut rejecta opinione Romani firmavit Rota de anno 1539. in alia Vasionen. Sacrillæ coram Tolomeo relata per Mohed. *decis.* 3. *de præbendis*, alias *decis.* 92. & cæteris relatis sequuntur Simonett. *de reservat. quæst.* 1. *n.* 1. Gonz. *ad reg* 8. *gloss.* 11. *n.* 30. & 31. & *gloss* 25. *n.* 1. Cocchier. *ad primarias preces, sect.* 2. *ite.* O. Rebuff. *ad ista concordata Galliæ, tit. de mandatis Apostolicis*, § 1 *verbo decem*. Add. ad Dec *cons.* 256 *litt. A.* Tondut. *in addit. ad quæst.* 169. *part.* 3. *numer.* 13. *impress. post indicem sui tractatus de pensionibus*:

Secundo deducebatur argumentum ab iis quæ firmantur per Rotam *in Marianen. & Acern. Beneficii* coram Rojas, Corrado, & Bichio juxta deducta supr. *in eadem* 6
causa, disc. 18. quod scilicet Episcopus quamvis residens in una diœcesi gaudere possit privilegio alternativæ pro beneficiis in alia Diœcesi existentibus.

Tertio ad probandum, quod concordata principaliter concernant personas collatorum, non autem localitatem 7
Beneficiorum considerabatur exceptuatio Cardinalium a Regula octava, seu nona, quod scilicet principaliter respicitur ad personas ipsorum Cardinalium, ideoque capiat quæcumque Beneficia quomodolibet ad eorum provisionem pertinentia, ut advertitur *dec.* 986. *n.* 7. cor. Seraph. & *dec.* 635 *n.* 5. *part.* 3. *recent.* Igitur multo magis idem dicendum est super interpretatione hujusmodi concordatorum, quæ favorabiliora dicuntur, magisque benignam interpretationem merentur quam indulta, Put. *d. dec.* 8
108. *n* 3 *lib.* 2. Rot. *dec.* 10. *n.* 3. *part.* 3. *divers. lib.* 3. Gonz. *d. gloss.* 25. *num.* 11. Ricc. *collect.* 4072.

Adducendo desuper rationem, quod Beneficia existentia in diœcesi unius Episcopi, si spectant ad alte- 9
rius Prælati collationem, non dicuntur esse de illa diœcesi, sed de altera collatoris, juxta doctrina Ancharani *in c. si propter, de rescriptis in* 6. *n.* 3. ubi ponit exemplum de cappella, seu Ecclesia existente in Civitate Florentiæ sub jurisdictione Episcopi Fesulani, quod non dicatur esse in diœcesi Florentina, sed in Fesulana; Quodque Beneficium exemptum non dicatur esse in loco, in quo materialiter situm est, probatur ex deductis per Abb. *in* 10
c. super eo, n. 4 *de Parochis*, & *Andr. Sicul. in c. Abb. in fine, eod. tit.* quod etiam comprobatur per text. *in Clementin.* 1. *de supplenda negligentia Prælatorum*, quod in Beneficiis exemptis Ordinarius non jure proprio & Diœcesano sed ex delegatione Sedis Apostolicæ supplet negligentiam collatoris, ut advertitur per Rotam *dec.* 635. *n.* 2. *part.* 3. & apud Merlin. *dec.* 891. *n.* 3.

E converso ex parte provisi per Vice Legatum contendentis de non comprehensione sub concordatis istius Beneficii, utpote existentis in diœcesi Vasionensi extra Regnum, de quo concordata loquuntur, & sic quod non persona collatoris, sed locus Beneficii in hoc proposito attendi debeat, plura deducebamus ego & cæteri.

Primo scilicet inspecto tenore literali ipsorum concordatorum, probante illa emanasse in gratiam Re- 11
gis Galliæ ad effectum abrogandi pragmaticam sanctionem editam pro ejus subditis, & pro Ecclesiis ac Beneficiis existentibus in Regno Franciæ & Delphinatu & in Comitatu Dion. & Valentinensi, quod etiam reperitur in quinque litteris Apostolicis ejusdem Leonis X. super prorogatione termini ad acceptandum eadem concordata, & ex pluribus litteris Regis Francisci Primi comprobantibus totum tractatum fuisse pro Ecclesia Gallicana, ac pro Ecclesiis & Beneficiis sub ea existentibus, & in gratiam suorum subditorum, quibus provisio facienda erat magis quam in gratiam collatorum, ut patet ex omnibus dictis litteris, quæ una cum ipsis concordatis registratæ sunt apud Rebuff *ad concordata in fine ex fol.* 786. *cum seq. in illis impressionis Lugdunen. anni* 1586.

Observando, quod in omnibus dictis litteris Apo- 12
stolicis Papa loquendo de Ecclesiis & Monasteriis providendis, semper utitur verbo, *consistentibus*, quod denotat materialem ac localem situationem, seu consistentiam & circumscriptionem in loco, ut de hoc verbo *existere*, vel *consistere* advertitur in proposito circumscriptionis bonorum a loco per Rotam *dec.* 271. *num.* 15 *part.* 11. *recent.*

Secundo quia in eisdem concordatis expresse dicitur, ac pluries repetitur, ea concedi, sive subrogari in locum pragmaticæ Sanctionis, ideoque dicebatur intrare vulgarem regulam subrogatorum, de qua apud Gabr. *de* 13
regul. jur. concl. 2. Barbos. *axiom.* 123. Greg *decis* 115. & *passim*, ut subrogatum sapiat in omnibus jus & naturam ejus in cujus locum facta est subrogatio, neque ultro se extendat, unde cum dicta pragmatica caperet solum Ecclesias & Beneficia in ipsis Regno, Delphinatu, & Comitatu, videbatur quod ad hos limites ista concordata intelligenda essent.

Tertio, ob efficax argumentum æqualitatis servandæ 14
inter contrahentes, quoniam ubi agitur de Beneficiis existentibus in dictis Regno, Delphinatu, & Comitatu, insistitur super observantia concordatorum, quamvis ageretur de locis in spiritualibus subjectis Ecclesiis Avenionensi, vel Carpensi, aut alias existentibus in Statu

Ave-

Avenionensi, vel Comitatu Venaisino ex deductis per
Tondut. *d. q. 169. lib. 3. n.* 13. igitur cum versemur in con-
tractu correspectivo, semper capiendus est ille intelle-
15 ctus, per quem inducatur æqualitas, ac evitetur inæqua-
litas & claudicatio in jure damnabilis, ex collectis per
Barbos. *axiom.* 16. Rota *decis.* 261. *n.* 7. *part.* 11. *recent.*
& magis proxime *dec.* 348. *n.* 42. *&* 43. *part.* 9. & ha-
bemus quotidianum in materia leoninæ transactionis.

Quarto ad probandum, quod etiam in indultis & gra-
tiis benigne interpretandis insistatur in localitate; quod-
que non attendatur, an loca sint de jurisdictione spiritua-
16 li Ecclesiarum existentium in aliis Regnis, vel provinciis,
deducebantur pluries firmata per Rotam *in Barchinonen.
Canonicatus disc. seq.* circa non comprehensionem Princi-
patus Cathaloniæ sub indulto concesso pro Ecclesiis exi-
stentibus in Regnis Hispaniarum, ac etiam ea quæ haben-
tur *in Pampilonen. decimarum de Taffalla, de qua sub
tit. de Præeminentiis, disc.* 29. ut scilicet attendatur
situatio locorum in Regno, & non detur extensio ad
loca existentia in alio Principatu, quamvis subjaceant
in spiritualibus Ecclesiis existentibus in Regno.

Quinto nimium ponderabatur observantia deducta ex
collationibus 100. & ultra annorum factis per Vice-
Legatos, vel per Ordinarios; Si enim habemus vulga-
rem propositionem, qua nil in foro frequentius, ut
17 observantia etiam temporis considerabilis, quamvis non
apti ad præscriptionem attendenda sit tamquam opti-
ma interpres casus dubii, distinguendo inter observan-
tiam interpretativam & præscriptivam, quasi quod ista
indigeat longissimi temporis cursu, aliisque requisitis
præscriptionis, non autem illa, ex deductis per Bar-
bos. *in l. post dotem, n.* 47. *& seq. ff. solut. matrim.*
ac etiam ita distinguendo Rota *dec.* 319. *&* 351. *part.*
6. *recent.* & in specie interpretationis indulti Aposto-
lici *decis.* 59. *n.* 13. *part.* 10. *recent. Cæsaraugustana por-
tionum* 16. *Junii* 1659. coram Albergato, & sæpe in
aliis, idcirco cum agatur de observantia centenaria,
quæ deduci posset tamquam præscriptiva, multo ma-
gis attendenda videtur tamquam interpretativa.

Et licet in ultima decisione respondendo huic fun-
damento dicatur, provisionem Ordinarii esse unicam
ac defectuosam, vel ineffectuatam, alias vero fuisse A-
postolicas per viam resignationis, sive per obitum præ-
veniendo Ordinarium collatorem ex facultatibus, de qui-
bus apud Rebuff. *super concordatis, tit. de collationibus,
§. si quis vero*, unde propterea infertur ad conclusionem,
quod provisiones Apostolicæ non immutant, seu alterant
statum Beneficii: Respondebamus tamen ego & cæteri
pro hac parte scribentes id percutere materiam immuta-
tionis, vel alterationis status, quam apud Beneficialistas
receptum est resultare ex legitima longissima observantia
18 40. annorum *ad text. in cap. cum de beneficio, de præbend.
in 6. ubi scribentes* præsertim Franc. *n.* 6. Gonz. *ad regul.*
8. *gloss.* 7. *n.* 8. *& gloss.* 8. *n.* 31. Burrat. & Add. *decis.* 636.
n. 1. & sic ad effectum evitandi hanc immutationem de uno
certo præcedenti statu Beneficii in alterum, puta de li-
bero in servum, vel de servo in liberum, vel a statu re-
gulari ad sæcularem, & e contra, cum similibus, quan-
do recte intrat dicta conclusio, unde quicquid de ista
esset in suo casu, dicebatur quod versaremur in ter-
minis diversis, dum non agebatur de immutando, vel
præscribendo statum beneficii, sed de interpretando di-
cta concordata, potissime quia directæ interpretationi
assistebat litteralis significatio verborum, ac etiam ju-
ris regula super æqualitate servanda, & inæqualitate,
seu claudicatione evitanda ut supra; Si enim habemus
receptam propositionem, quod interpretatio resultans
ab observantia debet attendi, quamvis verborum pro-
prietati repugnet, eorumque sensus litteralis videatur
diversus, cui prævalet Dunozett. *dec.* 937. *n.* 27. *& seq.
d. dec.* 59. *n.* 12. *part.* 10. *dicta Cæsaragustana portionum
coram Albergato*, & frequenter, multo magis ista assi-
stentia concurrente, ideoque termini videbantur diversi.

Et demum dicebatur majorem DD. auctoritatem huic
parti assistere, quod scilicet ad effectum collationis at-
19 tendatur locus Beneficii, non autem persona collato-
ris *juxta cons.* 361. Romani, quod sequuntur Mandos.
ibidem in addit. litt. D. Cassan. *cons.* 31. *n.* 25. Rebuff.
in praxi, tit. forma Vicariatus, n. 108. Garz. *de be-
nef. part.* 5. *cap.* 3. *n.* 28. Barbos. *in Clem. unica de sup-
plenda negligentia Prælatorum, n.* 12. Tiraq. *de retract.
lignag. §.* 36. *gloss.* 3. *n.* 27. Tondut. *d. quest.* 169. *part.*
3. *num.* 13. *cum seq.* late Zipeus *consult. canon. ad de-
cretal. lib.* 3. *consult.* 6. *in princip.* & alii apud eos,
quorum opinio videbatur potius recipienda, non so-
lum ratione numeri, (in quo tamen ego nunquam fun-
damentum constituere consuevi,) sed fortius ob ma-
jores supra recensitas regulas ac rationes assistentes.

Neque subsistere dicebamus contraria fundamenta re-
censita in prima & tertia decisione, præsertim vero in
ista; Quatenus enim pertinet ad illud deductum ex au-
ctoritate Rotæ apud Mohed. *dec.* 3. *de prebendis*, quod
videbatur esse majus, facilis videbatur responsio, ex eo
quod a dicta decisione fuisset recessum, ut apud Ca-
putaq. *decis.* 178. *part.* 1. ubi canonizatur *cons. Roman.*

Et quoad alias auctoritates advertebatur, nedum ma-
jorem numerum, majoresque rationes ut supra, alteri
opinioni assistere, sed plures ex dicentibus contrarium,
esse suspectos, eosque non mereri, nec quidem no-
minari, ut est præsertim *additionator ad Decium*.

Alia vero fundamenta nil influere videbantur ad ca-
sum, illud præsertim deductum ex decisionibus *in Ma-
rianen. & Accien. Beneficii coram* Rojas & Corrado,
quoniam ut ex illius causæ statu patet, *disc.* 18. ibi
non agebatur de puncto, an lex, vel indultum loquens 20
de una diœcesi, vel provincia caperet Beneficia exi-
stentia in diversa diœcesi, vel provincia ex eo quod
essent ad collationem Episcopi diversæ diœcesis, cum
de his nec quidem a longe ibi tractetur, sed agebatur
de puncto simplicis voluntatis Episcopi duarum Eccle-
siarum æque principaliter unitarum acceptantis alter-
nativam sub denominatione unius diœcesis, an cen-
seretur acceptasse pro illa tantum, vel etiam pro al-
tera, quod pendebat ab eo, an denominatio, seu in-
titulatio staret demonstrative, vel taxative, ac etiam
quia licet inter se ad alios effectus Ecclesiæ æque prin-
cipaliter unicæ dicantur diversæ, attamen quoad Epis-
copum habentur pro unica, ut eodem *disc.* 18. & con-
sequenter termini videntur nimium diversi.

Illa vero quæ in ultima decisione dicitur, ratio fun-
damentalis opinionis reprobantis illam Romani, quod
scilicet beneficia existentia in una diœcesi ad proviso-
nem alterius Episcopi, vel Prælati, non dicantur de
diœcesi proprii Ordinarii, sed de illa collatoris, vi-
debatur omnium debilior ac fallacior, & forte con-
tinens aliquod æquivocum, stantibus auctoritatibus
ad id adductis, illa præsertim Ancharani loquentis de
Ecclesia, vel cappella existente in Civitate Florentiæ
sub jurisdictione Episcopi Fesulani, quoniam ut de
isto casu in specie pluries advertitur *sub tit. d. jurisd.*
præsertim *in Nazarena, disc.* 20. *& in Firmana disc.* 14.
ob residentiam Episcopi Fesulani in eo loco cum suo
clero & populo vivente intra ejusdem Ecclesiæ limi-
tes, ita vel ex Apostolica concessione, vel ex antiqua
consuetudine inductum dicitur quoddam territorium 21
separatum, seu dismembratum a diœcesi Florentina,
effectumque de diœcesi Fesulana, quod nullam conne-
xionem habere videtur cum isto casu, cui observabam
magis congruere ea quæ habentur *in Amalphitana ju-
risdictionis, eodem tit. de jurisd. disc.* 21. super uno
Episcopo possidente Ecclesiam in alia diœcesi, con-
siderando tamquam simplici Rectore subjecto legi diœ-
cesanæ Ordinarii: Hæc dicebantur hinc inde, super
quibus nil statuendo integer locus veritati relinquitur.

Deducebamus etiam in isto casu particulari moti- 22
vum litis juxta terminos text. *in cap.* 1. *&* 2. *ut lite
pend. in* 6. & consequenter, quod ubi etiam in vim
concordatorum collatio spectaret ad dictum Abbatem
in vim concordatorum, adhuc tamen intraret affectio
Apostolica; Verum illud motivum mihi videbatur pa-
rum tutum, quodque ubi ad illud restringeretur jus
provisi Apostolici, seu Vice-Legati, prima & ultima
resolutio probabiles remanerent, quoniam juxta in-
terpretationem concordatorum tributam a consuetudi-
ne, illa capiunt etiam litigiosa, & de qua consuetu-
dine post Rebuff. Tondut. *ref. Benef. part.* 1. *cap.* 29.
n. 4. *& seq. & part.* 3. *d. cap.* 169. *n.* 9. & consequen-
ter cum ad formam eorumdem concordatorum detur præ-
ventio inter Sedem Apostolicam, & Ordinarios, ut legi- 23
tur in eisdem concordatis, & advertit Gonz. *ad reg.* 8. *gl.*
25. *n.* 19. *&* 20. atque mortuo primo proviso Ordinarius
prævenisset, idcirco gratia Apostolica subrogationis obten-
ta per provisum a Vice-Legato, non videbatur suffragari.

Verum quamvis in casu quo intrarent clare concorda-
ta, videretur dictam responsionem datam motivo litis es-
se probabilem, adhuc tamen isto casu dicebam motivum
esse nimium considerabile, cum negari non posset ex hinc
inde supra deductis, quod versaremur in casu dubio, ac 24
etiam quod ipsa concordata in verbis non loquuntur de
isto casu litis, qui solum deducitur ex quadam observan-

tia,

tia, unde propterea est nimium cumulare specialitates ac exorbitantias, & hoc præsertim mihi videbatur satis considerabile.

MAJORICEN. CANONICATUS POENITENTIARII, PRO CAPITULO CATHEDRALIS.

Responsum pro veritate.

De indulto Gregoriano super modo providendi Canonicatum Penitentiarium in Hispaniis, An comprehendat Insulam Majoricæ, Et quatenus comprehendat, quomodo Episcopus & Capitulum concurrant in hujusmodi provisione. Et incidenter, An & quando inter duos habentes simultaneam detur jus accrescendi, vel non decrescendi, itaut collatio ad solum Episcopum, vel respective ad solum Capitulum pertineat.

S U M M A R I U M.

1 *Quomodo provideantur in Hispania canonicatus doctoralis, & theologalis.*
2 *De provisione canonicatus pœnitentiarii ex Conc. Trid.*
3 *De indulto Gregoriano circa provisionem dicti canonicatus pœnitentiarii in hispania.*
4 *Casus controversiæ.*
5 *Resolutiones causæ.*
6 *De punctis causæ, seu inspectionibus.*
7 *Quod Insulæ Baleares alias Majoricæ, & Minoricæ veniant sub nomine Hispaniarum.*
8 *Insulæ pertinent ad provincias adiacentes.*
9 *Quod etiam in indultis Apostolicis immorandum non sit in formula verborum, sed in substantia veritatis.*
10 *Qualis sit substantia huius indulti, & quomodo Episcopus, & Capitulum concurrant.*
11 *An Constitutiones Sixti, & Leonis super Canonicatibus doctorali, & theologali in hoc attendi debeant.*
12 *De pluribus argumentis probantibus concursum unitivum Episcopi, & Capituli.*
13 *De argumentis in contrarium.*
14 *De reduplicatione personæ Episcopi tamquam Episcopi, & tamquam Canonici intervenientis in Capitulo.*
15 *Vicarius generalis Episcopi non habet vocem in Capitulo, licet eam habeat Episcopus.*
16 *Quando Episcopus, & Capitulum in beneficiis simultaneæ collationis provident diversas personas, nemo dicitur provisus.*
17 *Declarando an procedat, & de conclusione, ut aliis non eligentibus, vel male totum jus consolidetur in aliis.*
18 *De alia declaratione conclusionis, de qua n. 16.*
19 *De ratione cui innixa est simultanea inter Episcopum, & Capitulum.*

D I S C. XXVII.

1 Cum ex Constitutionibus Sixti IV. & Leonis X. registratis apud Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 4. *post n.* 169. in Cathedralibus & Metropolitanis Hispaniarum, duo qualificati Canonicatus, Magistralis, & Doctoralis, prævio concursu, per ordinarium & Capitulum provideantur, atque per *Sacr. Conc. Trid. sess.*
2 24. *de reform. c.* 8. statutum esset in omnibus Cathedralibus & Metropolitanis erigi debere Canonicatum Pœnitentiarium, cujus provisio soli Ordinario absque aliqua Capituli participatione competere deberet, & quam Conciliarem dispositionem receptum est, nedum in prima, sed in omnibus successivis Canonicatus vacationibus locum habere juxta *cons.* Navarr. *unic. ne Sede vacante*, ut per Paris. Gonzal. Garz. & alios relatos per Barb. *de Canon. cap.* 26. *numer.* 4. Mant. *decis.* 56. *numer.* 1. Millin. *dec.* 53. *in Barchinonen. Canonicatus* 15. *Februarii* 1664. coram Verospio edita in causa, de qua *disc. seq.* Hinc observantia dedit, quod iste Canonicatus etiam in Hispaniis, ubi circa istud jus conferendi magnam habent partem capitula, per solum Ordinarium absque capituli participatione provideri consuevit usque ad tempora Greg. XV. qui de anno 1622. ad supplicationem Regis Catholici &
3 capitulorum per ejus Constitutionem registratam per Barbos. *de potest. Episcopi part.* 3. *fol.* 109. *juxta impress. Lugdunen. anni* 1641. statuit in Regnis Hispaniarum hujusmodi Canonicatum non obstante quacumque reservatione præterquam illa apud Sedem, provideri debere ab Ordinario, & capitulo per concursum habendum juxta formam ab eadem constitutione præscriptam.

Sequuta igitur vacatione hujus Canonicatus in Ecclesia Majoricen. in qua juxta ea quæ habentur infra in alia *Majoricen. Canonicatus, disc.* 29. provisio Canonicatuum fit per capitulum cum interventu Episcopi tamquam unius ex capitularibus absque eo quod habeat illam coæ-
qualem simultaneam, quæ alias de jure competit, Epis- 4
copus fretus dicto Conciliari decreto, absque concursu, vel capituli participatione Canonicatum contulit Gabrieli; capitulum vero prævia interpellatione Episcopi juxta formam Constitutionis Leonis X. servata forma dicti Indulti Gregoriani illum contulit Christophoro; Verum Petrus illum tamquam devolutum ad Sedem Apostolicam ab ista impetravit, præsentatisque litteris in Rota coram Emerix, atque dato dubio, *an illæ essent exequenda, sub die* 3. *Decembris* 1663. negative respon-
sum fuit; in repropositione vero sub *die* 16. *Junii* 1664. 5
recedendo a decisis, diversa affirmativa prodiit resolutio confirmata 11. *Martii* 1665. concessaque victis nova audientia, sub *die* 12. *Februarii* 1666. *coram eodem*, recedendo a secunda & tertia resolutione, perstitum fuit in prima, & in hoc statu, quod sciam: causa silet, ob subsequutam mortem Honuphrii.

In hoc autem intermedio tempore inter tertiam & quartam resolutionem, ex parte capituli pro veritate consultus fui per ejus indemnitate, ac magis ad effectum occurrendi futuris præjudiciis, quæ sibi ex hujusmodi resolutionibus pro futuris vacationibus causari possent, quam quod uni, vel alteri ex collitigantibus, assisteret;
Quare tres constituebam inspectiones; Primo scilicet 6
super istarum Insularum comprehensione sub d. indulto Gregoriano. Secundo super puncto in genere etiam pro futuris vacationibus; Et tertio in controversia speciali quisnam ex tribus contendentibus potiora jura foveret.

Quoad primum, nil amplius intererat de hoc agere stante superventa declaratione Alexandri VII. super di-
cta comprehensione, quæ propterea ita hodie remanet 7
extra omnem quæstionem, ut etiam habetur *disc. seq.* Et nihilominus quando de hoc agi debuisset, mihi omnino probabiliores videbantur intermediæ resolutiones super comprehensione, cum ista videatur clara, tam ex geographorum & chronistarum testimonio, quam etiam ex dispositione juris deferente Insulas provinciis adjacentibus *ad text. in l. Insulæ, ff. de judiciis, & cap. unico, §. Apuliæ, extrav. commun. ubi gloss.* in
verbo *Siciliæ* agit in specie de insula Majoricarum; 8
Ac etiam ex observantia super solutione subsidii & excusati, ac jurisdictione Nuncii Hispaniarum cum aliis ponderatis in dictis decisionibus, præsertim Secunda 16. *Junii* 1664. non revocatis, sed potius in hac parte præsuppositis in quarta earum revocatoria.

Quo vero ad secundum punctum, in quo proprie versabatur interesse capituli, & a quo etiam pendebat determinatio dictæ triangularis controversiæ, particularis decisio pendebat ab eo an ista provisio facienda esset per Episcopum & capitulum disjunctive juxta formam simultaneæ de jure competentis, adeout tanta esset vox solius Episcopi, quanta illa capituli, absque necessitate simultanei, seu collegialis concursus, ac propterea quilibet diversis loco & tempore suum jus respective exercere valeat: Vel potius e converso fieri deberet unitive, seu collegialiter tamquam ab uno corpore tam ab Episcopo quam a capitulo constituto, juxta eam formam, cum qua alii Canonicatus hujus Ecclesiæ conferuntur, ut infra, *disc.* 29.

Super hoc autem, scribentes in dicta causa pro tribus respective contendentibus, ac etiam Rotæ decisiones, nimium insistebant super formula verborum Indulti eorumque grammaticalis constructionis ac significationis, quod tamen pro meo sensu, in præcedentibus etiam, sæpius vero *sub tit. de fideicomm.* ac ali-
bi insinuato, videbatur parvi momenti, ex proposi- 9
tione apud me in foro principatum obtinere debente, ut non cortex & figura verborum, sed substantia veritatis, seu verisimilis voluntatis attendi debeat, quoniam sicuti in contractibus, vel ultimis voluntatibus frequentius verborum formula pendet a diversis Notariorum stylis & formulariis, absque eo quod partes ad id reflectant, ita pariter quando non agitur de Constitutionibus Apostolicis editis per viam legis universalis, sed de hujusmodi Indultis & gratiis particularibus respicitur ad substantiam, & quid Pontifex concedere voluerit; Verborum autem formula, seu contextura, pro Secreta-
riorum

riorum diversitate diversa esse solet, ut supra, *discurs.* 5. Ideoque hujusmodi grammaticales quæstiones solæ & de per se in foro incongruæ videntur, præterquam ubi ipsi grammaticali significationi alia assistant, vel non resistant, & tamquam unum ex adminiculis, quoties tamen verba non sint adeo clara & expressa, quod infert regula text. *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. late exornata per Rot. *decis.* 44. *num* 14. *part.* 11. *recent.*

Spectata igitur substantia veritatis, duo Pontifex per hoc Indultum concedere voluit innovativa status, in quo ex dicto Conciliari decreto iste Canonicatus Pœnitentia-

10 rius singularizatus est; Primo scilicet ut ejus provisio fieret tam per Ordinarium, quam per capitulum, non autem per Ordinarium solum independenter a capitulo, ut per Conciliare decretum disponitur; Et secundo, ut provideretur per concursum eo modo quoad præscriptum dictarum Constitutionum Sixti & Leonis providentur dicti alii duo Canonicatus qualificati, Doctoralis scilicet, & Theologalis, & sic in substantia istum Pœnitentiarium

11 pariter qualificatum, atque habentem eamdem rationem, præfatis aliis exæquare voluit, ut omnium trium uniformis provisio fieret.

Quod bene comprobari observabam ex firmatis per Rotam apud Carill. *decis.* 51. *repet. decis.* 743. *part.* 4. *recent. tom.* 3. *num.* 11. *cum seq.* quod scilicet quamvis dicta Indulta *Sixti & Leonis* non fuerint causa præcisa & finalis hujus Gregoriani, ad effectum, ut istud ad illorum limites præcise ac taxative intelligendum esset, adhuc tamen illa fuerunt causa impulsiva, sive assimilativa, ut illa pro istius interpretatione attendi debeant, ut ad aliud propositum advertitur *decis.* 14. *n.* 70. *part.* 9. *recent.* ac etiam in decisionibus editis *in Barchin. disc. seq.* quod etiam identitas rationis bene comprobat; Et propterea cum præfati duo alii Canonicatus qualificati provideantur ita per concursum per Episcopum & Capitulum unitive, seu collegiative, idcirco substantia veritatis ea videbatur, quod Indultum, removendo specialitatem in illo Canonicatu Pœnitentiario resultantem a Concilio Tridentino, ille sub aliorum regula caderet, ac aliis exæquaretur.

Idque comprobari etiam observabam ab ejusdem Indulti toto contextu, non autem per partes, seu verbo-

12 rum formulas attendendo; Et primo quia præscribendo formam concursus disponitur ut concurrentes examinari debeant mediante concione, vel electione per horam super puncto extrahendo ex libro sorte aperto per Ordinarium & Capitulum in præsentia oppositorum, & sic præsupponitur actus unicus ac individuus ita contemporanee faciendus coram Episcopo & capitulo simul, seu collegiative, dum impossibile est dictam formam verificabilem esse juxta eam simultaneam, quæ de jure competit, per quam Episcopus & capitulum distincte, atque in diversis loco & tempore suum respective jus exercent.

Secundo quia disponitur, ut peracto examine, assumi seu eligi debeat ille, qui per Ordinarium & capitulum magis idoneus reputatus fuerit, quod pariter præsupponit actum unitivum, seu collegiativum, ac individuum eodem tempore explicandum.

Tertio, quia Pontifex utitur verbo *eligere*, seu termino *electionis* æqualiter directo tam ad Ordinarium, quam ad capitulum, quod pariter est argumentum actus collegialis & unitivi, quoniam ubi agitur de simultanea distributiva, tunc iste terminus adaptari potest capitulo constituto ex pluribus, sed omnino incongruus est Episcopo, qui solus pro suo jure confert.

Quarto, quia contingente vacatione in mense reservato disponitur, ut electus intra sex menses a die electionis litteras testimoniales Ordinarii & capituli in Dataria præsentare deberet, & sic consideratur actus unicus, qui cadere debeat in unica persona ad formam testimonialium per Datariam providenda, eo modo, quo providentur Parochiales cum litteris testimonialibus Ordinarii super præelectione in concursu ad formam ejusdem Conc. Tridentini, quod omnino incongruit simultaneæ disjunctive, ob quam dari potest (ut frequenter contingit) quod Episcopus eligat unum, & capitulum eligat alterum.

Quinto, quia eidem Ordinario & capitulo pro eorum arbitrio per verba denotantia unitatem, conceditur facultas ex justa causa dispensandi ætati 40. annorum, ac etiam mulctandi pro eorum arbitrio talem Canonicum male suum munus explentem, quod repugnare videtur simultaneæ disjunctive, seu distributive.

Et sexto demum ducto argumento a simili a præfata Constitutione Leonis X. a qua, ut supra dictum est, congruit istam recipere interpretationem, quia disponitur, Ordinarium monendum esse, ut intra triduum interveniat in capitulo, sin minus, procedatur per solum capitulum & sic ad evidentiam supponitur simultanea unitiva per actum unicum collegiativum.

In contrarium urgere videbantur; Primo quod in eodem Indulto Episcopus, seu Ordinarius semper considératur tamquam Ordinarius, quod incongruit intelle- 13
ctui, de quo supra, quoniam quando Episcopus intervenit, atque dat unicum votum in capitulo tamquam unus ex capitularibus, potius consideratur tamquam Canonicus quam tamquam Episcopus, attenta enim ista secunda persona, tanta est vox sua, quanta est illa totius capituli, ut infra *in d. alia Majoricen. disc.* 29 Verum non videbatur argumentum adeo efficax, quod præmissis præponderaret; in ista præsertim Ecclesia, in qua Episcopus non habet eam simultaneam disjunctivam, quæ de jure communi alias competat, itaut in eo concurrat dicta personarum duplicitas, quod scilicet tamquam Episcopus habeat suum jus plenum coæquale juri capituli, ac etiam interveniat in capitulo tamquam Canonicus, ut est in plerisque Ecclesiis, & præsertim habetur supra *in Cæsaraugustana canonicatus, disc.* 22. ubi
Episcopus ratione ita divisæ simultaneæ, pro jure suo 14
habet duos mense ad liberam collationem, & tamen intervenit in capitulo tamquam unus ex capitularibus in collationibus, quæ fiunt in duobus mensibus ratione ejusdem simultaneæ capitulo assignatis; in ista enim Ecclesia, consideratus etiam tamquam Ordinarius, nonnisi unicum votum collegiativum habet, & non aliud.

Et secundo in contrarium magis fortiter ponderabatur alternativus interventus Episcopi, vel ejus Vicarii generalis; Vicarius enim non dicitur de capitulo, neque illi conveniunt ea, quæ convenire possunt Episcopo *gloss. in Clement.* 11. *de ætate & qualit.* ubi Cardin. in. §. *illis vero, num.* 10. Abb. *in proœm. decretal.* 2. *part. num.* 21. Caputaq. *decis.* 153. *num.* 3. *part.* 15
1. cum aliis per Rot. *dec* 366. *num.* 28 *part.* 9. *recent.* Sed responsio etiam videbatur facilis ex eo, quod idem disponitur in dicta constitutione Leonis X. & tamen sive Episcopus, sive Vicarius interveniat in capitulo collegiative cum unico voto, ideoque ut supra dictum est, ea videbatur substantia veritatis, quod per istud Indultum editum super Canonicatu Pœnitentiario, aliud geri noluerit, nisi tollendo specialitatem resultantem a Concilio Tridentino, istum Canonicatum exæquare dictis duobus aliis qualificatis ob rationis identitatem

Ponderabatur etiam in contrarium *decis.* 53. Millini, sed illa extranea erat a casu, cum incidenter ibi agitur in genere de simultanea competente ad limites juris communis in omnibus, Canonicatibus, vel Beneficiis Cathedralis, non descendendo ad hæc specialia, ad quæ neque descendere poterat, dum tunc illud indultum non proderat.

His autem positis, quod scilicet actus debeat esse unitivus, seu collegiativus Episcopi & capituli, hinc de consequenti resultabat determinatio secundæ inspectionis casus particularis ad favorem provisi a capitulo in exclusionem aliorum duorum contendentium; Posita enim validitate provisionis factæ per capitulum, necessario resultabat invaliditas provisionis factæ per Episcopum, tamquam privatum ac extra capitulum; Ac etiam consequenter provisio Apostolica ratione devolutionis, quæ præsupponit utriusque provisionis invaliditatem, seu negativam.

Ex parte provisi Apostolici ponderabatur, ac etiam 16
admittitur in decisionibus [illegible] editis, quod quando Episcopus, & capitulum circa simultaneæ collationis exercitium sunt discordes, tunc nulla provisio concludit, dum utraque dicitur tacta a medietate, adinstar eorum, qui sunt præsentati a Patronis cum medietate vocum, quoniam nemo ex eis jus habet ad petendam institutionem, ut in eisdem decisionibus; Atque motivum generaliter ac in abstracto erat verum, sed fallacia erat in applicatione; procedit enim in simultanea disjunctiva ad puros limites juris communis generaliter competente, per quam, ut supradictum est, quilibet ex collatoribus habet jus coæquale ac æque principale exercibile diversis loco & tempore juxta supradictum exemplum duorum, vel plurium patronorum æquales voces habentium in præsentando jure singulari, & in his terminis procedunt auctoritates desuper collectæ in secunda & tertia decisione.

Secus autem ubi agitur de simultanea unitiva deducenda ad exercitium per unicum actum individuum & collegiati-

giativum tamquam per unicum corpus politicum, seu intellectuale constitutum tam ab Episcopo quam a capitulo, tunc enim Episcopo requisito, & non curante intervenire, totum jus devolvitur ad capitulum, adinstar illius devolutionis, seu verius consolidationis, quæ fit in minori parte capitularium, seu collegialium, aliis non curantibus intervenire, seu impeditis, aut nulliter eligentibus *ad text. in cap. cum in cunctis, cap. dudum, & cap. congregato, de election. cap. gratum, de postulatione Prælatorum, cum concordantibus* per Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 45. *n.* 68. *& seq.* Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 21. *numer.* 24. *& seq.* Passarin. *de elect. cap.* 31. *quæst.* 1. Rota apud Coccin. *decis.* 212. *& in part* 9. *recent. dec.* 366. ac habetur in materia electionis infra *sub tit. de Capitulo & Canonicis*, ac etiam *sub tit. de jurepatr.* & conferunt deducta supra *in Cæsaraugust. disc.* 22.

Et ulterius etiam in casu simultaneæ disjunctivæ & coæqualis, tunc dicta conclusio procedit, ut illis, qui eam habent, in diversam abeuntibus sententiam, neutra
18 collatio concludat, sed fiat locus devolutioni ad Superiorem, quando uterque valide ac legitime suum jus exercet, secus autem ubi unus eorum negligit, vel inutiliter agit; tunc enim totum jus devolvitur ad consortem, seu per non jus decrescendi in eo consolidatur, ut habemus receptum in jurepatronatus, quod si duo habentes coæqualem vocem valide præsentant diversas personas, nemini jus quæritur, sed locus est gratificationi; si vero unus præsentare negligit, sive inutiliter præsentat, puta non clericum, aut alias incapacem, seu indignum, sive contra formam a fundatore præscriptam, tunc totum jus consolidatur in consorte, unde propterea debetur institutio præsentato per eum, perinde ac si ab omnibus patronis præsentatus esset, ut in dicta sua materia *sub tit. de jurepatr.* ex ea clara ratione, quod juspatronatus, vel conferendi dicitur individuum residens penes omnes insolidum, diviso solum exercitio, unde propterea si istud ab uno negligitur, vel male explicatur, tamquam per jus non decrescendi totum residet in altero.

Id autem magis de plano procedit in hujusmodi simultanea quamvis disjunctiva competente Episcopo & Capi-
19 tulo in Canonicatibus præsertim & beneficiis Cathedralis; Siquidem in jurepatronatus id provenit ex sola individuitate ipsius juris ac subjectæ materiæ, non autem ratione personarum, quæ sunt dividuæ ac diversæ, cum recte illud residere possit non solum apud plures personas inter se omnino extraneas ac de diversis locis, vel regionibus, sed etiam diversæ qualitatis, & cum diverso modo præsentandi, quia nempe alii sint laici, alii vero jure universo & collegiativo, & tamen ipsa individuitas juris causat hunc effectum; Multo magis in his terminis, in quibus concurrit etiam individuitas personæ, seu major connexio; collatio enim habitualiter, seu mentaliter fieri dicitur per ipsam Ecclesiam, penes quam jus conferendi residet, sed quoniam ipsa est persona inanimata, & non apta id explicare, idcirco ejus vice ac nomine id explicant Episcopus, & Capitulum tamquam constituentes, seu repræsentantes ipsum Ecclesiæ corpus, cujus Episcopus est caput, Capitulum vero reliqua membra, ut etiam advertitur supra, *dict. disc.* 22. ac pluries *sub tit. de jurisd.* ac sub altero *de præeminentiis*, unde propterea uno eorum impedito, seu negligente, aut male explicante suam partem, totum jus consolidatur in alio ob duplicem individuitatem ita concurrentem.

BARCHINONEN. CANONICATUS

POENITENTIARII,

PRO CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

ET JOSEPHO GALLAT,

CUM PETRO MARTYRE PHEBER.

Casus decisus per Rotam pro Petro Martyre, & pendet.

De eadem materia Indulti Gregoriani super provisione Canonicatus Pœnitentiarii, an capiat Principatum Cathaloniæ, qui veniat necne sub nomine Regnorum Hispaniæ, pro quibus dictum indultum concessum fuit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones emanatæ in alia antiquiori.*
3 *Resolutiones editæ in casu præsentis controversiæ.*
4 *De declaratione Alex. VII. super comprehensione Cathaloniæ sub indulto Gregoriano.*
5 *De conclusione, quod leges editæ pro uno Principatu non habent locum in alio æque principaliter unito dominio ejusdem Principis.*
6 *Quod observantia sit optima interpres indultorum, aliarumque dispositionum, & actuum.*
7 *Quod Principatus Cathaloniæ, & Comitatus Barcinonæ soleant explicari sub nomine Regni.*
8 *In idem cum responsione ad observantiam, quod esset uniformis.*
9 *Quod in ista materia non sit immorandum in figura verborum, sed in substantia veritatis.*
10 *Declaratur conclusio, de qua num. 5. quomodo, & quando procedat, & num. 13.*
11 *Quomodo doctrinæ ac regulæ generales intelligi debeant.*
12 *Quod ista quæstio sit potius facti, & voluntatis, quam juris, & quomodo decidenda.*
13 *De alia declaratione conclusionis, de qua nu. 5. & 10.*
14 *Quod sub privilegiis concessis Regibus Hispaniarum, vel Galliarum veniant alia dominia, quamvis extra Hispanias, vel Gallias.*
15 *Datur exemplum in Ducatu Urbini, & similibus.*
16 *Et aliud de alternativa acceptata per Episcopum duarum diœcesum unitarum sub denominatione unius.*
17 *Quando universa regio, vel dominatio veniat non curata titulorum distinctione, vel dominorum diversitate.*
18 *Quod tota Hispania, vel Gallia de facto reputetur pro uno Regno, licet inter se sint diversa.*
19 *Quod Cathalonia sit pars Hispaniæ.*
20 *Ubi lex nova emanat per viam declarationis, respicit etiam præterita.*
21 *Una præsumptio aliam præsumptionem tollit ex observantia resultantem.*
22 *Observantia non pacifica non observanda.*
23 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum, vel de loco ad locum.*
24 *Non usus, vel negligentia aliquorum non præjudicat privilegio concesso alicui universitati.*
25 *De observantia particulari inducente ultimum statum per rem judicatam an obstet, necne.*

D I S C. XXIX.

PRæsupposito tenore indulti super provisione Canonicatus Pœnitentiarii in Ecclesiis Regnorum Hispaniæ juxta seriem, de qua *disc. præced.* annis retro elapsis orta fuit controversia, An Ecclesiæ existentes in Principatu Cathaloniæ, & in Comitatu Barchinonæ, ista præsertim Barchinon. comprehenderentur sub nomine dictorum Regnorum, itaut venirent necne sub dicto Indulto, Et introducta causa in Rota inter provisum Apostolicum, & provisum a Capitulo ad formam indulti, tres prodierunt in tribus diversis instantiis sententiæ Rotales, ex rescripto etiam Signaturæ executioni demandatæ, in prima instantia coram Verospio prævijs duabus decisionibus 4. Decembr. 1644. & 9. Junii 1645. quarum prima est impressa *dec.* 316. *p.* 9. *rec.* in secunda cor. Rojas, prævijs etiam duabus decisionibus inter suas *dec.* 279. *&* 286. *repetit. eadem p.* 9. *rec. dec.* 375. *&* 389. *& in tertia* cor. Celso *inter suas dec.* 7. in quibus firmatur sub nomine Regnorum Hispaniæ non venire istos Principatum & Canonicatum; Sequuta vero vacatione ejusdem Canonicatus per obitum dicti ut supra sententias Rotales obtinentis, eadem controversia excitata fuit, quoniam Episcopus juxta dispositionem Concilii Tridentini illum contulit Petro Martyri Pheber; Capitulum vero ad formam dicti Indulti de illo providit Josephum Gallart, Et introducta causa in Rota coram Verospio, datoque dubio, cui dictus Canonicatus esset adjudicandus, ad favorem Petri Martyris provisi ab Episcopo prodiit resolutio *sub die* 15. *Februarii* 1664. confirmata *sub die* 8. *Junii* 1668. coram Vicecomite subrogato; atque ad earum normam expedita sententia, commissa fuit causa appellationis in eadem Rot. coram Albergato, ubi pendet disputatio dubii, an dicta sententia sit confirmanda, vel infirmanda.

In hoc statu, ad defensionem provisi a Capitulo evocatus fui, seu verius tamquam Regis Catholici Advocatus desuper

desuper consultus, tam ad effectum sustinendi, ac tuendi dictam collationem factam a Capitulo ad formam Indulti, & sic pro isto negotio particulari, quam etiam pro puncto generali comprehensionis istorum Comitatus & Principatus sub nomine, seu vocabulo Regnorum Hispaniæ.

Quatenus igitur pertinet ad hunc secundum punctum, inanis videbatur labor de illo agere, dum de tempore quo hæc discurrebantur, jam sequuta erat declaratio Alexan-
4 dri VII. super comprehensione, ut advertitur *disc. praced.* & consequenter hodie cessat omnis occasio dubitandi; Seclusa vero dicta declaratione, quatenus de eodem puncto agendum esset juxta primævum statum; Quam-
5 vis in prima decisione coram Verospio *316. part. 9. recent. ex num. 7. ad* 11. insistatur in ea generalitate, quod ista Ditionis, seu dominii pars per Regem Catholicum possideatur sub titulo ac nomine Principatus & Comitatus, respective autem sub nomine Regni, quodque sit dominium æque principaliter, non autem accessorie unitum Coronæ Aragoniæ, quæ pariter æque principaliter unita est alteri Coronæ Castellæ & Legionis, & consequenter quod vivat cum suis legibus, & privilegiis, & consiliis, independenter ab aliis Regnis, & Principatibus ejusdem Hispaniæ, atque non veniat sub legibus, & privilegiis loquentibus de aliis Regnis, ex regulis & propositionibus generalibus deductis.

Attamen tam in eadem decisione, quam in omnibus aliis subsequentibus, non determinando principaliter istum articulum, illumque indecisum relinquendo, cum verbo, *quidquid sit*, principaliter insistitur super observantia Ecclesiarum istorum Principatus & Comitatus, quod scilicet iste Canonicatus provideri consuevit, vel per Sedem Apostolicam in casu reservationis, vel per Ordinarium jure suo ad formam Concilii, nullatenus Indul-
6 ti prædicti forma servata, & cum eodem sensu proceditur in hujus causæ decisionibus coram Verospio & Vicecomite, præsertim latius in hac secunda, in qua expresse profitendo suspensum ac indecisum relinquere istum punctum (super quo tamen ostenditur eadem inclinatio in negativam, eodem modo, quo in dictis præcedentibus decisionibus editis in alia causa ostenditur) principaliter insistitur super sola observantia, ex recepto principio, quo nil in Rota & curia frequentius, insinuato supra, *disc. 26.* & in aliis pluries, ut observantia præsertim in Indultis & privilegiis in casu dubio sit optima intrepres ac interpretationum regina, quæ prævalere debeat etiam sensui, seu proprietati verborum, ut plene in prædictis omnibus tam alterius, quam istius causæ decisionibus probatur, atque est principium hodie melius absque superfluo auctoritatum cumulo licite præsupponendum.

E converso ex hac parte deducebantur plures auctoritates tam historicorum, quam juristarum, ac etiam geographorum, probantes quod licet istæ Ditiones Cathaloniæ, & Barchinonæ per plures diversos ponerentur jure Principatus, vel respective Comitatus, eo quia sic denominaban-
7 tur possessores, quando Hispania divisa erat in plures provincias, seu ditiones, de facto a pluribus diversis dominis possessa. Attamen postquam sub Corona nuncupata *Aragoniæ* sequuta fuit unio dominiorum Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ, & Barchinonæ cum annexis, omnia ista dominia indefinite ac promiscue sub nomine Regnorum explicari consueverunt, quamvis etiam aliquando in actibus particularibus antiqui tituli, continuando antiquos stylos & formularia, vel ad conservandam populorum benevolentiam, adhiberi consueverint ac soleant.

Et quoad observantiam, ut ex eisdem decisionibus patet, occasione respondendi ad objecta, docebatur illam
8 non fuisse pacificam & uniformem, cum plures darentur actus in contrarium, deducendo etiam ad comprobationem alia firmata per Rotam *in Terulen. Canonicatus* cor. Carillo *inter suas decis.* 51. ubi bene advertitur, quod istæ Hispaniarum provinciæ diversos titulos prius habentes, ac etiam quandoque retinentes Regnorum titulum, seu nuncupationem quoque habent.

Mihi vero in discursu, etiam pro veritate habito in congressu, ad quem ut supra, non scribendo amplius in causa, evocatus fui, hujusmodi generalitates hinc inde deductæ, principaliter fundatæ in formalitate verborum, pro mea consuetudine non placebant, ex eodem principio, de
9 quo super hoc eodem Indulto ad alium effectum *discurs. praced.* ut non cortex & formula verborum, sed substantia verisimilis voluntatis, vel subjecta materia attendi debeat, ad indagandum, quod vere tam per concedentem, quam per impetrantem indultum in animo, seu intentione habitum fuerit; Istæ siquidem regulæ generales hinc inde deductæ præsertim cumulatæ in dicta prima decisione coram Verospio *316. n. 7. cum seq. part. 9. recent.* super continuatione Regnorum, seu Principatuum & provinciarum in antiqua natura & divisione, non obstante unione sub eodem Principe, quoties ista est æque principaliter, recte procedunt in suis casibus, sive ad 10
quosdam effectus, non autem ad alios, itaut fallacia frequentius consistere soleat in applicatione ad casum, & consequenter quod manifestus videatur error Juristarum nimium frequens, ex quo in omni materia tot æquivoca resultant, hujusmodi regulas ac propositiones ita generaliter ac indefinite sumere, non distinguendo casus, eorumque diversas circumstantias, sive non distinguendo respectus, aut effectus, ob quos disputari contingat; Atque hoc est Juristarum malum incurabile, quod in 11
dies semper majus redditur ex abusu insistendi simpliciter in doctrinarum ac decisionum cumulo & consarcinatione, principale fundamentum constituendo in numero arithmetico, non distinguendo effectus, seu respectus, minusque reflectendo ad congruam applicationem.

Procedendo igitur ut decet cum debita distinctione casuum, sive effectuum, hujusmodi quæstiones videntur potius facti & voluntatis quam juris, ideoque juxta generalem regulam quæstionum voluntatis, de quibus præsertim frequentius *sub tit. de fideicommissis*, certam uni- 12
formem regulam, seu decisionem cuicumque casui applicabilem illæ non recipiunt, quoniam singulorum casuum particularis, ac diversa est decisio pro illius facti qualitate, ac particularibus circumstantiis, sive pro effectuum, vel respectuum diversitate.

Hinc proinde distinguendum est; Aut enim agitur de indultis, vel aliis dispositionibus privatis inter ipsa Regna, seu inter ipsos Principatus, itaut pro morum, vel legum diversitate, possit, vel debeat indultum, vel alia dispositio uni congruere & alteri non, & tunc 13
recte procedunt regulæ, seu propositiones, de quibus in dictis decisionibus, præsertim prima *decis. 316. part.* 9. a qua tamquam magistrali omnes aliæ regulari videntur, ut leges, vel dispositiones editæ pro uno Principatu non capiant alterum, quamvis æque principaliter sub ejusdem Principis regimen unitum, juxta casum disputatum *in Tampilonen. decimarum de Taffalla* coram Albergato, *de quo sub tit. de Praeminent. disc.* 29. ubi latius de hac materia unionis æque principalis Regnorum, vel Principatuum sub una Corona, quodque sub nomine aliquorum Regnorum alia non veniant, eo quia tractatur de negotio privato, quod uni Regno, vel Principatui congruere potest, alteri vero non, ex ibi latius deductis.

Alterius casus est, ubi indultum, vel alia dispositio principaliter continet jus, vel interesse ipsius Principis in universum, qui tamen explicet sub nuncupatione, vel intitulatione unius ex pluribus Regnis, vel Principatibus, quæ possidet, itaut subjecta materia non patiatur, vel suadeat restrictionem, magis ad unum quam ad alterum Principatum, sed ipsi Principi ejusque dominio in universum congruat, tunc non attenditur intitulatio unius magis quam alterius dominii, quæ demonstrative, non autem taxative stare dicitur, ideoque dispositio convenit etiam omnibus aliis Regnis, vel Principatibus, ut in specie, privilegii concessi Regi Hispaniarum, quod comprehendit omnia Regna & dominia, 14
ad Regis Catholici Monarchiam pertinentia etiam in Italia & Belgio, aliisque mundi partibus, habentur apud Mantic. *decis.* 59. Barbos. *inter tract. varios de appellat. verbor. verbo Hispania, appellat.* 115. *n.* 4. *&* 5. & cæteris relatis deducitur *in eod. decis.* 316. *num.* 2. *&* 3. *part.* 9. *recent.* ex doctrina *Vitaliani in Clement. Archiepiscopo, num.* 47. *&* 48. *de privilegiis*, ubi quod sub nomine Regni Franciæ veniant etiam aliæ provinciæ unitæ, vel subjectæ, quoties ipsi Regi dispositio directa est.

Quod practice in Italia comprobari observabam cum iis quæ habemus de aliquibus ejusdem Italiæ Principibus, quo- 15
rum Principatus conflatus est ex diversis dominiis inter se omnino distinctis, diversas etiam nuncupationes habentibus, æque principaliter unitis, ut erat præsertim Dux Urbini, quoniam juxta seriem, quæ habetur *in Senogallien. Castrorum sub tit. de Regal. disc.* 1. ille Principatus constitutus erat ex plerisque diversis dominiis, quorum singula diversas intitulationes, diversamque naturam, & mores habebant, nempe Ducatu Urbini, Principatu Pisauri, Comitatu Montisfeltri, Vicariatu Eugubino & Montis Avii cum aliis,

aliis, quæ omnia per Paulum Tertium unita fuerunt sub expressa unione æque principali, itaut propria jura & privilegia propriamque respective naturam retinerent, & tamen non dubitabatur, quam plura indulta illi Duci concessa convenire indefinite pro universo isto statu, quamvis sub nomine Ducis Urbini tantum explicaretur; Quod etiam congruere videtur M. Duci Florentiæ pro iis, quæ sibi conceduntur, quamvis ejus dominatio diversos comprehendat Principatus, ut præsertim est ille Senatus omnino diversus ex diverso titulo, diversoque regimine ac legibus distinctus ab illo Florentiæ, cum similibus.

Ad quod recte congruere videntur firmata in *Marian.*
16 *& Accien. Beneficii*, de qua supra, *disc.* 18. ut alternativa acceptata per Episcopum duarum Ecclesiarum sub nomine, seu intitulatione unius, utramque diœcesim capiat, eo quia quoad ipsum Episcopum habentur pro unica, quamvis inter se ad alios effectus, vel respectus omnino diversæ, seu distinctæ censeri debeant.

Tertius demum est casus noster, ubi agitur de in-
17 dulto, vel alia dispositione directa ad eundem Principem, seu ad ejus petitionem, vel in ejus gratiam edita pro aliqua ejus dominiorum parte, ad quam restricta sit; ratio autem, seu causa concessionis universæ illi regioni, vel parti æqualiter conveniat; Et tunc quamvis ejusdem quoque regionis, vel partis nominatio ex diversis titulis proveniat, illaque, attenta primæva natura, ob plurium diversarum dominationem, distincta esset in diversa dominia, sub propriis diversis legibus, ac moribus viventia, diversamque intitulationem habentia, nihilominus si idem Princeps explicatus est sub titulo generali complexivo totius illius regionis, vel etiam ipsamet regio ita generice explicata est, tunc ex eisdem rationibus ac auctoritatibus, de quibus in casu proxime præcedenti, idem dicendum venit spectata substantia veritatis, sive subjecta materia, aut ratione, ob quam illa dispositio emanavit, non curatis verborum formulis, sive hujusmodi dominiorum distinctionibus, attendendis solum inter se, & ne una pars alterius dominationem per viam subjectivæ unionis prætendere valeat, & ad quem effectum proprie considerari solet intellectualis continuata distinctio, seu diversitas diœcesum, vel provinciarum simul unitarum *juxta cans.* 27. Mandos. cum aliis *in Ampurien. & Civitat. sub tit. de præem. disc.* 7. *& in aliis*.

Applicando igitur ad rem; Speciato communi loquendi usu, hodie de facto Hispania non habens an-
18 tiquam distinctionem sub diversis Regibus ac Principibus, habetur pro unico Regno, & unica dominatione, ita explicari solita sub nomine plurium Regnorum ad significandum statum antiquum, ac præservanda præjudicia alias singulis Regnis ac Principatibus resultantia, ne unus alterius subjectionem prætendere possit, unde apud exteros non reflectitur ad hujusmodi magis minutas distinctiones; Ac propterea quando deputatur Nuncius Apostolicus apud Regem Hispaniarum, ac pro illis Regnis, non veniunt sub dicti Nuncii jurisdictione alia dominia Regis Catholici extra Hispanias, sed bene universa hæc regio venit, non distinguendo, an una pars habeat nuncupationem Regni, altera vero Principatus, vel respective Comitatus, Idemque pariter in concessionibus subsidii & similibus, quæ per Sedem Apostolicam fiunt, quoniam Secretarii Apostolici, vel alii Officiales litteras desuper expedientes, ad has distinctiones non cogitant, neque reflectunt, ut etiam praxis docet in Regno Galliæ, in quo pariter eædem distinctiones, attento primævo statu intrant.

Cum igitur universa hæc regio ob recentem infidelium dominationem ac aliquam mixturam ante expulsionem, indigeret aliqua particulari cura adhibenda per ministros probos, ac litteratos, hinc introductus fuit usus Canonicatuum Theologalis & Doctoralis, conferendorum per concursum, ac sub diverso usu quam in aliis Mundi partibus fiat; Deinde vero adinstar, atque ex rationis identitate idem obtineri curatum fuit pro illo Canonicatu Pœnitentiario, ut advertitur *disc. præced.* Igitur non curata partium, vel provinciarum diversa nuncupatione, attendenda est generalis ratio conveniens universæ regioni, de qua ex concordia Geographorum testimonio in eisdem
19 decisionibus non dubitatur istos Principatum & Comitatum esse, ut etiam docet praxis jurisdictionis Nuncii Hispaniarum, ac solutionis subsidii, aliorumque onerum.

Idque clare comprobari etiam observabam ex dicta subsequuta declaratione ad instantiam ejusdem Regis facta per eamdem Sedem Apostolicam super illorum dominiorum comprehensione. Ita enim idem concedens & concessionarius clare declararunt, quid respective petendi & concedendi ex tunc in animo habuerint, unde propterea ista declaratio capienda non est tamquam nova & discreta, sed attendenda de futuro, & ex qua potius contrarium argumentum resultet, ut ponderatur in prima hujus causæ decisione 15. Februari 1664. cor. Verospio, sed potius capienda est tamquam declaratio habens oculos retro, & cum vi retrotractiva juxta distinctionem in materia novæ legis receptam, quod ubi est lex omnino nova, respiciat tantum futura, non autem præterita, ubi vero emanat tamquam declaratio antiquarum legum, retrotrahitur ac respicit præterita, ex collectis per Farinac. *in fragmen. verbo lex, num.* 36. *cum seq.* Honded. *cons.* 14. *lib.* 2. Rota apud Merlin. *dec.* 231. *n.* 7. apud Buratt. *dec.* 167. *n.* 4. *& sæpius*.

His igitur sic stantibus, dicebam obstare non debere præsuppositam contrariam observantiam attendendam in ratione interpretativa ex pluribus; Primo, quia probatio resultans ab observantia est solum præsumptiva, contraria probatione, vel etiam fortiori præsumptione elidibilis, ex recepto principio, quod major præsumptio vincit, seu tollit minorem, ex deductis per Me- 21
noch. *de arbitrar. casu* 472. *& de præsumpt. lib.* 1. *q.* 30. & iden cum ex dicta declaratione tam concedentis quam concessionarii, & ex aliis, supra ponderatis, vel resultet probatio clara excludens observantiam interpretativam, potiusque exigens præscriptivam juxta distinctionem, de qua supra, *disc.* 26. *& sæpius*; Vel saltem resultet efficacior probatio præsumptiva, idcirco dictæ minori probationi deferendum non est.

Secundo in idem, atque ad eandem probationem minorem reddendam, quod ista observantia non est pacifica & uniformis, dum ut patet ex eisdem decisionibus quandoque ista forma indulti servata fuit etiam in Ecclesiis existentibus in hoc Principatu, unde quidquid sit de responsionibus adversus dictam contrariam observantiam datis in iisdem decisionibus, quando ageretur de illa firmanda, vel inducenda, certum tamen videtur, istos actus contrarios (tales quales essent) sufficere ad impediendam dictam observantiam contrariam, sive ad debilitandam præsumptionem ex ea resultantem.

Tertio, magis proxime, quoniam juxta ea quæ habentur *disc. seq. ac passim*, consuetudo, vel observantia stricte intelligenda est ad ejus præcisos limites & non extenditur de loco ad locum, persona ad personam, vel
casu ad casum; Et ideo cum præsertim in ista Ecclesia 23
Barchionensi dicta contraria observantia non adesset, sed potius assisteret, hinc proinde dictæ resolutiones in isto observantiæ motivo principaliter fundatæ, corruere videbantur.

Et quarto fortiter, quoniam ubi privilegium alicui Universitati, ejusque Capiti, vel Principi concessum est, non potest non usus aliquorum illi præjudicare ex iis, quæ ceteris relatis habentur plene firmata *in Januen privilegiorum* coram Royas *inter suas decis.* 327. *&* 356. & latius *in ea-*
dem coram Corrado *dec.* 337. *part.* 10. *rec.* Et consequenter 24
cum istud indultum concessum sit in gratiam & supplicationem Regis Catholici, ac Universitatis capitulorum Hispaniæ, hinc negligentia aliquorum capitulorum istius Principatus præjudicare non debet, nec potest, considerando hæc omnia simul juncta cum consueta regula, *ut singula quæ non prosunt*, &c.

Hinc resultare etiam dicebam decisionem casus particularis, cui ultra generalia, solum obstare posse conside-
rabam motivum in ultima præsertim decisione coram *Vi-* 25
ce-Comite ponderatum, quod cum per dictas tres sententias Rotales executioni demandatas firmatus esset status istius Canonicatus, cujus provisio sequuta erat per obitum possessoris provisi Apostolici contra præfati indulti formam, ita in hac speciali vacatione intrarent termini *text. in cap. consultationibus de jurepat* sive alii quos habemus in materia ultimi Status in Beneficialibus attendendi, Verum non videbatur motivum considerabile, quoniam induci non potest observantia firmativa status illa quæ resultet ex unico actu litigioso & contradictorio ex deductis in eadem decisione; Et quamvis ibi respondeatur id procedere, quando lis adhuc vigeret, secus autem dum jam terminata fuit per tres conformes in judicatum transactas ac executioni demandatas, unde propterea infertur ad propositionem, quod res judicata firmat statum, atque facit ens de non ente, atque ut nostri dicunt, facit de albo nigrum, quinimo quod ita dicatur melius statuta dicta observantia, utpote canonizata

in con-

in contradictorio judicio; Attamen responsio corruit ex facto, quoniam licet ipse provisus a Capitulo pattentem exequutionem trium conformium, ulteriorem causæ prosequutionem ita fatigatus neglexerit, ipsum tamen capitulum causam appellationis, seu restitutionis in integrum committi obtinuit adhuc pendentem, ideoque dici non poterat observantia pacifica; Et ulterius cum ageretur de jure universali, tam Regis, quam omnium capitulorum, hinc unius capituli negligentia, ut supra attendi non debet.

Quamvis vero ex his talis mihi videretur veritas, adhuc tamen stantibus tot resolutionibus, quodque iste Canonicatus ita per dictas tres conformes in hoc statu saltem de facto constitutus esset, atque conversa vacatio resultasset per mortem dicti provisi præter indulti formam, suberat occasio timendi, seu dubitandi, potissime dum ita causa ob supradictam declarationem Alexandri VII. pro vacationibus futuris non firmabat statum, & consequenter prudentialia magis quam legalia huic particulari controversiæ obstare videbantur.

MAJORICEN. CANONICATUS, PRO DIDACO DE SCALPES, CUM JOANNE DE TOGARES.

Casus decisus per Rotam pro Joanne.

De simultanea collatione Episcopi & Capituli; ubi consuetudo est unitiva, seu collegiativa, quanta sit vox Episcopi: Et posito quod Episcopus habeatur tamquam unus ex Capitularibus, an debeat in paritate ejus vox præponderare, ac habere vim duarum; Et de istius consuetudinis probatione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causæ.*
3 *Electio non dicitur conclusa nisi cum excessu medietatis.*
4 *Votum datum extra Capitulum non habetur in considratione.*
5 *Infirmi possunt constituere procuratorem ad votandum in Capitulo.*
6 *Episcopus ob simultaneam habet votum æquale voto totius Capituli.*
7 *Episcopus interveniens in Capitulo, ut Episcopus, non habet votum decisivum.*
8 *Si Episcopo adhæret aliqua licet minor pars Capituli, quod faciat majorem partem,*
9 *Contrarium verius ut integra vox Capituli dicatur constitui a majori parte, atque minoris partis adhæsio Episcopo non attendatur.*
10 *Vox Episcopi interessentis in Capitulo tamquam Canonici est quarta cujuslibet Canonici.*
11 *Consuetudo contra ius quomodo debeat probari.*
12 *Consuetudo probanda est in specie vel individuo, & non extenditur de casu ad casum.*
13 *Quomodo doctrina & conclusiones attendi debeant.*
14 *De ratione cui innixa est simultanea inter Episcopum & Capitulum, & an in jure sit statutus modus dictam simultaneam exercendi.*
15 *Referuntur plures opiniones remissive, sed Curia qualem teneat.*
16 *Sed si adsit consuetudo, attenditur, si ista non est contra jus.*
17 *Quando ista dicatur consuetudo contra jus, & quando congrua, & honesta.*
18 *De pluribus argumentis comprobantibus veritatem consuetudinis super voto duplicato*
19 *A mala collatione facta per Capitulum in quo interveniat Episcopus tamquam Canonicus datur devolutio ad ipsum Episcopum.*
20 *Quando actus substineatur hoc jure devoluto, & quando non.*

D I S C. XXX.

1 VAcato per mortem Hieronymi de mense Septembris 1652. Canonicatu Ecclesiæ Majoricen. cum ex istius Ecclesiæ consuetudine, illa simultanea, quæ de jure communi inter Episcopum, & capitulum est disjunctiva, adeout tanta sit vox solius Episcopi quanta illa capituli, ut insinuatur *sup. disc.* 22. & 27. & infra, esset unitiva, quod scilicet Episcopus intervenit in capitulo, atque suum proferret votum tamquam unus ex capitularibus; Hinc proinde congregato capitulo, Thesaurarius & novem Canonici elegerunt Franciscum, Episcopus autem & octo Canonici elegerunt Didacum, sed quia ex primis decem demendum erat unum datum extra capitulum, idcirco stante præsupposita consuetudine, quod vox Episcopi esset duplicata, sive quod in paritate ejus votum præponderaret, unde propterea electio conclusa dicatur ab ea parte, cui ipse adhæreat, judicatum fuit electionem fuisse conclusam pro Didaco, cui facta fuit collatio executioni demandata, suum jus non prosequente Francisco utpote paulo post alium Canonicatum pacifice obtinente; Quare Joannes, cum præsupposito quod Canonicatus resideret in d. Francisco electo a majori parte, sive quod electio ob votorum paritatem pro nemine conclusa esset, eundem Canonicatum impetravit a Sede Apostolica, plures vacationis modos narrando; Vel ob mortem Hieronymi prioris possessoris jure devoluto, præsentatisque litteris in Rota cor. Meltio, atque dato dubio, *an litteræ essent exequendæ, sub die 27. Martii* 1656. affirmativa prodiit resolutio, confirmata 25. *Junii* 1657. atque ad earum normam emanata sententia, & commissa per signaturam Justitiæ causa in eadem Rota cor. Cerro, cum solita clausula, *parito litteris arbitrio*, datoque dubio, an intret arbitrium, sub *die* 23. *Januarii* 1658. negative resolutum fuit; Cumque deinde Didacus aliam Dignitatem, vel Canonicatum obtinuisset, ita lis finem habuit, dicta provisione Apostolica Joannis effectum sortiente, dictæque decisiones habentur impressæ, *decis.* 156. 278. & 304. *p.* 12. *rec. rep. dec.* 56. post Tondut. *de pensionib.* & post Zuffum, *de legit. processu dec.* 34 & 47. Licet enim aliæ in ista causa prodierint *dec.* 103. & 27. *eadem part.* 12. autem sunt super remissoria, vel attentatis. 2

In his autem disputationibus duo fuerunt puncti; Primo scilicet super calculo votorum, & an omnia computanda essent necne; Attento siquidem numero arithmetico, cum eligentes Franciscum essent decem, computato uno voto dato extra capitulum, eligentes vero Didacum essent novem, computatis duobus votis datis per procuratorem absentium, hinc proinde ubi etiam admittenda esset duplicitas voti Episcopi, id aliud operari non poterat, nisi inducere paritatem, quæ non concludit, cum ad effectum concludendi requiratur excessus ultra medietatem, Abb. *in cap. postulastis*, *num.* 14. *de concess. præben. & in cap. cum omnis*, ubi Felin. Dec. *& cæteri de constit.* Burat. *dec.* 225. *n.* 2. *& dec.* 809. *n.* 1. & habetur pluries infra, *sub tit. de Canonicis, & Capitulo*, ubi de materia electionis. 3

In hoc autem clara justitia assistebat huic parti, quam scribentes etiam in contrarium agnoverunt, unde propterea de hoc puncto actum solum fuit in prima disputatione, in aliis vero, eo neglecto, totus difficultatis cardo restrictus fuit ad alium punctum duplicitatis voti Episcopi, sive ejusdem voti præponderantiæ in casu paritatis, dum certum est de jure, ut votum datum extra capitulum contra formam *text. in cap. penult.* §. *fin. de elect. in* 6. veniat in calculo Burat. *dec.* 225. *n.* 3. & 351. *n.* 8. *& passim*, ac admittitur *in d. decis.* 156. *part.* 12. *n.* 12. & 15. Et quamvis e converso opponeretur de nullitate duorum votorum absentium, quorum procuratores illud dederunt in capitulo, attamen objectum vere nullam habebat subsistentiam, cum in facto justificatum esset id contigisse ex justo impedimento infirmitatis, ac propterea constitui potuisse procuratores, qui pro eis proferrent votum in capitulo juxta dispositionem *text. in cap. quia propter*, §. *illud autem*, *de electione*, ubi scribentes communiter collecti per Castellin. *de elect. cap.* 5 *num.* 90. *cum seq.* & habetur in dicta materia electionis infra, *sub tit. de Canonicis & Capitulo*. 4 5

Restricta igitur, ut dictum est, difficultate ad dictum alium punctum, an scilicet subsisteret necne duplicitas, 6 vel præponderantia voti Episcopi, dum ea non subsistente, ob votorum paritatem electio non remaneret conclusa, & consequenter locus esset devolutioni; Dicebant scribentes in contrarium, quibus Rota adhæsit, dupliciter Episcopum concurrere posse cum Capitulo in Canonicatuum collatione; Primo scilicet tamquam Episcopum jure simultaneæ, quæ de jure viget inter ipsum & Capitulum; Et tunc ipse non intervenit in capitulo, quoniam consideratur tamquam diversa persona habens coæquale jus cum capitulo, itaut tanta sit vox unius, quanta alterius, perinde ac si capitulum unam tantum personam Episcopo coæqualem repræsentaret, atque quilibet eorum disjunctive, diversisque loco & tempore suam colla-

tionem facere potest, Achill. *dec.* 4. *de præbendis*, Gon-
7 zal. *ad regul.* 8. *gloss.* 45. *nu.* 52. *& sequent. cum concordant. decis.* 366. *part.* 9. *recent. nu.*34. & supponitur in hujus causæ decisionibus, præsertim prima, & habetur *dicto disc.* 22. *&* 27. & consequenter Episcopus, ubi considerandus veniat juxta hanc personam, ponendus non erat in calculo in actu capitulari, quoniam etiamsi intervenire velit in capitulo, ibi præsidendo tamquam Episcopus, nullum habet votum decisivum juxta expressam dispositionem Sacr. Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. cap.* 6. & firmant communiter scribentes collecti per Barbos. *de Episcopo*, *allegat.* 72. *n.* 17. Puteus *dec.* 116. *lib.* 3. *dicta decis.* 366. *num.* 28. *&* 29. *part.* 9. & in causæ decisionibus. Unde propterea sublato voto Episcopi de capitulo, sine dubio major pars votorum capitularium constituens integram vocem capituli assistebat Francisco, & successive data etiam coæquali simultanea in Episcopo, nulla collatio legitime conclusa dici poterat, dum ex duobus collatoribus coæqualibus unus in unam, alter vero in aliam personam devenerat.

Et quamvis aliqui ex nostris dicerent, quod ita votum Episcopi impugnatum remanebat ab octo capitularibus sibi adhærentibus, quodque propterea ejus vox habens adhærentiam partis alterius vocis remaneret ponderosior, atque concluderet, ut fuit sensus Hostien. *in*
8 *capit. postulastis, de concess. præben.* super quo discurrit Genuens. *in practicabil. Eccles. cap.* 643. Attamen istud motivum merito rejectum fuit tamquam omnino improbabile, ut ego ab initio in congressibus insinuabam, quoniam de jure verius est, ut in vocibus corporum politicorum, seu Universitatem collegiative explicandis, sive agatur de jure conferendi, sive de jure præsentandi, vel quocumque alio actu, integra vox constituatur a majori parte congregatorum, quæ absorbet, ac suffocat minorem, perinde ac si ista non
9 intervenisset in capitulo, seu Collegio, quod ita totum ab ea majori parte constitui, seu repræsentari dicitur, & consequenter adhæsio minoris partis alteri voci Episcopi in nulla consideratione habetur, ut firmant Joannes Andreas, Butr. Abb. Imola, & cæteri *in d. cap. postulastis, de concessione præbendæ*, idem Joannes Andr. *in capit. a collatione, de appellat. in* 6. ubi etiam Gemin. & Franch. late Prob. ad Monach. *in rubr. de jurepatron.* idem Genuen. *d. cap.* 643. Rota apud Buratt. *decis.* 225. 351. *&* 380. *dict. decis.* 366. *part.* 9. *recent.* & habetur in sua materia *sub tit. de jurepatr.* & in hujus causæ decisionibus.

Aut vero Episcopus intervenit in capitulo tamquam Canonicus, ac unus ex capitularibus potius quam tamquam Episcopus, & tunc de jure suum votum nullum habet privilegium, vel prærogativam, sed tanta est ejus
10 vox, quanta cujuslibet Canonici, seu capitularis, Abb. *in d. cap. postulastis*, *n.* 14. & alii apud Barbos. *dict. alleg.* 73. *num.* 18. Lotrer. *de benefic. lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 104. *& seq.* Merlin. *decis.* 591. *num.* 2. & in causæ decisionibus, præsertim prima *decis.* 156. *num.* 19. *part.* 12. *recent.*

Cumque ex hac parte in vim remissoriæ Rotalis per plures testes, ac etiam per plures actus capitulares effectum fortiios probara esset consuetudo, quod votum Episcopi haberetur pro duplicato, sive præponderanti, itaut in paritate concludere dicebant scribentes in contrarium, quibus Rota in dictis decisionibus adhæsit, dictam probationem non concludere; Vel quia testes non bene concluderent de quadragenaria, de visu, subducto tempore litis ac pupillaris ætatis, ut concludere debent in consuetudi-
11 ne juri contraria *ad text. in capit. final. de consuetudin. ubi gloss. & DD.* de quibus apud Sperell. *decision.* 89. *numer.* 25. *cum sequent.* apud Pœniam *decis.* 1123. *num.* 3. *&* 4 *& passim*.

Vel quia iidem testes deponerent de diversis actibus capitularibus, puta deputationibus syndicorum ac punctatorum, aliorumque officialium, non autem deducerent ad speciem aliquam provisionem Canonicatus, unde propterea intraret conclusio, quam in materia consuetudinis receptam ac frequentem habemus, ut illa stricte ad ejus præcisos limites attendi debeat, non autem extendi de casu ad casum; persona ad personam; vel loco ad locum,
12 sed justificari debeat in specie, imo in individuo juxta *celebre cons.* 287. Oldrad. *cum concord.* apud Greg. *dec.* 162. *n.* 4. Buratt. *dec.* 129. *n.* 6. & late in hujus causæ decisionibus, quæ in ista conclusione majorem vim constituunt; assignando etiam diversitatem rationis inter dictos alios actus capitulares, probatos, & istum collationis Canonicatuum, quod scilicet illi sint modici momenti super electione officialium ac ministrorum manualium, & amovibilium, ideoque ab eis inferre non liceat ad illum actum gravem, & perpetuum provisionis Canonicatus.

Mihi in ista causa videbatur verificari id quod frequenter, & forte usque ad vitium, declamare soleo, quod in judicando, & consulendo vis non consistit in conclusionum ac auctoritatum cumulo, sed in earum congrua applicatione ad casum. Siquidem omnes conclusiones in 13
his decisionibus deductæ sunt veræ, illasque ego admittebam, sed fallacia videbatur consistere in applicatione, ex cujus defectu dictæ resolutiones reflectendo etiam ad solam veritatem, non placebant, unde propterea dici poterat, *admitto totum*, sed *nego consequentiam*.

Ad id autem probandum, observabam in jure expresse statutum non esse modum collationis Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis inter Episcopum & capitulum, ambo siquidem concurrunt 14
ex ea ratione insinuata *dict. disc.* 27. *& alibi*, quod collatio fieri dicitur nomine ipsius Ecclesiæ, quam repræsentat Episcopus tamquam caput, & capitulum tamquam reliquum corpus, sed quomodo in hoc actu explicando concurrere debeant, id in jure determinatum non est, pluresque desuper habemus diversas opiniones diligenter collectas & relatas per Fagnan. *in cap. cum Eccles. Volater. de elect.* ut etiam advertitur *disc.* 1.

Est bene verum, quod Rota & Curia Romana inter plures opiniones eam recepit hodie pro certa regula statutam, ut iste concursus esset per dictam simultaneam disjunctivam, per quam tanta sit vox Episcopi, quanta capituli absque necessitate collegialis, vel simulta- 15
nei concursus, ut *in dictis disc.* 1. 22. 27. *& passim*; Verum id procedit; non refragante contraria consuetudine, cui omnes concordant deferendum esse, Cassador. *decis.* 22. *de præbend.* Pœnia, *decis.* 995. *num.* 5. Buratt. *decis.* 809. *num* 6. Fagnan. *dict. cap. cum Eccles. Volater. num.* 25. *& sequent.* & infra, *disc.* 32. Ista vero consuetudo non exigit immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo putativo, seu ejus famam eo modo, quo requiritur in iis quibus jus resistit, & cum quo præsupposito in hujus causæ decisionibus proceditur, quoniam id non est contra, sed præter jus, & consequenter sufficit sola decennalis, cum ita dicatur potius observantia juris dubii, quam interpretativa juris 16
clari ad communiter *notata in cap. novum genus, de decimis cum concord.* apud Burat. *d. decis.* 809. *num.* 6. & plures *d. tit. de decim.*

Atque in hoc mihi videbatur considerare æquivocum, seu fallaciam; Tunc etenim consuetudo dicitur contra jus indigens rigorosa probatione, quando ex. grat. Episcopus 17
non tamquam Episcopus jure simultaneæ, sed tamquam Canonicus, atque unus ex capitularibus prætenderet votum duplicatum, vel præponderans, cum tunc sit contra jus; Sive ubi Episcopus, vel respective capitulum prætenderet ex consuetudine sibi competere jus conferendi in solidum pleno jure privative ad alterum, ut occasione hujusmodi prætensionis, quæ habeatur per capitulum advertitur *dicto disc.* 1. *& disc. prox. seq.* sed ubi Episcopus intervenit tamquam Episcopus jure dictæ simultaneæ, quæ in genere, vel substantia firma remaneat, solumque allegetur consuetudo super modo exercitii, tunc nullo jure, nullaque ratione dicendum venit istam esse consuetudinem contra jus, dum ab isto talis modus præscriptus non habetur.

Ubi vero Episcopus, qui juxta dictam magis communem ac receptam opinionem super hac simultanea regulariter habet jus coæquale cum toto Capitulo, atque disjunctive diversus loco, & tempore conferre potest, contentus fuit majorem potestatem reddere minorem atque loco integræ & coæqualis vocis, quam de jure habebat extra Capitulum, ita coarctare ad interventum Collegiativum cum voto simplicis Capitularis, ita tamen magis qualificato, tunc sine dubio dicere non potest Capitulum istam esse consuetudinem a jure exorbitantem, in ejus præjudicium, cum potius sit sibi proficua, præjudicialis autem Episcopo, atque diminutiva suæ potestatis; & consequenter ea quæ dicuntur circa exorbitantiam consuetudinis super voto duplicato, vel præponderanti Episcopi, extranea sunt ab istis terminis, cum percutiat casum, in quo Episcopus interveniat tamquam Canonicus, salvo suo jure Episcopi circa simultaneam disjunctivam, unde in eo verificetur reduplicatio jurium ac personarum, juxta casum, de quo *d. disc.* 22. secus autem ubi intervenit pro sola persona Episcopi, ita diminute exercendo illud jus, quod alias esset majus,

cum

eum tunc potius congrua, & honesta videatur dicta prærogativa, tamquam modica compensatio illius longe pluris quod Episcopus dimittit.

Plura etiam id comprobant; Primo scilicet dicta observantia circa electionem aliorum officialium Capituli, unde intrabat argumentum deductum *ex Authen.*
18 *multo magis, Cod. de Episc. & Cler.* quoniam Episcopus, tamquam Episcopus (ut supra) nullum habet votum decisivum in Capitulo, neque in istis Officialibus intrat ratio simultaneæ, ergo multo magis in eo actu, in quo ipse habet majus jus, & sic dicta diversitas rationis non intrabat, sed potius retorquebatur.

Secundo, quia dicta voti duplicitas, seu præponderantia principaliter percutit præjudicium, ac interesse ipsius Capituli, quod tamen ingenue admittebat, ac fatebatur istius consuetudinis veritatem.

Tertio, quia etiam de jure juxta sensum aliquorum, præsertim Hostiens. *in dict. cap. postulastis de concess. præbend.* Butr. *num.* 10 Imol. *n.* 9. & insinuatur per Genuen. *d. quæst.* 643. *in princ.* vox Episcopi, vel Prælati in Capitulo debet esse ponderosior, unde quidquid sit de isto assumpto, quando solum & de per se consideretur, adhuc tamen considerabile videbatur pro adminiculo.

Et quarto fortiter stante consuetudine fere universali Hispaniæ super hujusmodi voti Episcopi duplicitate, vel præponderantia, ut per Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 45. *n.* 74. Burat. *decis.* 809. quæ omnia simul juncta cum solita regula *ne singula quæ non prosunt*, nimis in claris hanc veritatem ponere videbantur; Atque non erat extendere de casu ad casum odiosam ac exorbitantem consuetudinem alias stricte intelligendam, sed potius interpretari congrue consuetudinem præjudicialem ei qui eam allegabat, alias de jure plus habenti.

In Congressibus item habitis super causæ directione, ac etiam in primis disputationibus, motivatum fuit, quod data etiam unicitate voti Episcopi, juxta sensum partis adversæ considerandi tamquam Canonici, adeout exinde resultaret votorum paritas, & non conclusa electio, adhuc tamen sustineri deberet collatio facta Didaco ab ipso Episcopo cum aliqua parte Capituli, jure devoluto, cum stent bene simul, Episcopum intervenire in Capitulo tamquam Canonicum, & tamen ob collationem a Capitulo non conclusam, ad eundem dari devolutionem, ut advertitur etiam *supra, disc.* 1. ex traditione Imolen. *& aliorum in d. cap. postulastis, de con-*
19 *cess. præb. & cap. a collatione ad appell. in* 6. Achill. *decis.* 4. *num.* 3. *&* 4. *de præbend.* Coccin. *decis.* 212. *n.* 5. apud quos habetur quod ipse actus ab Episcopo gestus traditionis possessionis, cum præcepto, ut ei responderetur de fructibus, habeatur pro collatione.

Verum istud motivum non videbatur tutum, quoniam ut advertitur *in d. alia Majoricen. Canonicat.*
20 *Pœnitentiar. disc.* 27. ac firmatur *d. decis.* 366. *ex num.* 22. *cum seq. part.* 9. *recent.* tunc id procederet quando stante invaliditate actus Episcopus exercendo dictam potestatem sibi delatam jure devoluto, novam collationem fecisset discrete ab actu Capitulari, atque per novum ac diversum; Secus autem dum fecit unitim cum Capitulo, & tamquam per actum Capitularem, qui ita remanet individuus, ut latius in *d. decis.* 366. *part.* 9. *recent.* & sic super hoc modica habita fuit disputatio, dum non constabat de voluntate Episcopi conferendi hoc jure, & consequenter extraneum remanebat agere de potestate.

NOVARIEN. JURIS CONFERENDI

INTER

CARDINALEM ODESCALCHUM

Indultarium, ac Episcopum,

ET CAPITULUM NOVARIÆ.

Responsum pro veritate.

An vacante Sede Apostolica per mortem Papæ, per quam cessant reservationes, illas præsertim mensium ex Regula octava, seu nona, collatio in mensibus alias sub dicta Regula cadentibus pertineat ad habentem indultum Cardinalium conferendi reservata, vel potius ad ordinarium collatorem, aut ad Capitulum, quod habeat jus conferendi.

Card. de Luca, Lib. XII.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De indultis conferendi extraordinariis, quæ concedi solent illis qui non sunt Episcopi, seu ordinarii collatores.*
3 *Ista indulta cessant Sede Papali vacante.*
4 *Per mortem Papæ, ac Sede Papali vacante cessant reservationes.*
5 *Sed in aliquibus remanet affectio.*
6 *In materia cessationis, vel comprehensionis indulti Sede Papali vacante attenditur verisimilis intentio.*
7 *Quod conclusio, de qua num. 3. procedat in eo indultario, qui fuit Episcopus, & de ratione.*
8 *Id comprobatur ex pluribus.*
9 *Reservatarius fructuum dicitur earum Dominus, ac si Ecclesiam non dimisisset.*
10 *Renunciatio non capit, id quod verisimiliter credendum non est fuisse renunciatum.*
11 *Ubi non habemus auctoritates speciales, quomodo sit judicandum.*
12 *Quod hodie indulta tribuant jus delegatum.*
13 *Sed hoc in gratiam, & favorem indultariorum, non autem contra; atque indulta ad favorem non debent retorqueri in odium.*
14 *Consuetudo per quam Capitulum prætendat omnimodam collationem privative ad Episcopum, habet juris resistentiam, idea debet esse immemorabilis.*
15 *Posito dicto jure conferendi, Capitulum venit sub nomine collatoris, & confert etiam in mensibus reservatis, Sede Papali vacante.*
16 *Quod ista consuetudo sit difficilis probationis, & de ratione.*
17 *Quando regula reservatoria inceperit.*
18 *De simultanea inter Episcopum, & Capitulum.*

DISC. XXXI.

Postquam per plures annos Cardinalis Odescalchus Ec- 1
clesiam Novariensem satis pie, ac laudabiliter rexerat, cum consueto indulto Cardinalitio conferendi reservata, dimissus fuit ad illius dimissionem, atque per Alexandr. VII. in ejusdem Ecclesiæ provisione in persona Julii ejusdem Cardinalis germani fratris ad sui favorem sub unico verbo facta fuit reservatio annuæ pensionis scutorum 3. m. ac etiam juris conferendi in octo mensibus juxta formam, ac tenorem indulti sibi alias concessi eo modo quo omnibus Cardinalibus Ecclesias dimittentibus eadem indultaria facultas præservari solet, restricta solum dicta facultate ad Ecclesiam ultimo loco dimissam, si plures eum habere contingat juxta *Constit.* 60. Urban. VIII. de qua supra, *disc.* 2. expedito etiam indulto particulari, seu extraordinario in eodem *disc.* 2. enunciato.

Cum autem Apostolica Sede vacante per obitum Clementis IX. de mense Januarii contigerit vacatio Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, ejusdemque Ecclesiæ Capitulum prætenderet ex consuetudine habere jus conferendi istos Canonicatus privative ad Episcopum; Hinc triangularis orta est quæstio inter dictum Cardinalem indultarium ex una, Episcopum ex altera, & Capitulum ex altera partibus, cuinam competeret jus conferendi dictum canonicatum, aliaque beneficia, quæ in mensibus cadentibus sub *reg.* 8. *hodie* 9. vacare contingeret, desuper ex parte tam Cardinalis indultarii, quam aliorum benevole, ac extrajudicialiter contendentium, pro veritate consultus.

Respondi distinguendo quæstionem in duas inspectio- 2
nes, Unam scilicet inter Cardinalem indultarium, & Ordinarium collatorem, sive esset Episcopus, sive esset capitulum, sive uterque simul; Et alteram, quatenus indultum non intraret inter Episcopum, & Capitulum.

Quatenus ad primam pertinet, quando præfatus Cardinalis non fuisset Episcopus, adeout nunquam in eo radicatum fuisset jus ordinarium conferendi competens ex juris communis dispositione, sed esset solum indultarius ex gratia Pontificis juxta casum indultorum extraordinariorum, de quibus apud Caputaq. *decis.* 214. *part.* 2. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 647. *&* 648. Gonzal. *ad regul.* 8. §. 5. *proœm. num.* 48. Rota *decis.* 442 *part.* 1. *vid.* apud Pœniam, *decis.* 367. *& in aliis.*

Et tunc dixi, quod casus videtur planus ad favorem Ordinarii contra Indultum; Isto enim casu cadere non pot-

in mensibus alias reservatis, Sede Papali vacante, juxta punctualiter firmata per Rot. apud Seraph. *decis.* 980. *n.* 5. *& seq. & per tot.* ubi in specie, quod sub nomina collatoris in isto casu venit capitulum, cui ex consuetudine tale jus competat.

Difficultas tamen non levis contra capitulum erat super nimia difficultate, ac forsan impossibilitate dictæ probationis; Cum enim inter immemorabilis requisita
16 posita per vulgarem gloss. *in c.* 1. *de præscript. in* 6. duo sint præcipua; Primo scilicet, quod testes deponant de pacifica observantia de visu per annos 40. Et secundo, quod nihil unquam auditum, vel visum, aut practicatum fuerit in contrarium, atque supponeretur, in facto Episcopos etiam non indultarios aliquas fecisse collationes, hinc proinde non videbatur quomodo secundum requisitum esset justificabile; Minusque primum, quoniam, ut ex Bursat. *conf.* 126. *n.* 101. *&* 102. advertit Lott. *lib.* 2. *q.* 37. *n.* 2. auctor regulæ reservativæ mensium fuit Alexand. V. de anno 1447. quem alii Pontifices sequuti sunt, unde propterea habemus
17 spatium intermedium annorum 220. & ultra, in quo rari sunt hujusmodi casus, in quibus cessantibus regulis reservatoriis, fiat reversio ad jus commune, sive statum antiquum, ac propterea non videtur quomodo istud requisitum esset verificabile, ut etiam advertitur *d. disc.* 1.

Cessante autem consuetudine, dixi prætendi non posse per Capitulum simultaneam de jure intrantem inter Episcopum, & Capitulum, de qua super, *disc.* 22. 27. *&* 29. dum supponebatur ipsum habere jus conferendi in quatuor mensibus ordinariis, absque aliqua Episcopi participatione insolidum, ac pleno jure, quo
18 posito dictum Capitulum jam habet suam simultaneæ portionem, ita per quemdam turnum divisam, ut habetur *d. disc.* 1. *&* 22. *& disc. seq.* sed quia necessitas non exigebat hanc inspectionem assumere, cum illa intraret, quando firmatum esset non intrare indultum Cardinalis, quod ex præmissis probabilius videbatur locum habere, idcirco de hoc agere neglexi, cum non sequuta prius decisione dicti primi puncti cum indultario, esset labor inanis; Atque ita primo aspectu mihi respondere visum fuit, solo maturiori judicio, quando punctus ulteriorem disputationis trutinam haberet.

BENEVENTANA JURIS CONFERENDI PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ, CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus coram Datario, & deinde in Rota decisus pro Capitulo.

De eadem materia simultaneę inter Episcopum, & Capitulum in jure conferendi Canonicatus & Beneficia Ecclesię Cathedralis, Et de consuetudine, per quam unus acquirat istud jus privative ad alium, Et incidenter de validitate, vel invaliditate concordiæ desuper initæ.

SUMMARIUM.

1. *Facti series.*
2. *Habens centenariam potest allegare quemcumque titulum de Mundo meliorem.*
3. *Ubi super jure conferendi capituli privative ad Episcopum est immemorabilis, non cadit difficultas.*
4. *Habens immemorabilem potest allegare quemcumque titulum meliorem.*
5. *Immemorabilis non probatur per scripturas, & de ratione.*
6. *Quomodo probetur per testes, & de ejus requisitis.*
7. *Declaratur conclusio, de qua n.* 5. *& quando scriptura in hac probatione admittatur.*
8. *Datur distinctio circa consuetudinem super jure conferendi inter Episcopum, & capitulum.*
9. *De turnaria divisione temporum, vel mensium.*
10. *Superveniens casus post divisionem non attenditur.*
11. *Transactio non datur in re clara, & quid requiratur.*
12. *Requiritur etiam, ut aliquid detur hinc inde ad limites justitiæ, itaut in ea etiam intret læsio.*
13. *Etiam in transactione inter Ecclesiasticos super jurisdictione, ac incorporalibus procedit Extrav.* Ambitiosæ.
14. *De circumstantiis redolentibus malam fidem;*

Card. de Luca, Lib. XII.

DISC. XXXII.

Ab antiquissimo tempore, ac super tria sæcula probationis affirmativæ, absque eo quod constaret, vel memoria haberetur de contrario, capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Beneventanæ in quatuor mensibus ordinariis, Martii, Junii, Septembr. & Decembr. libere ac independenter ab Archiepiscopo, conferre consuevit Canonicatus alicujus Apostolicæ reservationis, vel affectionis obstaculum non habentes; Cumque ob reservationem aliorum mensium resultantem a Regula 8. seu 9. ita sequeretur quod Archiepiscopus (quoties indulto conferendi reservata munitus non sit) nullam in hujusmodi Canonicatuum collatione participationem haberet; Hinc modernus Archiepiscopus, post longam patientiam in hujus juris libero exercitio per capitulum habito ab ann. 1643. usque ad 1657. in quo spatio casus præbuit collationem 14. Canonicatuum, sumpta opportuna occasione, quod capitulum constitutum ex 27. Canonicis & Dignitatibus, ob pestem in ea Civitate nimium crassatam, redactum esset ad 17. comminata lite super dicto jure conferendi, curavit in capitulo proponi aliquam concordiam, dictæque propositioni dissentientibus quinque ex magis qualificatis a capitulo discedentibus, ac etiam duobus aliis, quamvis non discedentibus, a reliquis decem, ex quibus pluries erant ejus officiales, vel familiares, conclusa fuit concordia, Apostolica etiam auctoritate munita; super turnaria, seu alternativa inter ipsos Archiepiscopum, & capitulum, in vacationibus, quæ in dictis ordinariis mensibus contingerent; Sequuta vero Canonicatus vacatione de mense Septembris 1664. Capitulum habendo dictam concordiam tamquam invalidam, atque continuando ejus possessionem, Canonicatum contulit Januario Colle, Archiepiscopus vero in vim dictæ concordiæ illum contulit Aloysio Antonio Ajello. Unde propterea introducta desuper lite coram Prælato deputato, cum ex parte provisi per Archiepiscopum objiceretur de obstantia clausularum contentam in Brevi Apostolico emanato super dictæ concordiæ confirmatione, præviis aliquibus disputationibus, ex commissione Papæ habitis coram Datario, obstaculum sublatum fuit; Introductaque causa in Rota coram Bourlem. sub die 4. Junii 1671. pro capitulo responsum fuit. 1

Ego scripsi in disputationibus habitis coram Datario, & coram Prælato, ac etiam in præparatione disputationis habendæ in Rota (licet causæ directores quibus Lunæ attributivum congruit, totum desumendo a jam scriptis, me non requisierint) atque in his disputationibus duas efformabam inspectiones, Unam super jure conferendi, præscindendo a concordia, perinde ac si ad istam deventum non esset, Et alteram super ejusdem concordiæ validitate, vel invaliditate, itaut ejus aliqua ratio habenda esset necne.

Quoad primam, in sensu etiam veritatis dicebam omnino planum, ac extra controversiam esse bonum jus capituli, quoniam non solum concludenter per authentica documenta, & continuatam possessionem spatio trium sæculorum, & ultra docebatur de consuetudine conferendi canonicatus in ejus quatuor mensibus: Verum etiam consuetudo prędicta enunciatur in antiquis Constitutionibus Capituli editis usque de anno 1355. per Archiepiscopos pro tempore approbatis, ac observatis, unde propterea concurrit non solum simplex centenaria, sed etiam triplicata & ultra, cum tamen simplex, quoties de infectione non docetur, sufficiat etiam in iis, quæ sunt contra jus, ejusque resistentiam habent, ob facultatem allegandi privilegium Apostolicum, vel quemcumque alium titulum de mundo meliorem, quem sufficit allegare absque necessitate probationis, ita præsumptive resultantis a possessione centenaria deductis per Merlin. *decis.* 563. *n.* 28. Menoch. *conf.* 1023. *n.* 3. *&* 4. sæpe Capoblanc. *in ejus tract. de Baron.* & habetur pluries *sub tit. de feud. & sub illo de Regal.* 2

Et clarius, quoniam in scripturis authenticis usque ab anno 1364. ista consuetudo enunciatur immemorabilis, ac successive eadem enunciativa continuat in aliquibus actibus Archiepiscoporum, & in quibusdam litteris Apostolicis de anno 1391. cum ex deductis *disc. præced* ac etiam *disc.* 1. & alibi, quoties consuetudo est immemorabilis, super jure conferendi competente capitulo privative ad Episcopum, vel e converso, nulla cadat difficultas ex eadem ratione superius enunciata, quod habens pro se immemorabilem, allegare potest quemcumque titulum de mundo meliorem ex late collect. per Sperel. *decis.* 37. Burat. & Add. *decis.* 435. *& decis.* 673. Cels. *decis.* 110. *n.* 3. *& seq. decis.* 101. *n.* 31. *part.* 10. *recent. & sæpius.* 3 4

Et

Et quamvis de regulari natura immemorabilis sit ex-
5 cludere probationem per scripturas, quoniam eo ipso
quod constat de initio, illa exclusa remanet, juxta tra-
ditionem Jo: Andr. & alior. *in cap. 1. de præscr.* Greg.
& Add. *dec. 51. in fine dec. 126. n. 20. part. 5. rec. d. dec.*
101. *n.* 8. *part.* 10. *& sæpe*, unde propterea connatu-
ralis ejus probatio est per testes, qui juxta requisita
6 vulgaris gloss. *in cap. 1. de præscr. in 6.* deponant de
visu de pacifica quadragenaria subducto tempore litis
ac pupillaris ætatis, necnon de auditu a majoribus,
qui dicerent audivisse ab eorum majoribus, ac de pu-
blica voce & fama, de qua non in confuso, sed specifi-
ce super separato, ac particulari articulo deponere debent,
absque eo quod unquam aliquid in contrarium gestum, di-
ctum, vel auditum fuerit, adeout unicus actus contrarius,
quinimo solus rumor impediat hanc probationem, quæ
proinde in praxi nimium rara & difficilis redditur, ut
de his, cæteris relatis, habetur late *decis.* 153. *part.*
11. *recent. decis.* 24. *&* 87. *part.* 10. Otthobon. *decis.*
159. Gregor. & Add. *d. decis.* 51. & quotidie.

Licet illud requisitum secundi auditus, quod scilicet
majores audierint ab aliis majoribus ad superabundantiam
probari solitum sit, vere tamen non sit necessarium, ejus-
que defectus dictæ probationi non præjudicet, ut adverti-
tur *decis.* 512. *n.* 14. *part.* 5. *recent. decis.* 56. *n.* 8. *&*
seq. part. 7. *recent.* Add. ad Buratt. *decis.* 673. *num.* 9.

Attamen id recte procedit, quando scripturæ con-
7 tinent initium, seu titulum juxta casum, de quo *in*
Sabinen. exemptionis, sub titul. de Regal. disc. 47. ubi im-
prudens productio scripturarum destruxit possessionem
sex sæculorum & ultra; Secus autem ubi scripturæ
enunciant, seu præsupponunt immemorabilem, quo-
niam tunc dicitur melior probatio, magisque aliena ab
illa suspicione, quæ cadere potest in probatione fa-
cta per testes, qui juxta regionum, seu locorum mo-
rem, aut inducentium potentiam sæpe dicunt totum
id, quod inducenti expedit ac placet, sive sciant, sive
non, ut cæteris plene collectis, in terminis rigorosæ
probationis immemorabilis faciendæ de probatione ju-
rispatronatus potentium ad formam Conc. Trident.
firmatur per Rot. *dec.* 168. *num.* 35. *& seq. part.* 10.
recent. & est vera ac recepta distinctio.

Dicebantur hæc ad superabundantiam, cum neque
hujusmodi probationis necessitas adesset; Ut enim ad-
vertitur supra, *disc.* 29. & alibi, ista rigorosa proba-
8 tio desideratur in casu resistentiæ juris, qualis adesse
dicitur, quando agitur de præscribendo ipsam juris
conferendi substantiam, ac in totum in omnibus men-
sibus & temporibus, cum ita sublata, seu destructa
remaneat illa simultanea, quæ de jure datur inter Epi-
scopum, & capitulum; Secus autem ubi agitur de præ-
scriptione modi, seu distributionis temporum super
ejusdem juris exercitio, tunc enim nulla adesse dicitur
juris resistentia, quoniam ipsa substantia salva rema-
net, juxta communem, ac receptam distinctionem, quam
præcipue habemus in materia decimarum, quod ubi
agitur de præscribendo illarum substantiam & in to-
tum, vel circa exemptionem, vel circa pertinentiam,
requiritur immemorabilis, ubi vero circa quotam, vel
modum solvendi, sufficit præscriptio ordinaria, ut ita
distinguendo habetur *dec.* 23 *part.* 5. *recent.* Royas *dec.*
295. *n.* 6. ex Rebuff. *de decimis, quæst.* 13. *& passim.*

Et bene in his terminis specialibus præscriptionis Capi-
tuli contra Episcopum Rota apud Pœn. *dec* 993. *n.* 5. *cum*
seqq. decis. 124. *part.* 3. *rec. dec.* 74 *n.* 12. *part.* 11. Lotter.
lib. 1. *q* 21. *n.* 44 *cum seq.* & in casu converso Episcopi
contra capitulum, Cavaler. *decis.* 238. ex alias insinuata
ratione, quod nullibi in jure cautum est, quomodo ista
simultanea competat ac exerceri debeat, ideoque quando
non adest consuetudo, recepta est pro regula opinio ex
pluribus, quas refert Fagnan. *in cap. cum Ecclesia Volaterr.*
de elect. ut collatio sit simultanea disjunctiva, de qua plu-
ries in præcedentibus, ubi vero consuetudo concurrit,
huic deferri debeat, juxta *decis.* 22. Cassad. *de præb.*

Quando enim unus ex his collatoribus suum jus ad ali-
quos menses tantum, vel aliud tempus restringit, itaut
reliquum tempus remaneat alteri collatori, seu consorti,
tunc ita potius inducta, seu constituta dicitur turnaria di-
visio men[…]n, vel temporum, quæ in jure commenda-
bilis repu[…]ur ad tollenda inconvenientia alias ex hoc pro-
miscuo u[…] resultantia, non solum inter Episcopum & ca-
pitulum, vel alios collatores coæquales disjunctum confe-
9 rendi jus habentes, sed etiam inter ipsosmet Canonicos
ejusdem capituli ita per hebdomadas, vel dies faciendo
turnum, ut advertitur *dec.* 14 *&* 174. *part.* 12. *recent.* &
pluries in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de jurepatr.*
in materia turnariæ præsentationis inter patronos; Et
quamvis ob superventas Regulas Cancellariæ, præser-
tim octavam, seu nonam mensium, ita inæqualis red-
dita sit Episcopi conditio, quoniam excepto tempore
vacationis Sedis Papalis, suum jus inutile remanet,
dum sui menses cadunt sub reservatione], attamen, ut
advertitur supra, *disc.* 1. ea quæ pendent ab eventuali-
bus, non causant læsionem, vel inæqualitatem in jure
considerabilem ad communiter notata *in l. de fideicomm.*
C. de transact. dum casus fieri poterat, quod reserva-
tio caperet menses capituli; Ubi enim aliqui pro com- 10
mune possidentes, illam diviserunt, non curatur, quod
in portione uni ex dividentibus obventa contingat ste-
rilitas, vel aliud infortunium.

Hinc proinde posito claro jure capituli, absque eo
quod aliqua adesset lis actualis, vel comminata, quæ
probabilem induceret timorem dubii eventus, Dicebam,
quod ubi etiam versaremur inter privatos liberam ha-
bentes dispositionem suorum bonorum & jurium, ad-
huc ista transactio remanebat absque dubio invalida;
Tum quia illa non datur in re clara, ideoque ad sui
essentiam requirit litem non calumniosam, vel affecta-
tam, seu litis imminentiam talem quod adesse dicatur
ille probabilis timor omnimodæ succumbentiæ, ac amis- 11
sionis totius, unde propterea ita partes dimidiando,
seu dividendo jus controversum, majori formidato malo
occurrunt, & non alias, ad text. *in l. 1. ff. de transact.*
ubi communiter scribentes, Surd. *decis.* 132. *&* 185. Greg.
& Adden. *decis.* 149. Bonon. nullitatis concordiæ 12.
Junii 1645. coram Cerro, & passim.

Tum clarius, quoniam pariter essentiale transactionis
requisitum est (dato etiam dicto probabili timore) ut ha-
bita justa ratione dubii, ac incerti eventus litis, ad limi-
tes justitiæ commutativæ aliquid detur, & aliquid hinc
inde remittatur, adeout juxta opinionem quam sequitur
Rota & Curia Romana, etiam in transactione intret læ-
sio ad terminos text. *in l. 2. de rescind. vendit.* ut apud
Cels. *decis.* 270. *n.* 6. *decis.* 289. *n.* 1. *& seqq.* Med. *dec.* 92.
n. 8. *& seqq.* pluries in sua materia *sub titul. de empt. &*
vendit. & sub altero *de alienationibus, & contractibus*;
Secus autem, ubi colliti ganti datur totum id, quod ex li-
tis eventu sperare posset, cum tunc dicatur concordia leo-
nina, ut apud proxime allegatos, præsertim bene in d.
Bonon. nullitatis concordiæ 12. Junii 1645. cor. Cerro.

Uterque defectus in præsenti concurrebat, quoniam 12
nulla aderat lis, neque ejus probabilis timor concurrebat,
ut supra; Et quod magis, ubi etiam dicta consuetudo
non justificaretur, aliud Archiepiscopus ex omnimoda
victoria causæ, ac quantumvis favorabili litis eventu
sperare non poterat, nisi illud jus coæquale ad limites
simultaneæ de jure competentis, sibi quoque remanen-
tibus aliis octo mensibus in casu cessationis Regularum
Cancellariæ, ideoque etiam inter privatos liberam con-
trahendi, & disponendi facultatem habentes major in-
fectio non videbatur desiderabilis.

Multo magis, & absque dubio, dum agabatur inter
prohibitos, inter quos juxta dispositionem Sacrorum
Canonum & præsertim *Extrav. Ambit. de reb. Eccl.*
non alien. ultra alias species alienationis bonorum sta-
bilium, juxta hodie receptam, ac absolutam opinionem
in specie prohibita est transactio etiam super juribus 13
incorporalibus, ac jurisdictionalibus, quamvis ageretur
inter duas Ecclesias, vel duo corpora Ecclesiastica ex
deductis apud Otthobon. *dec.* 220. edita in casu, de
quo *in Acernen. sub tit. de jurisd. disc.* 24. & habetur
pluries in sua materia *sub tit. de alien.* ubi quod co-
pulative requiruntur solemnitas consistens in beneplacito
Apostolico, & justa causa solemnitatis, vel evidentis
utilitatis, quam beneplacitum non supplet, cujus causæ
defectus in hac facti specie erat manifestus, & concur-
rebat etiam defectus beneplaciti, cum illud non adesset
in consueta forma, quæ dicitur, *si in evidentem*, sed
per viam simplicis confirmationis in forma communi,
cum clausula, *dummodo sint licita, & honesta &c.*

Procederent hæc de plano etiamsi actus de facto sincere
initus esset a toto ac pleno capitulo; Multo magis, ac pro
meo judicio extra omnem dubitationem, stantibus dictis 14
circumstantiis malam fidem, ac affectionem nimium clare
redolentibus, quod scil. idem Archiepiscopus jam habue-
rat diuturnam 14. annorum pertinentiam, quodque in adeo
calamitoso tempore, ac malo statu capituli, ita fere dimi-
diati, cum tanta contradictione hujusmodi concordiam af-
fectaverit ab ea parte, quæ neque tertiam constituebat,
eaque etiam in parte infecta, ob mixturam ejus familia-
rium;

rium; & miniſtrorum, ex quibus circumſtantiis, Datarius, qui erat doctiſſimus, & integer Juriſconſultus, nullam habuit difficultatem circa remotionem obſtaculi ex dicta Apoſtolica confirmatione reſultantis, atque pleraque alia generalia deducuntur in deciſione deſuper edita poſt has adnotationes.

CATANIEN. OPTIONIS, PRO MERCURIO PALAZZOLO, CUM PUGLESIO ET GENUA.

Caſus diſputatus coram Datario, & reſolutus pro Mercurio.

De Indulto optandi dignitates, & Canonicatus in Eccleſia Collegiata conceſſo in limine erectionis ex lege adjecta per fundatores laicos, quamvis non ceſſet per reſervationem, an ceſſet; vel ei derogari debeat in caſu litis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Optio eſt favorabilis, & commendabilis.*
3 *An optio detur in reſervatis.*
4 *Beneficia de jurepatronatus, an & quæ cadant ſub reſervationibus.*
5 *Quod optio competens ex lege fundationis non cadat ſub reſervationibus.*
6 *Patronus poteſt adjicere leges, & conditiones etiam juri contrarias.*
7 *Ob litem derogatur etiam juripatronatus laicorum.*
8 *Ex eadem cauſa debet derogari juri optandi, & de rationibus.*
9 *De regula de ſubrogandis remiſſive.*
10 *De eadem derogatione, de qua n. 8.*
11 *Laudantur proviſiones, quibus mediantibus lites extinguuntur.*

D I S C. XXXIII.

1 IN limine erectionis Eccleſiæ Collegiatę Oppidi nuncupati *Piazza*, ex lege adjecta per eos qui inter vivos, vel per ultimam voluntatem bona deferunt pro Collegii erectione, conceſſum fuit indultum Apoſtolicum ſuper jure optandi inter dignitates; Cum autem poſſeſſor Decanatus, qui eſt quarta dignitas, obtinuiſſet concedi coadjutoriam N. G ouæ ejus nepoti cum futura ſucceſſione, ſequuta vero ejus morte, antequam gratiam coadjutoriæ ſortiretur effectum, Cardinalis Aſtallius Epiſcopus in vim indulti Cardinalitii dictum Decanatum contuliſſet Pugleſio, hinc inter iſtos, proviſum, & coadjutorem reſpective, orta eſt lis prius coram exequutore deputato in literis coadjutoriæ, deinde vero in Tribunali Monarchiæ, eaque pendente contigit vacatio Theſaurariæ, quæ eſt tertia dignitas, in menſe reſervato; Cumque Papa de illa gratificari vellet Mercurium, ſe oppoſuerunt ambo litigantes prædicti, prætendentes locum eſſe dictæ optioni, qua mediante lis finem haberet, ut ſcilicet ita poſſeſſore, qui erat proviſus ab Ordinario optante Theſaurariam, alter obtineret Decanatum, ſuper quo habebat dictam gratiam coadjutoriæ; Verum oppoſitio, mature cognita, rejecta fuit, atque beneficium conceſſum Mercurio, cum expreſſa derogatione dicti juris optandi propter litem, perfectaque gratia, ex quibuſdam aliis impedimentis, ac prudentialibus motivis, Mercurius ſuo juri ceſſit, unde propterea, ex rationabili motivo extinguendi dictam litem, oppoſitores obtinuerunt intentum.

In diſputatione autem deſuper habita coram Datario, ſcribentes pro oppoſitoribus, præſertim pro poſſeſſore volente optare, nimium ſe diffundebant in eo
2 quod iſtud jus optandi dicatur in jure commendabile, ac favorabile, ad text. *in cap. fin. de conſuet. in 6.* ubi Gemin. Franch. & alii deduct. per Monet. *de option. cap. 2. & 4.* Burrat. *deciſ.* 195. n. 1. Melevir. optionis 5. Martii, & 7. Maji 1640. coram Merlino inter ſuas *deciſ.* 380. *num.* 4. & *deciſ.* 838. *num. fin.* ac propterea violari non deberet.

Deindeque ſe diffundendo ſuper articulo, an jus optandi caderet necne ſuper beneficiis reſervatis, ſuper
3 quo DD. ac Rota juxta diverſas reſervationis qualitates variarunt, ex deduct. per Monet. *de option. cap. 3. q. 3.* Rota apud Greg. & Add. *dec.* 478. *dec.* 608 *n.* 10. *p.* 5. *rec. in Meſſanen. Decanat. dec.* 285. *part.* 9 *rec.* & apud Dunoz. *dec.* 599. 616. & 644. & 678. *dec.* 140. *part.* 10. *rec.* & *in aliis*; Adhuc tamen admittendo opinionem, ut reſervationes tollant jus optandi, dicebant id procedere in eo jure, quod competeret ex conſuetudine,
4 ſive etiam ex gratia, & privilegio, non autem ubi ex lege in limine fundationis adjecta per laicos fundatores, atque per Papam approbata, ad comprobando cum vera, & recepta concluſione, quod Apoſtolicæ reſervationes non capiunt beneficia de jurepatronatus laicorum ex fundatione, vel dotatione, quinimo etiamſi eſſent partim ex gratia, & privilegio, partim vero ex cauſa oneroſa augmenti dotis, quoties iſta præponderat, vel ſaltem adæquat, cum reſervationes capiant beneficia liberæ collationis, ac illa etiam de jurepatronatus Eccleſiaſtico, ſive etiam laicali ex gratia, & privilegio, quamvis admixta quoque eſſet cauſa oneroſa, quæ tamen non præponderaret, cum in hac materia attendatur præponderantia, ex deductis per Lotter. *lib.* 2. *q.* 8. Adden. ad Gregor. *deciſ.* 397. Rot. *deciſ.* 58. & 88. *part.* 1. *rec.* & in ſua materia *ſub tit. de jurepatron.*

Scribens ego pro Mercurio, quamvis præmiſſa percute- 5
rent terminos generales reſervationis, adhuc tamen admittebam congruere huic juri optandi adjecto ex lege fundatorum laicorum, quamvis iſti non curaſſent ſibi reſervare patronatum, ex omnimoda rationis identitate; cum enim dicti fundatores ſibi reſervare potuiſſent patronatum, ac jus præſentandi, quod eſt plus, abſque eo quod ſubjacerent reſervationibus, rationabile non eſt, ut eis modeſtiam exercentibus, atque relinquentibus beneficia in eorum libertate, violari deberet iſta lex ab eis adjecta, quæ ut ſupra dicenda potius eſt commendabilis.

Si enim patrono, ſeu fundatori licitum eſt in limine
fundationis, de conſenſu Ordinarii, vel Papæ, adjicere 6
leges, & conditiones quamvis exorbitantes, ac juri contrarias, illæque ſervandæ ſunt, ex deduct. per Burrat. & Adden *deciſ* 21 61. & 213. & in dicta ſua materia *ſub tit. de jurepatron* multo magis, ubi agitur de lege non exorbitanti, ſed potius commendabili.

Dicebam tamen, eis etiam admiſſis, adhuc in iſta fa-
cti ſpecie ceſſare applicationem, quoniam non agebatur 7
de puncto prædicto reſervationis, an tolleret necne jus optandi, ſed agebatur de altero, an eidem juri (eo in reliquis firmo manente) pro hac vacatione derogandum eſſet, ſtante dicta lite; Atque cum ſenſu etiam veritatis, jam agnitæ, dum ita ut ſupra derogatum fuit, dicebam derogari debere, retentis eiſdem terminis juriſpatronatus laicalis, cum quibus ſcribentes in contrarium procedebant, quoniam lis reputatur ſufficiens cauſa concedendi hujuſmodi derogationem, quæ proinde procedere ſolet ex diſpoſitione, vel ratione text. *in cap.* 2. *ut lite pendent in 6.* Covar. *pract. cap.* 36. n. 7. & 8. Parif. *de Reſign. lib.* 1. *q.* 4 n. 52. Caſſad. *dec.* 3. *ut lite pendent* Lotter. *lib* 2 *quæſt.* 8 *n.* 100. & *communiter.*

Quod ſi procedit in caſu vacationis ad effectum provi- 8
dendi, multo magis, & abſque dubio id recipiendum dicebam ad iſtum effectum optionis, ita incongruæ atque impracticabilis, ex pluribus; Primo, ratione incertitudinis, quoniam ſtante lite, incertum erat quiſnam eſſet verus Decanus, cui optio debita eſſet, ideoque nemini inferrur injuria, ut præſertim obſervat Lotter. *ubi ſupra.* Secundo, ob inconveniens, quod ita reſultare poſſet, quoniam dando optionem poſſeſſori, ſi eventus litis doceret, Decanatum ſpectare ad alium collitigantem, qui non curaret optare, beneficium optatum ita ſine cauſa expilcatum remaneret per intruſum. Et tertio, quoniam cum vacatio ſequuta eſſet in menſe reſervato, de neceſſitate dare oportet in Dataria unicam liberam collationem, vel ipſius beneficii vacati, vel alterius, quod dimittatur per optantem, quod ita fieri non poterat, quoniam ſi poſſeſſor dimitteret Decanatum ob aſſecutionem alterius dignitatis jure optionis, beneficium non remaneret liberæ ac pacificæ proviſionis, dum alter collitigans proſequi poſſet litem, ideoque eſſet dare inconveniens multiplicandi collitigantes contra ſenſum, ac ſtylum Sedis Apoſtolicæ explicitum per regulam de ſubrogandis, per quam ad extinguendas lites, mortuo uno ex collitigantibus, concedere ſolet (quamvis ex arbitrio, & benignitate, non autem ex præciſa neceſſitate) ſubrogationem collitiganti; quoties non agatur de litigante
calumnioſo, juxta ea, quę habentur ad hanc materiam ſub- 9
rogationis infra in *Segabrien. Canonicatus, diſc.* 50 ac in aliis ibi proximis, ideoque ex dictis rationibus, & inconvenien-
tibus, magis congruum, ac rationabile eſt fieri liberam be- 10
neficii vacati collationem, cum ſpeciali derogatione dicti juris, cui non præjudicatur, ſed potius ita canonizatur,

& con-

& confirmatur; ut a simili advertitur supra *in Hyldesi. men. Præpositura*, *disc.* 12. minusque ipsis litigantibus aliqua infertur injuria, dum incertum est, cuinam eorum debitum sit beneficium, a quo petatur assensus.

Est bene verum, quod ex eadem ratione dictæ Regulæ de subrogandis, laudabile est, quando litigantes concordant, admittere, ut unus obtineat unum, & alter alterum beneficium, quodque isti magis gratificentur pro extinguenda lite, quoties tamen suspicio non urget, litem ad hunc effectum affectatam fuisse, sed exuberat bona fides, ideoque est punctus pro facti qualitate ex prudenti arbitrio, juxta singulorum casuum diversas circumstantias diversimode practicandus.

SALISBURGEN. FRUCTUUM

PRO

CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ,

CUM

HÆREDIBUS CANONICI DEFUNCTI.

Responsum pro veritate.

An resignatio per Superiorem admissa, quæ tamen per obitum resignantis infra viginti dies per regulam de viginti habetur pro infecta, itaut vacatio sequi dicatur per ipsius resignantis obitum; abdicet jus a resignante, qui non dicatur mori beneficiatus, vel e contra.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resignatio nulla, vel ineffectuata, non abdicat jus a resignante, itaut ex ejus persona sequatur vacatio.*
3 *Resignatio pura admissa per superiorem illico abdicat omne jus a resignante.*
4 *Resignans amittit fructus quos alias moriens transmitteret.*
5 *Conclusio, de qua n. 2. intelligitur in resignatione ad favorem certæ personæ, non autem pura.*
6 *Etiam in casu resignationis ad favorem dicta conclusio non procedit, ubi nullitas, vel ineffectuatio provenit ex culpa.*
7 *De Constitutione Pii V. super resignatione ad favorem coram Ordinario, in qua non intrat conclusio, de qua num. 2.*
8 *Eadem conclusio neque intrat, ubi resignatio inficitur ob non publicationem ex Constitutione Greg. XIII.*
9 *De quæstione, an annullatio actus resultans a regula de infirmis resignantibus, seu de viginti cum retratractione, ut beneficium vacet per mortem resignantis, sit per veritatem, vel per fictionem, & quomodo.*
10 *Regula de viginti fundata est in præsumpta fraude, & dicitur favorabilis.*
11 *Actus potest esse perfectus quoad unum, & imperfectus quoad alium.*
12 *Religiosus electus in odiosis est adhuc religiosus, sed in favorabilibus habetur pro laico.*
13 *Hæres indignus quoad præjudicialia, & odiosa habetur pro hærede.*
14 *Filius familias ingratus quoad favorabilia amittit favores patriæ potestatis, sed quoad odiosa remanet sub ea.*
15 *Fictio retrotractiva regulæ de viginti est ad favorem collatoris producendo effectum veritatis.*

D I S C. XXXIV.

1 Disponentibus statutis capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburg. ut moriente Canonico in statu canonicali, fructus illius anni transmittantur ad ejus hæredes, secus autem e converso: Cum quidam Canonicus in gravi ætate constitutus, libere in manibus Archiepiscopi suum Canonicatum resignasset, porrectis eidem precibus, ut pro ejus mera benignitate illum conferre dignaretur ipsius resignantis germano fratri, prout, resignatione admissa, sequutum fuit; Deinde vero ob resignantis mortem infra viginti dies sequutam in mente reservato, idem Archiepiscopus habens indultum Apostolicum conferendi reservata, stante infectione actus, per Regulam Cancellariæ de infirmis resignantibus, quæ alias de viginti dicitur, d. Canonicatum tamquam vacantem per obitum resignantis alteri contulisset; Hinc proinde orta est dubitatio, an dictus resignans, ad formam statuti dicendus esset defunctus Canonicus, ac in possessione Canonicatus necne, ad prædictum effectum transmittendi, vel non transmittendi fructus ad ejus hæredes; Cumque ex parte istorum exhibitum esset quodam Responsum, in quo firmabatur locum esse transmissioni, ex eo fundamento, quod stante nullitate dicti actus ex præfata regula de
viginti, abdicatum non esset jus a resignante, quia pro- 2
pterea obiecit Canonicus, dum per ejus obitum vacatio sequi dicitur juxta *dec.* 297. Putei *lib.* 3. Paris. *de resign. lib.* 12. *q.* 9 *n.* 7. *cum seqq.* & *n.* 7. hinc proinde ex parte capituli de super veritate consultus fui.

Respondi, non obstantibus præmissis, ad favorem capituli pro non transmissione, ex regula, quod resignatio pura, & libera admissa per Superiorem habentem potesta-
tem destituendi, eo ipso abdicat omne jus a resignante, 3
qui illico atque instanti desinit esse beneficiatus, ac beneficium constituitur in statu vacationis, ad communiter notata per DD. *in cap. sollicite*, & *cap. accepta*, *de restit. spol.* Cassad. *decis.* 4. *eod. tit.* Paris. *de resign. lib.* 1, *q.* 3. *num.* 5. *cum seq. cum aliis*, *de quibus infra*.

Adeoque resultat cessatio beneficii per resignationem quod etiam in casibus, in quibus de jure communi, vel speciali, potest cassatum beneficium ipse beneficia-
tus supervivens percipere, vel moriens ad hæredem trans- 4
mittere posset aliquos fructus, adhuc tamen id cessat in caso resignationis, nisi accedat expressa reservatio, eo quia resignando simpliciter beneficium, censetur a se abdicasse omne jus, etiam quoad fructus non perceptos, alias sibi competentes, & sic efficacior est abdicatio per resignationem quam per mortem, ut post antiquiores ab eis relatos habetur apud Lottet. *lib.* 3. *q.* 44. *n.* 32. & *seq.* Cenc. *cens. quæst.* 70. *num.* 19. Caval. *dec.* 104. *n.* 1. & *seq.* Rota *decis.* 278. *part.* 2. *rec. repet.* post Cenc. *decis.* 277. Et infra ad hanc materiam divisionis fructuum *disc.* 100.

Conclusio autem prædicta procedit in resignatione ad favorem certæ personæ, quoniam tunc non est pura, sed conditionalis, & consequenter non abdicat jus
a resignante, nisi purificata conditione per effectuatio- 5
nem resignationis in resignatario, ut habetur *disc. seq.* & aliis ad hanc materiam resignationis.

Et nihilominus etiam isto casu, eatenus dicta conclusio procedit, quatenus invaliditas, vel ineffectuatio resignationis resultet ex facto tertii, puta Papæ nolentis resignationem admittere, vel ex deficiente persona re-
signatarii naturaliter, vel civiliter, aut ex alio acci- 6
denti absque facto & culpa ipsius resignantis, secus autem ubi ex nullitate, cujus ipse sit conscius, ejusque culpa, vel factum accedat, ut per Paris. *d. q.* 3. *num. fin.* & *lib.* 9. *q.* 21. *n.* 8. Gratian. *discept.* 855. *n.* 10. *cum seq.* Garz. *part.* 11. *cap.* 3 *n.* 35 & *seq.* Add. ad Buratt *dec.* 236. *n.* 37. Carill. *dec.* 283. Cell. *cap.* 172. & *frequenter*, *ut disc. seq.* & *in aliis*. Unde cum versaremur in resignatione pura, non autem ad favorem, seu in ea quæ haberet implicitum favorem ipsius resignantis fratris, in quo effectum sortita fuit, ita mihi videbatur, quod versaremur extra difficultatem.

Neque alicujus momenti videbatur consideratio, quod
ineffectuatio provenisset ab accidenti, seu casu mortis re- 7
signantis infra 20 dies, & sic magis ex regula de viginti, quam ex aliquo facto culposo, quoniam ut dictum est, consideratio effectuationis intrat in resignatione ad favorem, non autem in simplici ac pura, quæ illico effectuata dicitur eo ipso quod est admissa, neque ad resignantem inquirere pertinet, an beneficium providеatur, vel diu vacet; Ac propterea advertebam intrare clarum dilemma; Aut possessor canonicatus habuit in animo pure ac simpliciter illum resignare, non curando, an uni, vel alteri, seu an cito, vel sero conferatur, & tunc certum est, quod in ipso instanti admissæ resignationis per superiorem habentem potestatem destituendi, resignatio est perfecta, & effectuata, cum alium actum post se ad perfectionem non desideret; Aut vere habuit in animo ita resignandi ad favorem fratris, ut porrectæ preces, ac subsequuta collatio denotabant, & tunc pariter in odium ac præjudicium, tam resignantis, quam resignatarii, effectuata quidem fuit resignatio, cum de facto habuerit effectum, sed etiam si non esset sequuta mors intra viginti dies, adhuc remanebat infecta quoad utrumque per Constit. 58 Pii V. de qua infra in Monasterien. *disc* 65. & sic magis per inhabilitationem ac privationem resignatarii, absque eo quod resignans prætendere valeat regressum, vel non abdicationem.

Ut etiam habemus in ea vacatione, seu resignationis in effe-

effectuatione, ac invaliditate, quæ resultat ob non publicationem ad formam Constitutionis Gregor. XIII. quo-
8 niam tunc vacatio resultat ab ipsa Constitutione, & ex persona resignatarii ita resolvendo actum jam perfectum, & effectuatum, Lotter. *lib. 3. quæst. 21. num. 26.* Rota *decis. 140. num. 5. cum seq. part. 10. recent.* apud Cels. *d. decis. 172. num. 6. cum seq.* & habetur infra *in Tolet. Archipresbyt. disc. 36. cum similibus.*

Præterea, etiam in casu resignationis ad favorem certæ personæ, cujus resolutio sequatur ex dicta regula de viginti habente vim retrotractivam cum omnimoda retrotractione actus intermedii, adeout beneficium vacare dicatur ex persona resignantis, perinde ac si actus resignationis nullatenus esset sequutus, adhuc intrat quæstio plene ac docte examinata per Lotter. *lib. 3. q. 15.* an scilicet ista vacatio per obitum resignantis dicatur per veritatem, vel per fictionem, atque relatis utriusque sententiæ Auctoribus, ac fundamentis probabilius concludi videtur id resultare magis per fictionem, quam beneficialistæ dicunt translativam; Et nihilominus ista quæstio percutit diversum effectum, nempe inter Se-
9 dem Apostolicam, ac Ordinarium collatorem, cui scilicet eorum competat jus conferendi, atque in hoc beneficialistæ certant, stante intermedia appositione manuum Papæ, non autem ad commodum resignantis, quodque ipse post jam admissam, ac effectuatam resignationem dici valeat Beneficiatus, ac beneficium vere in eo resederit, & cotinuaverit; id enim procedit in ea conditione, quæ dici potest suspensiva impediens perfectionem actus donec illius legitima, & perfecta purificatio sequatur, non autem isto casu, in quo id resultat magis per solutionem, quę supponit actum jam perfectum, ac per speciem privationis, juxta communem, ac receptam distinctionem, de qua *in Neapolitana hæreditatis, sub tit. de fideic. disc. 154.* & alibi frequenter, inter conditionem, ac modum, & successive inter non acquisitionem, atque caducitatem.

Et hic est casus, quoniam dicta regula de viginti fun-
10 data est in præsumpta fraude, quæ ita per morti proximum fiat collatori, tam per resignantem, quam per resignatarium, ut per Paris. *de resign. d. lib. 12. q. 1. n. 3. & n. 30. cum seq. & q. 2. n. 10. cum seq.* ubi tractando quæstionem, an ista Regula sit favorabilis, vel odiosa, concluditur eam esse favorabilem, utpote obviantem peccatis, ac fraudibus, atque punientem delictum, quod ita præsumitur, vel præsupponitur in resignante volente sibi eligere successorem, ac per speciem ultimæ voluntatis disponere de beneficio amplius non suo, conferendo resignationis effectum in tempus inhabile, juxta ea quæ in simili habemus de alias licita subinfeudatione, quæ fiat per feudatarium morti proximum, seu alias de successore desperatum ex plene deductis in Senogallien. Castrorum *sub tit. de feudis, disc. 1.* cum similibus; Igitur si provenit ex culpa & delicto, intrat conclusio superius deducta, seu limitatio regulæ, quam habemus circa ineffectuatam resignationem non abdicantem jus a resignante.

Non enim implicat, ut actus dici possit nullus ab initio cum vi retrotractiva, & tamen quod in odium ejus
11 qui culpose agit, habeatur quoad eum pro perfecto, solumque pro invalido ac imperfecto ad favorem tertii, cui fraus ita parabatur, magis ut dictum est per pœnalem resolutionem, quam per deficientem voluntatem facientis ob non purificatam conditionem ab eo adjectam, & sine qua non habuerit alias animum faciendi.

Ad quod a simili deducebam ea, quæ habemus in Religioso professo ob malos mores, seu ex delicto ejecto, quoniam quoad sibi favorabilia habetur pro vere ejecto,
12 ac laico, sed quoad odiosa remanet Religiosus professus circa observantiam votorum, aliaque professionis onera, & præjudicia, Cardin. *in Clement. 1. §. quia vero in prima, quæst. de statu Monachorum*, Sanch. *ad præcepta Decalogi, lib. 6. cap. 9. num. 45.* Add. ad Burat. *dec. 756. num. fin.* ubi refertur decisio Rotæ.

Ita pariter hæres qui ob aliquod delictum reputatur hæreditate indignus, quoniam quoad odiosa, & præjudicialia habetur pro vero hærede, sed desinit esse talis in
13 favorabilibus tantum, & ad commodum fisci, vel tertii ad text. *in leg. indigno, leg. cum qui, §. 1. & leg. hæredem, ff. de his quibus ut indignis,* cum concord. apud Peregrin. *de jur. fisci lib. 2. tit. 2. n. 14. cum sequent.*

Et habemus etiam in filiofamilias ingrato, quoniam amittit jura suitatis, ac patriæ potestatis quoad favorabi-
14 lia, sed quoad odiosa, & præjudicialia, remanet filiusfamilias. Et e converso in patre criminoso, vel alias ex delicto amittente jus patriæ potestatis in favorabilibus, non autem præjudicialibus ex collectis per Boss. *in tract. patr. potestat. 2. nu. 77. cum seq.* pluraque similia cumulari possent; Et sic stant bene simul, talem resignationem ex præsumpta fraude haberi pro infecta, perinde ac si sequuta non esset, cum vi retrotractiva, in qua juxta bene deducta per Lotter. *ubi supra* consistit fictio, quæ inducit effectum veritatis super modo vacationis, in gratiam tamen, & favorem collatoris, cui fraus parabatur, quodque in odium parantis fraudem actus habeatur pro omnino perfecto ac effectuato.

ANNOT. AD DISC. XXXIV. cum seqq.

Agitur in his discursibus de materia resignationis, de qua habetur actum in *disc. 125.* in quo agitur de regula de viginti, & *disc. 127. & 128.*

Ultima decisio emanata in casu, de quo *disc. 36. est impress. decis. 35. part. 13. recent.*

HISPALEN. BENEFICII
PRO GASPARE VILLALOBOS,
CUM ANTONIO ALAMANZON.

Casus decisus per Rotam pro Gaspare, pendet revisio.

De eadem materia resignationis ad favorem certæ personæ, An & quando abdicet jus a resignante necne ob resignationis invaliditatem, vel in effectuationem, ad effectum regulandi vacationem ex una, vel altera resignantis, vel resignatarii persona.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De regula ubi resignatio ad favorem non abdicat jus a resignante, ubi illa ex defectu nullitatis, vel alio accidenti non sortitur effectum.*
4 *De limitatione ubi nullitas est culposa in ipsomet resignante, qui sciret valorem male narratum.*
5 *Intellige ubi habetur certa scientia valoris.*
6 *De materia probationis scientiæ, vel ignorantiæ, & quando mala expressio sit excusabilis, necne.*
7 *Distinguuntur casus circa notitiam valoris, ac excusationem a mala expressione.*
8 *Anni accidentales non attenduntur in valore.*
9 *Ad quem effectum requiratur rigorosa probatio valoris per circulum decennalem.*
10 *Distinguuntur diversi effectus, ad quos scientia valoris sit magis, vel minus concludenter probanda.*
11 *Ad effectum pœnæ, vel gravis præjudicii scientia debet esse certa, & clara.*
12 *De alio casu, in quo resignatio ad favorem expedita in forma dignum non fuit effectuata ob mortem resignatarii, an tollatur jus a resignante.*
13 *De conclusione, quod provisio in forma* dignum *non est provisio, sed mandatum de providendo, quomodo intelligatur.*

DISC. XXXV.

Franciscus resignavit in manibus Papæ simplex bene- 1
ficium servitorium, *Pontificale* nuncupatum, in Ecclesia parochiali Oppidi de Marinena favore Gasparis, expeditisque literis sub die 15. Maji 1664. cum antequam illæ præsentarentur exequutori in partibus pro earum exequutione, sequutus esset obitus dicti Francisci resignantis, sub die 8. Junii sequentis, atque Ordinarius tamquam ex vacatione per obitum, beneficium contulisset Antonio; hinc proinde, tam coram exequutore literarum, quam coram Nuntio Hispaniarum, inter dict. Gasparem & Antonium litigatum fuit in possessorio; Introductaque per Appellationem causa in Rota coram Priolo, cum Gasparis defensores advertissent ad suæ gratiæ invaliditatem ob malam expressionem valoris, idcirco obtenta fuit nova gratia revalidatoria, cujus literis in Rota præsentatis coram eodem Priolo, sub die 27. Januarii 1668. prodiit resolutio eidem Gaspari favorabilis super literarum executione, sed concessa Antonio nova audientia, assumpta fuit disputatio diversi dubii super concessione remissoriæ per eumdem Antonium petitæ ad effectum probandi majorem

jorem hujus beneficii valorem, etiam attenta narrati-
va secundæ gratiæ revalidatoriæ pro istius informatio-
ne, atque super hoc duæ prodierunt resolutiones sub
diebus 15. Junii seq. & 8. Februarii 1669. sed Anto-
nio negligente uti remissoria, in ejus contumaciam
solo Gaspare informante, sub die 30. Maji 1670. con-
firmata fuit resolutio in negotio principali.

In hujusmodi autem disputationibus ea quæ con-
cernebant valorem, sive concessionem, vel respective
denegationem remissoriæ, consistebant in nudo facto,
2 de quo parum, vel nihil ad Advocatum pertinet;
punctus autem juris erat, an stante nullitate primæ
gratiæ ad favorem resignatarii, resultante ex regula
de valore ob istius falsam expressionem, itaut ea at-
tenta, resignatio ad favorem resignatarii effectum sor-
tiri non posset, diceretur necne abdicatum jus a re-
signante, unde propterea de tempore obitus non esset
amplius beneficiatus, cum resignatio jam admissa fuis-
set per dies 23. antea. Vel e converso beneficium non
esset ab ipso abdicatum, & consequenter vacatio ex
ejus persona & morte regulanda veniret.

Istius autem puncti decisio pariter pendebat magis
ex facto quam ex jure, an scilicet mala expressio va-
loris facta in supplicatione resignationis dici posset
etiam ex parte resignantis culposa necne, quod pen-
3 debat ab eo, an constaret ipsum esse veri valoris con-
scium ac informatum, itaut talis expressio sibi impu-
tanda veniret magis quam resignatario, atque super hoc
erat totum certamen, cum de reliquo super conclusioni-
bus, vel illationibus juris scribentes hinc inde con-
cordaremus.

Admittebam siquidem ego scribens pro Gaspare pro-
viso Apostolico actore, regulam, in qua scribentes
pro Antonio proviso & possessore totum constituebant
fundamentum, quod scilicet resignatio ad favorem non
abdicat jus a resignante, nisi quatenus valide, ac per-
fecte illa effectum sortiatur in resignatario, ex ratio-
ne insinuata *disc. præc.* quod scilicet sub tali condi-
tione adimente alias consensum ab actu illa facta cen-
seatur, adeout vacatio resultet per mortem resignan-
tis, non autem resignatarii, quoniam appositio ma-
nuum Papæ, ubi restricta est ad certum effectum, ul-
tra illum non operatur ex deficiente voluntate.

Insistebam vero in limitatione pariter *eod. disc. præc.* in-
4 sinuata, ut id procedat ubi sine facto & culpa resignantis
resignatio effectum non sortitur, secus autem ubi nullitas
culposa dici potest, ut ultra generalia deducta *d. disc. præc.*
in terminis specialibus nullitatis gratiæ resignationis ob
malam expressionem valoris, quæ referri potest culpæ ip-
sius resignantis bene informati, ac male exprimentis, Rot.
cor. Carillo *dec.* 283. *n.* 5 *&* 6. *repet. dec.* 218 *n.* 6 *&* 7. *part.* 9.
rec. in qua allegantur Garz. *part.* 11. *cap* 3 *n.* 39. *& alii*.

E converso autem scribentes in contrarium non contro-
vertebant dictam limitationem, utpote in puncto juris ve-
ram, negabant autem applicationem ad factum; quod scili-
cet non constaret quod resignans, qui in mandato procuræ
5 dato ad resignandum enunciaverat valorem in supplicatio-
ne resignationis narratum, fuisset bene conscius ac infor-
matus de valore, qualis erat casus dict. decisionis Carilli,
ubi de diuturno possessore ann. 25. bene informato ac in-
excusabili, secus autem ubi possessio esset ad modicum tem-
pus, unde cadere posset probabilis error & ignorantia, ut in
præsenti supponebatur, dum resignans possederat per bien-
nium, & parum plus, ut advertitur in decisionibus editis
super remissoria, in quibus insinuatur, certam valoris no-
titiam ac probationem non resultare nisi ex revolutione
10. ann. facta illorum peræquatione juxta ea quæ ad ma-
teriam valoris in genere habentur *infra disc.* 90. & plur.
sub tit de pension. super quarum materia illa valoris quæ-
stio est frequentior, & quotidiana; Ideoque, ut dictum
est, quæstio erat potius facti quam juris super dicta scien-
tia valoris in resignante, an scilicet esset omnino certa,
indubitata, & bene distincta, adeout diversa narrati-
va remaneret inexcusabilis, ac redoleret culpam, cum
cujus præsupposito procedit dicta limitatio regulæ.

Super hoc autem puncto scientiæ, dicebam ego in repro-
positione, quod in ista materia scientiæ, vel ignorantiæ,
certa, & determinata regula dari non potest, sed decidenda
6 venit pro judicis prudenti arbitrio regulando ex facti qua-
litate & circumstantiis, præsertim ex verisimili, vel inve-
risimili, ut in his specialibus terminis nullitatis gratiæ ob
malam expressionem ad effectum conjiciendi, an ista sit
culposa necne, est communis traditio Host. Butr. Card.
Abb. & aliorum *in cap. super literas, de rescript.* ubi ple-
ne Fagn. eos referendo multos ponderat casus super pro-
babili ignorantia, aliisque causis excusationis; Et ge-
neraliter ad plures effectus, frequentius vero ad illum
restitutionis in integrum adversus præscriptionem ex ca-
pite ignorantiæ admittendæ, vel respective denegandæ,
multa colligunt Add. *ad decis.* 3. *part.* 3. *recent.*

Tribus autem casibus excusabilis videtur beneficii pos-
sessor tamquam non bene informatus circa malam ex-
pressionem, & cum quo præsupposito procedunt omnes
auctoritates ac decisiones, quas desuper habemus; Primo
scilicet ubi ipse beneficiatus nunquam fuit præsens in 7
loco beneficii, cujus valorem tantum scire contingat ex
relatione procuratorum & agentium, ut contingit in
curialibus simplicia beneficia possidentibus in diversis diœ-
cesibus; Secundo, ubi fuit quidem præsens in loco, sed
non possedit beneficium, neque administravit per inte-
grum annum, vel solarem, & naturalem, vel legalem,
regulandum scilicet ab integra perceptione fructuum,
qui inæqualiter diversis annis, vel temporibus percipian-
tur; Et tertio, ubi fuit quidem in loco, atque possedit
& administravit per integrum annum prædictum, vel
etiam per plures, sed in tempore calamitoso & accidenta-
li, puta belli, vel pestis, &c. juxta ea, quæ in hac materia
temporis accidentalis non attendendi ad regulandum valo-
rem, habentur infra *d. disc.* 90. in materia valoris, ac 8
advertitur *dec.* 222. *part.* 11. *rec.* edita in causa de
qua *in Assisien. oblationum, sub tit. de præm. disc.* 11.

Ubi vero hæc omnia cessant, quia nempe Beneficia-
tus fuerit in loco, vel diœcesi, ut in hac facti specie
supponebatur, ac etiam in tempore ordinario & non
calamitoso, plures fecerit integras recollectas, ex qui-
bus annus in hac materia fructuum regulatur, ut in
præsenti supponebatur fecisse tres, tunc nil refert, an
possessio fuerit diuturna, vel brevior, quoniam eadem
notitia habetur cum duabus, vel tribus recollectis, quæ
habeatur cum decem, vel viginti, quoties non adsint
sylvæ cæduæ, vel alia bona fructum inæqualem cum
diuturno intermedio spatio præbentia; Circulus vero,
seu peræquatio 10. annor. procedit in ea rigorosa, ac stri- 9
cta probatione, quæ requiritur ad effectum irritandi pro-
visionem, non autem adaptari videtur his terminis; Potis-
sime vero, ubi vis non consistat in modica alteratione,
quæ expectando dictam longam revolutionem annorum in
pluri, vel minori sequi potest, sed agitur de magna diffe-
rentia, ut in præsenti supponebatur, quod scilicet prima
narrativa, neque tertiam, vel quartam valoris partem
contineret, cum tunc neque absentis excusatio intrare
videretur, quoniam etiam administrantes beneficia per
agentes, & procuratores, solent quidem obtinere ali-
quem minorem fructum, quam hi per seipsos admini-
strarent, nullatenus vero cum tanta alteratione.

Considerabam præterea, distinguendos esse effectus,
ad quos de hujusmodi mala & culposa narrativa agitur;
Aut enim de illa agitur ad effectum gravis præjudicii 10
ipsiusmet, qui eam fecit super privatione incurrenda,
vel simili malo graviter præjudiciali effectu, pro quo
evitando ipsemet contendens, vel cum resignatario juxta
casum, de quo infra *in Neapol. parochialis, disc.* 37.
vel cum impetrans certo modo alleget excusationem,
seu errorem, ita revocando confessionem, ac declarando
diversum animum & tunc magis stricte procedi debet, qua-
lis est casus apud Dunoz. *dec.* 881. & apud Otthob. *dec.* 106.
& 194. cum similibus, tunc enim agitur de scientia ad
effectum privationis, vel amissionis, beneficii, quæ in
materia beneficiali dicitur importare pœnam gravissimam
& ordinariam, ideoque pro incursu pœnæ, vel alterius
gravis præjudicii requiritur scientia vera perfecte, & con-
cludenter probata, ex late collectis per Gregor. & Add.
decis. 127. & Add. *ad decis.* 142. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *n.*
98. Secus autem in casu ac ad effectum præsentis contro-
versiæ, quod resignans non erat in causa, neque de ali-
quo ejus præjudicio agebatur; Et quod magis, non con-
currebat revocatio ab ipsomet facta cum contraria ani-
mi declaratione, dum moriens in eodem statu, seu nar-
rativa perseveraverat; Et consequenter dicebam non
adaptari ea quæ super magis rigorosa scientiæ proba-
tione, seu majoris culpæ ponderantur in dictis deci-
sionibus Dunoz. & Otthob. cum similibus.

Occasione autem disputandi de concessione, vel denega- 11
tione remissoriæ, stantibus præmissis, ex quibus credebam
quod versaremur in casu limitationis potius quam regulæ,
& consequenter quod abdicatum esset jus a resignante, di-
cebam claram esse irrelevantiam dictæ remissoriæ petitæ
ad probandum majorem valorem etiam juxta narrativam
in secunda gratia revalidatoria, in qua narratum fuerat in
triplo, vel quadruplo pluris, ex quo defectu prætendebat reus
dene-

denegandam esse executionem gratiæ actori; Dicebam enim, quod posita etiam veritate dicti longe majoris valoris, attamen id sibi nil proderat, cum ita magis ad evidentiam convinceretur culpa resignantis primam narrativam adeo infirmam facientis; Et consequenter, quod intrante sine dubio dicta limitatione, atque abdicato omni jure a resignante, beneficium remaneret indubitanter affectum ob appositionem manuum Papæ, adeout ipse provisus ab Ordinario, semper remaneret intrusus & sine aliquo jure, atque motivum videbatur relevantissimum, sed quoniam ista remissoriæ materia est arbitraria, & Rota solet esse procliva in ejus concessione, stante præsertim, ubi juxta stylum materiæ beneficialis accedant sequestrum, ac obligatio standi unicæ, juxta ea quæ in hac remissoriæ materia habentur infra, *disc. 99.* idcirco processum fuit cum generalitate regulæ, de qua supra, *disc. 5.* & in aliis pluries, quod etiam in beneficialibus reo, & possessori sufficit vincere per non jus actoris, eumque repellere.

Item in hoc proposito non abdicationis juris a resignante, ob nullitatem, vel ineffectuationem gratiæ ad favorem resignatarii, *in una Turritana parochialis*, cum casus dedisset, quod facta resignatione ad favorem in manibus Sanctissimi, eaque admissa, expeditisque lite-
12 ris ad favorem resignatarii in forma *Dignum*, illis non præsentatis, nec exequutis, post tamen lapsum 20. dierum, itaut intrare non posset regula de viginti, prius obiisset resignans in mense Apost. deinde vero resignatarius in mense Ordinarii, qui propterea regulando vacationem ex persona resignatarii juxta formam Concilii contulit parochialem, quam alter, regulando vacationem ex persona resignantis tamquam reservatam impetravit a Sede Apostolica. Hinc desuper ex parte hujus impetrantis consultus, an & quale jus foveret ad effectum inspiciendi, an expediret obtinere literas ac litem suscipere, fui in sensu quod abstineret, quodque malum jus foveret, non obstante assumpto in suo casu vero, in quo se fundabant illi qui talem impetrationem consulerant, quod scilicet literæ ad favorem resignatarii essent in forma *Dignum*, quæ donec verificentur, atque executioni demandentur, nullum jus tribuunt, utpote magis importantes mandatum de providendo conditionale (quatenus dignus & idoneus reperiatur,) quam provi-
13 sionem, ideoque non attenditur nisi effectuetur ut *dec. 539. n. 3. & 4. part. 4. rec. tom. 3.* & apud Merlin. *dec. 538. alias dec. 92. n. 13. & seq. part. 6. rec.* cum aliis relatis *in d. dec. 283.* Caril. *n. 2. & dec. 256. n. 2. part. 12. rec.* & consequenter, quod non data purificatione, ac executione gratiæ ad favorem resignatarii, intraret dicta regula super non abdicatione juris a resignante, ex cujus persona regulanda esset vacatio; Dicebam siquidem, dictam conclusionem esse veram in suo casu, quando scilicet jam detectum sit gratiam esse justificabilem, ob literaturam, vel aliam provisi incapacitatem, secus autem ubi, vel justificata fuit gratia, vel constat eam fuisse justificabilem, nisi accidens contigisset, quoniam tunc gratia dicitur pura & perfecta ab initio, subsequens autem justificatio solum declarat, seu aperit quod jam inerat, sed nobis ex humana imbecillitate ignotum erat, ut bene cæteris relatis habetur apud Carill. *d. dec. 283. n. 3. alias dec. 218. par. 9. rec. & in dec. 122. n. 19. & seqq. p. 10. rec. & d. dec. 256. n. 4. & 5. p. 12. edita in causa*, de qua *disc. seq.* & pluries, cum sit principium in materia beneficiali receptum, potissime vero in hac facti specie, in qua resignans prædecessit, superstite resignatario, qui poterat non mori, atque gratia effectum sortiri.

TOLETANA ARCHIPRESBYTERATUS, PRO FRANCISCO DE ONTIVEROS, CUM PETRO DE LOSADA.

Casus varie decisus per Rotam.

De eadem materia, An scilicet & quando resignatio invalida, vel ineffectuata abdicet necne jus a resignante, ad effectum regulandi vacationem ex ejus persona potius quam resignatarii. Et quid ubi nullitas, vel ineffectuatio provenit ex defectu publicationis ad formam Constitutionis Gregorii XIII. vel ex pactis simoniacis; Et incidenter aliqua de lapsu, vel prorogatione termini præscripti per dictam Constitutionem; Ac etiam quando conventiones inter resignantem & resignatarium dicantur simoniacæ, ac annullent gratiam necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod resignatio nulla, vel ineffectuata non abdicat jus a resignante, ex cujus persona sequitur vacatio.*
4 *Gratia in forma dignum ante effectuationem est imperfecta.*
5 *De probatione non factæ publicationis resignationis.*
6 *De pactis simoniacis annullantibus gratiam.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 4. super gratia in forma* dignum.
8 *Qui declarat, non facit de novo, sed quod jam adsit aperit, & de illationibus.*
9 *Publicatio facta in termino prorogato habetur, ac si facta esset in primo termino.*
10 *In tali prorogatione obtenta post mortem resignantis facienda est mentio dictæ mortis, ac litis.*
11 *Quando oporteat facere mentionem litis.*
12 *Et quando oporteat facere mentionem mortis resignantis, in gratia scilicet restitutoria elapso jam termino, secus eo durante.*
13 *Terminus prorogatus primo adhuc durante dicitur unus & idem.*
14 *Officium prorogatum an sit idem.*
15 *Quod ubi imminet lapsus termini, de hoc in prorogatione debet fieri mentio.*
16 *Quanto tempore habeatur accessus ad Hispanias, vel ex eis.*
17 *Reprobatur conclusio, de qua num. 15.*
18 *Non facta publicatione resignationis illa corruit.*
19 *Sed abdicatur jus a resignante, atque vacatio resultat ex ista causa.*
20 *Expresso uno modo vacationis non substinetur collatio ex altero.*
21 *Quid accedente causa, sive præmisso præsertim in collatione inferioris.*
22 *In specie non capit vacationem ex Constit. Gregor. de publicandis.*
23 *Cessat simonia ob pacta, si illa narrata esse constat in supplicatione, quamvis illa appareant cancellata.*
24 *Pacta simoniaca concepta sub reservatione beneplaciti Apostolici cum clausula*, & non alias, *an salvent a simonia.*
25 *An, & quando simonia debeat concludenter probari, vel sufficiat sola suspicio, vel diffamatio.*

D I S C. XXXVI.

Resignato Archipresbyteratu de Quesada per Gasparem ad favorem Francisci, sub reservatione cujusdam pensionis, cum pactis de quibus infra, priusquam expedirentur literæ Apostolicæ, post tamen 20. dies a die præstiti consensus ac registratæ supplicationis, obiit Gaspar, unde Ordinarius, habens etiam indultum Cardinalitium conferendi reservata, dictum Archipresbyteratum, tamquam vacantem per obitum, contulit Petro, cum subsequuta possessione, expeditisque literis per Franciscum, eisque exequutis, post litem habitam in partibus, introducta causa in Rota coram Albergato, sub die 13. Junii 1657. pro Petro provisio ab Ordinario responsum fuit, ea vero reproposita sub die 3. Junii 1658. recedendo a decisis, ad favorem Francisci prodiit resolutio, confirmata 10. Martii 1659. neque quod sciam causa ulteriorem progressum habuit, forsan Petrus acquievit, vel concordia litem terminavit; Prima vero & secunda decisio habentur impressæ, *decis. 256. & 357. part. 12. recent.* & tertia est impressa post Zuffum *de legit. processus*, *decis. 43.* ubi etiam repetita est secunda *decis. 40.* 1

Istius causæ punctus pendebat a validitate, seu perfectione, vel respective nullitate, aut imperfectione dictæ resignationis de tempore obitus dicti Gasparis resignantis, ad effectum exinde resultantem vacationis Beneficii per dictum obitum in casu nullitatis, vel imperfectionis, secus autem e contra, ex recepto principio beneficiali, de quo in præcedentibus, præsertim in Salisburgen. *discurs. 34.* quod resignatio ad favorem, ubi est nulla, vel ineffectuata, non abdicat jus a resignante, per cujus obitum vacat Beneficium. 2

Plures autem dictæ resignationis nullitates, sive imperfectio-

fectiones deducebantur ex parte Petri, dictæ regulæ innitentis ad sustinendam ejus provisionem per obitum
resignantis; Primo scilicet, quod gratia resignatarii esset
in forma *Dignum*, quæ non importat provisionem,
sed potius mandatum de providendo conditionale dire-
2 ctum exequutori, ut si idoneum repererit, conferat,
unde propterea donec ista conditio purificetur, non
abdicatur jus a resignante, juxta deducta *dec. 939. n.
3. & seq. part. 4. rec. tom. 3.* Merlin. *dec.* 538. *n.
11. & seqq. repet. dec. 92. part. 6. rec. n. 13. & seqq.*
& admittitur apud proxime allegandos.

Secundo ob non factam publicationem ad formam
4 Constitutionis Gregorii XIII. de publicandis, cujus negativæ probatio, in qua major difficultas consistere solet, ex iis quæ in hac materia habentur infra, *disc.
94.* (ubi generaliter de materia resignationis,) ita recte probata remanebat ab inspectione earumdem literarum expeditarum sub die 8. Junii 1651. dum supplicatio data erat, ac perfecta cum præstatione consensus
5. Septembris 1650. unde constabat de lapsu termini
novem mensium ultra montes præfiniti, & computandi
a die gratiæ, cum impossibile sit fuisse publicatas li-
5 teras adhuc non expeditas, ut apud Gregor. *decis.* 210.
nu. 4. Leodien. Archidiaconatus 1. Julii 1652. coram
Cerro, & in aliis, de quibus in prima decisione.

Et tertio deducebatur gratiæ nullitas ob simoniacas
conventiones initas inter resignantem, & resignatarium, tam super expensis expeditionis a solo resignatario faciendis, quam etiam super cedula bancaria, qui-
6 nimo super deposito actualiter facto pro solutione pensionis, quæ pacta esse simonica advertunt Lotter. *lib. 1.
quæst. 39. n.* 58. ac Less. & Suarez adducti in prima hujus
causæ *dec. 266. part. 12. num. 31. & seq.*

Ex istis autem motivis Rota, etiam in prima decisione objicienti favorabili, rejecit primum, amplectendo
responsionem, quam ego & cæteri pro Francisco scribentes dabamus, utpote veram, beneque fundatam, insinuatam etiam *disc. præced. in fine*, quod scilicet eatenus
gratia in forma *Dignum* dicitur imperfecta, atque non
abdicat jus a resignante, quatenus constet, seu detegatur,
provisum, ob defectum clericatus, vel irregularitatis,
aut ætatis, vel illiteraturæ, sive ex alio impedimento
non esse idoneum, ac successive dictam conditionem non
posse verificari, secus autem ubi constet eam esse verifi-
7 cabilem, atque intrinsece, ac vere idoneitatem de tempore gratiæ adesse, quamvis illa occulta, seu incerta esset ita per executorem detegenda, sive ab eo canonizanda. Tunc enim gratia dicitur ab initio pura, ac perfecta, idoneitatis autem declaratio facta per executorem,
seu alias justificata retrotrahitur ad suum initium, quia
non est facere tunc idoneum, sed declarare quod talis
esset de tempore gratiæ; Et consequenter tamquam ex
resignatione jam perfecta abdicatum dicitur jus a resignante, atque translatum in resignatarium, ex cujus persona vacatio regulanda est, quamvis possessionem adeptus
8 non esset, cum hac necessaria non sit ad hunc effectum,
Gabr. *cons. 186. n. 3. & 9. lib.* 1. Lotter. *lib. 3. q. 14. n.
51. & seq.* apud Carill. *dec. 283. n. 3. repetit. dec.* 318.
part. 9. rec & in hujus causæ 1. dec. 256 par. 12 n 5. Atque circa hoc ego ponderabam optimum textum *in l. adeo
septima, vers. cum enim grana, ff. de acquir. rerum dominio*, ubi in hujusmodi declarante rem vere, ac intrinsece
existentem, sed ignotam, datur exemplum excutientis
grana a spicis, qui tunc ipsa grana non perficit, sed illa jam existentia, occultata vero a paleis, aperit tamquam per remotionem veli, seu obstaculi; Et ob quam
rationem receptum habemus deferri declarationibus donatoris, vel alterius contrahentis super rebus ambiguis,
etiam in iis, in quibus licita non est pœnitentia, sed
actus remanet obligatorius & irretractabilis.

Quo vero ad secundum objectum deductum ex defectu
9 publicationis ad formam Gregorianæ Constitutionis, pro
eo removendo ex hac parte deducebatur prorogatio termini, obtenta ab eodem Pontifice, intra cujus terminum
publicatio jam sequuta erat, unde habetur, ac si in ipso
primo termino sequuta esset, Paris. *de resign. lib. 11. q.
13. n.* 139. Otthob. *dec. 154. n.* 9 cum aliis in secunda & tertia decisione, & non negatur in prima.

Dicebant vero scribentes in contrarium, id recte proce-
10 dere, quando dicta prorogatio obtenta esset re integra,
adhuc scilicet vivente resignante, & priusquam alteri jus
quæsitum esset, secus autem post obitum resignantis, ac
factam provisionem ab Ordinario cum introductione litis,
quoniam tunc de utroque oportebat facere mentionem,
eo quia Papa alias habita notitia de obitu resignantis, ac
de jure alterius, vel non concessisset, vel difficilius juxta auctoritates & decisiones relatas in 1. *decis. 256.
par. 12. num. 11. cum seqq.*

Atque me, ac aliis replicantibus, litis mentionem faciendam esse, quando ex illa aliquod jus collitiganti quæ- 11
situm esset, secus autem, ista circumstantia cessante,
juxta firmata in Beneventana Canonicatus 8. Februarii,
& 27. Maji 1547. coram Bichio, *quarum prima est impressa decis. 14. part. 10. rec.* & de qua distinctione habetur particulariter actum in Civitatis Castelli jurisdictionis *sub tit. de feudis, disc. 66.* Respondebatur in
contrarium, atque prima decisio admittit responsionem,
defectum non resultare ab omissione mentionis litis, sed
ab altero non factæ mentionis mortis resignantis, qua
cognita Papa non concessisset dictam prorogationem,
præscindendo etiam a quocumque jure Ordinarii collatoris, vel provisi ab eo, sed ex sola ratione libertatis
ita ortæ in ipsomet Papa conferendi Beneficium alteri
personæ sibi placitæ; Atque ita dicebatur non obstare
d. dec. 283. Carilli, quæ ex hac parte deducebatur tamquam punctualis, quoniam constabat ibi gratiam prorogationis fuisse concessam adhuc vivo resignante.

Responsio in abstracto est vera, sed fallacia erat in ap- 12
plicatione, unde merito recessum fuit; id enim procedit
quando agitur de gratia restitutoria obtenta adversus lapsum termini, in quibus terminis loquuntur Paris. *lib. 11.
q. 7 n. 69. & 78.* & decisio Mediolanen. Canonicatus 17.
Junii 1641. coram Panzirolo cum aliis in prima decisione
deductis, tunc enim ob jam incursam caducitatem, gratia
restitutoria est species novæ collationis Beneficii, ideoque
merito facienda est mentio mortis resignantis, quæ probabiliter Papam retrahere, vel difficiliorem reddere potuisset, & in his terminis recte procedit dicta propositio.

Verum ejus applicatio cessabat ad casum, quoniam
prorogatio obtenta erat primo termino adhuc durante,
quo casu dicitur unus & idem terminus, ita de minore 13
factus major absque distinctione, quoniam tempus prorogatum adhuc durante primo dicitur unum & idem,
perinde ac si ab initio esset tale, juxta firmata per Bart.
Roman. Castrens. & alios *in leg. sed & si manente, ff.
de præcario, & in leg. dies cautionis, ff. de damno infecto*, ubi præsertim Castrens. advertit quod si primus terminus erat duorum mensium, eoque durante concedatur prorogatio aliorum duorum, tunc dicitur unicus terminus quatuor mensium, perinde ac si ab initio
esset talis; Unde prodiit conclusio, quod officium prorogatum, primo adhuc durante, dicitur unum & idem
officium, non autem novum, vel diversum, Aponte 14
de potest. prorog. tit. de divers. provis. rubr. de potestate substituendi in officio, n. 7. Mastrill. *de magistrat. lib.
1. cap. 28. n.* 68. late Nogueroll. *alleg.* 21 Salgad. *in Labyrint. part. 2. cap. 27. n.* 62. & habetur in Firmana
sub tit. de feudis, disc. 4. ac etiam in Romana prorogationis officii *sub tit. de Regularibus*, ubi an prorogatio præjudicet turno, ac etiam habetur alibi, atque
in hujus causæ posterioribus decisionibus.

Clarius vero ex ea circumstantia, ad quam ego præsertim advertebam, quod de tempore concessæ prorogationis adhuc supererant 21. dies, intra quos (Papa
illam denegante) literarum expeditio earumque publicatio sequi potuisset; Atque hinc cessabat ex facto objectum prorogationis impetratæ de tempore jam labentis
termini, unde alias gratia denegata, publicatio fieri non 15
potuisset, & consequenter, quod de hoc debeat fieri
mentio, ut in specie advertit Paris. *cons. 49. n. 3. lib.
4* quoniam spatium 21. dierum abundabat, ut cum
diligentia literæ cito expediendæ Hispanias transmissæ
publicari potuissent, dum etiam longe brevior terminus sufficit, ut advertitur *decis. 313. n. 24. part. 11.
rec.* ac per Gomez. *aliosque Beneficialistas ad materiam* 16
regulæ de verisimili notitia.

Et nihilominus dicta conclusio de conjunctione temporum procedit, etiamsi primo labente, prorogatio conces- 17
sa sit, quia sufficit habilitas conjunctionis extremorum juxta doctrinam Baldi *in cap. ne causis, n. 12. de offic. delegati, ut in 3. dec.* 43. post Zuff. *n.* 5. Attento potissimum
stylo Datariæ concedendi hujusmodi prorogationes etiam
circa finem termini absque necessitate faciendi hanc mentionem, & de quo stylo habetur apud Mandos. (qui nominatim reprobat Paris. ubi supra) *in regula de annali,
q. 77. n. 2. & 3.* Pœnia, *dec. 999. n.* 4. cum aliis *in dicta
decis.* 43. post Zuff. licet ibi non agatur de stylo.

Præterea ubi iste defectus adhuc subsisteret, adhuc neque 18
ex eo juvari potuisset dictus Petrus ab Ordinario provisus
per obitum resignantis, quoniam licet ad præscriptum di-
ctæ

ctæ Gregorianæ Constitutionis, non facta publicatione in termino præfinito, ac juxta formam ibi præscriptam gratia corruat, perinde ac si concessa non esset, atque resignatarius cadat ab omni jure, ex collectis *d. decis. 256. part. 12. n.* 8. atque est absolutum, ut infra, *dec. 94.* ubi de hac materia resignationis, ac publicationis in genere, non per hoc tamen substantia Beneficii residet penes resignantem, quoniam ista nullitas, vel ineffectuatio non provenit ex defectu conditionis suspensivæ, ob cujus non purificationem intrat dicta conclusio de non abdicando jus a resignante, sed provenit tamquam per conditionem resolutivam, quæ præsupponit actum jam validum, ac perfectum, ita resolutum tamquam per speciem privationis juris jam quæsiti juxta distinctionem insinuatam supra in Salisburgen. *disc.* 33. & consequenter Beneficii vacatio resultat tamquam per mortem civilem resignatarii, atque ex ejus persona, non autem resignantis, cujus personam ab instanti perfectæ gratiæ exivit de scæna, ut in specie hujus defectus non publicationis, Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.*
19 51. *n.* 56. Rot. *decis.* 539. *n.* 15. *part.* 4. *rec. tom.* 3. *dec.* 140. *part.* 10. *rec. n.* 5. *& seqq.* apud Cels. *decis.* 172. *&* 191. cum aliis *in* 2. *&* 3. *dec. hujus causæ.*

Et quamvis Ordinarius collator haberet indultum conferendi reservata, attamen istud suffragari non poterat, dum collatio facta erat ex alia causa vacationis per obitum resignantis; Expresso enim uno modo vacationis, non substinetur provisio ex alio modo diverso, ad textum *in cap. susceptum de rescriptis in 6.* ubi præsertim Franch. *num.* 3. Garz. *de benefic. part.* 11. *cap.* 1. *num.* 8. Rot. apud Burat. *decis.* 162. *num.* 3. cum aliis *in* 2. *decis.* 357. *part.* 12. *num.* 10. *& seqq.*

Et licet adjici soleat clausula, *sive præmisso &c.* non tamen suffragatur; Tum quia in provisionibus in-
20 feriorum collatorum non de facili admitti solet ista clausula cadens in provisionibus Apostolicis; Tum quia etiam in istis, ut dicta clausula operetur, re-
21 quiritur justificatio narrativæ principalis saltem de facto, ut advertitur in Volaterrana Canonicatus 27. Aprilis 1654. coram Albergato, & in aliis; Et clarius, magisque in specie, quia ista species vacationis ob non publicationem non venit sub collatione facta ex vacatione per obitum, quamvis adesset dicta clausula, quæ ad hunc effectum non operatur, *ut in dec.* 252. *n.* 11. *part.* 8. *rec.* Est bene verum quod istum moti-
22 vum excludebat quidem jus rei & possessoris provisi per Ordinarium, sed non includebat jus provisi Apostolici, quod sufficiebat reo vincenti per non jus, ut advertitur *disc. præced.* ideoque deducebatur ad superabundantiam, sed huic parti non proficiebat.

Demum quoad tertium objectum infectionis gratiæ resultantis ex pactis simoniacis: Ultra dictam responsionem ponderatam in præcedenti nullitate ex defectu publicationis, quod scilicet non exinde substinceretur provisio Ordinarii, quamvis indultarii, utpote facta ex diverso vacationis modo per obitum resignantis; Illud de plano cessabat ex solo facto, quoniam ob diligentias adhibitas post editam primam decisionem, reperta fuit supplicatio originalis, in qua omnia pacta fideliter narrata fuerunt; Et quamvis eadem reperirentur in eadem supplicatione cancellata, nihilominus probatum fuit id provenire ex stylo Officialium Can-
23 cellariæ, circa scilicet pactum expensarum, quod tamen admitti solet; rejectum tamen fuit illud depositi, approbando solum alterum Cedulæ Bancariæ, unde propterea partes, habita de his notitia, illico depositum retractarunt, & consequenter constabat de sinceritate intentionis partium, atque exclusa remanebat omnis depravatio, faciendi pacta illicita per Papam non approbanda, dum ita aderat approbatio.

Clarius vero stante clausula, *& non alias &c.* adjecta in reservatione beneplaciti Apostolici adimente
24 consensum ab actu, & consequenter faciente cessare labem simoniacam, quæ non datur sine pactione, ut in specie advertitur, *dec.* 419. *n.* 5. *& seq. &* 420. *n.* 20. *part.* 12. *recent.* cum aliis *in* 2. *decis.* 357. *n.* 12. *&* 13. *eadem part.* 12. cum qua proceditur *in* 3. *dec.* 43. post Zuff. *n.* 6.

25 Adversus hoc motivum replicabatur per scribentes in contrarium, ac admittitur *in* 1. *dec.* 256. *ead. part.* 12. quod id recte procederet, quando partes perstitissent in simplicibus terminis conventionis, secus autem ubi partes processerunt ad ejusdem conventionis effectuationem, cum tunc dicatur protestatio contraria facto, Navarr. *cons.* 17. *n.* 2. *de simonia*, Paris. *de confident. quæst.* 40. *n.* 52. Sanchez *cons. mor. lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 39. *n.* 2. *cum seq.* Seraph. *decis.* 237. *n.* 3. Pœnia *decis.* 549. juxta Lugdunensem *num.* 7. alias *decis.* 430. juxta Venetam; Ad quod conferunt ea quæ habemus in alienatione bonorum feudalium, vel emphyteuticorum contra legis, vel hominis prohibitionem cum dicta clausula, *& non alias*, adjecta reservatione Beneplaciti præservati a caducitate aliisque pœnis, nisi ad traditionem procedatur.

Verum difficultas cessabat pariter ex facto, procederet enim quando pecunia, vel alia res temporalis data fuisset resignanti, qui interim ejus dominium acquisisset, vel saltem commodum ex retentione, vel usu resultans; Secus autem dum pro sola cautela sub conditione futuræ approbationis Pontificis, factum erat depositum penes tertium, cujus dominium ita remanere dicitur penes deponentem, atque non transfertur in eum, pro cujus securitate factum est, non liberandum, nisi purificata conditione Pontificiæ approbationis; Et consequenter nulla adesse dicitur traditio, quæ simoniacam labem induceret, ut *in* 2. *&* 3. *decis.* firmatur.

Ponderata etiam fuit in prima decisione conclusio, de qua infra, in Calaguritana beneficii de Bilbao *disc.* 70. quod scilicet, ubi non agitur de privatione beneficii jam assequuti, sed de repellendo ab assequendo, opus non est justificare simoniam plene, & concludenter, sed sufficit ejus suspicio, vel diffamatio; Verum clara erat fallacia in applicatione, recte deinde agnita in secunda, & tertia decisione, quoniam ita esset inducere formalem privationem juris per gratiam Apostolicam jam quæsiti, unde propterea versabamur potius in prima parte distinctionis latius explicata, *dicto disc.* 70. ubi exemplificatur casus, quando agi dicatur de jure quæsito, & quando de quærendo, atque ex his probabiliores, meliusque fundatæ visæ sunt posteriores resolutiones.

NEAPOLITANA PAROCHIALIS PRO ATONIO CALIFANO, CUM PETRO ANTONIO CALISIO.

Casus decisus per Rotam pro Calisio.

De eadem materia resignationis ad favorem, An & quando abdicet jus & possessionem a resignante; Et præsertim ubi resignatio prætenditur invalida ex eo, quod resignans non habeat aliunde commode vivere.

Et in controversia possessorii inter resignantem & resignatarium lite pendente, quis debeat obtinere & manuteneri.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De conclusione, quod resignatio ad favorem non abdicat jus a resignante, nisi valide ac perfecte effectuetur.*
4 *Quod possessio capta per resignatarium, non citato resignante, & non justificata narrativa, quod resignans habeat aliunde.*
5 *Quod lite pendente inter resignantem, & resignatarium super nullitate pensionis manutentio debeatur resignatario.*
6 *Declaratur, nisi resignans ab initio se opponat.*
7 *Patrimonium, ad cujus titulum, quis est ordinatus, præsumitur sufficiens.*
8 *De eadem conclusione, de qua num.* 6.
9 *Quod quilibet possessor beneficii sit citandus, etiamsi non sit legitimus contradictor.*
10 *Quomodo attendi debeant conclusiones in decisionibus, & consiliis.*
11 *De conclusione, de qua num.* 3.
12 *An & quando provisus teneatur adire executorem, atque ab eo habere possessionem.*
13 *Resignatarius habens provisionem in forma gratiosa potest capere possessionem propria auctoritate etiam sine executore.*
14 *An & quando præcedere debeat justificatio, quod resignans haberet aliunde vivere, distinguitur.*
15 *Quod ubi quis non est ordinatus ad titulum beneficii, sed patrimonii diminuti, an gratia corruat, vel intret obligatio ad alimenta.*

DISC.

DISC. XXXVIII.

1 RESignavit libere in manibus d. Calisius, Ecclesiam S. Mariæ Rotundæ Neapolis ad favorem Caliphani, qui examinatus ac approbatus ab Examinatoribus Vicarii Urbis, expeditisque litteris in forma gratiosa, in quibus unus ex exequutoribus deputatus erat Episcopus Accerrarum, sciens pœnitentiam & contradictionem resignantis, qui jam oppositiones paraverat coram Exequutore, possessionem accepit coram Notario ac testibus, ipso resignante se opponente ac reclamante, 2 & qui adiens dictum executorem curavit (quamvis nullo juris ordine servato) obtinere ab eo sententiam declarantem literas subreptitias, ac etiam mandatum de manutenendo, unde propterea introducta per appellationem causa in Rota coram Otthob. datoque ex integro dubio in possessorio retinendæ; An scilicet, & cui dandum esset mandatum de manutenendo, ad favorem resignantis, sub die 15. Martii 1647. prodiit resolutio confirmata 24. Novembris 1649. quæ habentur inter decisiones ejusdem Otthoboni *decis.* 106. & 194.

Primæ resolutionis, quæ latior est, præcipuum fundamentum fuit super conclusione pluries in præceden-3 tibus insinuata, plene comprobata *in d. dec.* 106. *n.* 4. quod resignatio ad favorem certæ personæ non abdicat jus, neque possessionem a resignante, nisi Beneficium valide ac perfecte acquiratur resignatario, cum hujusmodi conditio inesse censeatur, & consequenter, quod in possessorio obtinere deberet potius resignans tamquam possessor anterior, non obstante possessione resignatarii tamquam invalida & vitiosa, utpote capta, ipso resignante possessore non citato, atque non justificatis narratis in literis coram Exequutore, præsertim circa eam narrativam, quod resignans haberet 4 aliunde, ex deductis per Paris. *de resignat. lib.* 1. *q.* 14. *n.* 7. *& seq.* Rota *decis.* 539. *n.* 12. *part.* 4. *recent. tom.* 3. & in Mediolanen. canonicatus 17. Junii 1641. coram Panzirol. hodie impressa *decis.* 90. *part.* 9. *recent.* qua forte totum fundamentum constitutum fuit.

Atque conclusionem, quam ego scribens pro resi-5 gnatario circa professionis initia deducebam, quod lite penendente inter resignantem & resignatarium super prætensa resignationis invaliditate potior est resignatarius, cui debetur manutentio, ex ea ratione, quod resignans voluntarie ac facto suo cecidit a possessione, ut apud Gregor. *decis.* 364. *num.* 15. Adden. *ad eum decis.* 138. *in fine*, Adden. ad Butart. *decis.* 787. *num.* 10. cum aliis per Posth. *de manut. observat.* 57. *num.* 10

Respondetur, id procedere, quando resignans a princi-6 pio se non opposuit, atque nullitatem non deduxit, ita ut possessio fuerit pacifica, secus autem dicta oppositione & contradictione concurrente, tunc enim procedendum est causa cognita, ut per Garz. *part.* 6. *cap.* 2. *num.* 159. ideoque interim manutentio debita est resignanti, ut apud Duran. *decis.* 218. *num.* 6. *decis.* 15. *num.* 9. apud Posth. *de manut.* cum aliis apud eumdem *d. observ.* 57. *n.* 18. *& in dicta* 1. *decis.* 106 *num. fin.*

In secunda vero *decis* 194 principaliter insistitur etiam 7 in bono jure super invaliditate resignationis, ex eo quod, ob intermedias probationes factas constaret, resignantem non habere unde vivere, quoniam licet ordinatus esset ad titulum patrimonii, quod regulariter in dubio præsumitur sufficiens, ut firmatur in Tridentin parochialis 5. Octobris 1646. coram Cerro, & in aliis, ac admittitur in eadem secunda decisione; Attamen dicitur istam esse nudam juris præsumptionem absque dubio elidibilem ex contraria probatione, quæ prævalere debet.

Resolutiones mihi quamvis scribenti pro succumbente 8 probabiles visæ sunt ex particularibus facti circumstantiis, totaque facti massa inspecta, ex eo potissimum, quod resignans jam prævenerat, atque tam cor. Exequutore, quam extrajudicialiter opponendo de invaliditate resignationis, declaraverat velle continuare in possessione contradicendo possessioni, quam de facto ac propria auctoritate resignatarius dicta oppositione non obstante capere voluit, cum revera dicta conclusio super manutentione danda potius resignatario quam resignanti, procedat, quando jam consummatus est actus, quod resignans proprio facto a possessione ceciderit, patiendo resignatarium possessionem adipisci absque contradictione, quæ deinde superveniens non suffragatur, secus autem, ubi contradictio præcedit ac se opponit ingressui, sive principio acquisitionis possessionis, quoniam tunc justum est ac rationabile, resignantem non spoliari de facto, sed & audiri in suis exceptionibus, seu oppositionibus ad effectum saltem inspiciendi, An sint aptæ necne retardare executionem literarum Apostolicarum.

Siquidem in fortioribus etiam terminis executionis literarum Apostolicarum super provisione libera ex vacatione per obitum, quoties non agatur de plusquam notorio intruso possessore provisus ab Ordinario, seu alias ex titulo invalido, quamvis posita reservatione clara, seu clara infectione tituli possessoris, non sit legitimus contradictor, ad effectum, ut cessante processu exequutivo procedendum sit via ordinaria, & per tres conformes, ut in casu legitimi contradictoris est procedendum, adhuc tamen debet citari & audiri, ita summarie & in forma processus exquutivi, ad effectum videndi, an suæ exceptiones sint validæ ac aptæ ad impediendam executionem necne, ut habetur pluries infra ad materiam legitimi contradictoris, ac executoris meri, vel mixti, & executionis literarum Apostolicarum, 9 multo magis in eo qui jam habet legitimum titulum, ac legitimam possessionem anteriorem, quorum resolutio prætenditur ob resignationem, quæ potest esse, vel non vera de facto, puta cum mandato falso, vel non vera de jure, puta cum eodem mandato per vim & metum, aut per dolum extorto, sive etiam sit invalida ob exceptionem resultantem ex ventre earumdem literarum, seu alias in continenti justificatam, ideoque audiri debet, ac non spoliari de facto auctoritate propria.

Capiendo autem singulas conclusiones in dictis decisionibus deductas, distincte ac per partes, in pluribus ex iis, 10 fallacia clara videbatur in applicatione, ad quod in judicando & consulendo, ut frequenter alibi insinuatur omnino advertendum est, non inhærendo conclusionibus, quæ in aliqua decisione, vel consilio deducantur singulariter & per partes, ut quotidie, pessime tamen, fieri videmus, sed illas attendendo unitim cum facti circumstantiis & qualitate, quibus consideratis, inspiciendum est, an congruant necne.

Siquidem dicta conclusio in suo casu vera pro princi- 11 pali fundamento in secunda decisione deducta, quod resignatio ad favorem non abdicet jus a resignante nisi valida & perfecta effectuatio sequatur ad favorem resignatarii, incongrua videbatur ad casum, quoniam illa procedit, ubi resignatario non existente in causa, controversia sit inter resignantem & tertium, sive inter duos tertios contendentes de quæstione, an vacatio ex persona resignantis, vel potius ex altera resignatarii regulari debeat, juxta quæstiones in præcedentibus tractatas, & in his terminis procedunt doctrinæ ac decisiones hujusmodi regula, seu conclusione loquentes.

Decisio autem in Mediolanen Canonicatus coram Panzirolo impressa *dec.* 90 *part.* 9 *rec* ubi *n.* 13. legitur decreta manutentio ad favorem resignatarii. non innititur huic conclusioni vere diversos terminos percutienti ut supra, sed innititur nullitati resignationis, in continenti probatæ ex defectu consensus quoniam resignans dederat mandatum ad consentiendum resignationi sub reservatione cujusdam pensionis ad ejus favorem, quam Papa concedere noluit, & tamen hoc non obstante procurator præstitit consensum, cujus vigore expeditæ fuerunt literæ, sed male & cum nullitate notoria, dum procurator excesserat fines mandati dati sub dicta conditione, qua non adimpleta, clarus erat defectus consensus, ac similis erat casus *in decis.* 15. apud Posth. cum similibus, quæ desuper habeantur.

Cessante vero hujusmodi infectione intrinseca ac prompta, periculosam dicebam conclusionem in dicta prima decisione deducta ita generaliter ac simpliciter 12 sumptam, quod possessio capta per resignatarium, non citato resignante possessore, neque adito executore deputato in literis, sit invalida & vitiosa, quoniam necessitas adeundi exequutorem procedit in gratia in forma dignum continente mandatum de providendo, seu provisionem conditionalem, quatenus exequutor provisum idoneum ac *dignum* repererit ideoque nulla & intrusiva censenda est possessio, quam sine facto exequutoris ita provisus apprehendat, secus autem ubi agitur de provisione in forma gratiosa; tunc enim licet deputari soleant exequutores in litteris, attamen id fit in gratiam & favorem ipsius provisi, cui exequutor assistat, atque opem & brachium Apostolica auctoritate præstet adversus oppositores de facto, non autem quod præcisam necessitatem habeat ipsum adeundi, quoniam verius est provisum in forma gratiosa capere posse possessionem propria auctoritate, absque necessitate citandi resignantem, quo-

ties

ties resignatio est pura, non antem conditionalis, Pa-
13 ris. *de resignat. l. 10. quæst. 3. n. 53. & sub n. 57.* Garz. *part. 6. c. 2. n. 133.* Rota *dec. 140. part. 10 rec. n. fin.* & in aliis deductis per Posth. *dict. observ. 57. n. 11. cum seq.* ubi quod possessio capta per resignatarium est manutenibilis, non obstante contradictione resignantis, quoties non agatur de resignatione conditionali, non verificata conditione, sed pura & simplici, minusque de alia infectione, quæ incontinenti resultet, cum semper alias obstet regula cadentis a jure & possessione facto proprio.

14 Quo vero ad aliam nullitatem, vel surreptionem deductam *in prima dec. 106. n. 9.* latius vero *in secunda 194.* ob non justificationem, quod resignans haberet aliunde, pariter illa de per se non bene faciebat ad casum, neque applicabatur d. Mediolanen. Canonicatus coram Panzir. *dec. 90. n. 10. cum seq. par. 9.* In hoc enim distinguendum est; Aut enim agitur de Beneficio, ad cujus titulum quis ordinatus est, & tunc ex decreto Sac. Conc. Trid. *sess. 21. de reform. c. 2.* oportet de eo facere specialem mentionem, unde aut non fit mentio, & tunc resignatio est incontinenti nulla, ob decretum irritans contentum in eodem decreto Conciliari; Aut vero fit mentio, & tunc Datariæ inconcussus stylus est non admittendi resignationem, nisi cum clausula *dummodo resignans habeat aliunde vivere*, quæ sine dubio importat conditionem suspensivam, qua non justificata actus remanet infectus ex deficiente consensu Papæ, in his terminis loquitur Paris. *lib. 2. q. 6. n. 41. & lib. 5. quæst. ultima, n. 174. & seq.* cum quo cæteri Beneficialistæ pertranseunt, & hic est casus, de quo in d. Mediolanen. coram Panzirolo *dec. 90. par. 9. rec. cum similibus*.

Aut beneficiatus ordinatus non sit ad titulum illius Beneficii, sed alterius, aut ad titulum patrimonii, & tunc non intrat dictum decretum Conciliare, neque congrua substentatio adjici solet per viam conditionis cum dicta clausula, *dummodo*, sed Officiales Datariæ se regulando ex Constitut. Pii V. injungente locorum Ordinariis, ne admittant Beneficiorum resignationes, nisi eis constet resignantes habere aliunde vivere, ex quodam stylo id adjiciunt per viam assertivæ, nempe *Tibi asserenti aliunde habere commode vivere &c.* quod non importat formalem conditionem intrinsecam, cujus præcedens justificatio præcise ac pro forma fieri debeat, minusque id importat irritationem provisionis, cum neque ipsa Constitutio Pii V. neque ipsæ litteræ provisionis contineant aliquod decretum irritans, quod infectionem tam in petitorio, quam in possessorio causat, ut advertunt Garz. *in addit. ad par. 2. cap. ult. n. 229.* Seraph. *dec. 1320. n. 4.*

Et hic erat casus, quoniam resignans promotus fuerat ad sacros ordines ad titulum patrimonii, quod adhuc per ipsum possidebatur, solumque ex probationibus factis, ut in secunda decisione habetur, supponebatur ex temporum calamitate diminutum in redditu primævo, unde non sufficeret ad congruam substentationem, cum de præsenti fructaret solum ducatos 15. atque congrua substentatio adjecta non erat conditionaliter cum dicta clausula, *dummodo*, sed per viam assertivæ ut supra, & consequenter extranea remanebat applicatio dictarum auctoritatum, cum quibus processum fuit, utpote percutientium dictum alium casum longe diversum, minusque prætendi poterat oullitas gratiæ, sed solum dicebam quod resignanti com-
15 petere posset contra resignatarium actio pro supplemento ejus, in quo diminutus fuerat redditus ejus patrimonii, ad cujus titulum ordinatus fuerat, adinstar illius obligationis alendi donatorem, seu benefactorem, quæ de jure incumbit donatario, vel beneficiato, sive Ecclesiæ patronatæ, ejusque Rectori alendi Patronum indigentem cum similibus: Defuit tamen occasio hæc ulterius disputandi ac examinandi, quoniam ex prudentialibus motivis, ob superventa accidentia, resignatario quamvis victori expediebat parochiam dimittere, ideoque neglexit litem prosequi, eamque deseruit.

TOLETANA BENEFICII.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An mandatum datum ad resignandum Beneficium ad favorem in manibus Papæ sit revocabile necne; Et an provisio ad favorem resignatarii cum consensu præstito per mandatarium resignantis, corruat ob revocationem mandati tunc sequutam, sed ignotam; Et quid si medio tempore mandans coram Ordinario permutasset cum alio Beneficium, an hæc permutatio teneat necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Mandatum datum ad resignandum beneficium re integra est revocabile.*
3 *Idem de mandato ad permutandum, quia hæc fraternizant.*
4 *De aliqua diversitate consensuum.*
5 *De stylo moderno præstandi consensum.*
6 *An post datum mandatum ad resignandum coram Papa possit fieri permutatio coram Ordinario, vel resignatio mandati.*
7 *An & quando revocatio intimanda sit procuratori, vel sufficiat notitia principalis.*
8 *Ubi notitia est serotina, tenetur mandans ad damna, & interesse.*

D I S C. XXXVIII.

Postquam possessor Beneficii dederat mandatum cuidam Curiali ad illud resignandum in manibus Sanctissimi ad favorem alterius, priusquam dicta resignatio sequeretur, prævia dicti mandati revocationa idem Beneficium coram Ordinario permutavit, deindeque procurator consensum præstitit resignationi, pro cujus exequutione litteræ Apostolicæ expeditæ fuerunt; Hinc proinde, suppressis nominibus, incertum est, ao ex parte resignatarii, vel resignantis, sive ejus qui ex dicta permutatione beneficium possidebat, pro veritate consultus sui, an dicta permutatio coram Ordinario substineretur necne, vel potius prævalere deberet provisio Apostolica in vim resignationis. 1

Respondi de jure non dubitari quod mandatum datum ad resignandum Beneficium re integra esset revocabile, ut clare probat text. *in Clem. unica de renunc.* ubi scribentes & alii, de quibus Paris. *de resign. l. 9. q. 25. n. 1. & 2.* Lotter. *de benef. l. 3. q. 16. n. 18. & seq. per tot.* Tondut. *qu. benefic. 26. n. 1. & seq.* Rota *dec. 130. n. 1. par. 6. rec.* ubi n. 2. quod idem sit in mandato dato ad permutandum, quoniam ad hoc propositum ac pleraque alia, resignatio ac permutatio fraternizant, eodemque jure censentur. 2 3

Difficultas autem antiquitus cadebat, quando res diceretur integra necne, ob consensuum pluritatem, illum scilicet, qui nuncupabatur parvæ datæ adnotari solitum in dorso supplicationis; Et alterum formalem in Cancellaria cum juramento de forma requisito præstandum, ex iis quæ dictas quæstiones referendo, habentur apud Lotter. ubi supra, ex quo etiam totum desumpsit Tondut. 4

Hodie vero hujusmodi difficultates, seu quæstiones cessarunt, atque prudenter sublatæ fuerunt, ex moderniori stylo non adnotandi consensum in dorso supplicationis, nisi prius ille formiter præstitus fuerit in Cancellaria & in libris extensus, ideoque tunc & non alias gratia resignationis dicitur perfecta, non attento, an supplicatio prius signata, vel datata esset, ut advertitur apud Lotter. *d. q. 16. n. 59.* & bene Rota apud Cels. *dec. 172. n. 14. cum seq. repetit. dec. 322. n. 21. & seq. 11. rec.* Et consequenter cum in hac facti specie revocatio sequuta esset ante dicti consensus præstationem, quinimo etiam ante porrectam, ac signatam supplicationem, dubitandum non erat, revocationem sequutam fuisse re integra. 5

Verum difficultas cadebat ex eo, quod revocatio prædicta intimata non fuerat Datariæ Officialibus, vel ipsi procuratori, aut resignatario, juxta dispositionem textus *in dicta Clem. unic. de renunc.* an scilicet post datum istud mandatum, his non sequutis, potuerit mandans facere permutationem, vel resignationem cor. Ordinario; Et in hoc affirmativam veriorem credit Felin. *in c. ex parte Decani, n. 16.* 6

de rescriptis; Verum contrariam opinionem esse communiter receptam testatur Paris. *d. l. 9. q. 25. ex n. 44. cum seq. usque ad finem* ex auctoritate Barbatiæ *cons. 49. l. 4.* & aliorum, atque *n. fin.* dicit ita fuisse tentum per Rotam in una Camerinen. coram Quiroga, atque cum eo pertransit Tondut. *d. qu. beneficial. 26. n. 25. cum seq.* ex auctoritate Boer *dec. 207. n. 6. & aliorum*: Quod etiam præsuppositive bene probari videtur per Rotam *d. dec. 130. p. 6.* & apud Dunoz. *dec.* 881. occasione agendi de quæstione, an requiratur præcise intimatio revocationis mandati facienda mandatario ac Officialibus Datariæ, vel sufficiat scientia ejus, cujus favore mandatum datum fuerat, quod frequenter contingere solet, quoniam hujusmodi mandata dantur Curialibus pro explicando actum in Curia, existente in remotis partibus, in quibus tam resignans, quam resignatarius sunt præsentes, unde propterea ob longam distantiam pluries contingit, revocationem in loco esse notoriam, & tamen id ignotum esse procuratori in Curia, qui mandatum exequatur, atque sibi commissas expeditiones faciat.

In hoc autem licet variatio fuerit apud scribentes, an
7 scilicet requiratur præcise intimatio facienda procuratori, vel sufficiat intimatio facta principali, sive quod alias constet de istius certa scientia; Attamen quæstio jam per Rotam decisa fuit cum distinctione, quod Aut agitur de pura & simplici resignatione, & tunc revocatio mandati notificanda est, vel procuratori, vel Papæ, mediante ejus dimissione in Dataria, ac apud Officiales, qui sunt ejus organum; Aut vero agitur de renunciatione ad favorem certæ personæ, & tunc sufficiat notificatio ipsi principali, cujus favore resignatio facienda erat, seu quod alias ejus certa scientia concurrat, juxta *dec.* Putei 418. *l.* 1. cum aliis plene deductis per Paris. *dict. l. 1. q. 27. per tot.* præsertim *n.* 10. atque cum hac distinctione proceditur *dict. dec. 130. n. 24. & seq. p. 6.* & apud Dunoz. *dict. dec. 881. n.* 10. Et his stantibus concludebam, resolutionem pendere magis ex facto, quam ex jure, An scilicet de tempore quo ista revocatio sequuta est, id vel per intimationem, seu alias certitudinaliter innotuerit ei, cui facienda erat resignatio, ut tunc permutatio substineretur, ac prævaleret expeditioni factæ in Curia in vim dicti mandati jam revocati, secus autem e converso.

Insinuabam tamen id ad quod bene advertit Tondu-
8 tus *dict. quæst. 26. n. 27. cum seq.* quod si notitia dicti principalis fuisset de tempore quo non potuerit commode certiorari procuratorem, ut a mandati usu abstineret, unde propterea procurator ad formam mandati fecisset expensas expeditionis, ut tunc mandans teneatur erga mandatarium, sive erga eum in cujus gratiam datum est mandatum, ad quanti interest, & sic ad refectionem expensarum erogatarum pro expeditionibus, ac etiam pro cambiis, ac transmissione litterarum, cum aliis quas facere oportuit, idque non ex aliquo jure speciali in Beneficialibus, sed ex regulis generalibus, quas in jure habemus in actione mandati, vel contraria, ex quibus regulis id advertunt *glos. in d. Clem.* Felin. *in d. c. ex parte Decani, n. 33.* cum aliis apud Tondut. *d. q. 26. n. 30. & seq.* atque videtur nimium rationabile; Adhuc tamen mihi occasio non præbuit id in foro disputare ac practicare.

ILLERDEN.

PRO FRANCISCO BOER.

Responsum pro veritate.

Ad materiam Constitutionis Gregor. XIII. de publicandis resignationibus, An intret, ubi resignatio est invalida, seu alias ineffectuata: Et quatenus intraret; An resignans, qui interim possedit, dici valeat illegitimus possessor, ita & taliter, quod teneatur ad fructuum restitutionem.

Et an ad formam ejusdem Constitutionis publicari debeat illa impetratio, quæ illius vigore fieret ob vacationem ex non publicatione resultantem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De regula quod resignatio nulla, vel non effectuata non abdicat jus a resignante.*
3 *De limitatione ubi ineffectuatio provenit a Constitut. Gregorii XIII. quando procedat.*
4 *In beneficialibus datur multiplicatio titulorum, atque unus non præjudicat alteri.*
5 *Abundans cautela non nocet.*
6 *Publicanda etiam est impetratio ob non publicationem.*
7 *Ubi hæc impetratio fit per eumdem possessorem non expediuntur litteræ.*

DISC. XXXIX.

Franciscus Boer possessor Beneficii in Cathedrali Illerden. sive in aliqua Collegiata ejusdem diœcesis, mandatum dedit ad illud resignandum ad favorem certæ personæ, sub reservatione certæ pensionis ad ejus favorem, cum cautione tamen cedulæ bancariæ, sive extinctionis faciendæ cum pluribus annatis inter partes conventis; Quia vero dictum mandatum juxta formam in eo præscriptam explicari non potuit, ex eo forte quod resignatarius dictam cautionem cedulæ præstare non posset, neque Datariæ Officiales admittere vellent dictum pactum extinctionis pensionis a principio inter partes initum, quod frequentius admitti non solet; Hinc proinde dicta conventione nullum effectum sortiente, quamvis signata fuisset supplicatio, Franciscus in Beneficii possessione continuavit; Admonitus autem in partibus a quodam, qui materiæ beneficialis peritum se ostentare affectabat, quod ob hujusmodi resignationis publicationem non factam ad formam Constitutionis Gregorianæ, Beneficium vacaret, atque ab aliis esset impetrabile, ipse ut in cautela abundaret, hanc impetrationem fecit, quo agnito, Capitulum ejusdem Ecclesiæ excitavit prætensionem, quod interim a die lapsi termini dictæ Constitutionis, ipse non fecisset fructus suos, Ac etiam excitata fuit difficultas, quod ob dicta pacta simoniaca inita cum resignatario, incurrisset privationem Beneficii tamquam unam ex simoniæ pœnis, quodque propterea Beneficium esset impetrabile, ac etiam quod obligatus fuisset publicare dictam novam provisionem ad ejusdem Constitutionis præscriptum; ideoque super his omnibus ex ejus parte pro veritate consultus fui. 1

Respondi, in omnibus vanum esse timorem; Quatenus enim pertinet ad primum circa prætensionem Capituli, quod dictus Beneficiatus tamquam illegitimus Beneficii possessor non fecit fructus suos, dixi, prorsus vanam videri prætensionem ex regula in præcedentibus pluries deducta, & de qua apud Otthob. *dec.* 106. Buratt. *dec. 48. & 867.* Dunoz. *dec.* 881. Cels. *dec. 172. & passim*, quod resignatio ad favorem certæ personæ nullatenus abdicat jus, vel possessionem a resignante, donec illa valide ac perfecte suum effectum sortiatur in persona resignatarii, cum dictam implicitam sub se contineat conditionem, sub qua & non alias illa facta censetur. 2

Et quamvis, ut advertitur supra in Toletana Archipresb. *disc. 36. & in aliis*, dicta conclusio non procedat in illa ineffectuatione, quæ resultat ab ista Constitutione Gregoriana ob non publicationem, cum tunc vacatio ex isto capite, spectata magis persona resignatarii quam resignantis resultare dicatur, *ut d. dec.* 172. Celsi, & in aliis de quibus in præcedentibus; Attamen id procedit ubi resignatio jam est perfecta ac valida, itaut ad ejus perfectionem ac exequutionem alium actum post se non expectet, & consequenter jam dicatur abdicatum jus a resignante, illudque translatum in resignatarium, in cujus punitionem magis, quam resignantis, atque tamquam per speciem novæ vacationis pœnalis, & ob privationem dicta vacatio intrat: Secus autem ubi resignatio invalida, seu ineffectuata remanet ex defectu consensus resignantis ob non impletas conditiones, sub quibus & non alias ipse resignationem facere voluit, quoniam tunc actus evanescit in radice, ac habetur perinde ac si numquam initus esset, & consequenter non intrat necessitas publicationis, cum non entis nullæ sint partes, juxta casum præcisum, de quo in Mediolan. Canonicatus coram Panzir. *dec. 90. part. 7. rec.* in qua pariter evanuerat ex isto capite, seu invalida erat, quia procurator contra fines mandati consensum male dederat, ut advertitur supra in Neapolit. *disc.* 37. atque ita distinguendo habetur *in d. dec.* 172. coram Celso, in Tridentina parochialis 13. Januarii 1648. coram Bichio, & in aliis. 3

Hinc proinde superflua, ac extra propositum fuit dicta cautela novæ impetrationis, quam tamen dixi nullum præjudicium generare posse, quoniam cum in beneficialibus detur multiplicatio titulorum, hinc per obtentionem unius non dicitur alteri prejudicatum, juxta *cons. 7.* Cald. *de elect.* Mantic. *dec. 359. n. 8,* Buratt. *dec. 686. n. 6. & 926. n. 8. & frequenter*, 4

quenter; Atque intrat axioma in omni materia, præsertim vero in ista receptissimum, ut abundans cautela non noceat, Barbos. *axiom.* 3. Otthob. *dec.* 141. *n.* 23. & *passim*.

Atque pariter de consequenti resultare dicebam nul-
6 lam requisitam esse hujus novæ impetrationis publicationem; Licet enim ea quoque per Constitutionem demandetur, ut advertunt Paris. *l.* 11. *q.* 7. *n.* 53. Garz. *par.* 11. *c.* 3. *n.* 30. Seraphin. *dec.* 1064. *in fine*, & infra, *disc.* 94. (quod tamen adhuc non vidi practicatum, atque istius responsi occasione inveni esse novum apud peritissimos, ac primi nominis Beneficialistas,) dupliciter tamen dixi hanc inspectionem non intrare; Primo scilicet, quia dicta impetratio necessaria non erat, neque ex ea impetrans aliquod jus deducit; Et secundo clarius, quoniam dum Constitutio mandat publicationem litterarum, præsupponit istarum expeditionem, & consequenter non percutit casum, in quo idem antiquus possessor ad cautelam hujusmodi impetrationem faciat, cum iste non indigeat illa nova expeditione litterarum, quæ necessaria est in tertio im-
7 petrante, Lott. *l.* 3. 21. *n.* 8. Cavaler. *dec.* 458. *n.* 5. Videtur enim ista nova provisio quædam species remissionis caducitatis, ac remotionis obstaculi, seu impedimenti, ut possessor jure suo primævo continuaret, adinstar eorum quæ habemus circa eam remissionem, seu novam investituram, quæ ob incursam caducitatem a feudatario, vel emphyteuta petatur, ex iis quæ præsertim habentur *sub tit. de feudis*, præsertim in Urbevetana, *disc.* 5. & *alibi*.

Ad tertium dixi planam esse responsionem pro non incursu alicujus pœnæ, dum pacta concepta erant sub reservatione Beneplaciti Apostolici cum clausula & *non alios*, removente consensum ab actu, ex deductis supra, *d. disc.* 36. atque in illius causæ decisionibus, potissime vero nulla data pactorum effectuatione, ideoque cessare videbatur principium dubitandi.

LUNEN. SARZANEN. BENEFICII,

PRO CHRISANTHO,

CUM JOANNE BAPTISTA.

De permutatione facta de Beneficiis inæqualibus inter sanguine conjunctos, ac ætate inæquales, An dicatur invalida & fraudulenta, quando, & quomodo, Et quale præjudicium tertii in proposito consideretur pro fraude præsumpta.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Exequutor datus in litteris impetratis certo modo dicitur mixtus, & agit ordinarie.*
3 *De Constitut. Pii V. super permutatione beneficiorum inæqualium.*
4 *Quod ex inæqualitate beneficiorum resultet præsumptio fraudis in permutatione.*
5 *De aliis præsumptionibus fraudis.*
6 *De beneficio de pertica.*
7 *De isto loquitur, seu intelligenda est Constitutio Pii V.*
8 *Privatum suffragium, vel motivum enunciatum in decisione non habet vim decisionis.*
9 *Constitutio Greg. XIII. de publicandis locum etiam habet in permutatione.*
10 *De fraude, de qua n. 4. & 5. an & quando habeat locum in permutatione coram Papa.*
11 *Narrativa valoris per non excessum non concludit ascensum.*
12 *Permutatio de facili conceditur etiam cum derogatione jurispatronatus, & de ratione.*
13 *Circa surreptionem deferendum est stylo Dataria.*
14 *Quale dicatur præjudicium, quod irritat permutationem.*
15 *Provisiones de beneficio jurispatronatus sine istius derogatione, & consensu patroni sunt invalidæ.*
16 *Quando conjunctio sanguinis inter permutantes, vel collaterales attendatur.*
17 *De ætate, vel infirmitate non est facienda mentio quia est consultum per regulam de viginti.*

D I S C. XL.

Beneficium inferioris valoris scutorum duorum, a 1
parte Chrisanthi junioris de recenti erectum, atque a dicto Chrisantho in vim præsentationis possessum, cum Apostolica auctoritate permutatum fuit cum pinguiori Beneficio de jurepatronatus possesso per Chrisanthum seniorem patruum, senem, ac in mala valetudine constitutum cum derogatione jurispatronatus, nulla tamen facta expressione dictæ notabilis inæqualitatis valoris, vel inæqualitatis ætatis, aut conjunctionis sanguinis; Cumque ad novem menses post dictæ permutationis effectuationem, sequuta esset mors dicti Chrisanthi senioris hinc Joannes Baptista dictum pinguius Beneficium, de consensu majoris partis Patronorum, vel medietatis cum derogatione alterius medietatis, impetravit a Sede Apostolica ex duplici causa, nullitatis scilicet dictæ permutationis, vel obitus dicti Chrisanthi, expeditisque litteris directis Ordinario, orta est controversia super illarum executione, quare desuper ex parte Chrisanthi junioris, ac possessori controversi Beneficii ex causa dictæ permutationis consultus,

Respondi in primis, quod ubi etiam nullitas permu- 2
tationis subsistere videretur, ac successive locus esset dictæ impetrationi certo modo, adhuc tamen executor dici non posset merus, itaut procedere posset cum solito processu executivo competente litteris Apostolicis, sed esset mixtus procedere debens in judicio ordinario, in quo intraret appellatio suspensiva, dum agebatur de impetratione piscatoria, seu certo modo de Beneficio viventis, qui dicitur legitimus contradictor, ex iis quæ habentur infra, *disc.* 71. & *seq.* ad materiam processus exequutivi, seu legitimi contradictoris.

Quatenus vero pertinet ad merita, tria erant objecta. Primo, magna inæqualitas valoris inter Beneficia permutata; Secundo, inæqualitas ætatis & valetudinis, Et tertio, non facta mentio parentelæ.

Quoad primum, ponderabantur pro fraude, ac in- 3
validitate actus. Primo, Constitutio 58. Pii V. in proposito permutationis juxta numerationem veteris Bullarii, inter Beneficia inæqualia allegata apud Merlin.
dec. 176. *n.* 7. Et secundo, quod etiam de jure commu- 4
ni in permutatione facta inter duo Beneficia, quorum unum sit pinguius, alterum vero exigui valoris, inesse dicatur præsumpta fraus, Abb. *in c. quia verisimile*, *n.* 1. *de præsumpt.* & cæteri relati per Tiraquell. *in l. si unquam, verbo donatione largitus*, *n.* 122. Mascard. *de probat. concl.* 178. *n.* 4. & *concl.* 170. *n.* 3. *cum seq.* Menoch. *l.* 6. *præsumpt* 78. *n.* 8. *cum seq.* Paris. *de resignat.* *l.* 13. *q.* 4. *n.* 8. Lott. *lib.* 1. *q.* 31. *n.* 28.

Fortius vero concurrentibus aliis circumstantiis eam- 5
dem fraudem redolentibus, ut sunt, inæqualitas ætatis, ac valetudinis, & conjunctio sanguinis, quæ apud allegatos considerari solent etiam singulæ pro fraudis conjectura, seu præsumptione, multo magis illas considerando unitas cum consueta regula in præsumptivis & conjecturalibus attendenda *ut singula, quæ non prosunt &c.* Accedente etiam altera notabili conjectura fraudis, quod Beneficium exigui valoris de recenti erectum fuerat, & sic affectate ad id præordinatum.

Quamvis autem, vel in sensu naturali, vel etiam in legali in materiis indifferentibus metiendis cum regulis generalibus, affectata præordinatio ita obtinendi pinguius Beneficium patrui senis ac infirmi, cujus vacatio probabiliter erat imminens, videretur clara, ac inexcusabilis; Attamen in regulis beneficialibus respondi, non per hoc prætendi posse actus invaliditatem.

Siquidem quoad dictam Constitut. Pii V. quoties agitur 6
de permutatione coram Papa, illa percutit casum in quo permutatio fiat de Beneficio vero & pingui cum Beneficio aereo, ac in rerum natura non existente, quod per Beneficialistas dici solet Beneficium de Pertica, ut declaravit Rota coram eodem Merlino *dec.* 329. edita in eadem causa, in qua prodiit *d. dec.* 176. Merlini, & quæ est repetita *dec.*
132. *p.* 6. *rec.* *n.* 8. & 9. Potissime quia in dicta præcedenti 7
decisione id non fuerat firmatum per Rotam, sed solum motivatum ex mente unius, & sic tamquam suffragium,
seu votum privatum ibi enunciatum, quod non facit de- 8
cisionem, ut advertitur apud Peniam *dec.* 5. *in fine*.

Et licet dicta posterior *dec.* 329. ut supra repetita *p.* 5. 9
rec. dec 132. sit confirmatoria super puncto nullitatis permutationis dictæ alterius præcedentis 176. quæ etiam est repetita *d. par.* 5. *rec. dec.* 460. Attamen id provenit ex alio defectu non publicationis ad formam Constitutionis Gregorii XIII. *de publicandis resignationibus*, quæ lo-

cum etiam habeat in permutationibus; dictaque secunda decisio in hac materia est notabilis, sed quoad dictum punctum Constitutionis Pii V. cum Beneficium, quamvis exiguum, ac inæquale esset verum & reale, nullum constituitur fundamentum.

10 Quo vero ad dictas præsumptiones fraudis, ac affectationis, dixi eas recte procedere in permutatione facta Ordinario, vel alio inferiori collatore ad id potestatem habente, in quibus terminis loquuntur superius allegati, ac alii; Vel etiam procedere in permutatione facta coram Papa, quando exinde resultaret formale præjudicium tertii, in cujus fraudem actus fieret, ut frequenter contingere solebat antiquitus, quando erant magis in usu gratiæ expectativæ, in quibus terminis loquitur major pars scribentium, qui percutiant casum permutationis factæ coram Papa; Sive etiam, ubi actus contineret præjudicium patronorum, seu alias jus præsentandi, vel eligendi habentium, nulla istius facta mentione, ut in sua materia *sub tit. de jurepat.* cum similibus.

Secus autem cessante dicto præjudicio tertii, ut in præsenti, dum nullus habebat hujus Beneficii expectativam, atque jurispatronatus facta fuit mentio cum ejus derogatione pro hac vice, itaut tota difficultas reduceretur ad fraudem ex dictis præsumptionibus resultantem; Tunc enim ob auctoritatem Papæ scientis inæqualitatem sibi narratam, & tamen permutationem admittentis, dicta suspicio, seu mala præsumptio purgata remanet, ut ex Decio *cons.* 209. 210. *n.* 5. Lotter. *dicto l.* 1. *q.* 31. *n.* 29. *&* *l.* 2. *q.* 14. *n.* 79. & Rota apud Merlin. *dicta dec.* 329. *n.* 10. *repetit. dicta dec.* 132. *p.* 5. *rec.*

11 Objiciebatur, dictam inæqualitatem fuisse male narratam, ideoque narrativam non salvare defectum surreptionis, stante quod narrato beneficio pinguiori in 24. alterum quod erat solum vix unius ducati, narratum fuit in 12. Verum id non videbatur obstare, quoniam expressio istius non erat per ascensum, sed per non excessum, quæ verificari potest etiam in uno & minus, dum de stylo Datariæ ejusque expeditorum etiam in Beneficiis, quorum fructus nulli sunt, quia nempe totum consisteret in distributionibus quotidianis fieri solet in 24. per non excessum, ut advertitur infra, *disc.* 90. ubi agitur de materia valoris in genere; Sufficit namque ita Papæ cognitam fuisse inæqualitatem notabilem, dum attenta etiam narrativa, inæqualitas erat in dimidio; Attento præsertim stylo in permutationibus, quæ de facili admittuntur, etiam cum derogatione jurispatronatus, eo quia non reputatur præjudicium considerabile ob possibilem contingentiam, quod Beneficium possit prius vacare per mortem unius, vel alterius,
12 ut advertitur in proposito coadjutoriæ in Cæsaraugustana Canonicatus 1. Februarii 1641. coram Panzirolo & *dec.*162. *n.*48. *& seq. p.* 12. *rec.* & in sua materia *sub tit. de jurepatr.* Atque talis est stylus, ex quo regulanda venit materia surreptionis, vel obreptionis, seu defectus
13 intentionis, ex deductis per Mantic. *dec.* 214. Greg. & Add. *dec.* 150. Burrat. & Add. *dec.* 510. *& frequenter.*

Solum enim, ut dictum est, in permutationibus quæ fiunt coram Papa, consideratur præjudicium particulare super jure jam alteri quæsito, saltem in spe ha-
14 bente causam de præterito, ut est illud supra enunciatum habentis gratiam expectativam, vel est illud coadjuti, vel coadjutoris, juxta deducta *dicta dec.* 162. *par.* 12. *rec. n.* 21. *cum seq.* Interesse autem patronorum irritat actum, non ex hac ratione præjudicii, sed ex regula generali, de qua *d. dec.* 162. *par.* 12. *n.* 25. *& seq.* & pluries in d. sua materia *sub tit. de jurepatr.* quod
15 quæcumque provisiones factæ de Beneficiis jurispatronatus laicorum absque istius mentione, ac derogatione saltem implicita dicuntur invalidæ ex deficiente voluntate Papæ non præjudicandi Patronis.

Omissa vero mentio conjunctionis sanguinis inter per-
16 mutantes causare non poterat surreptionem, ex eadem ratione styli, cum sanguinis conjunctio ex Constitutione 58. Pii V. ponderetur in permutationibus, ac aliis quæ fiunt coram Ordinariis, sive in collationibus per eosdem Ordinarios vel alios inferiores faciendis, ut advertitur infra in Monasterien. Canonicatuum, *disc.* 65. *& alibi.*

Item gravis ætas, vel mala valetudo unius ex permutan-
17 tibus pariter exprimi non solet, illaque attenditur pro justificatione gratiæ coadjutoriæ tamquam illius fundamentum, cum concedi non soleat nisi ex causa infirmitatis, vel gravis ætatis, ut incidenter insinuatur infra, *disc* 41. In reliquis autem provisum est per Regulam *de infirmis resignantibus*, alias *de viginti*, nuncupatam, ideoque eo ipso quod resignans, vel permutans supervivit per viginti dies, de alio non curatur, quoniam ut occasione facultatum transferendi pensiones frequens est Beneficialistarum dicterium, sæpius decedere solent prius agni, quam oves, & sic præmori juvenes ac validi, senibus, seu malam valetudinem habentibus, unde viget incertitudo, quæ salvat præjudicium, ac etiam excludit fraudem quæ per dictam regulam Cancellariæ ad dirimendas magnas, & continuas lites, quæ desuper orirentur, restricta est ad certum terminum ibi præscriptum; Incertum autem est quid sequutum sit.

ANNOT. AD DISC. XL. cum seqq.

De materia permutationis beneficiorum habentur aliqua *in hoc tit. disc.* 120. occasione agendi de puncto, an sustineatur permutatio facta coram Ordinario de primo beneficio per eum qui obtinuit secundum incompatibile, quod postea non curat, vel non potest de facto assequi.

VICEN. PRÆPOSITURÆ PRO MICHAELE SANCTIO, CUM FAUSTOSO TOS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia invalidæ permutationis ob non factam mentionem, quod unus ex permutantibus promotus esset ad Ordines ad titulum Beneficii, sive ob falsam narrativam valoris, An abdicet necne jus a permutante, ad effectum regulandi vacationem ex ejusdem persona.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De regula quod permutatio nulla non abdicat jus a permutante, ex cujus persona vacat beneficium.*
3 *Amentia non præsumitur, sed est probanda per allegantem.*
4 *De invalida resignatione beneficii, ad cujus titulum est ordinatus.*
5 *Quod procedat etiam in permutatione.*
6 *Limitatur, seu declaratur.*
7 *De nullitate ob falsam narrativam valoris.*
8 *Quod ista nullitas non impediat abdicationem a resignante si est culposa.*
9 *Non omnis hebetudo mentis inducit amentiam, sed adhuc est considerabilis ad excludendam culpam.*

D I S C. XLI.

Laurentius Perera possessor Ecclesiæ Parochialis sub nuncupatione Præpositurae loci de Castel Veriol, in octuagesimo ætatis anno constitutus, mandatum dedit ad consentiendum coram Sanctissimo permutationi dictæ Parochialis cum altero Beneficio possesso per Faustosum Tos, atque signata supplicatione, cum actuum perfectione resultante a consensu præstito per utriusque partis mandatarios in forma solita, ac forsan expeditis etiam litteris, adhuc tamen in partibus non habitis, neque præsentatis, obiit adhuc parochialis, seu Præpositura possessor Laurentius de mense Junii, unde propterea Ordinarius, prævio concursu ad præscriptum Sac. Conc. Trid. illam contulit Michaeli; præfatus autem Faustosus præsentatis litteris Ordinario Barchionen, exequutori in eis deputato, sententiam pro executione, vel adjudicatione reportavit, atque in hoc statu ex parte Michaelis pro veritate consultus fui, ad effectum deliberandi, an vellet cedere, vel contendere, præsupponendo invaliditatem dictæ permutationis ex tribus. 1

Primo scilicet, quod dictus Laurentius esset amens, sive constitutus in ea exuperantia, quam decrepiti pati solent; Secundo, ob falsam expressionem valoris narrati in ducatis 140. cum supponeretur longe magis excedens illam sextam, in qua de stylo narrativa substinetur. Et tertio quod idem Laurentius ad titulum istius Beneficii ad Sacros Ordines promotus fuisset.

Quando dictæ nullitates, vel eorum aliquæ, præsertim prima & tertia subsistentiam haberent, dixi certum videri bonum jus provisi ab Ordinario ac possessoris, ex regula pluries in præcedentibus insinuata, quod actus invalidus non abdicat jus a resignante, vel permutante, ex cujus persona Beneficium vacare dicitur, ex decisionibus & auctoritatibus, quæ habentur deductæ in *disc. præced.* in hoc Responso 2
pariter

pariter allegatis, quare singulas prædictas nullitates examinando.

Quatenus pertinet ad primam resultantem ab amen-
3 tia, dixi punctum esse potius facti quam juris, ideoque judicium desuper dari non posse, nisi visis probationibus, an concluderent necne; Posito enim tali defectu, absolutum est in jure actum remanere invalidum ex deficiente consensu in eo, qui non sit mentis compos, sed difficultas est in probatione, quæ debet esse perfecta & concludens, cum juris præsumptio sit in contrarium, ex collectis apud Menoch. *l.* 1. *præsumpt.* 181. Burat. *dec.* 256. *&* 763. Cels. *dec.* 166. & habentur pluries in sua materia *sub tit. de testam. & ult. volunt.* ideoque ubi ista probatio bene fieret, de alio quærendum non erat.

Illa vero cessante, considerabilem credebam tertiam
4 nullitatem resultantem ab omissa mentione, quod Beneficiatus promotus esset ad ordines ad titulum Beneficii, ex claro decreto Sac. Conc. Trid. *sess.* 21. *de reform. c.* 2. continente decretum irritans, ut advertitur supra in Neapolitana Parochialis *disc.* 36. & in decisionibus in ea causa editis cor. Orthob. *inter suas dec.* 106. *&* 194. & in aliis.

Et quamvis dictum Conciliare decretum in verbis loquatur de resignatione, attamen ex declarationibus
5 Sac. Congregationis receptum est locum habere etiam in permutatione, ex deductis per Grat. *discept.* 159. de Marin. *resol.* 37. *n.* 3. *lib.* 1. Rot. apud Greg. *dec.* 441. *n.* 2. apud Buratt. *dec.* 830. *n.* 13. *&* 856. *n.* 1. *& frequenter*.

Est bene verum, quod tam uno quam altero casu,
6 ex magis communi sensu substinetur actus, quando vere menti Concilii satisfactum esset, quia nempe resignans, vere, ac de facto obtinuisset pacificam possessionem alterius Beneficii æque sufficientis ad congruam substentationem (quod in præsenti sequutum non erat) *ut dicta dec.* 441. Gregor. *n.* 3. Buratt. *d. dec.* 830. *n.* 14.

Adhuc tamen mihi remanebat difficultas, posito quod vere dictum alterum Beneficium esset sufficiens, ex iis, quæ *in præcedentibus disc.* habentur de gratia in forma dignum, ut censenda sit perfecta, & abdicativa juris a resignante, non obstante quod exequuta non esset, quoties constat eam esse justificabilem & exequibilem, ita a pari. Verum occasio adhuc non dedit id formiter disputare, atque maturum judicium desuper efformare.

Circa vero secundam nullitatem ob falsam narrati-
7 vam valoris, isto justificato, non dubitatur illam intrare ex clara dispositione Regulæ de valore, *ut dec.* 419. *p.* 1. *divers. dec.* 539. *p.* 4. *tom.* 3. cum aliis supra in Hispalen. *disc.* 34. Verum cum dictus Laurentius supponeretur per multos annos dicti Beneficii pos-
8 sessor, cadere poterat difficultas, de qua *d. disc.* 34. ex punctuali decisione Carilli 283. alias 218. *par.* 9. *rec.* quod scilicet nullitas culposa abdicaret jus a resignante, atque induceret affectionem ob appositionem manuum Papæ; Non quidem ad substinendam permutationem ad favorem dicti provisi Apostolici actoris, cum ex dicto defectu esset invalida, sed quia substineri non posset provisio Ordinarii.

Pro hujusmodi autem difficultate evitanda ponderabam satis considerabilem esse statum dicti Laurentii,
9 qui octuagenario major supponebatur amens; Posito enim quod non fieret concludens, ac perfecta probatio illius formalis amentiæ, quæ requiritur ad omnimodam negationem consensus, atque ad reddendum aliquem intestabilem, quoniam possunt stare simul, adesse aliquam mentis hebetudinem, quæ tamen disponendi facultatem non adimat, ut in sua materia *sub tit. de Testam.* Attamen adhuc dicta hebetudo sufficeret ad excludendam ipsius culpam circa dictam falsam narrativam valoris, ut propterea non intraret dicta *dec.* 283. Carill. quoniam ex dicto Ciceronis, primum senectutis vulnus memoria est, ac etiam quia senes præsertim decrepiti expuerascere solent, Tiraquell. *de tempor. causa* 8. Andreol. *controv.* 89. & habetur in Romana Filiationis *sub tit. de successionibus*.

CÆSARAUGUSTANA SCOLASTRIÆ, PRO DOCTORE GALLAN, CUM MICHAELE DOZZ.

Responsum pro veritate.

De coadjutoria cum futura successione expedita cum antidata post mortem coadjuti, cum consensu præstito in vim mandati jam expirati, sed cum antidata; An & quando subsistat in præjudicium Ordinarii, vel alterius inferioris collatoris, vel provisi ab eo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Datarius non potest cum antidata tollere jus tertio quæsitum.*
3 *De facultate Datarii lacerandi supplicationes signatas quomodo procedat.*
4 *Negligentia registrandi non præjudicat proviso, & nil refert si postea fiat.*
5 *Quod Papa, vel alter Princeps non censeatur velle tollere jus tertii.*
6 *De stylo apponendi antidatam in Coadjutoriis, quomodo & quando procedat.*
7 *Adversus gesta per Datarium non admittuntur articuli & probationes.*
8 *Fortius expeditis jam litteris.*
9 *Consensus potest præstari per procuratorem etiam post mortem mandantis, & retrotrahitur ad diem datæ supplicationis.*
10 *An & quando valeat consensus resignationis præstitus per procuratorem post revocatum mandatum, distinguitur.*
11 *De subreptione evitanda ob genericam cogitationem.*
12 *De decreto suscipiendi Doctoratum, vel ordines, aut expediendi litteras infra certum terminum, quando hic currat.*
13 *De materia coadjutoriæ remissive.*

D I S C. XLII.

Martinus Dozz possidens Dignitatem Scholastriam nuncupatam Metropolitanæ Ecclesiæ S. Salvatoris, procuratorem constituit in Curia ad obtinendum coadjutorem cum futura successione ratione gravis ætatis ann. 70. Michaelem Dozz. Cumque porrecta & signata supplicatione, gratia expediri, seu effectuari non potuisset ob denegatam dispensationem super duplici defectu in dicto Michaele concurrente; Hinc Martinus novum dedit mandatum ad petendum in coadjutorem Hieronymum etiam Dozz, ad cujus favorem signata fuit supplicatio; de tempore quo per diem antea dictus Martinus obierat, de mense in quo collatio pertinebat ad capitulum ejusdem Ecclesiæ, a quo provisus fuit Doctor Gallan Canonicus Doctoralis, unde Michael, ut supponebatur, post notitiam tam obitus quam provisionis, obtenta dispensatione super defectibus, cum data anteriori, seu antidata, atque consensu præstito per primum procuratorem, curavit expediri litteras, quarum exequutione adhuc pendente, cum aliquod temporis intervallum decurrisset, de tribus ex parte provisi per Capitulum consultus fui; Primo scilicet, an dicta coadjutoria concessa cum antidata de tempore quo obierat coadjutus, atque Beneficium alteri collatum fuerat, cum consensu præstito per procuratorem post expiratum mandatum, subsisteret necne; Secundo quatenus subsisteret, an corrueret gratia dispensationis super defectu ætatis ob non factam mentionem statuti Ecclesiæ super ordine presbyterali huic Dignitati annexo; Et tertio an stante decreto in eadem supplicatione contento, quod dictus coadjutor infra annum in aliqua Universitate Doctoratum in Canonibus, vel Theologia suscipere teneretur, cecidisset a gratia, stante quod a die datæ lapsum jam erat biennium absque dicti gradus susceptione. 1

Ad primum dixi, quod quando dicta præsupposita antidata esset justificabilis, tunc data justificatione, pro nullitate respondendum veniret, quoniam a Dataria non conceditur ista facultas tollendi jus quæsitum tertio, ut in specie Mandos. *cons.* 16. *n.* 14. 2

Licet enim magna sit hujus Officialis auctoritas, etiam lacerandi supplicationes manu Papæ signatas; Attamen id 3

intelligitur ante registrationem, quando res adhuc de
stylo dicitur integra, neque dicitur quæsitum jus pro-
viso, secus autem post eamdem supplicationem regi-
stratam, cum tunc & non prius illa jus considerabile
tribuat, ut ex Paris. Gonzal. Garz. & aliis Merlin.
dec. 181. *alias dec.* 68. *p.* 5. *rec. n.* 6. Et in specia-
libus terminis supplicationis super coadjutoria, ut non
dicatur perfecta, neque tribuat jus, nisi post registra-
tionem, apud Cellum *dec.* 155. *n.* 15. & *dec.* 161.
4 in quibus tamen decisionibus firmatur, quod si regi-
stratio in libris sequatur ex intervallo, atque de il-
la non agatur ad dictum effectum facultatis Datarii,
sed ad alium effectum intermediæ provisionis inter da-
tam & registrationem, id non præjudicat, quoniam
non debet negligentia Registratoris tollere jus quæsi-
tum proviso.

Et sic certum est quod Datarius tollere non potest
jus, quod jam perfecte alteri quæsitum est, quoniam
si idem Papa, qui sine dubio potest quemcumque in-
5 feriorem collatorem prævenire, uti non solet hac po-
testate, cujus usus in dubio non præsumitur, ex de-
ductis supra in alia Cesaraugustana Canonicatus, *disc.*
23. & est generale in omni Principe, quod non cen-
seatur velle tollere jus tertii, ex plene deductis in ma-
teria hujus potestatis *sub tit. de regal. disc.* 148. ma-
gis vero in Papa, qui per Regulam Cancellariæ *de
jure tertii quæsito non tollendo* id expresse profitetur;
Multo magis dicendum est id non licere Magistratui,
seu Officiali.

Et quamvis Dataria soleat de stylo in hujusmodi
6 coadjutoriis apponere antidatam, attamen id videtur
honestum ac substentabile in eo solo casu, in quo pro-
curatores tam coadjutoris, quam coadjuti in Curia,
vivant in bona fide, ac justa credulitate, quod res esset
integra, opinando quod uterque viveret, sed pro qua-
dam cautela hujusmodi stylus inolevit, ex rationabili
motivo reddendi tutum coadjutorem existentem ultra
montes, stante magna distantia, & notabili impensa,
quam pro hujusmodi coadjutoriis facere oportet, sem-
per tamen cum dicto præsupposito bonæ fidei, ac sin-
ceritatis, itaut militet dicta ratio, quæ hunc stylum
justificet, secus autem post habitam notitiam, ac in
statu malæ fidei, quoniam tunc est decipere Datariæ
Officiales, qui cum dicto præsupposito bonæ fidei, &
non alias dictum stylum ad praxim deducere solent.

Recte ista procedebant theorice, seu in abstracto; Di-
cebam tamen, difficultatem forte insuperabilem consiste-
re in applicatione ad concretum, super justificatione scili-
cet hujusmodi præsuppositæ antidatæ, quæ videtur quo-
dammodo improbabilis, quoniam adversus gesta per Da-
tarium, ob officii excellentiam non admittuntur articu-
7 li, neque probatione, Gabr. *cons.* 193. *n.* 3. & 4. *lib.*
2. Grat. *discept.* 191. *n.* 1. Lotter. *l.* 2. *q.* 23. *n.* 23.
Rota *dec.* 514. *n.* 2. *p.* 3. *divers. l.* 3. & *d. dec.* 68. *n.
finali p.* 5. *rec. ut* alias apud Merlin. *dec.* 281. & *in aliis*;
8 Fortius vero ubi processum quoque fuit ad expeditionem
litterarum, quoniam tunc esset redarguere, nedum Da-
tarium, verum etiam ipsum Papam, quod admitten-
dum non est *ad glos. in Clement.* 1. *de probat.* Lotter. *d.
q.* 23. *n.* 25. Rota *dec.* 367. *n.* 8. *p.* 3. *diver. l.* 3. &
consequenter istud motivum, in quo alii desuper con-
sulti magnum ac principale fundamentum constituebant,
mihi videbatur fragile ac periculosum.

Solidius autem credebam alterum resultans a defectu
consensus præstiti per procuratorem coadjutoris duplici-
ter invalidi; Primo quia, post jam expiratum mandatum
per mortem mandantis; Et secundo, post ejusdem man-
dati revocationem cum constitutione alterius procura-
toris ad petendum alium coadjutorem, ut supra in fa-
cti serie advertitur.

Alii desuper consulti, principaliter, ut dictum est,
innitentes dicto alio motivo antidatæ, istud minus tu-
tum ac debile reputabant (talis enim est ingeniorum
varietas;) Dicebant siquidem in ordine ad præstatio-
nem consensus post mortem mandantis, id recte fieri
posse, quoties ipso mandante vivente ac re integra sup-
plicatio signata ac data esset, cum tunc consensus re-
trotrahatur ad diem datæ ob præsumptum, seu impli-
9 citum consensum resultantem ab ipsa porrectione sup-
plicationis, ac diligentia, ut illa jam signata dataretur,
Paris. *de resign. l.* 9. *q.* 24. *n.* 14. Gabr. *cons.* 194. *in
princip. l.* 1. Crescent. *dec.* 9. *de procur.* & *d. dec.* 68.
n. 15. *p.* 5. *rec.* alias apud Merlin. *dec.* 281. *ac pluries*,
ideoque inferebant, totum punctum esse in data supplica-
tionis, atque in hoc agnoscebam quod dicerent bene,

Quo vero ad alterum defectum resultantem a revo-
catione mandati, advertebant obstare clarum textum 10
in Clem. unica de renunc. ubi disponitur, quod non da-
ta notificatione talis revocationis ipsi procuratori, vel
Datariæ officialibus, talis revocatio non attendatur;
Verum id mihi videbatur non obstare, quoniam quid-
quid sit, an pro forma requiratur expressa notificatio
facienda ipsi procuratori, vel sufficiat æquipollens per
ejus scientiam, quæ tam ratione intervalli intermedii,
quam ex aliis adminiculis sufficienter æquipollens per
ejus scientiam, quæ tam ratione intervalli intermedii,
quam ex aliis adminiculis sufficienter justificari vide-
batur; Difficultas cessabat ex eo, quod pro certo sup-
ponebatur id innotuisse ab initio revocationis ipsi Mi-
chaeli in eodem loco præsenti, quo casu cessat difficul-
tas, cum dispositio *d. Clement.* vere ac proprie percu-
tiat casum simplicis, ac puræ renunciationis in mani-
bus Papæ, non autem illam ad favorem, quo casu
sufficit scientia futuri resignatarii, ut cæteris relatis
habetur *dec.* 130. *n.* 24. & *seq. p.* 6. *rec.* & apud
Dunozett. *dec.* 881. *n.* 10. *cum aliis supra in Toleta-
na, disc.* 38.

Super secundo quæsito prætensi defectus dispensatio-
nis super ætate ob non factam mentionem Statuti Ec- 11
clesiæ requirentis ordinem presbyteralem; Respondi
contra requirentem super dictæ prætensæ nullitatis in-
subsistentia, quoniam ad evitandam surreptionem suf-
ficit rem ita exponi, quod generica scientia, seu cogitatio
Papæ dari valeat, ex deductis apud Buratt. *dec.* 883. *n.* 6.
dec. 118. *n.* 17. post Vivian. *de jurepatronatus dec.* 107. *p.* 10.
rec. n. 25. & *frequenter*; Potissime vero stante stylo Da-
tariæ, ex quo ut pluries in præcedentibus advertitur,
regulatur verisimilis, vel inverisimilis Papæ voluntas,
ac successive surreptio, cum enim omnium particula-
rium Statutorum distincta notitia haberi non possit,
hinc proinde stylus est narrandi quod Beneficio incum-
beret aliquod onus missarum, quodque forte præten-
deretur Beneficium esse sacerdotale, cum generica Sta-
tutorum derogatione.

Ad tertium super non suscepto Doctoratu infra an-
num a die datæ juxta formam decreti in ipsa supplica-
tione contenti, Respondi pariter contra requirentem, 12
quoniam licet in verbis dicatur terminum currere nisi
a die datæ gratiæ, attamen de stylo receptum est non
currere nisi a die jam obtentæ pacificæ possessionis Be-
neficii, idque summa cum ratione, quoniam impensis
ac incommodis adimplendi hujusmodi decreta exponen-
dus non est qui adhuc incertus vivit, an Beneficium
sit assequuturus necne, ut apud Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.*
15. *n.* 111. *seq.* & *cum concord. dec.* 31. *n.* 9. *p.* 10. *rec.*
edita in casu, de quo supra in Nuscana *disc.* 16. occa-
sione consimilis decreti, quod adjici solet in Brevi de
capienda possessione nomine Cameræ super expeditione
litterarum infra sex menses, quoniam licet dicatur a
die datæ gratiæ, attamen de dicto stylo intelligitur a
die adeptæ pacificæ possessionis, seu cessatæ litis, idem-
que de decreto suscipiendi ordines cum similibus, ad
quod conferant ea quæ habentur infra in Avellina Ca-
nonicatus, in proposito necessitatis dimittendi primum
Beneficium per assequutionem secundi incompatibilis,
quoniam intelligitur post obtentam secundi pacificam
possessionem, non autem durante tempore, quo de illo
vivat incertus, ne alias contingat carere utroque, ut
ibi cum similibus.

De reliquo autem, quæstiones super hujusmodi coad-
jutoriis, frequentius potius facti, quam juris esse so- 13
lent, super justificatione scilicet infirmitatis, vel æta-
tis, aut alterius impedimenti, cum id sit fundamen-
tum gratiæ, quæ alias concedi non solet, ex iis quæ
in materia habentur per Rotam *dec.* 255. & 313. *p.*
7. *rec. dec.* 22. *p.* 10. *dec.* 48. *p.* 11. 162. *p.* 12. apud Bu-
ratt. *d.* 548. & 778. apud Dunozett. *dec.* 766. apud
Cellum *d. dec.* 155. & 161. & *in aliis pluries*, ex
quibus liquet, super hoc quod magis facti est quam
juris, hujusmodi quæstiones frequentius circumferri.

De præeminentiis autem ac juribus coadjutorum,
eorumque antianitate, nec non possessione capienda,
vel fidei professione emittenda cum similibus, habetur
infra, *sub tit. de Canonicis*, & *Capitulo*.

ANNOT. AD DISC. XLII.

De concernentibus materiam coadjutoriæ videri pot-
erunt deducta *in hoc tit. disc.* 122. & 123.

SO-

SORANA BENEFICII,

PRO CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ OPPIDI ALBETI,

CUM JOSEPHO OLIVETO.

Casus varie decisus per Rotam.

De regula revocatoria unionum, an, & quando capiat uniones factas præbendis Canonicalibus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Qualis debeat esse necessitas ad effectum, ut unio non subjaceat regulæ revocatoriæ.*
4 *Quod effectuatio in parte influat in totum & quando secus.*
5 *Quod regula revocatoria non capiat unionem factam pro nova erectione Canonicatuum, & de ratione.*

D I S C. XLIII.

1 FActa per Clementem VIII. unione aliquorum simplicium Beneficiorum; Tum ob erectionem unius Dignitatis ac duorum Canonicatuum; Tum etiam ob tenuitatem Canonicatuum ac præbendarum jam existentium in Ecclesia Collegiata oppidi Albeti, dictaque unione in dictis Beneficiis, uno excepto, ob celerem vacationem sequutam, effectum sortita, casus dedit longævam vitam possessoris unius forte pinguioris sub invocatione S. Mariæ, cujus vacatione sequuta da anno 1636. sub Urbano VIII. Capitulum ejus possessionem accepit; illud autem, tamquam vacans per obitum, ac reservatum a Sede Apostolica impetravit Joseph Olivetus, atque obtenta ab executore sententia favorabili super litterarum Apostolicarum executione, commissaque per Signaturam causa appellationis in Rota coram Otthobono cum solita clausula suspensiva,
2 *parito litteris arbitrio*, atque dato dubio ex ejusdem rescripti ventre resultante, *an intraret arbitrium*, sub die 16. Junii 1651. ad favorem provisi Apostolici negativa prodiit resolutio ex fundamento cessationis dictæ unionis per Regulas unionum revocatorias quatuor successorum Pontificum, sub quibus dictum fuit istam unionem cadere, stante quod non constabat de illa præcisa necessitate, quæ ad mentem ejusdem Sac. Conc. Trid. requiritur, ut uniones dictæ Regulæ revocatoriæ non subjaceant, ut patet ex decisione desuper edita inter illas Otthob. *decis.* 261. post cujus editionem factis ex parte Capituli probationibus dictæ præcisæ necessitatis, atque reproposita causa coram Peutingerio subrogato in locum Otthoboni interim ad Cardinalatum digne evecti, sub die 12. Junii 1654. recedendo a decisis ad favorem Capituli prodiit resolutio, cui provisus Apostolicus acquievit, unde propterea causa ulteriorem disputationis progressum non habuit.

Quæstio igitur fuit potius facti quam juris, an scilicet constaret necne de tali hujus Ecclesiæ necessitate, quæ hanc unionem eximeret a dicta Regula revocatoria, cum circa juris conclusiones, seu theoricas nulla caderet controversia; Ego siquidem scribens pro Capitulo pro substinenda unione, tamquam veram admittebam conclusionem, quæ ex parte provisi Apostolici deducebatur, quod causa debet esse necessaria, non autem ad majorem ditationem, vel commodita-
3 tem, itaut percutiat servitium, seu necessitatem ipsius Ecclesiæ, cujus cultus alias desereretur, vel quia non adesset qui ob reddituum tenuitatem, Canonicatus & Beneficia impetrare vellent, vel quia possessores ex eadem causa tenuitatis cogerentur Ecclesiæ cultum ac servitium deserere, aliisque exercitiis incumbere ad effectum eorum congruæ substentationis, secus autem ubi unio percuteret ditationem, vel majorem exuberantem commoditatem, juxta dec. primam Achill. *d. tit. de regul. revoc.* cum concord. apud Lotther. *l.* 1. *quæst.* 29. *numer.* 21. *decis.* 181. & 337. *par.* 9. *rec. decis.* 96. coram Celso, cum aliis per Add. *ad dec.* 576. *numer.* 81. & *seq.* & *numer.* 92. & *seq.* & in hujus causæ decis. coram Otthobono & frequenter; Unde cum talis probatio facta esset, quod scilicet provisi de Canonicatibus non habentes ex eis congruam substentationem cogerentur pro ista deserere Ecclesiæ servitium, idcirco cum justitiæ fundamento recessum fuit, cum ipsamet prima contraria decisio posito isto facto id admitteret.

Duo alia vero deducebam fundamenta pro eximenda hujusmodi unione a dictis Regulis revocatoriis postmodum superventis, unde aliquam mihi præbuit admirationem, quod ad neutrum reflecteretur, sed ea sub silentio in utraque decisione involverentur.

Primo scilicet, quoniam ista unio fuit unica plurium Beneficiorum sub unica expressione valoris, ac unica structura verborum tamquam actus individuus, qui juxta receptas regulas non potest pro parte valere, & pro parte non, unde propterea quoties actus 4
in parte effectuatus est, dicitur effectuatus in totum ad effectum, ut non subjaceat huic regulæ revocatoriæ, ne una & eadem res diverso jure censeatur, Garz. *p.* 12. *c.* 2. *de unione num.* 294. Cavaler. *dec.* 408. *n.* 6. *dec.* 449. *n.* 7. & *dec.* 500. *pariter n.* 7. Buratt. *dec.* 870. *n.* 4. Merlin. *dec.* 524. *n.* 3. Add. ad Greg. *dec.* 557. *n.* 9. Rot. *dec.* 109. *n.* 2. & *seq. p.* 6. *dec.* 196. *n.* 10. & *seq. p.* 7. & *frequenter*. Ac propterea cum usque ab anno 1600. ipso Pontifice Clemente VIII. adhuc vivente, in pluribus Beneficiis, quinimo omnibus aliis, isto excepto ob subsequutam vacationem, unio effectum sortita esset, ita videbatur, quod ea tamquam effectuata non caderet sub ista regula, cum difficultas cadere solum posse videretur quando ad instar sententiæ continentis plura capitula separata, sive ad instar ejusdem scripturæ continentis plures gratias distinctas; unio plurium Beneficiorum dici posset distributiva in singulis, cum eorum distincto valore, distinctaque dispositione, adeout dici posset esse tot uniones, quot sunt Beneficia; sed quando unio plurium est per modum unius sub unico valore, ac unica oratione omnium æque complexiva tamquam per unicum actum individuum, tunc non videtur, quomodo attentis juris principiis dari valeat hæc distinctio, potissime vero dum vis non est solum in principiis generalibus, sed quia in terminis specialibus recepta est dicta propositio, ut effectuatio in parte influat in totum, neque desuper scribentes in contrarium dabant responsionem considerabilem.

Et secundo, quod videremur esse extra casum regulæ percutientis illas uniones, quæ fierent Canonicatibus, vel præbendis jam erectis, atque in rerum natura 5
jam existentibus, in quibus juxta superius deducta intraret dicta consideratio, quod cessante præcisa necessitate, unio principaliter non percuteret ipsam Ecclesiam, ejusque cultum ac servitium, sed potius percuteret majorem ditationem, seu commoditatem possidentium ipsas præbendas, vel Canonicatus ut supra; Ista siquidem unio principaliter fuit pro nova erectione duarum Dignitatum & unius Canonicatus, & in qua erectione gratia principaliter consistit; unio autem Beneficiorum dicitur accessoria tamquam dos alterius Beneficii de novo erecti, & consequenter attenditur effectuatio gratiæ principalis, quæ secum trahit effectuationem unionis tamquam accessoriæ, Seraph. *dec.* 982. *num.* 1. Cavaler. *decis.* 449. *num.* 6.; Ac etiam quia non est supprimere, vel minuere numerum Beneficiorum, sed potius ita commutare de una specie in aliam, atque illa quæ erant Beneficia simplicia, convertere in dignitates & Canonicatus, & sic tam in verbis, quam in ratione, casus non videbatur cadere sub regula. Verum cum ista sub silentio in decisionibus involvantur, restricta solum inspectione ad præcisam necessitatem ut supra, ob cujus concludentem probationem in secunda propositione Rota credidit, Capitulum posse obtinere intentum, absque necessitate assumendi istas alias inspectiones, hinc non potui desuper, præsertim in hoc secundo motivo, omnino maturum judicium efformare; Mihi tamen utrumque videbatur probabile.

ANNOT. AD DISC. XLIII. cum seqq.

AGitur in his discursibus de materia unionis, de qua habetur quoque *hoc tit. in disc.* 136.

Et aliqua ad materiam regulæ de annali, de qua habetur *disc.* 47. & 50. videri poterunt deducta *eod. tit. disc.* 132.

Posteriores decisiones emanatæ in casu de quo *disc.* 47. sunt impress. *p.* 13. *rec. dec.* 307. & 402.

TAURINEN. BENEFICII, RRO JOANNE CALLERIO, CUM CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ N.

Casus disputatus coram Prælato executore, sub incerto exitu.

De eadem materia unionis simplicium Beneficiorum facta prebendis, seu Canonicatibus, vel Mensæ Capitulari; An subsistat necne, vel respective subjaceat Regulis revocatoriis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Unio fieri non potest mensæ Capitulari, sed singulis præbendis distributive.*
3 *Quid si facta est præbendis, sed absque certa distinctione.*
4 *De rationibus quibus innititur conclusio, de qua n. 2.*
5 *Beneficium unitum amittit nomen ac essentiam beneficii, ac efficitur prædium.*
6 *De unione cadente sub regula revocatoria ob cessantem necessitatem.*
7 *Habenda est ratio distributionum.*
8 *Tempus belli, vel alias calamitosum non est attendendum pro regulando valore, vel reddit.*

DISC. XLIV.

1 ARchiepiscopus Taurinen. de anno 1644. univit aliqua Beneficia simplicia præbendis Canonicalibus tenujoribus Ecclesiæ N. quę in redditu annuo non excedunt summa scutorum 50. monetæ Rom. pro singulo Canonico residente; Cumque circa annum 1668. sequuta controversia Beneficii vacatione per obitum, de illa provisus esset Joannes Baptista, cui volenti adipisci possessionem se opposuit Capitulum, quod in vim dictæ unionis illam prævenerat, hinc proinde assumpta disputatione coram Prælato executore, unicam ego habui disputationem, cujus exitus incertus remansit, cum amplius de causa actum non audierim, forte quia per concordiam sopita fuerit, vel defensores mutaverit, ut frequenter contingit, cum in Curia ut plurimum Advocatus sit accessorius causæ Patroni, cujus mutatio illam Advocati causet.

In hac igitur disputatione duo deducebam fundamenta adversus illam unionem; Primum scilicet invaliditatis contra formam Sacr. Concil. Trident. Et secundum revocationis subsequutæ per superventas regulas revocatorias Innocentii X. & Alexandri VII.

2 Quatenus igitur pertinet ad primum, nullitas videbatur clara, quoniam ad præscriptum Sacr. Concil. Tridenr. *sess. 24. cap. 15.* juxta interpretationem sibi datam per S. Congregationem ejus Interpretem, fieri non potest mensæ Capitulari in genere, sed facienda est singulis præbendis Canonicalibus, ut per Barbos. *in collectan. ad idem Conc. sess. 24. de reform. cap. 15. nu. 18* Pyrr. Corrad. *in praxi beneficial. lib. 2. cap. 8. num. 57.* Rota *decis. 565. part. 5. recent.* Adden. *ad decis. 576. part. 4. recent. tom. 3. num. 91. in fine*, ubi registrantur declarationes Sac. Congregationis.

Et quamvis scribentes in contrarium responderent, dictas auctoritates non applicari, utpote percutientes casum unionis factæ in genere ipsi Capitulo, seu massæ Capitulari, quod in præsenti dici non poterat, dum unio facta erat singulis præbendis tenujoribus; Replicabam tamen, idem dicendum esse, quoniam vis non est in formalitate verborum, sed in ratione, ob quam Sacr. Congregatio declaravit, unionem faciendam esse singulis præbendis certis, non autem massæ, seu præbendis in genere.
3

Duplex siquidem ratio assignari solet; Una scilicet, ut Beneficium quod unitur, suum habeat Rectorem, eo
4 quia sicuti una sponsa non potest habere plures sponsos, ita unum Beneficium non potest habere plures Rectores; Et altera, quia unio fieri debet Beneficio certo & determinato, ut sciatur quisnam sit illius Rector & administrator, cum alias quod commune est, negligi soleat.

Ex his autem rationibus, prima, reflectendo ad veritatem, videbatur parum probabilis, quoniam ubi unio fit accessorie ac subjective, amittit nomen ac essentiam Beneficii, sed efficitur prædium alterius, cui talis unio fiat, ex de-
5 ductis per Gonzal. *ad regul. 8 gloss. 5. §. 7.* Adden. ad Greg. *dec. 122.* atque distinguendo plures species unionum habetur, præsertim in Ampurien. & Civitaten. unionis *sub tit. de præminentiis, disc. 7.* Ac etiam quia non implicat, Capitulum, vel aliud corpus universale considerari tamquam unicam personam formalem, sive intellectualem in jure habituali quamvis individuo, ac in possessionem Ecclesiæ curatæ, cum ex deductis supra in Nuscana, *disc. 16.* & infra in Melphien. Cantoriæ, *disc. 55. ac in aliis*, multa habeamus Capitula Cathedralium, vel Collegiatarum, quibus habitualiter incumbat cura animarum ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis sibi unitæ, quod pluries habetur infra, *sub tit. de Parochis*, præsertim in Perusina Congruæ, & in Murana occasione congruæ debitæ Vicario, seu Canonico cui annexum sit exercitium curæ.

Probabilior autem videtur altera ratio, quam congruere dicebam, dum facta unione præbendis tenujoribus, certum redditum non excedentibus, ita pariter ipsa remanebat vaga & incerta eodem modo, quo si facta esset massæ Capitulari; Verum reflectendo ad veritatem dubitabam, an adesset fallacia in applicatione; quoniam licet inspecta ipsa unione in verbis, ea dici posset vaga & incerta, attamen revera non erat talis, quoniam detecto quales essent præbendæ tenues, ita singulis in executionem unionis in ipso instanti fieri posset Beneficiorum distributiva applicatio, qua sequuta unio respective remaneret distributiva, sed quia non docebatur id sequutum esse, idcirco actus adhuc remanebat in statu imperfectionis.

Solidius credebam alterum motivum, quod unio caderet sub regulis revocatoriis, dum in facto non docebatur 6
de illa præcisa necessitate, quæ ad hunc effectum requiritur juxta deducta in Sorana, *disc. præced.* ac infra in Mediolanen. *disc. 47.* & in decisionibus in utraque causa editis, quinimo ex ipsius unionis tenore observabam, dictam necessitatem exclusam remanere; Tum quia attenta magna fertilitate illius Pedemontanæ regionis ac victualium modico valore redditus scutorum 50. mon. Rom. quinimo & 40. videtur comparative ad alias regiones magnus, & superabundans, adeout non urgeret ratio inconvenientium, de quibus *dis. præced.* quod scilicet vel nulli invenirentur qui Canonicatus acceptarent, vel quod illorum possessores cogerentur Ecclesiæ servitium deserere, aliisque exercitiis pro victu comparando incumbere.

Tum etiam quia habetur solum ratio redditus præbendæ, non autem distributionum quotidianarum, quarum ratio etiam sine dubio ex dictæ rationis identitate habenda est, per Add. *dict. dec. 576. part. 4. rec. tom. 3. n. 82. & in supra allegatis decisionibus*; Finis etenim ob quam 7
a S. Conc. Trid. hujusmodi uniones demandantur, respicit, ut dictum est, principaliter ipsas Ecclesias, ne earum cultus deferatur, non autem personas possidentium Canonicatus, vel præbendas, unde propterea nihil refert quod præbenda sit nimium tenuis, quinimo nulla, si adsint distributiones ad congruam substentationem sufficientes, quamvis istæ non obtineantur nisi per inservientes, quoniam istud est principale intentum Concilii, atque de facto videmus in plerisque primariis, magisque insignibus Ecclesiis, quarum Canonicatus sunt nimium pingues, & conspicui, nullam adesse præbendam, nullosque fructus certos, sed totum consistere in distributionibus, ut sunt præsertim Basilicæ Urbis, atque est insignis Ecclesia Toletana cum similibus, ut occasione regulæ de valore advertitur etiam infra, *disc. 90.*

Considerabam prætcrea incongruitatem temporis, in quo facta erat unio ob proxima bella, quæ in regione fuerant, ex quibus bonorum redditus accidentaliter nimium diminutus fuerat, qui tamen cessato accidenti, ad suum primævum statum tractu temporis reduci potuit, ideoque in regulando valore attendendum non est tempus calamitosum, ut advertitur *disc. 65. n. 6. & 7. & dec.* 8
78. n. 1. & 2. par. 2. divers. cum aliis in Assisien. oblationum *dec. 222. n. 5. p. 11. rec. & in ead. Assisien. sub tit. de præminent. disc. 11.* Atque istud motivum cessantis necessitatis, itaut intrarent regulæ revocatoriæ, mihi videbatur solidum ac probabile, cum nulla daretur dictæ necessitatis probatio, quinimo ex hac parte diligens causæ Patronus in facto docebat quod Canonicatus nunquam fuerunt vacantes, quodque in singulis vacationibus notabilis fuit concurrentium numerus, dato etiam sumo per attestationes, quod Canonici in loco cum solis emolumentis Ecclesiæ satis commode viverent, ipsique Canonicatus in existimatione ac desiderio essent, quibus positis planum remanere videbatur bonum jus impetrantis, pro quo debeo probabiliter credere fuisse resolutum, nisi concordia aliter statuerit.

SA-

SABINEN. UNIONIS, PRO DOMINICO SERISTA, CUM CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ MALLEANI.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Dominico.

De eadem materia validæ, vel invalidæ unionis factæ Capitulo, seu mensæ Capitulari, aut etiam singulis Canonicatibus absque debita solemnitate, vel causa; Et quid ubi unio non fieret ab Ordinario, sed a delegato Apostolico; An aliquid habeat speciale.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Unio facta mensæ Capitulari, non autem singulis præbendis distributive est invalida.*
3 *In dismembratione, ac unione requiritur consensus Capituli.*
4 *Et non sufficit tacitus, eo quia unio facta esset sibi ipsi.*
5 *In dismembratione requiritur consensus interessatorum.*
6 *Requiritur etiam justa causa aliunde justificanda, & non statur assertioni Ordinarii.*
7 *Quod non requiratur probatio necessitatis ubi unio est effectuata.*
8 *De distinctione inter necessitatem requisitam pro validitate actus, & aliam, ut unio non cadat sub regula revocatoria.*
9 *Consensus Capituli, & aliæ solemnitates non requiruntur ubi agitur de unione facta per Papam.*
10 *Beneplacitum non supplet defectum causæ.*
11 *Tunc valide dicitur fieri actus a Delegato Apostolico, quando est Delegatus Apostolicus, non autem generalis.*
12 *Princeps concedendo aliquid contra jus, censetur ita dispensare ac juri derogare, sed data scientia.*
13 *De duplicitate personæ Papæ tamquam Papæ & tamquam Episcopi Urbis, & quod in actibus gestis ex hac secunda persona non intret suprema potestas Papalis.*
14 *De Sac. Congregatione Visitationis Apostolicæ qualem facultatem habeat.*

D I S C. XLV.

1 Erecta sub Urbano VIII. Congregatione Visitationis Apostolicæ omnium Ecclesiarum Urbis totiusque districtus, pro faciendo illam visitationem, quæ de jure incumbit loci Ordinario, cujus jure in Urbe ac districtu Papa consideratur contradistinctus ab alia persona Episcopi Ecclesiæ universalis juxta distinctionem, de qua *sub tit. de præeminentiis, disc. 2.* ac alibi pluries; Cum quidam Prælatus ab eadem Congregatione deputatus esset ad visitandum Episcopatum Sabinensem, qui est unus ex sex Episcopatibus Cardinalitiis, iste Visitator dismembrando a quadam alia Ecclesia Collegiata unum ex canonicatibus, seu beneficiis canonicatus nuncupatis, illum univit men-
2 sæ Capitulari Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Malleani, quæ ob residentiam Suffraganei seu Vicarii Episcopi ac destructionem tam Civitatis, quam Ecclesiæ materialis Sabinensis Cathedralis vices supplet, atque figuram de facto gerit; Sequuta vero dicti Canonicatus vacatione in mense reservato, illum a Sede Apostolica impetrasset Dominicus Serista. Hinc expeditis litteris, seu Brevi de capienda possessione nomine Cameræ coram A. C. tamquam exequutore, assumpta fuit disputatio, quæ tota consistebat in præfatæ unionis validitate, vel invaliditate, cum ex hoc penderet, an illa consumeret necne vacationem.

Scribens igitur pro Dominico proviso Apostolico, dicebam unionem prædictam ex pluribus invalidam esse;
3 Primo scilicet, quia facta esset mensæ Capitulari, non autem præbendis Canonicalibus distributive, & consequenter contra formam Concilii juxta declarationes Sacr. Congregationis ac plures resolutiones Rotales ex deductis in Taurin. *disc. præced.* & in individuo consimilis unionis factæ ad favorem istiusmet Capit. *decis. 565. p. 2. recentior.*

Secundo quia tam dismembratio quam unio factæ erant sine consensu Capituli ad id necessario, ut expresse disponitur *in Clement. 2. de rebus Eccles. non alienan.* & post an-
4 tiquiores ab eis relatos habetur apud Lotter. *l. 1. quæst. 28. n. 152.* Barbos. *de jur. Eccl. lib. 1. cap. 32. n. 8. cum seqq. & de Episcopo, alleg. 66. n. 21.* Rota *decis. 455. p. 2. recent. & in aliis*; Adeout non attendatur quod ubi unio fit ad favorem ipsius Capituli, ita sibi tacite auctorizasset, quoniam cum ista sit solemnitas, debet esse expressa, Barbos. *d. cap. 32. num. 12. de jur. Eccles. & de Episcopo, alleg. 66. n. 24.* Penia *dec. 1379. num. 5.*

Verum respectu istius nullitatis cadebat dubitatio, non excitata neque discussa, an istud Capitulum esset illud Cathedralis, in quo præmissa procedunt utpote constitutivum unius corporis cum Episcopo repræsentantis Ecclesiam, vel potius sit Capitulum Collegiatæ, quod de facto quoad concernentia cultum ac assistentiam Episcopi in divinis gerat vices, vel suppleat partes Capituli non existentis in rerum natura, super quo proinde ob cessantem bene distinctam facti notitiam judicium efformare non potui, & an motivum applicaretur necne.

Tertio, quia dum actus continebat istius Canonicatus, vel beneficii dismembrationem ab alia Ecclesia, seu Collegio, istius etiam consensus adhibendus erat, ut habetur *dict. decis. 455. num. 6. part. 2. recent* & habetur generaliter in proxime infra allegandis decisionibus in materia dismembrationis, quod pariter non multum examinatum fuit, non exigente necessitate, cum primum motivum abundaret.

Et quarto demum, quia nulla dabatur justificatio cau- 5
sæ, ob quam dicta dismembratio ab uno Collegio, ac respective unio facta esset, reputatur enim formalis alienatio exigens, ultra solemnitatem, copulative etiam justam causam necessitatis, vel utilitatis extrinsecus justificandam in actis, adeout non sufficiat assertio ipsius Episcopi, vel Prelati dismembrationem facientis super extrajudiciali in-
formatione, quoniam in prohibitis non defertur assertio- 6
ni, seu confessioni facientis, ex deductis per Lotter. *dicto lib. 1. q. 28. n. 142. & seqq.* plene apud Otthob *dec. 6.* & plenius *dec. 224. p. 10. rec. & dec. 281. p. 9.* ac in pluribus decisionibus editis in Bonon. dismembrationis parochialis, *de qua infra, sub tit. de parochis, disc. 35.*

Scribentes in contrarium pro Capitulo, præmissa non negabant, præsertim primum, & ultimum objectum, quæ videbantur inevitabilia, duo autem replicabant; Primo
circa deficientem necessitatem, quod ejus inspectio cade- 7
ret in unione infectuata de tempore quo supervenisset Regula unionum revocatoria *juxta dec. 261.* Otthob. cum aliis supra in Sorana, *disc. 53.* quod non intrabat in præsenti, stante effectuatione sub eodem Pontifice, cujus auctoritate supponebatur unionem factam esse.

Verum responsio continebat æquivocum clarum, quoniam, Aliud est, an unio cum debitis solemnitatibus, vel cum Apostolica auctoritate valide facta subjaceat
regulis revocatoriis postea supervenientibus; aliud ve- 8
ro ubi eadem tamquam species alienationis, potissimum si continet etiam dismembrationes, sit valida in radice ob servatam formam *extravagan. ambit. de reb. Eccles. non alien.* tam scilicet circa duplicem consensum Capituli & interessatorum etiam circa justam causam necessitatis, vel evidentis utilitatis, quæ omnia copulative desiderantur, adeout unius deficientia sufficiat ad invaliditatem actus ipso jure, ex deductis in proxime allegatis *decisionibus 281. par. 9. & 224. part. 10. rec.* apud Otthob. *dec. 6* cum similibus, & sic aliud est unus terminus ac alter, unde propterea æquivocum erat clarum.

Dicebant secundo, præmissa omnia procedere in unione, vel respective dismembratione facta per Ordinarium, secus autem ubi facta est per Papam, seu ejus nomine per delegatum Apostolicum, juxta firmata in specie *dec. 196. part. 7. rec.* auctoritas enim Apostolica supplet quascumque alias solemnitates, & in spe- 9
cie illam consensus Capituli, non requisitam, quamvis adesset clausula, *vocatis vocandis*, Lotter. *lib. 1. q. 36. n. 116.* Et generaliter in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, Seraphin *decis. 338. n. 3. & decis. 443.* Rota *dec. 222. par. 7 rec.* apud Duran. *dec. 397. num. 8. & 459. num. 4. & sæpius*, ac in sua materia *sub tit. de alienationibus & contractibus.* Multo magis ubi agitur de actu gesto ad favorem ipsiusmet Capituli, ita implicite consentientis, ut in specie advertitur *dicta decis. 196 par. 7.* & in his terminis versari dicebant, dum ista unio facta non erat ab Episcopo, sed a Visitatore Apostolico deputato per Sac. Congregationem Visitationis; Atque ad hanc responsionem tota difficultas restringebatur.

Sed cum sensu etiam veritatis dicebam, hoc fundamentum esse debilius altero, non solum ex conclusione in materia alienationis bonorum, vel jurium Ecclesiæ recepta, 10
quod beneplacitum Apostolicum supplet solemnitates, non autem causam, ex deductis per Gregor. & Adden. *decis. 113. n. 8. & 11. & passim*; Sed clarius ex omnino deficiente dicto præsupposito Apostolicæ delegationis.

Quoniam ista debet esse specialis ad illum actum, non au-

tem

tem generalis ad visitationem, vel administrationem Eccle-
11 siæ, ut in proposito cessantis necessitatis solemnitatum in
actibus gestis per delegatum Apostolicum, distinguendo in-
ter delegatum generalem & specialem, Soccin. Sen. *in cap.
sicut unire num.* 105. *in fine de excessibus Prælatorum*, ex ea
clara palpabili ratione, quod ideo unio facta per Papam,
vel ejus specialem delegatum, non servatis solemnitatibus,
ac alias contra formam juris substinetur, eo quia cum hæc
consistant in jure, non autem in facto, atque juris igno-
rantia non detur in Papa, in quo ob assistentiam peritissi-
morum Officialium intrat vulgare dicterium, quod præ-
sumitur habere omnia jura in scrinio pectoris.

Ac propterea faciendo, vel demandando actum cum ju-
ris dispositione incompatibilem, implicite illi dispensare
censetur, quod tamen sequi non dicitur, nisi posita scien-
12 tia certa impedimenti, seu incompatibilitatis, ut ultra
generalia, de quibus *dec.* 16. *num.* 8 *par.* 11. *recent.* Greg. &
Add. *dec.* 109. in his specialibus terminis unionis, Lotter.
dict. qu. 28. *num.* 160. Rota *dec.* 506. *num. finali par.* 2. *rec.*
quod verificabatur in casu dictæ decisionis 196. *part.* 7.
cum similibus. Ideoque ubi etiam iste visitator, qui fecit
unionem, dici posset delegatus Apostolicus, adhuc, dum
non erat specialis & generalis, in proposito nullius mo-
menti erat.

Omnis autem difficultas penitus cessare videbatur, quia
vere neque talis dici poterat, atque in hoc consistebat æ-
quivocum nimium patens, quamvis scribentes in contra-
rium constanter crederent motivum esse reale, ac revera
ita sentirent: Ut enim insinuatur supra ex pluries dedu-
ctis *sub tit. de jurisdictione*, præsertim in Terracinen. *disc.*
50. ac etiam *sub tit. de præeminentiis, disc.* 1 & per Rotam
13 in Romana hæreditatis 03. Maii 1669. coram Meltio *im-
press. post collucubrationes Bondeni, dec.* 62. edita in casu de
quo *sub tit. de fideicomm. disc.* 155. duplex persona conside-
ratur in Papa; Una Episcopi totius Orbis, & Ecclesiæ
universalis, quam gerit tamquam Christi Vicarius, at-
que Ecclesiæ Catholicæ caput visibile, ex qua persona am-
plissimam habet potestatem derogandi juri positivo, at-
que dispensandi omnibus prohibitionibus, ac impedimen-
tis ab eodem jure manantibus, præsertim in materia benefi-
ciali, in qua juxta receptam sententiam deductam *sub tit.
de regal. disc.* 184. reputatur dominus absolutus; Alteram
vero Episcopi particularis Urbis, cujus diœcesis, seu ter-
ritorium protenditur per totum districtum ultra tertiam
personam Regis, seu Principis sæcularis.

Quando igitur visitat Ecclesias urbis, ac districtus per
seipsum, vel per ejus delegatos, aliaque gerit hujusmodi
Ecclesiarum particulare regimen, ac administrationem
concernentia, nisi expresse dicatur, facere non dicitur ex
prima persona Papæ, sed ex altera Episcopi, seu Ordi-
narii urbis, ut in specie, quod per licentiam ab eo præsti-
tam erigendi novum Conventum in Urbe, non censeatur
derogatum Constitutionibus Apostolicis numerum 12 Reli-
giosorum, vel alia pro novis erectionibus præscribentibus,
firmatur in dicta Romana hæreditatis coram Meltio *dec.*
60. post Bondenum, & habetur actum non solum in eadem
causa *d. disc.* 155. *sub tit. de fideic.* Sed etiam in sua mate-
ria *sub tit. de Regul.* Ideoque hujusmodi Visitatores depu-
tari soliti per Sac Congregationem Visitationis, quinimo
& ipsa Congregatio omnia gerere dicuntur vice Papæ tam-
quam Episcopi, seu Ordinarii Urbis juxta secundam per-
sonam, non autem juxta primam.

Et quamvis dicatur Visitatio Apostolica, qui terminus
Apostolicæ vere & proprie non congruit nisi actibus, qui
fiant per Papam uti Papam, attamen hic est quidam usus
loquendi potius improprius ita adhiberi solitus ad distin-
14 guendum illam Visitationem, quam faceret Cardinalis
Vicarius per seipsum, vel solitos Officiales, aut alios ab
eo deputatos; ita denotando, quod Congregatio habeat
auctoritatem immediatam a Papa independenter a Vica-
rio, sed semper juxta secundam personam Episcopi, seu Or-
dinarii Urbis qua persona etiam spectato, neque omnino
improprie terminus Apostolicæ auctoritatis adhibetur,
quoniam etiam alii Episcopi, seu Ordinarii in actu Visi-
tationis respectu exemptorum, ac aliorum a S.Conc. Trid.
& Apostolicis Constitutionibus demandatorum, Apostolicam
delegatam jurisdictionem, & potestatem ab eorum
ordinaria discretam exercere dicuntur, non per hoc ta-
men eam facultatem habent derogandi, seu dispensandi Sa-
cris Canonibus, & Conciliis, seu alias decernendi con-
tra dispositionem juris: Et sic revera istud fundamen-
tum nullius momenti erat, ideoque illa unio tamquam
evidenter invalida consumere non potuit vacationem,
neque Beneficii statum alterare, & consequenter merito
pro exequutione provisionis judicatum fuit.

RHEGGINEN. UNIONIS PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Concilii, & resolutus pro Capitulo.

An dispositio Sac. Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 15. loquens de unione facienda Canonicatibus, seu præbendis Canonicalibus, conveniat Dignitatibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Dignitates non sunt de Capitulo, ac ea, quæ disponuntur de canonicis eis conveniunt.*
3 *Unio dicitur odiosa, & de illius probatione remissive.*
4 *Resolutio casus, ut etiam Dignitates veniant sub decreto conciliari.*
5 *Declaratur conclusio, de qua n. 2. & quæ sint illæ dignitates, quibus ea conveniant.*
6 *Prima dignitas in Collegiata dicitur illa, quæ est prima inter Canonicos, quamvis adsit alia dignitas major cum jurisdictione.*
7 *Illis dignitatibus, vel canonicatibus, qui non habent præbendam, non potest fieri unio.*
8 *De ratione cui innixum est conciliare decretum super unione.*
9 *Quomodo dignitates dicantur de Capitulo ad plures effectus.*
10 *De extensione, vel interpretatione Statutorum.*
11 *In Concilio Tridentino non intrat ista materia extensionis Statutorum, sed tamquam in jure communi.*
10 *Concilia generalia non veniunt sub derogationibus generalibus, sed indigent nota speciali.*
13 *Quid de Concilio Tridentino.*
14 *Quod in terminis juris communis in materia unionis canonici, & dignitates æquiparantur.*
15 *De hujus unionis suspensione, vel revocatione Apostolica.*
16 *De causa revocationis, vel suspensionis, & quomodo dicatur suspecta de fraude.*
17 *De potestate absoluta Papæ in beneficialibus remissive.*

DISC. XLVI.

CUm Archiepiscopus Rhegginen. ob tenuitatem præ- 1
bendarum, ac reddituum Dignitatum Ecclesiæ Me-
tropolitanæ, illis, distributive, servata, ut supponebatur
in reliquis forma Sac. Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 15.
aliqua Beneficia pro quando vacaverint, univisset, atque
ad majorem dictæ unionis firmitatem curatum fuisset ob-
tineri illius Apostolicam confirmationem, pro cujus con-
cessione consulta fuit Sac. Congregatio ejusdem Conc.
Trid. interpretum; Hinc proinde, cum Conciliare decre-
tum in verbis loquatur de Canonicatibus, ibi, *ut sub-
stituendo decenti Canonicorum gradus pro loci & perso-
narum qualitate, non sufficiant &c.* excitata fuit diffi-
cultas, an illud conveniret necne Dignitatibus.

Dubitandi autem rationem præbebat regula benefi-
cialis quam habemus, quod cessante particulari consue-
tudine, de jure Dignitates non dicuntur de Capitulo, ne-
que in eo vocem habent, ac propterea conclusio, ut pos-
sessio Canonicatus capi debeat capitulariter, neque alias 2
suffragetur, non procedit in Dignitatibus, ex deductis
infra, *sub tit. de Canonicis, & Dignitatibus*, præser-
tim in Bitecten. Archipresbyteratus *disc.* 4. & habetur et-
iam insinuatum in Majoricen. *sub tit. de præeminentiis*,
disc. 19. & alibi; Cumque agatur de materia stricta &
odiosa, qualis apud Beneficialistas dicitur unio, Oldr. 3
cons. 061. *n.* 0. cum aliis per Menoch. *l.* 6. *præsumpt.*
8. *n.* 1. Dunoz. *dec.* 911. *n.* 0 & habetur infra, *sub tit.
de Paroch.* ubi occasione agendi de servanda, vel non
servanda forma concursus in parochialibus unitis agitur
de probatione unionis, idcirco dispositio loquens de
Canonicis convenire non debeat Dignitatibus, utpote
diversam speciem constituentibus.

Quamvis autem, quantum tunc diligentiæ concedere po-
tuerunt, non reperiretur iste casus in specie adhuc dispu- 4
tatus ac decisus, adhuc tamen, præmissis non obstantibus,
scribens pro Capitulo, etiam cum sensu veritatis; (qualem
agnovit ipsa Sac. Congregatio, juxta petita respondendo

de

de mense Martii 1662.). Dicebam, præfatum Conciliare decretum Dignitatibus quoque convenire ex rationis identitate, ac majoritate.

Conclusio siquidem, quod sub nomine Canonicorum non veniant Dignitates, quæ non sunt de Capitulo, procedit magis juxta usum antiquum Sacrorum Canonum, quod
5 Dignitates nullam habebant præbendam, neque Ecclesiæ cultui, vel servitio vacabant more aliorum Canonicorum & Beneficiatorum, sed eorum munus consistebat in jurisdictione spirituali, vel temporali, ut erant Archidiaconus, & Archipresbyter, Vicarii nati Episcopi unus in spiritualibus, & alter in temporalibus, ex deductis in Parmen. præcedentiæ *sub tit. de Præminentiis, disc.* 21. ac etiam hodie cernitur in illis primis Dignitatibus Collegiatarum, quæ ordinariam, vel subordinatam jurisdictionem habent quasi Episcopalem, itaut de facto, Episcoporum, seu Prælatorum magis quam Dignitatum, & Canonicorum, seu Capitularium figuram faciant, ut sunt e. g. Archipresbyteri, Carpii, & Altamuræ, Præpositus Pisciæ, Prior S. Nicolai Barii & similes; adeout in dicto præsertim Oppido Altamuræ, quod inter meliores illius regionis Civitates recensendum est, ut insinuatur *eodem tit. de præminentiis, disc.* 6. Archidiaconus illius Collegiatæ reputetur prima Dignitas ad effectum Regulæ quartæ, seu quintæ, quamvis adsit Archipresbyter, quia de facto istæ Dignitates,
6 magis Episcoporum, seu Prælatorum, quam Capitularium, ac ministrorum Ecclesiæ figuram faciunt, nullamque habent præbendam, quæ dicitur subjectum, cui unio facienda est, ac sine qua Conciliare decretum non est
7 verificabile, ut pluries declaravit Sac. Congregatio Concilii, ac habetur per Rotam *dec.* 137. *n.* 34. *p.* 9. *recent.* Add. *ad dec.* 576. *p.* 4. *rec. tom.* 3. *n.* 91.

Ac etiam quia ut pluries advertitur in proxime præcedentibus, ista unio per Sac. Conc. demandatur non in gratiam possessorum ipsius Canonicatus, vel Digni-
8 tatis, sed principaliter in gratiam Ecclesiæ; Tum ut inveniantur qui acceptent Canonicatus, ac acceptantes non cogantur Ecclesiæ servitium deserere pro victu sibi comparando, Tum etiam ut pro ejusdem Ecclesiæ decore juxta verba ejusdem Concilii superius registrata possint Dignitates & Canonici se sustentare juxta gradum pro loci moribus, cum alias juxta ea quæ habentur *sub tit. de credito* ad materiam *cap. Odoardus, de solut.* vilis, & abjecta tractatio Canonicorum, ac Dignitatum, in Ecclesiæ dedecus, ac præjudicium redundet, & sic intelligendum venit de iis qui ipsius Ecclesiæ servitio & cultui vacant, atque constituunt Capitulum, seu Collegium ipsius repræsentativum.

Quando igitur, ut fere generale est in Italia, Dignitates de consuetudine sunt de Capitulo, atque adinstar
9 aliorum Canonicorum in choro interveniunt, aliisque vacant, cultum, ac servitium Ecclesiæ concernentibus, æque habentes præbendas, sive participationem illius massæ grossæ distributionum, quæ in majori parte Ecclesiarum Italiæ succedit, ac stat loco præbendæ, necnon participant etiam de distributionibus quotidianis minutis, adeout in substantia sint Canonici sub nomine illarum antiquarum Dignitatum, quæ hodie ab aula recesserunt, sed sunt abusive, ac in sola nuncupatione magis qualificati, cum aliquibus præeminentiis supra alios. Et tunc jure aliorum Canonicorum dicuntur de Capitulo, tam ad effectum vocis, quam ad alium accipiendi possessionem capitulariter cum similibus, ex deductis per Rotam *dec.* 708. *p.* 2. *rec.* cum aliis per Barbos. *de Canonicis, c.* 37. *n.* 14. *&* 15. & habetur infra in dicta Bitecten. *sub tit. de Canonicis & Capitulo, disc.* 4.

Quo posito intrat nedum identitas, sed etiam majoritas rationis, quoniam si Concilium providet, ut membra inferiora istius corporis pro decenti gradu sustineantur, ac non vilescant, multo magis id sentiit de membris primariis ac nobilioribus; Idque non est tra-
10 here dictum decretum per viam extensionis; Sed potius illud interpretari ac practicare per viam comprehensionis, quæ admittitur etiam in Statutis a jure exorbitantibus, strictam interpretationem recipientibus, ac non admittentibus semper extensionem, ex deductis per Muscard. *de Statutorum interpretatione, concl.* 4. *nu.* 56. *&* 167. & pluries *sub tit. de success. ab intestato*, ubi præsertim de Statutorum materia tractatur; Multo vero magis quia non versamur in Statuto, vel jure municipali, sed in jure magis communi quam sit illud Canonum, vel legum
11 proveniens a sola potestate Pontificis, vel Imperatoris, aut alterius Principis, cum istud eamdem habeat Pontificiam potestatem admixtam cum illa totius Ecclesiæ, adeout non desint tenentes, tale jus Conciliare non subjacere Pontificiæ potestati; Et quamvis rejecta ista sententia, tamquam verior altera recepta sit, attamen hujusmodi jus habet aliquid peculiare supra Canones, vel Constitutiones Apostolicas, quod non venit sub generalibus derogatoriis, sed indiget nota, seu mentione speciali, Cavaler. *dec.* 101. *n.* 2. *& dec.* 229. *n.* 4. *& dec.* 601. *n.* 1. Burrat. *dec.* 463. & 12
in aliis pluries, & habetur præsertim frequentius *sub tit. de decimis* ad materiam decreti Concilii Lateranensis registrati *in cap. nuper, de decimis cum similibus*.

Et licet id non procedat in Concilio Tridentino, quod absque mentione speciali receptum est venire sub derogatoriis generalibus, attamen id provenit, quia ita sta- 13
tutum est in Apostolica Constitutione Pii IV. ejus confirmatoria, Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 6. *n.* 120. Caval. *d. dec.* 601. *n.* 3. *dec.* 260. *n.* 9. *p.* 7. *rec.* Add. ad Buratt. *d. dec.* 463. ideoque magna simplicitas est eorum, qui agendo de interpretatione, vel extensione, aut comprehensione Concilii Trident. sive Apostolicarum Constitutionum, procedunt cum terminis Statutorum, & consuetudinum, seu juris municipalis subditorum, non autem ipsius Supremi Principis.

Atque ubi desuper aliquod dubium superesse posset, dicebam recurrendum esse ad disposita per jus commune; ad quod nedum pro nova lege communi interpretanda, sed etiam pro interpretatione Statutorum vel alterius juris municipalis recurritur; Quando autem DD. de unione loquuntur juxta terminos text. *in cap. sicut unire, de excessibus Prælatorum, & in Clem. si una, de* 14
rebus Eccles. non alien. indistincte loquuntur de Dignitatibus & Canonicis, æqualiter ponderata eadem ratione decentis, & congruæ sustentationis, ex deductis apud Gabr. *conf.* 188. *n.* 3. *l.* 2. Garz. *de benef. p.* 12. *c.* 2. *n.* 170. & alios, ac liquet ex pluribus Rotæ decisionibus, præsertim *decis.* 330. *part.* 9. *recent.* edita in Barchinonen. Parochialis, seu Vicariæ, de qua infra *sub tit. de Parochis disc.* 10. *& ex dec.* 337. *eadem p.* 9. ubi de unione facta præbendis trium Dignitatum Ecclesiæ Mediolanensis, nempe Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & Primiceriatus, & tamen non fuit dubitatum de validitate unionis, sed bene de illius cessatione ob superventam regulam revocatoriam, de qua supra in Sorana, *disc.* 42. *&c.* Atque ut dictum est, juxta præmissa prodiit oraculum Sac. Congregationis de mense Martii 1662.

Ejus tamen parum proficuus effectus esse videtur, quoniam pinguius Beneficium ut supra unitum erat illud, quod sub nuncupatione Abbatiæ possidebat Octavius Saccus Calaber antiquus & probus Curialis, cujus morte sequuta in Curia, Alexander VII. dictum beneficium contu- 15
lit Cardinali Bandinello, expresse suspensa dicta unione; deindeque cum eadem suspensione, & quatenus opus esset revocatione per obitum dicti Cardinalis collatum fuit Rodulpho Aquavivæ apud Helvetios Nuntium Apostolicum agenti, dictaque suspensio, vel revocatio prodiit ex motivo infectionis dictæ unionis de isto beneficio, utpote in fraudem reservationis, vel affectionis ex persona Curialis, qualis erat dictus Octavius, in quo ob domicilium continuum in Urbe spatio annorum 50. & ultra, ac etiam ob decrepitam ætatem, in qua de tempore sequutæ unionis reperiebatur, cessante etiam qualitate Curialis, ob quam Beneficium jam affectionem contraxerat, adhuc verisimiliter certa credebatur reservatio per obitum in Curia; Licet enim ista reservatio localis tamquam accidentalis & non contingibilis, sed eventualis non impediat uniendi facultatem, nihilominus stantibus facti circumstantiis, ex quibus imminere videbatur omnino ve- 16
risimilis ac pene certa vacatio in Curia, ut etiam eventus docuit, ita intrare videtur præsumpta fraus ad instar eorum quæ supra habentur ad *Regulam de infirmis resignantibus*, alias, *de viginti*; Sive eorum, quæ in materia subinfeudationis habentur in Senogall. *sub tit. de feudis, disc.* 1. ac etiam *sub tit. de testamentis* in materia dispositionis factæ per clericum infirmum in bonis Ecclesiasticis intestabilem, cum similibus ponderatis *d. disc.* 1. *de feudis*, ac etiam *sub tit. de Regalibus, disc.* 6. ubi de terminis ejusdem Regulæ *de viginti* in proposito resignationis officiorum, ac etiam advertitur *sub tit. de societate officii* in proposito mutationis periculi vitæ cum similibus. Atque ubi ista suspicio, seu præsumptio de stricto jure non sufficeret ad inducendam unionis nullitatem, dum naturaliter ac per possibile, seclusa curialitate, contingere poterat mors extra Curiam, attamen visa est justa & sufficiens causa adhibendi circa istam suspensionem, & quatenus opus est, revocationem, illam Pontificiam potestatem, de qua utpote absoluta non est dubitandum, ex deductis *sub tit. de Regalibus, disc.* 148. ubi de potestate Principis tollen- 17
di

di jus tertii; Adhuc tamen introducta fuit causa ex parte Capituli in Rota, ubi pendet coram Taja, ita tamen quod dicta commissio non retardaret præfatæ Apostolicæ provisionis executionem continentem etiam subrogationem provisi in jus ac possessionem tam Cardinalis immediati, quam etiam dicti Octavii mediati possessoris, stante rescripto Signaturæ Justitiæ, previa formali disputatione prodito, quod commissio Rotalis habenda esset ac si fuisset signata cum clausula, *sine præjudicio executionis litterarum Apostolicarum*.

MEDIOLANEN. BENEFICIORUM, PRO CONVENTU BEATÆ MARIÆ DE CONCESSIA

Ordinis Sanctæ Teresiæ,

CUM JOANNE AMBROSIO TURRIANO.

Casus varie decisus per Rotam, & postea concordatus.

De eadem materia unionis Beneficiorum factæ per Ordinarium alicui Ecclesiæ, vel pio loco, quando subsistat necne; Et in specie Indulti Apostolici super facultate uniendi Beneficia concessa S. Carolo Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi, innovati cum aliis Archiepiscopis, quales casus, vel Ecclesias comprehendat, seu quibus conveniat.
Et aliqua ad materiam Regulæ de annali.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De quibus casibus loquatur Concilium Tridentinum circa uniones.*
4 *Quod non extendatur ad alios casus, & n. 8.*
5 *Indultum uniendi habens restrictivam a clausula* dummodo sint licita, *ut non ampliet facultatem.*
6 *Unio fieri non potest sine necessitate.*
7 *Item fieri non potest cum reservatione jurispatronatus favore unientis.*
8 *De eadem conclusione, de qua n. 4.*
9 *De altera, de qua n. 5.*
10 *Augumentum superfluitatis est leve.*
11 *Unio, ac dismembratio sunt species alienationis, ac exigunt solemnitates.*
12 *Eas tamen supplet auctoritas Apostolica.*
13 *Respondetur ad reservationem jurispatronatus, de qua num. 7.*
14 *Beneficia simplicia de consuetudine non exigunt residentiam.*
15 *In qua specie unionis rigorose procedi debeat, & in qua non.*
16 *Regula de annali non defendit eum, de cujus non jure clare constat.*
17 *Stante subrogatione gratiosa provisi unio censetur posterior.*
18 *An injustus possessor, & intrusus opponat de regula de Annali, distinguitur.*
19 *Regula de annali non prodiit in gratiam possessoris, sed in odium impetrantis, ideoque etiam injusta possessio sufficit.*
20 *Declaratur conclusio, de qua n. 17.*
21 *Subrogatio gratiosa non operatur continuationem possessionis si hæc de facto est occupata.*
22 *Non potest dici infectio notoria si Rota dubitavit, ac variavit.*
23 *Reprobatur distinctio, de qua n. 18.*
24 *Possessio debet esse pacifica, ut intret Regula de annali.*

D I S C. XLVII.

1 Erecta quadam miraculosa imagine B. Virginis in loco nuncupato *de Concessia* existente in partibus finitimis Status Mediolani cum dominio Veneto, ibique constructa ob populi concursum conspicua Ecclesia pro illius decentiori cultu, Cardinalis Montius Archiepiscopus Mediolanensis, tam in vim facultatis sibi de jure communi, vel ex Sac. Conc. Trid. competentis, quam etiam in vim Indulti Apostolici per Urbanum VIII. sibi concessi, adinstar illius, quod Gregorius XIII. concesserat S. Carolo Borromæo Archiepiscopo prædecessori, ejusque innovativi de annis 1639. & 1641. tria simplicia Beneficia univit; deinde vero ad aliquos annos, comperto quod ob affluentiam facinorosorum hominum in illis finitimis partibus ex loci qualitate, non expediret dictam Ecclesiam in eo statu sæculari perseverare, constructo proprio sumptu satis conspicuo Conventu, eoque etiam de proprio decenter dotato, Ecclesiam prædictam concessit PP. Montis Carmeli Discalceatis, seu Ordinis S. Teresiæ sub reservatione cujusdam honorifici patronatus ad sui, suæque familiæ favorem, aliisque legibus ad rem non facientibus; Verum sequuta morte dicti Cardinalis, Joannes Ambrosius tunc utriusque Signaturæ Referendarius, nunc Episcopus Comensis, ob præsuppositam dictæ unionis invaliditatem, præfata Beneficia impetravit a Sede Apostolica tamquam vacantia per obitum ultimi possessoris, captaque de facto possessione, atque juxta solitam cautelam, ut in eadem possessione se confoveret, obtenta commissione, quæ vulgo dicitur jactationis &
jactationum in Rota coram Celso, atque dato dubio in 2
possessorio retinendæ, seu manutentionis, pro ipso solum informante prodiit resolutio sub die 17. Novembris 1651. sed agnito, quod dicta resolutio sibi suffragari non posset ob manifestum vitium dictæ possessionis adeptæ, non citato Conventu possessore, hinc ad aliquos annos novum obtinuit dari dubium, *An ejus gratia esset justificata itaut veniret exequenda*, super quo sub die 26. Januarii 1654. pro gratiæ exequutione prodiit affirmativa resolutio, a qua tamen recessum fuit sub die 15. Maji 1655. sed in repropositione sub die 31. Maji 1658. recedendo ab hac secunda resolutione, confirmata fuit prima, idemque sequutum sub die 10. Febr. 1659. & quæ resolutiones habentur inter *dec. Celsi* 134. 185. 197. 260. & 382. in quarum ultima solum agitur de Regula de annali, expeditaque ad normam dictarum decisionum sententia, & commissa causa appellationis in eadem Rota coram Albergato, cum clausula, *qui ad legitimam*, sub die 28. Martii 1661. rejecta etiam exceptione dictæ Regulæ de annali, dicto proviso Apostolico responsum fuit, sed concessa nova audientia stricte super dicta exceptione Regulæ de annali tantum sub die 27. Februarii 1662. recedendo a decisis pro dictæ Regulæ obstantia prodiit resolutio, quæ causam dedit concordiæ hujusmodi litem terminanti.

In his autem disputationibus, tres fuerunt puncti; Primus in negotio principali circa dictæ unionis validitatem, vel invaliditatem; Alter circa dictam exceptionem regulæ de annali; Et tertius ordinis circa processum exequutivum, an ille intraret necne, vel potius possessor in vim unionis, dicendus esset proviso legitimus contradictor.

Quoad primum, ut patet ex decisionibus, dicebatur ex parte provisi, & Rota admisit, quod sive attendatur facultas resultans ex S. C. T. sive altera ex Indulto Apostolico particulari, sive demum ea, quæ competit de jure communi, in omnibus casibus unio esset invalida.

Suffragari siquidem non poterat facultas locorum Ordinariis concessa per Concilium, quoniam decretum con-
tentum *sess.* 24. *de reform. c.* 13. respicit tantummodo 3
Cathedrales ac Parochiales habentes tenues reditus, alterum vero decretum *ead. sess.* 24. *c.* 15. percutit præbendas in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, & consequenter ista Ecclesia sub eis cadere non poterat: Quodque dicta decreta non extendantur ad alios casus, firmat Garz. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 80. eoque relato idem dicit
Barbos. *in collect. ad idem Conc. d. c.* 15. *n.* 13. & in 4
hujus causæ decisionibus.

Minusque suffragaretur indultum utpote continens clausulam, dummodo ea quæ petuntur sint licita, &
honesta decretis *S. Conc. non contraria*, unde propterea 5
inferebatur, ac etiam in decisionibus firmatur dictum decretum nihil de novo concedere ultra id quod de jure, vel ex Concilio competit.

Et demum quoad facultatem competentem de jure communi, dicitur quod cum ista dicatur species alienationis, exigit proinde, ultra solemnitates, etiam justam
causam necessitatis, vel evidentis utilitatis, ad text. *in* 6
cap. exposuisti, de præb. Oldrad. *cons.* 261. *n.* 1. & *seq.* Garz. *de benef. p.* 12. *c.* 2. *n.* 108. Caval. *dec.* 439. *n.* 2. cum aliis in causæ decisionibus, ac advertitur etiam supra *in Sabinen. disc.* 44.

Nulla vero causa dignoscebatur, non quidem illa utilitatis, cum in hac materia non de facili sit practicabilis, sed solum attendi soleat illa necessitatis, que non aderat, quoniam de tempore unionis jam aderat Ecclesia sufficiens, cujus ampliatio, seu reductio ad magis conspicuam structuram concernebat potius luxum ac ornatum, quam necessitatem, neque urgebat necessitas ministrorum pro missis celebrandis, aliisque divinis peragendis, dum suppleri poterat cum eleemosy-

mosynis & oblationibus, potissime vero quia in facto
docebatur, eo intermedio tempore unionis, ac fundatio-
nis Conventus nullam sequutam fuisse deputationem cap-
pellanorum & ministrorum, quorum substentationi hu-
jusmodi beneficiorum redditus assignati fuissent.

Eoque magis procilivis fuit Rota ad habendum hujus-
modi unionem pro infecta, stante reservatione jurispa-
7 tronatus sibi suæque familiæ facta per eumdem Archie-
piscopum, unde propterea dictum fuit obstare disposi-
tionem S. C. T. *sess. 25. de refor. c. 9. §. insuper*, ac etiam
dispositionem juris communis ad text. *in c. ad audientiam,
de Eccl. ædific.* ubi glos. Abb. & cæteri, Rota *dec. 239.
in fine p. 1. rec. cum aliis in causæ decisionibus*, in quibus
advertitur, quod ista dicitur species usurpationis bono-
rum Ecclesiæ.

Scribens pro conventu reo ac possessore, admittebam
primum defectum facultatis, quod scil. directe Conc. Trid.
non comprehenderet casum, cum ut supra loquatur solum
de Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus, stante
8 præsertim diversitate rationis; Dicebam tamen præfata
Conciliaria decreta adhuc consideratione digna esse ad
arguendam Concilii mentem a simili, ut ita facilius in-
traret una, vel altera ex duabus facultatibus resultanti-
bus, vel a jure communi, vel ab indulto particulari.

Quo vero ad indultum, dicebam scribendo in causa,
omnino incongruam videri adeo rigorosam restrictio-
nem, per quam illud omnino remanebat fatuum ac non
9 operativum, continens proinde concessionem solis de
mense Augusti, quod nullatenus dicendum erat, dum
ejusdem indulti tenor ostendebat ejus concessionem ema-
nasse ex gratia speciali, per quam concederetur id quod
alias de jure fieri non posset.

Reflectendo autem ad veritatem, dubitabam; Tum
quia ejusdem indulti tenor, ac etiam ille alterius concessi
S. Carolo ostendere videbatur percutere solum Ecclesias
jam constructas, seu incœptas, quæ perfici non poterant,
vel decenti cultu non provideri; Tum etiam quia superflui-
tatis argumentum leve in jure judicatur, quoties aliqua
operatio, vel aliquis effectus quamvis modicus exinde re-
10 sultat, ut apud Otthob. *disc. 244. n. 24. & passim*; Ope-
ratio autem ex eo non modica resultare videbatur, ob
suppletionem aliarum solemnitatum, quæ inspecta sola
dispositione juris communis alienationibus bonorum, &
jurium Ecclesiæ desiderantur, sub quibus veniunt etiam
istæ dismembrationes, vel uniones, ex iis, quæ in ter-
minis unionis plene habentur *dec. 337. p. 9. rec.* & in ter-
minis dismembrationis apud Otthob. *dec. 6.* & latius *dec.*
11 *224. p. 10. rec.* cum aliis sup. *d. disc. 44.* auctoritas enim
Apostolica supplet consensum capituli aliasque solemni-
tates, sine quibus Ordinarius etiam accedente causa ad
hujusmodi actus procedere non potest, sed non supplet
causam, *ut eod. disc. 44. advertitur*.

Credebam tamen, etiam in sensu veritatis, causam suffi-
cientem adesse, quodque propterea simul junctæ facultates
resultantes a jure communi, & ab hoc indulto, influerent
12 ad actus validitatem, ut scilicet indultum suppleret ut
supra solemnitates, ac etiam ex verisimili intentione Pa-
pæ concedentis, ipsiusque Archiepiscopi impetrantis, in
aliquo modificaret juris rigorem; Ex facti enim circum-
stantiis, ob magnum populorum concursum, vere ne-
cessaria videbatur Ecclesiæ ampliatio, cum prius esset par-
va, & incongrua ædicula, ac etiam necessarius erat ex
eadem ratione congruus numerus cappellanorum ac mi-
nistrantium, qui cum eleemosynis ac oblationibus pro-
videri non poterant ob impensam fabricæ in Ecclesiæ
ampliatione, aliasque necessarias pro sacra suppellectili,
aliisque ornamentis, adeout si forte de stricto jure dici
non potest, quod resolutiones essent improbabiles, cer-
tum videbatur, quod essent nimium rigorosæ.

Istius autem rigoris potissima causa fuit dicta reservatio
jurispatronatus, quasi quod ad id præordinata esset hæc
unio; Verum in hoc credebam cum improbabilitate pro-
13 cedi, quoniam stante magno sumptu scut. circiter 20. m.
proprio ære facto per Archiepiscopum in constructione
dicti conventus, ac etiam in ejusdem conventus dota-
tione, præfata reservatio cujusdam puræ honorificentiæ,
inspecta loci qualitate, parum æstimabilis dici poterat,
atque comparative, quid minimum, ac fere nihil, ideo-
que prorsus incongruum videbatur, ut applicari posset
d. decretum Conciliare *sess. 25. de refor. c. 9.* sive dispositio
text. *in d. c. ad audientiam, de Eccles. ædif.* Potissime vero
ex duplici circumstantia; Primo scil. quod ista unio se-
quuta fuerat ad plures annos, priusquam deveniretur ad
deliberationem concedendi hanc Ecclesiam dictis Regu-
laribus, quod factum fuit ex piissimo, quinimo neces-
sario motivo majoris cultus Ecclesiæ ac salutis anima-
rum ob dictam malam qualitatem loci in partibus fini-
timis, in quibus abundare solent homines facinorosi;
Et secundo, ob magnam ejusdem Archiepiscopi pietatem,
non solum ob notabilem sumptum, ut supra de proprio
in construendo ac dotando istum conventum, sed etiam
ob multa alia pietatis opera, ob quæ in facto doceba-
tur, nedum omnes Archiepiscopatus redditus, sed etiam
patrimoniales eum erogasse, itaut Præsulatus ejus do-
mui potius damnosus fuerit, atque moriens, id quod
de supellectili, aliisque supererat, piissime reliquit cele-
berrimo Hospitali magno ejusdem civitatis, & conse-
quenter prorsus improbabile videbatur, quod Præsul adeo
pius ac probus pro quodam solo jure honorifico nul-
lius utilitatis, vel considerationis in loco adeo igno-
bili & remoto, per tot annos antea per quamdam spe-
ciem callidæ præordinationis hujusmodi unionem fa-
cere voluisset (res quidem satis improbabilis.)

Considerando etiam, quod antiquus rigor Sacror.
Canonum circa Ecclesiarum unionem recte procedebat
eo tempore, quando adeo non inoleverat usus simpli- 14
cium beneficiorum residentiam personalem Rectorum
non exigentium, cum id provenerit ex quadam con-
suetudine paulatim introducta, ex deductis per Greg.
& Add. *dec. 8. & 175.* Mant. *dec. 132. n. 3. & pluries*,
unde propterea residentibus Rectoribus apud Ecclesias,
major exinde resultabat populorum commoditas in di-
vinis, majorque spiritualium ministrorum numerus, &
consequenter præjudicialis remanebat unio, quæ ra-
tio etiam hodie recte congruit Ecclesiis parochialibus, 15
ac aliis personalem residentiam requirentibus, nullate-
nus vero beneficiis simplicibus, quæ Deus faxit, ut
pro majori parte non possideantur tamquam mere tem-
poraria prædia ad solum redditum ac temporalem com-
moditatem, unde propterea unio alteri Ecclesiæ residen-
tiali sæculari, vel regulari, potius utilis ac proficua po-
pulis, & cultui videtur, quam præjudicialis, atque hic
mihi videbatur germanus sensus clausulæ superius regi-
stratæ in indulto Apostolico contentæ, ne scil. contra
mentem Sacrorum Canonum & Conc. Trid. unirentur
Ecclesiæ parochiales, vel aliæ residentiales, ex quibus
populis in spiritualibus præjudicium pararetur.

Quo vero ad secundum punctum regulæ de annali,
de quo solum actum fuit in ultima *dec.* 282. coram
Celso, & in prima 28. Martii 1661. coram Albergato,
illa rejecta fuit, ex eo quod unionis titulus appareret
incontinenti invalidus, ut supra, & consequenter quod
stante decreto irritanti contento in Conc. Trid. sive
in Constitutione Pii IV. ejus confirmatoria, titulus 16
remaneret infectus, ideoque regula non defenderet
eum, de cujus non titulo notorie constat, Gomes. *ad
eamdem reg. quæst. 51.* Seraphin. *dec. 983. n. 4.* cum
aliis in dictis decisionibus, & sic dici non poterat adesse
se possessionem annalem, cujus favore dicta regula pro-
diit; Fortius vero stante subrogatione gratiosa, quæ
proviso concessa fuerat ad jus, & possessionem defun-
cti, quæ operatur, ut unio censeatur posterior, juxta 17
dec. 835. n. 1. & 2. p. 4. divers.

Et his addebant scribentes in contrarium, quod in
ea quæstione, an injustus possessor excipere possit de
ista regula de annali, intraret distinctio Felini *in c.
in nostra, de rescriptis, n. 32.* cui adhærere videtur 18
Gomes. *ad eamdem reg. q. 23.* ac disputat hinc inde
Cassador. *dec. 14 ad regulam Cancell.* quod scil. Aut
agitur de reservatione speciali, cujus ignorantia pro-
babiliter allegari valeat, & tunc suffragetur regula,
quoniam justus error æquipollet titulo putativo, seu
possessioni coloratæ, aut de reservatione generali ac
notoria, & secus.

Verum etiam in sensu veritatis, qualem demum eadem
Rota agnovit in ultima resolutione 17. Februarii 1662. co-
ram Alber. dicebam omnino verius esse quod de regula ob-
jici posset, quoniam illa non prodiit in gratiam possessoris,
atque ut iste ex notabilis possessionis beneficio juvetur, ut
est regula de triennali, circa quam intrat consideratio, an
possessio tanquam irrita & vacua ex decreto irritanti suffra-
getur necne, sed ut infra in sua materia ad dict. regulam de
triennali *disc. 9.* sed prodiit in odium impetrantium bene- 19
ficia certo modo, ut litem incipere ac prosequi teneantur,
ex iis, quæ ad materiam ejusdem regulæ de annali haben-
tur infra, *disc. 50.* unde propterea non attenditur titulus, nec
persona possidentis, sed solum factum impetrantis, adver-
sus quem formam dictæ Regulæ non servantem sufficit pos-
sessio etiam nulla & de facto, atque ut nostri dicunt, etiam
asinina, Gomes. *ad eand. reg. q. 57. n. 8. & q. 64. circa fin.* Et
in

in puncto possidentis ex causa unionis, Gonz. *ad reg.* 8.
§. 7, n. 10. *in fin.* Loter. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 39. 40. *&* 47.
Garz. *p.* 12. *cap.* 2. *n.* 30. Seraph. *decis.* 1060. *n.* 7. *cum*
aliis in d. ult. dec. coram Albergato.

Præterea neque intrabat motivum infectæ ac vacuæ
possessionis ratione decreti irritantis contenti in Conc.
Trid. quoniam si ut supra, decisiones ipsi proviso Apo-
stolico favorabiles super unionis validitate firmant Conc.
non comprehendere casum, cum ejus decreta percutiant
solum Parochiales, & Collegiatas Ecclesias, ut supra,
ergo casus tamquam omissus in omnibus remanet extra
Conciliarem dispositionem, & consequenter cadere non
potest sub ejus decreto irritanti, sed remanet sub di-
spositione juris communis.

Et quoad *d. dec.* 835. *p.* 4 *div.* firmantem quod unio,
20 stante subrogatione, ita censeretur posterior, cessabat ap-
plicatio ex facto, loquitur enim de unione facta Semina-
rio erigendo, quod de tempore obtentæ subrogationis adhuc
erectum non erat, & consequenter non adsuit possessor,
21 neque de facto qui objicere posset de regula; Secus au-
tem ubi de tempore concessæ subrogationis possessio de fa-
cto erat plena, cum tunc dari non possit illa ficta con-
tinuatio, quæ resultat ex subrogatione, Greg. *dec.* 285. *n.*
5. *& seq.* cum aliis in ultima decisione coram Albergato.

Et demum quoad dictam distinctionem Felini illa non
intrabat nec de facto, nec de jure, non quidem de fa-
cto, dum ex præmissis nullatenus dici poterat, quod a-
geretur de nullitate notoria, quæ faceret possessorem in-
justum, ac malæ fidei, potissime dum eadem Rota in
tertia *dec.* 197. Celsi credidit istam unionem esse validam,
22 multo magis eam talem credere potuit Conventus pos-
sessor, ut bene ratiocinatur Rota *dec.* 662 *n.* 7. *p.* 2. *rec.*

Et in jure, quoniam dicta distinctio rejecta fuit per
Rot. pluries, præsertim apud Seraph. *dec.* 1060. *in fine*,
& 1068. *dec.* 601. *par.* 4. *div.* apud Dunoz. sen. *dec.* 292.
23 *n.* 5. cum aliis deduct. per Lott. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 39. *& seq.*
Franc. *de intrus. qu.* 83. *n.* 4. *&* 5. *& q.* 84. Tond. *q. benef.*
c. 85. *n.* 31. *&* 32. cum aliis in ultima decisione coram Al-
bergato, & admittit *dec.* 289. *n.* 289. *part.* 9. *rec.* ubi ta-
24 men evitatur, eo quia possessio annalis non fuisset pa-
cifica, ut requiritur ad effectum ut intret regula, ut ibi
num. 29 *&* 30. Lottet. *d. qu.* 52. *n.* 27. *& seqq.*

De tertio vero puncto agitur infra, *disc.* 73. *&*
sequ. ubi de materia legitimi contradictoris, cum ibi
dicta in præsenti etiam deducerentur.

VERCELLEN. DISMEMBRATIONIS,

PRO ECCLESIA COLLEGIATA JAVENNI,

CUM EREMO CAMALDULENSIUM PERETTI.

Casus decisus per Rotam pro Collegiata.

De eadem materia unionis; Et an in concur-
su duarum unionum, secunda prævaleat
primæ tamquam invalidæ; Ac de ejusdem
unionis præscriptione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De antiquis decisionibus causæ in possessorio.*
3 *Resolutio causæ in petitorio.*
4 *De clausulis ex quibus exequutor efficitur mixtus, atque inducitur conditio prius verificanda.*
5 *Clausula vocatis vocandis non intelligitur de illis, qui jam consenserunt unioni.*
6 *Resignans non est citandus in exequutione gratiæ resignatarii.*
7 *Præstito consensu gratiæ principali non desideratur alter consensus in gratia accessoria, & consecutiva.*
8 *Sine consensu non expediuntur litteræ.*
9 *Si præstito consensu per Procuratorem in litteris novus demandatur consensus principalis iste est necessarius.*
10 *Quando mandatum procuræ expiret, vel dicatur consumptum.*
11 *Declaratur conclusio, de qua n.* 7.
12 *In nova gratia requiritur novus consensus.*
13 *Decisiones Rotæ in uno dubio præsupponuntur in alio dubio.*
14 *De unione effectum non sortita cessante per regulam revocatoriam successoris.*
15 *Unio præscribitur per quadragenariam.*
16 *An & quando lis, seu mala fides obstet dictæ præscriptioni.*
17 *De litis desertione ob longissimum silentium.*
18 *Decisiones Rotæ ostendunt justitiam, vel injustitiam.*

DISC. XLVIII.

Erecta Eremo in montibus Taurin. in loco *Peretta* 1
nuncupato, curavit Dux Sabaudiæ fundator anno
1605. obtinere a Monasterio Declusæ Ordinis S. Bene-
dicti mandatum procuræ in persona *Anastasii Germonii*
authoris tractatus de Indultis, ac alterius incerti, cu-
jus nomen positum fuit in albo per N. & N. ad con-
sentiendum coram Sanctissimo dismembrationi Prioratus
de Bagnolo a mensa monasterii, ejusque unioni dictæ Ere-
mo: Pontifex vero, præstito per dictum Germonium
consensu, denegata dismembratione perpetua, concessit
solum applicationem fructuum per octo annos; Verum
de anno 1608. ad preces dicti Ducis, idem Pontifex di-
ctam dismembrationem ac respective unionem concessit
per litteras in forma commissaria directas Ordinario Ver-
cellensi cum clausula vocatis vocandis, & cum alia, dum-
modo monachorum ad hoc accedat assensus, ac alia, si
per diligentem informationem ita esse repereris; Atque
super supplicatione pro hac secunda gratia porrecta, in
vim dicti mandati de anno 1605. consensum præstitit
quidam Laurentius Rattus, quo consensu sic extante,
præfatus exequutor Monachis non vocatis, ad exequutio-
nem processit, immittendo Camaldulenses in possessionem
Prioratus. Quare introducta per appellationem ex parte
Monasterii causa in Rota coram Manz. duæ prodierunt re-
solutiones in possessorio retinendæ ad ejusdem monasterii
favorem sub diebus 5. Decembris 1611. & 2. Aprilis 1612.
cum subsequuto effectu manutentionis, & quæ resolutio-
nes habentur impressæ apud Posth. *de manut. dec.* 126. *&* 2
128. Cumque deinde mortuis præfati Monasterii Mona-
chis, illud a Sede Apostolica datum fuisset in commen-
dam Cardinali a Sabaudia, istius precibus Greg. XV. de
anno 1622. erexit Ecclesiam Collegiatam Oppidi Javenni,
Nullius Provinciæ Taurin. cui de ejusdem Cardinalis com-
mendatarii consensu dictum Prioratum, prævia dismem-
bratione a monasterio univit, cum subsequuto effectu de
anno 1623. Post silentium vero annor. circiter 45. Camal-
dulenses reassumendo d. causam coram Bevilaqua sub-
rogato, datoque dubio, An constaret de unione quæ eis
suffragaretur, sub die 17. Junii 1669. negativa prodiit 3
resolutio, atque in hoc statu causa pendet.

Dictæ autem resolutionis fundamenta plura fuerunt,
& quidem solida, ex quibus mihi pro dicta collegiata scri-
benti, reflectendo etiam ad veritatem, probabilis visa est.

Primo quidem ac principaliter ex dictæ unionis in-
validitate, seu non verificatione conditionis, sub qua
concessa fuit, in forma scil. commissaria cum dictis
clausulis vocatis vocandis & dummodo monachorum
accedat assensus, quæ faciunt exequutorem mixtum, ac
inducunt conditionem prius adimplendam, quam ad
exequutionem procedatur, atque alias gesta per exequu-
torem remanent invalida nullumque jus tribuunt,
juxta firmata in dictis hujus causæ primis decisionibus
126. & 128. apud Posth. Lott. *l.* 1. *qu.* 38. *nu.* 40. 4
Greg. *dec.* 57. 69. 91. *&* 413. Buratt. & Add. *dec.*
171. *&* 529. & passim.

Ad evitandum hoc objectum, scribentes pro Eremo
dicebant, curandum non esse de non vocatione mo-
nasterii, ejusque neglecto consensu, quoniam clausu-
la vocatis vocandis, quæ ad formam *reg.* 22. *Can-*
cell. adjicitur hujusmodi litteris in forma commissa-
ria, percutit eos qui possent habere interesse, ac pos- 5
sent contradicere, secus autem quoad eos, qui ob con-
sensum jam præstitum unioni, non habent jus contradi-
cendi, Mandos. *ad eumd. reg.* 22. *q.* 8. *n.* 2. *& seq.* Garz. *p.* 12.
c. 2. *nu.* 134. *cum seq.* Rebuff. *in praxi super regula de unione,*
gl. 11. Cumulando in idem ea quæ habentur apud Lott. *l.* 3.
q. 14. *n.* 91. Greg. *dec.* 374. *n.* 4. & in aliis, de resignatario 6
non obligato citare resignantem, qui jam consensum præ-
stitit super exequutione litterarum, seu provisionis quam-
vis contineret clausulam vocatis vocandis, intelligendam
de aliis quam iis, qui jam consensum præstiterunt, ut habe-
tur etiam supra in Neapolit. parochialis *disc.* 36. Quoniam
juxta *dec.* 213. *&* 214. Caputaq. *l.* 1. ubi jam præstitus est
consensus super gratia, novus non requiritur in ejusdem
gratiæ reformatione, vel exequutione, aut alio actu ac- 7
cessorio, & consequutivo primi, Et consequenter dice-
bant quod cum in vim dicti mandati procurator mona-
sterii consensum jam præstitisset in Dataria in dorso suppli-
cationis, idcirco alter consensus requirendus non erat.

Ve-

Verum istud erat debile fundamentum, quoniam ubi
etiam præmissa subsisterent, atque dictum mandatum
curæ adhuc vigeret, adhuc tamen advertebam, Papam
per organum ejus Officialium Datariæ jam conscium de
dicto consensu præstito per procuratorem in Dataria,
seu Cancellaria eadem die datæ supplicationis (& sine
qua iidem scribentes dicebant, quod alias expeditæ non
fuissent litteræ, juxta *dec.* 32. *n.* 10. post Tond. *de pens.*
dec. 172. Celsi *n.* 14. *& in aliis*) in litteris postmodum
8 expeditis adjecit pro conditione consensum ipsorum
Monachorum juxta verba superius registrata ibi, dum-
modo monachorum accedat assensus, ergo Papa no-
9 luit esse contentus dicto consensu præstito per procu-
ratorem sibi jam noto; Hujusmodi siquidem quæstio-
nes intrant in dubio, secus autem ubi voluntas est
clara ob vulgarem regulam text. *in l. ille aut ille,*
ff. de legat. 3.
Præterea omnis cessabat difficultas ob expirationem
10 dicti mandati, quod concessum duobus, per accepta-
tionem unius expiraverat in altero, ac etiam in ipso-
met qui acceptaverat, jam consumptum fuerat per
consensum præstitum primæ gratiæ concessæ de anno
1605. super applicationem fructuum, ut plene firmatur
in dictis primis *dec.* 126. *&* 128. apud Posth. contra
quas nihil relevans deducebatur, quod stringeret: Di-
11 ctæ siquidem *dec.* 213. *&* 214. Caputaq. *l.* 1. quæ
videbantur meliores auctoritates (cum reliqua omnia
essent generalia) percutiunt casum in quo consensus
valide, ac legitime præstitus esset actui principali per-
fecto, alium actum ad ejus perfectionem non deside-
ranti, quodque secunda gratia esset super eadem re,
ac mere accessoria, & consequutiva primæ, qualis non
erat casus noster, quoniam secunda gratia erat omni-
no diversa, ac nova omnino independens a prima, &
consequenter exigitur novus consensus ex integro, ne-
12 que curatur de jam præstito in prima gratia, ut bene
apud eumdem Caputaq. *dec.* 211. *ead. par.* 1. Id autem
recte callentes peritissimi Officiales Datariæ ob probabi-
lem dubitationem, an consensus præstitus per dictum pro-
curatorem in curia esset legitimus, ac sufficiens necne,
hinc pro conditione adjecerunt in litteris alium con-
sensum ab ipsis mandantibus coram exequutore præ-
standum, atque ita revera omnis difficultas cessare vi-
debatur.
Alterum est fundamentum, etiam solum & de per se
sufficiens, quod cum dicta unio adhuc effectum sortita
non esset, stante quod dicta effectuatio utpote invalida
habenda erat pro non sequuta, juxta dictas primas decisio-
13 nes coram Manzan. quæ juxta receptum ac inconcussum
Rotæ stylum editæ super uno dubio, in disputatione
alterius dubii veniunt præsupponendæ, hinc proinde
non constito quod dicta unio sequuta esset ex præ-
14 cisa necessitate, evanuerat per superventam Regulam
13. Gregorii XV. successoris unionum revocatoriam,
juxta deducta supra in Sorana Beneficii *disc.* 42.
Ac demum, ubi etiam aliqua subesset difficultas,
illam tolli dicebam per præscriptionem stante pacifica
15 possessione annor. 45. ut in specie unionis præscriben-
dæ per quadragenariam pacificam possessionem absque
alia justificatione, cæteris relatis Seraph. *dec.* 1432. *n.*
4. Buratt. *dec.* 734. *n.* 6. Rot. *dec.* 433. *n.* 6. *&.* 7. *p.* 9.
rec. & in aliis.
Et quamvis objiceretur de lite jam introducta, ac
pendente in Rota ut supra, quodque de jure Canoni-
co, juxta opinionem in Curia receptam, ac hodie ab-
16 solutam, instantia est perpetua & nunquam perit, at-
tamen facilis erat responsio, dum lis introducta fuit
cum personis diversis, ejusque ignarum fuit nostrum
Collegium, cujus proinde quadragenaria possessio fuit
pacifica, & cum bona fide, unde propterea non intra-
bat dispositio text. *in c. fin. de rescript.* ad cujus effectum
requiritur mala fides vera inductiva peccati, in cujus
ratione fundata est dispositio juris Canonici correctiva
juris civilis *in l. omnes, & l. sicut, C. de præscript.*
quæ in casu malæ fidei præsumptæ incorrecta rema-
net, ut cæteris relatis advertitur per Rotam *decis.*
270. *n.* 10. *par.* 6. *recent.*
Et ulterius, ut habetur infra *dis.* 91. ad materiam regu-
læ de triennali, quamvis de jure Canonico istantia nun-
quam pereat, attamen ubi accedit longissimum silentium,
ac etiam malum jus intrat, præsumptio desertionis, quod-
17 que lis habita fuerit pro derelicta, multo magis ubi malum
jus jam ab initio detectum est per decisiones Rotales, per
quas receptam propositionem habemus quod detegitur, seu
18 probatur justitia, vel injustitia causæ, ut *dec.* 337. *n.* 8. *p.* 5. *rec.*
dec. 151. *n.* 3. *& seqq. p.* 7. *Rom. transactionis* 12. *Maji* 1659.
coram Priolo & passim, deinde vero subsequitur longissi-
mum silentium, unde fortius magisque de plano inrrat
dictæ desertionis præsumptio, quam ubi ea deduceretur ex
solo tempore, cum tunc decisiones confirmare videan-
tur bonam fidem possessoris, atque inducere speciem
tituli; Hæc autem dicebantur ex abundanti, cum lis
esset cum tertio, ut supra.

TOLETANA DEPOPULATIONIS DE UZEDA PRO PORTIONARIIS ECCLESIÆ TOLETANÆ, CUM PAROCHO S. JACOBI DE UZEDA.

Casus decisus per Rotam pro Portionariis.

De eadem materia unionis, atque pluribus unionibus concurrentibus, quænam prævalere debeat, Et de unionis probatione,

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De compulsoria speciali remissive.*
4 *De punctis causæ.*
5 *Quomodo probetur locus depopulatus.*
6 *Limitum decimalium distinctio arguit diversitatem parochiarum.*
7 *De jure, vel causa universali, quod possessio unius conservet totum.*
8 *Effectuatio unius in parte influit in totum.*
9 *Unio particularis prævalet universali.*
10 *Titulus administratorius excludit jus proprium:*
11 *De compatibili duorum concursu ad idem jus, vel idem dominium diversis respectibus.*
12 *Unio non potest fieri per Ordinarium sine consensu interessatorum.*
13 *De probatione unionis, ejusque materia.*
14 *Habens immemorabilem potest allegare quemcumque titulum de mundo meliorem.*
15 *Immemorabilis excluditur, ubi constat de initio, & an cum ea compartiatur privilegium.*

DISC. XLIX.

Nicolaus V. de anno 1448. univit omnes Ecclesias 1
parochiales locorum depopulatorum, vel in futu-
rum depopulandorum, seu verius concessit earumdem
Ecclesiarum fructus, & emolumenta destinata pro earum
fabrica, Portionariis Ecclesiæ Toletanæ; Cumque Pa-
rochus Ecclesiæ parochialis de Uzeda perciperet fructus,
ac emolumenta Ecclesię S. Dominici Oppidi depopulati de
Inestrosa, renueret vero dare Portionariis eam ratam,
quæ assignata erat fabricæ; Hinc proinde introducta li-
te in Rota coram Verospio, datoque dubio, An dictis
portionariis suffragetur Indultum sub die 14. Februarii
1659. prodiit affirmativa resolutio, confirmata 6. Februa-
rii 1661. ad quarum normam expedita sententia, &
commissa causa per appellationem in eadem Rota coram 2
Emerix, ex parte dicti parochi petitæ fuerunt remissoria,
& compulsoria specialis, illæque cum formali disputa-
tione concessæ die 22. Junii 1661. ut habetur in hac
eadem causa *sub tit. de jud.* ad materiam præsertim
compulsoriæ specialis, an & quando concedi debeat,
atque incertum est, an ulteriorem progressum habue-
rit causa, in qua amplius non scripsi, vel quia con- 3
cordata, vel quia mutaverit defensores.
In disputationibus autem super negotio principali
habitis coram Verospio, quatuor fuerunt puncti; Pri-
mo scil. an constaret de depopulatione dicti loci; Se-
cundo, an dictum Indultum Nicolai suffragaretur pro
Ecclesiis tunc depopulatis, vel etiam pro depopulan-
dis: Tertio, an dictum Indultum restrictum esset ad 4
Ecclesias unitas Ecclesiæ Toletanæ in locis depopulatis
existentes, adeout portionariis actoribus incumberet
onus probandi hanc qualitatem unionis, vel potius
illud esset universale, adeout data depopulatione ha-
berent intentionem fundatam; Et quarto, an constaret
de hujus Ecclesiæ unione dictæ alteri Ecclesiæ S. Jacobi.
Primus punctus erat nudi facti, in quo recte prior popu-
latio, ac successiva depopulatio etiam cum specificatione
temporis bene justificabatur, ex eisdem probationibus in 5
his etiam terminis admissis in consimili Toletana depopu-
lationis de Villalba 7. Februarii 1656. & 20. Aprilis 1657.
co-

coram Albergato, atque ex oculari inspectione constabat de vestigiis antiquarum domorum, necnon Ecclesiæ cum cœmeterio, & fonte Baptismali, aliisque signis; Et quod magis, bene justificabatur, istam Ecclesiam S. Dominici habere limites decimales distinctos a dicta Eccle-
6 sia S. Jacobi, quæ limitum distinctio arguit esse duas Ecclesias parochiales diversas, ex deduct. apud Gonz. *ad reg.8.gl.6.n.47.* Coccin. *dec.454. n.4.* Greg. *dec.501. n.2. & 3.* ac habetur infra in sua materia *sub tit. de Paroch.*

Secundus punctus erat pariter facti, utpote pendens a sola littera Indulti, quod in verbis loquitur tam de locis actu depopulatis, quam de aliis in futurum depopulandis, ac habitatoribus destituendis, unde licet in dictis aliis decisionibus coram Albergato incidenter motivari videatur contrarium, attamen cum dicta sola lectura probatum fuit in hoc æquivocari.

Tertius pariter videbatur magis facti quam juris decidendus ex eadem lectura Indulti, non restricti ut supponebatur ad Ecclesias unitas Toletanæ, sed indefinite, unde propterea dicebam, portionarios possidere totum genus, seu causam universalem, ideoque non teneri docere de possessione singularum specierum, cum tunc sufficiat ostendere, ut id quod est in controver-
7 sia, sit species illius generis, juxta doctrinam Bart. *in l. 1. §. si quis hoc interdicto. n. 1. ff. de itinere actuque privato, cum concord. plene collect.* per Posth. *de manut. observ. 73. n. 136.* & est in foro frequens propositio, ut in causa universali possessio aliquarum specierum, vel aliquorum actuum conservet jus in toto, ut præsertim frequenter habetur in proposito decimarum in sua materia *sub tit. de dec.* ac etiam de ista conclusione causæ universalis ejusque declarationibus, ac intelligentiis habetur *in Tolet. jurisdictionis, disc.1. sub tit. de jurisd. & in Cæsaraug. Cathedralitatis, sub tit. de præem. disc. 5.*

Atque hinc resultabat opus non esse docere de dictę unionis effectuatione in singulis Ecclesiis, quoniam ubi unio
8 est unica, complexiva plurium beneficiorum, vel Ecclesiarum, tunc intrat recepta conclusio, quod effectuatio in parte operatur effectuationem in omnibus, Garz. *p. 12. c. 2. de unione n. 294.* Caval. *dec.408. n. 6.* Buratt. *dec.870. n. 4.* Rota *dec. 109. n. 1. p. 6. rec.* cum aliis per Greg. & Add. *dec. 557. & supra in Sorana, disc. 42.* atque admittitur in dictis aliis decisionibus coram Albergato.

Major igitur, ac pene tota disputatio versabatur super quarto puncto unionis particularis, quæ asserebatur facta dictæ Ecclesiæ S. Jacobi, unde propterea cessare deberet dictum jus universale, juxta firmata in specie ad favo-
9 rem alterius Ecclesiæ parochialis in dicta alia Toletana depopulationis de Villalba cor. Alberg. atque in his decisionibus constituebatur totum fundamentum per scribentes in contrarium.

Quamvis autem ego, ac cæteri pro hac parte scribentes, dictæ prætensæ unionis probationem, ut infra impugnaremus, sive quod admissa etiam probatione, unio remaneret invalida utpote facta per Ordinarium post dictam aliam unionem generalem Apostolica auctoritate factam ad favorem Portionariorum; Attamen videbatur labor inanis propter utriusque partis compatibilem concursum; In facto enim docebatur de ejusdem parochi confessionibus, ac agnitionibus, quod pars fructuum ac emolumentorum hujus Ecclesiæ, juxta Hispaniarum fere generalem consuetudinem, assignata Fabricæ Ecclesiæ, per ipsum administraretur, quod indubitanter excludebat jus proprium, in quo non cadit titulus administratorius,
10 ut late colligit Posth. *de manut. obser. 52. n. 13. seq.* Dunoz. *dec. 806. n. 7.* Et consequenter intrabat juris utriusque partis compatibilis concursus; Portionariorum scil. pro dicta rata assignata Fabricæ Ecclesiæ, ad quam suam petitionem restringebant, Parochi vero reliquum propter curam saltem habitualem, & quandoque actualem in rusticis, & laboratoribus intra hos limites morantibus; Et sic data etiam prætensa unione, ista non probat omnimodo jure negativo, recte compati potest cum dicta altera unione universali.

Plurium enim concursus ad idem dominium, vel jus, seu eamdem possessionem, in jure prohibitus est,
11 quando ab utroque prætenderetur insolidum, quo casu dicitur adesse incompatibilitas, secus autem ubi diversibus respectibus, ut advertitur in d. Toletana jurisdictionis *sub tit. de jurisdictione, disc. 1.* & in dicta Cæsaraugustana Cathedralitatis, *sub tit. de præeminentiis, disc. 5. & in Tyburtina Castrorum, sub tit. de feud. disc. 62.* & alibi pluries, quoniam respectus diversitas inducere dicitur dominio-**rum, ac jurium diversitatem, & successive cessare facit** incompatibilitatem alias ex plurium simultaneo concursu resultantem, cum intelligatur, quando quilibet prætendat totum privative ad alterum.

Verum dicebamus, dictam unionem particularem non probari, seu probationes factas clare convincere ejus invaliditatem, aut enim pro illa fundamentum constituebatur in quadam unione facta per Ordinarium, & infectio erat manifesta, quoniam ultra defectum solemnitatum & justæ causæ, quæ in unione facienda per ordinarios concurrere debent, ex pluries deductis in precedentibus, constabat in facto, depopulationem istius loci sequutam esse longe post dictam unionem generalem factam per Nicolaum V. ideoque non poterat Ordinarius sine consensu jus habentium, atque in istorum
præjudicium dictam unionem facere, juxta plene firma- 12
ta in sæpius allegata *dec. 224. p. 10. rec.* & apud Otthob. *dec. 6.* & in hujus causæ decisionibus, ac in aliis frequenter, adeout Rota in alia consimili Toletana apud Marches. *de commiss. p. 1. fol. 684.* agendo de hoc individuali Indulto, dixerit sufficere, quod non probaretur particularem unionem allegatam tamquam limitationem regulæ generalis assistentis portionariis, factam esse ante dictum Indultum.

Et merito, quoniam si generaliter habemus, unionem tamquam odiosam in dubio non præsumi, atque per allegantem debere plene & concludenter probari, vel per scripturam, vel per immemorabilem, vel sal-
tem per pacificam quadragenariam cum fama tituli, 13
ex deductis apud Otthob. *dec. 179. n. 20.* late in Bonon. parochialis 24. Aprilis 1651. coram Meltio, & habetur pluries infra *sub tit. de paroch.* occasione agendi, an servanda esset necne forma concursus, ubi de materia; multo magis, ubi non solum resistit juris regula generalis, sed etiam ratio juris alteri ex Apostolica provisione quæsiti.

Neque præmissis obstare advertebam firmata in dictis decisionibus editis in alia consimili Toletana cor. Alberg.
quoniam in eo casu supponitur fuisse bene probatam im- 14
memorabilem cum requisitis vulgaris glos. *in c. 1. de præscr. in 6.* qua probatione posita, cessant omnes difficultates, quoniam inter immemorabilis virtutes, seu operationes, illa est præcipua, in præcedentibus ac alibi pluries insinuata tamquam propositio hodie absoluta, quod ejus vigore allegari potest quicumque titulus de mundo melior privilegii, vel contractus, unde propterea data dicta probatione, recte dici poterat in dicto alio casu eam unionem fuisse præcedentem, sive subsequentem cum altero Apostolico indulto particulari derogativo dicto indulto generali, vel ex contractu cum eisdem portionariis &c. Id autem in præsenti dici non poterat, dum constabat de initio, ac etiam de titulo hujus particularis unionis factæ per Ordinarium, quod adversatur immemorabili, ex cujus essentialibus requisitis, illud etiam est præcipuum, quod non doceatur de initio, quoniam eo posito, exclusa remanet immemorabilis, ex deductis apud Burat. & Add. *dec. 551. n. 1.* late *dec. 101. p. 10. rec. n. 8.* & passim, ac habetur *in Sabin. exemptionis, sub tit. de præem. disc. 47.* ubi de hoc articulo, an & quando exhibitio tituli præjudicet immemorabili, de quo etiam habetur actum *sub tit. de jurepa-*
tr. super puncto compatibilitatis privilegii Apostolici cum 15
dicta immemorabili, de quo præsertim *in Januen. Abbatiæ, dec. 218. p.6. & dec.29. p. 7. rec.* ac etiam pluries habetur *sub tit. de decim.* & insinuatur supra in præcedentibus. Hæc tamen omnia deducebantur ad superabundantiam, cum revera dictus compatibilis concursus utriusque partis diversis respectibus omnem difficultatem tolleret, stante restricta petitione Portionariorum ad emolumenta Fabricæ, quæ sunt omnino distincta ab emolumentis parochi, ut etiam in his terminis specialibus hujus indulti advertitur apud Pen. *dec. 117. juxta impressionem Lugdunen.*

SEGOBRICEN. CANONICATUS,

PRO BONAVENTURA EXERNIT, CUM POMPEO BRIOSCO.

Casus decisus per Rotam pro Bonaventura.

De subrogatione gratiosa in vim regulæ de subrogandis danda collitiganti, altero collitigante defuncto, an & quando concedenda, vel respective deneganda sit; Et de illius requisitis. Et aliqua ad materiam regulæ de annali.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Ad effectum regulæ de subrogandis requiritur lis super beneficio tamquam debito.*
4 *Quando dicatur lis introducta, distinguitur inter actorem, & reum.*
5 *An requiratur citationis reproductio.*
6 *Ad quid requiratur reproductio, & quando per comparitionem citati purgetur citationis defectus.*
7 *Impediens citari habetur pro citato.*
8 *Declaratur, ut impedimentum debeat esse in tempore legitimo.*
9 *De regula de annali, ejusque dispositione, ac operatione.*
10 *Regula, de subrogandis non intrat in lite calumniosa, & notorie injusta.*
11 *Denegatur subrogatio impetranti fraudulente beneficia senis, vel infirmi.*
12 *Lis debet esse calumniosa.*
13 *Quod materia subrogationis dandæ, vel deroganda sit arbitraria.*
14 *De clausula* sive præmisso *&c. quando intret, & suffragetur.*

DISC. L.

1 Vacante Canonicatu Ecclesiæ Segobric. per obitum possessoris de mense Septembris 1651. Capitulum habens juspatronatus, ac præsentandi, de quo habetur actum in hac eadem causa in sua materia *sub tit. jure. patr.* præsentavit Martinum, Pompeus autem eumdem Canonicatum impetravit a Sede Apostolica tamquam devolutum ob præsentationem non factam in tempore, expeditisque literis commisit causam in Rota coram Peuting. atque obtenta solita citatione cum inhibitione, priusquam exequutioni demandaretur, sequutus est obitus Martini, unde capitulum præsentavit Bonaventuram, quo petente provisionem in Dataria, Martino autem petente subrogationem debitam collitiganti in vim regul. 28. *alias* 29. *de subrogandis*, Datarius, ut frequenter practicari solet, petiit votum Rotæ, ubi assumpta disputatione coram Dunozet. sub die 26. Novembris 1655.
2 prodiit resolutio pro dictæ subrogationis denegatione, ut patet ex *dec.* 971. inter illas Dunoz. ad cujus normam expedito voto, Bonaventura obtinuit provisionem, pro cujus exequutione etiam disputatum deinde fuit in Rota super verificatione jurispatronatus capituli, ut in hac eadem causa *sub tit. de jurepatr. disc.* 7.

Duo autem fuerunt dictæ resolutionis fundamenta; Primo scilicet, deficientia litis, Et secundo (quatenus adesset)
3 ejusdem litis calumnia, seu clara injustitia; Quatenus enim pertinet ad primum, certa est conclusio, quam neque scribentes pro ipso petente subrogationem negabant, litem esse basim, ac fundamentum regulæ, vel subrogationis non concedendæ sine lite, quæ sit super beneficio tamquam debito, non autem tamquam debendo, gloss. *in cap.* 2. *vers. si autem lite pendente in* 6. Paris. *de resignat. lib* 2. *q.* 3. *n.* 5. Garz. *par.* 11. *cap.* 3. *n.* 76. Lotter. *lib.* 2. *q.* 20. *n.* 114. Rota apud eumdem Dunoz. *dec.* 45. apud Otthob. *dec.* 140. *n.* 7 & 8. apud Cels. *dec.* 179. *n.* 1. & in hujus causæ decisione, ac sæpius.

Non adesse autem litem, dicebam ego scribens pro Bonaventura, non obstante quod causa fuisset introducta in Rota, ac expedita citatio cum inhibitione, quoniam in hac materia in genere, an & quando dicatur introducta
4 lis, distinctio est, quod, aut agitur quoad ipsum actorem, qui litem introduxit, ac expeditionem super citatione partis obtinuit, & dicitur lis introducta, aut vero quoad reum, & secus, usquequo sequatur legitima exequutio citationis, Vitallin. *in Clem.* 2. *ut lite pendente*, *n.* 24. & 25. Achill. *dec.* 10. *de rescript.* Coccin. *dec.* 431. *n.* 7. Burat. *dec* 138. 280. & 833. cum aliis collectis per Adden. ad eumdem Burat. *dec.* 109. *dec.* 57. *n.* 41. & *seqq.* & *dec.* 94. *n.* 18. & *seqq. par.* 7. *rec.* Et in specie ad effectum hujus regulæ de subrogandis, Mandos. *super eadem regula*, *q.* 11. *n.* 2. adud Cels. *dec* 179. *n.* 5. Gregor. *dec.* 17. Otthob. *d. dec.* 140. & *passim*.

Quinimo necessariam esse reproductionem videtur sen-
5 sus Lotter. *d. q.* 20 *lib.* 2. *n.* 114. ac præsuppositive habetur apud Greg. *d. dec.* 27. *n.* 2. & *seq.* & Otthob. *d. dec.* 140. *n.* 6. quod tamen adhuc non habui occasionem particulariter disputandi, sed ubi citatio esset legitime exequuta, atque non esset lapsum tempus notabile, quod causaret ejus desertionem, vel circumscriptionem, probabilius videtur reproductionem non requiri, cum illa per DD. desiderata videatur in ordine ad judicem, ut ita scilicet reddatur certus de sua jurisdictione, atque ad ulteriorem processum in causa procedere valeat, ac etiam in ordine ad reum citatum, ut contumax reputari possit, atque contra eum procedi ad ulteriora in contumaciam, quod in Urbe dicimus per contradictas, eo quia citatorum procuratores, donec viderint in actis citationem reproductam, comparere negli- 6
gunt; hujusmodi autem effectibus seclusis, in aliis videtur, quod sola legitima exequutio sufficiat, adeout si citatus compareat, etiam sine reproductione, valide procedi ad ulteriora etiam ad sententiam habetur apud Dunoz. *dec.* 664. *num.* 6. quoniam citato comparente omnis defectus citationis sanatur, ex late deductis per Gregor. & Adden. *dec.* 27. & 94.

Non negabantur, ut dictum est, præmissa per scribentes in contrarium, sed insistebatur in limitatione, quoties staret per citandum, quominus citatio exequutioni demandaretur, cum tunc in odium impedientis citatio habenda sit 7
pro exequuta, ad text. *in cap. quoniam. frequenter*, §. *porro ut lite non contest.* Rota *dec.* 11. *n.* 1. *de dolo & contumacia in novis dec.* 324. *part.* 3. *rec. n.* 2. Burat. *dec.* 416. *n.* 5. & *dec.* 519 *n.* 3. Cels. *dec.* 130. *n.* 19. & *dec.* 177. *n.* 4. & *frequenter*; Impedimentum autem allegabatur præstitum cum recursibus ad Consilium Regium, ac Magistratus Sæculares denegantes, seu alias impedientes citationis exequutionem.

E converso autem ego non negabam dictæ limitationis veritatem, sed negabam ejus applicationem ad factum super dicti recursus cessante legitima justificatione unde propterea punctus videbatur potius facti quam juris, an scilicet quibusquam attestationibus, quæ desuper dabantur, deferendum esset necne, super quo certa juris regula statui non potest, cum sit materia reposita in judicis arbitrio, regulando ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis.

Dicebam tamen, quod ubi etiam dictis probationibus deferendum esset circa ipsos recursus, sive alia impedimenta in genere, id non sufficiebat, nisi ex parte allegantis litem, ejusque vigore petentis subrogationem, justificetur ejusdem impedimenti tempus præcisum, ex ea ratione, quod cum ex regula de annali hujusmodi impetratores certo modo teneantur infra sex menses litem introducere mediante vocatione partis ad judicium, deindeque intra alios 8
sex menses prosequi, atque alias totum quoad eos habeatur pro infecto, hinc proinde justificandum est, quod nisi impedimenta præstita fuissent, sequi potuisset executio citationis in dicto termino sex mensium, ideoque probatio impedimenti debet percutere ac specificare tempus, ut in specie Gomes. *super regula de annali q.* 71. & *seq.* & est generalis recepta propositio, ut impedimentum non suffragetur, nisi sit tale, quod eo non sequuto, actus explicari potuisset, Gemin. *cons.* 91. *n.* 12. Tusc. *verbo impedimentum, concl.* 29. *n.* 27. & conferunt deducta apud Buratt. *dec.* 743. *n.* 5.

Atque hinc advertebam resultare, non solum cessationem litis ob non sequutam citationem, sed etiam ob cessatum jus impetrantis ex dicta regula de annali, recte intrante, cum Martinus esset pacificus possessor controversi beneficii per annum & ultra, unde propterea non servata forma ejusdem regulæ evocandi ad judicium possessorem infra sex menses a die impetrationis, omne jus impetrantis evanescit, Gomes. *ad d. reg. de annali*. *q* 80. Garz. *patr.* 6. *cap.* 2. *n.* 213. Lotter. *lib.* 2. *q.* 52. *n.* 69. ubi plene de ista regula de annali, ac de pluribus quæstionibus 9
sub ea cadentibus, Gregor. *dec.* 532. cum aliis, de quibus supra *in Mediolan. beneficiorum*, *disc.* 46.

Subsistere etiam videbatur alterum fundamentum manifestæ injustitiæ, seu calumniæ litis, qua concurrente, pariter cessat regula de subrogandis, quæ sicuti non prodest odioso impetratori piscatorio beneficii viventis, ita 10
neque prodesse debet calumnioso litigatori, Seraph. *dec.* 1165 Cels. *dec.* 148. *Melevit. beneficii* 25 *Junii* 1649. Bich. cum aliis in hujus causæ decisione, ex ea satis probabili ratione, quod alias ita indirecte expiscari curantes beneficia, injustas, atque calumniosas lites possessoribus promovere curarent sub ista spe obtinendi subrogationem per eorum mortem.

Hæc autem ratio clarius intrabat in hac facti specie, stante quod Martinus, contra quem impetratio facta fuit, erat senex ac valetudinarius, unde probabiliter brevi ejus mors sperari poterat, ut eventus docuit, quo casu dicitur 11
id fieri in fraudem, & ex dicta malitia, quæ ponderata fuit in additione facta ad eamdem regulam sub Paulo III. ideoque in regula literaliter ita disponitur, ac advertitur *decis.* 167. & 202. *part.* 4. *rec. tom.* 2. & *sæpius*.

Et quamvis non omnis injustitia in hac attendatur,
sed illa debeat esse evidens, ac notoria, adeout calumniam
redoleat, Greg. & Add. *dec.* 125. *&* 426. Buratt. & Add.
12 *dec.* 374. *&* 927. Dunoz. *dec.* 666. *n.* 8. *& sæpius*; Atta-
men quia dicta regula non inducit in Papa præcisam ne-
cessitatem concedendi subrogationem, sed id repositum
est in ejus arbitrio pro facti qualitate regulando, ut ad-
vertitur infra *in Cremon. disc. seq.* Hinc proinde ad hujus-
13 modi calumniam inspiciendam, non solum examinanda
sunt merita causæ in genere, seu in abstracto, sed atten-
dendæ sunt etiam aliæ facti circumstantiæ, bonam, vel
malam fidem redolentes, ex qua lis mota esset cum dicta
malitia & fraude necne; Unde propterea tamquam in re
arbitraria ex facti circumstantiis regulanda, certa deter-
minataque regula dari non potest, sed pro singulorum ca-
suum conjecturis & circumstantiis istud arbitrium inter-
poni, seu regulari solet, ut frequenter practicavi scri-
bendo in Dataria, quandoque pro concessione, & quan-
doque pro denegatione hujusmodi subrogationis.

Applicando autem ad rem, clara ac evidens erat hujus
impetrationis injustitia ex solo facto invariabili, non reci-
piente illas ambiguitates, quæ cadunt ubi lis penderet a
puncto juris, dum impetratio facta erat ex capite devolu-
tionis ob præsentationem non factam in tempore, &
tamen in facto ostendebatur ad evidentiam de contrario.

Et licet scribentes in contrarium id recte agnoscentes,
impugnarent juspatronatus capituli ex fundamentis, de
quibus in hac eadem causa *sub d. tit. de jurepatr. disc.* 7. ac
propterea inferrent, quod impetratio sustineri posset ex
vacatione per obitum prioris possessoris tamquam de
14 beneficio libero, stante clausula, *sive præmisso &c.*
Nihilominus juste hoc motivum rejectum fuit, quo-
niam ista clausula non suffragatur, neque alicujus
operationis est quando modus vacationis dispositive
expressus, & ex quo principaliter facta est impetra-
tio, est omnino falsus, Cassad *dec.* 5. *de præb.* Cæs.
de Grass. *dec.* 14 *n.* 8 *eod. tit.* Lotter. *lib.* 3. *q.* 8. *n.* 63.
& n. 66. *cum seq.* Garz. *part.* 11. *c.* 1. & admittitur *dec.* 257.
num. fin. part. 12. *rec. & in hujus causæ decisione in fine*.

ANNOT. AD DISC. L. & seqq.

De subrogatione gratiosa habentur aliqua *hoc tit.
in disc.* 136.

Decisiones proditæ in casu, de quo *disc.* 52. haben-
tur impressæ *part.* 13. *recent. decis.* 56. *&* 528.

CREMONEN. PAROCHIALIS, PRO JOANNE BAPTISTA TARAGNANO, CUM JOANNE BAPTISTA URSIO.

Casus disputatus coram Datario, & credo resolutus pro Taragnano.

De eadem materia subrogationis dandæ col-
litiganti in vim regulæ de subrogandis; Et
an denegari debeat etiam in casu litis non
calumniosæ, quando lita sopita est per con-
cordiam, quamvis hæc esset adhuc imper-
fecta, adeout admitteret pœnitentiam.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Subrogatio datur collitiganti etiam per mortem ci-
vilem collitigantis.*
3 *Repositum est in arbitrio Papæ eam dare, vel denegare.*
4 *Transactio extinguit litem.*
5 *In rebus quæ non sunt in commercio sine assensu, da-
tur pœnitentia ante assensum.*
6 *Quod inter ipsas partes non habeatur actus pro perfecto.*
7 *Etiam ubi concordia est revocabilis, adhuc debet es-
se justa causa denegandi subrogationem.*
8 *An intret refectio damnorum, & interesse in bene-
ficialibus.*
9 *Subrogatio non datur impetranti certo modo ob pri-
vationem, seu impetranti beneficium senis, vel in-
firmi.*
10 *Sola supplicatio signata etiam ante expeditionem be-
neplaciti excludit pœnitentiam.*

D I S C. LI.

1. Vacata in curia Ecclesia parochiali S. Andreæ Cremo-
næ, atque ad eam concurrentibus Ursio, & Tara-
gnano, primus per Datariam gratificatus fuit ob narrati-
vam, quod aliud beneficium non possideret; Cumque istud
præsuppositum esset falsum, dum tria simplicia benefi-
cia possidebat; Hinc proinde Taragnanus impetratio-
nem obtinuit, atque introducta lite coram Ordinario
tamquam executore in literis deputato, proditaque sen-
tentia ad favorem dicti Taragnani super executione di-
ctarum literarum suæ provisionis, deventum fuit ad con-
cordiam sub reservatione beneplaciti Apostolici, per quam
Taragnanus juri suo cedebat super parochiali, e conver-
so autem Ursius dimittebat dicta tria simplicia beneficia
ad favorem Julii Cæsaris nepotis dicti Taragnani, cum-
que desuper confectum esset instrumentum, atque pen-
deret impetratio beneplaciti, pro quo porrecta fuerat sup-
plicatio, atque Ordinarius providisset dictum Taragna-
num de alia parochiali hoc medio tempore vacata; Hinc
Ursius satagendo habere, tam parochialem, quam bene-
ficia, dictam concordiam utpote re integra, & per Papam
adhuc non approbatam revocavit, atque pro infecta habe-
ri declaravit, & stante morte civili collitigantis per asse-
quutionem alterius beneficii incompatibilis petit subroga-
tionem in vim regulæ 28. alias 29. de subrogandis, haben- 2
tis locum, etiam in casu mortis civilis, ut apud Burat. *dec.*
39. Cel. *dec.* 179. *n.* 7. Lotter. *lib.* 2. *q.* 20. *n.* 75. *&* 76.

Huic autem petitioni se opponente dicto Taragnano,
pro isto scribens coram Datario, pro denegatione respon-
dendum esse dicebam, quoniam regula prædicta non indu-
cit in Papa præcisam necessitatem, sed solum fundata est in
quadam congruentiæ, seu æquitatis ratione ad lites extin- 3
guendas, & ne collitigantes multiplicarentur; Ac propter-
ea, ubi etiam dictæ regulæ requisita concurrant, quia nem-
pe revera adesset lis, neque ista dici posset notorie injusta,
& calumniosa, sed regulariter subrogatione digna, adhuc
tamen si alia concurrunt probabilia motiva, talem subro-
gationem denegandi, id repositum est in Papæ arbitrio
pro facti qualitate diversimode regulari solito, quandoque
illam concedendo, & quandoque denegando, ut adverti-
tur apud Coccin. *decis.* 350 *num.* 3. atque docet frequens
praxis, ideoque jus resultans ex hac regula dicitur incer-
tum, ac eventuale, ut apud Coccin. *ubi supra*.

Applicando autem ad rem, Dicebam quod per concor-
diam jam inter partes per publicum instrumentum jura-
mento stabilitam, sublata erat de medio lis, quæ ex de-
ductis *disc. præc.* dicitur basis ac fundamentum hujus re-
gulæ, & sine qua non datur subrogatio; quoniam trans- 4
actio tamquam species rei judicatæ litem perimit ac ex-
tinguit, omniaque priora jura & acta tollit, atque nihil
transigentibus remanet, nisi jus petendi ejusdem transa-
ctionis observantiam ac executionem, ut generaliter di-
sponitur *in cap.* 1. *de transact.* cum concordantibus, per
Greg. & Add. *dec.* 216. Burat. *dec.* 464. Rot. *dec.* 86. *part.*
6. *rec. & passim*; Et in specie de cessatione litis per ces-
sionem ad effectum hujus regulæ, Burat. *dec.* 307. *n.* 2.

Et quamvis de stricto jure in hujusmodi rebus ac juri-
bus in libero commercio non existentibus absque Papæ,
vel alterius Principis beneplacito, actus remaneat imper-
fectus, atque admittat pœnitentiam, ut late colligunt 5
Surd. *cons.* 484. *n.* 8. & Salgad. *in labyr. part.* 2. *cap.* 21. *n.*
14. *& n.* 33. *cum seqq. & part.* 1. *cap.* 33 *n.* 21. *& seqq.*
atque semper tenuit Rota, ut apud Achill. *dec.* 2. *de pact.*
Caputaq. *dec.* 12. *part.* 3. Caval. *dec.* 153. Rot. *dec.* 755.
part. 1. *rec.* alias *dec.* 189. *part.* 4. *Rom. laudi, seu locorum
montium* 19 *Junii* 1641 Verospio, & in aliis, ac adverti-
tur etiam supra *in Tolet. beneficii, disc.* 38. & in aliis super
facultate revocandi mandatum datum ad resignandum
quamvis juratum, ac etiam habetur *in Aversana, ac in aliis
sub tit. de pensionibus* super pœnitentia re integra in con-
sensu præstito pro subrogatione pensionis, cum similibus.

Ideoque admittebam quod dictæ pœnitentiæ de stricto
jure locus esset, rejecta opinione volentium imperfectio-
nem actus procedere quoad Principem, vel alium tertium
qui assentiri debebat, non autem quoad ipsas partes, qua-
rum respectu actus habeatur pro perfecto, ex deductis per
Gratian. *discept.* 514. quoniam ultra quod etiam in aliis 6
materiis prophanis verior videtur contraria opinio, ex iis
quæ habentur deducta *in Rom. seu Albanen. vineæ pro Nu-
nez, sub tit. de donation.* & alibi; In beneficialibus ta-
men id est extra controversiam, cum perpetuo Rota tam
antiqua, quam media, & moderna hanc tenuerit opinio-
nem, ut patet ex proxime allegatis decisionibus.

Attamen dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod ista
pœnitentia, quæ de juris stricta censura competebat, de fa-
cto continebat violationem fidei, ac perjurium, necnon ma- 7
litiam, ita obtinendi tam parochialem quam beneficia, ac e-
tiam fraudem, & deceptionem collitigantis, qui sisus dictæ
juratæ fidei aliam parochialem incompatibilem ab Ordina-
rio sibi collatã acceptaverat, cum Ordinariorum provisio-

nes

nes emanare dicantur motu proprio; unde propterea apud beneficialistas receptum est, eas non indigere justificatione: Adeout in materia feudali, vel simili, in qua donec perficiatur actus, admittitur poenitentia, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de feud.* non desint volentes competere alteri contrahenti ad-
8 versus fidei violatorem actionem, ad damna & interesse, ut ex Afflict. & aliis habetur apud Hodiern. *controv. 16. n. 52. cum seq.* & insinuatur in dicta sua materia *de feud.* praesertim *in Camerin. disc. 49.* & in aliis.

Quicquid autem sit de dicto assumpto, ad effectum illud deducendi ad praxim pro damnorum ac interesse refectione, quod in materia beneficiali receptum est non intrare circa illud interesse, quod resultat ex assequutione, vel non assequutione beneficii, vel pensionis, sed bene resultat quoad verum interesse ab altera parte passum, puta circa expensas factas pro expeditione litterarum in vim mandati, vel alterius conventionis postea revocatae, ex deductis *in d. Toletana beneficii, disc. 38.* Attamen semper, ut dictum est, actus remanet de facto turpis ac indignus, aliquam continens malitiam, vel fraudem, quae justam habere debet causam interponendi arbitrium pro subrogationis denegatione, eo modo quo denegatur piscatorio impetranti certo modo ob privatio-
9 nem Beneficium viventi, Gregor. *dec. 426. n. 9.* seu promoventi litem contra senem, aut infirmum ut *disc. praec.* cum similibus, in quibus eadem, vel similis ratio cadat.

Juxta praemissa credo quod sequutum sit, ut denegata subrogatione, concessum fuerit Beneplacitum su-
10 per concordia, quae effectum sortita sit; Potissime quia, ut mihi supponebatur, de tempore poenitentiae signata jam esset supplicatio super concessione beneplaciti, ideoque quicquid sit, an in hac materia beneficiali, id sufficiat ante registrationem ac praestationem consensus, ex quibus gratia perfici dicitur, ac jus formale acquiri, cum prius his non sequutis in arbitrio Datarii resideat supplicationem, licet signatam, lacerare, ut alias in praecedentibus advertitur. Attamen ad eumdem finem desumendi justam causam pro dicto arbitrio regulando conferre ponderabam ea, quae habemus in materia alienationis bonorum Ecclesiae, quod licet ante obtentum beneplacitum Apostolicum ex parte Ecclesiae, cum ea claudicatione, quae ejus favore introducta est, detur poenitentia, attamen ista cessat post signatam supplicationem, quamvis expeditio adhuc sequuta non sit, ut in Rom. domorum 15. Decembris 1649. & 18. Februarii 1650. coram Bich. ubi id declaratur, ac habetur in sua materia *sub tit. de alien. & contract.*

FIRMANA BENEFICII, PRO JACOBO LAURENTIO CONTUCCIO, CUM JOANNE SAPOLINO.

Casus varie decisus per Rotam.

De eadem materia regulae de subrogandis, Et quando dicatur adhuc durare lis vel potius extincta per mortem collitigantis, tam ad effectum hujus regulae, quam etiam ad effectum attentatorum, super iis, quae coram alio judice, vel executore gesta sint, lite introducta ac pendente in Rota ad materiam *Clem. Auditor, de rescript.*

Et quid ubi ordinarius collator habet indultum conferendi reservata, an danda sit subrogatio.

Et ad quam justificationem teneatur ille, qui habet litteras subrogationis pro illarum exequutione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causae.*
3 *De punctis causae.*
4 *Lis est basis, & fundamentum regulae de subrogandis.*
5 *Per mortem actoris in beneficialibus extinguitur lis.*
6 *Intentans remedium jactationum ex* leg. diffamari, *an & quando dicatur actor, vel reus.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 5. & quando non procedat, ubi reus aliquem actum non fecit.*
8 *De alia declaratione ubi adest admixtum jus tertii.*
9 *Ubi causa est introducta in Rota, non potest alius executor se ingerere.*
10 *De eodem, & quod alias sunt attentata gesta coram alio executore.*
11 *Ubi in commissione adest clausula sine praejudicio executionis, inhibitio ejus vigore emanata non causat attentata.*
12 *Distinguuntur plures casus super intelligentia dictae conclusionis, quomodo & quando procedat.*
13 *Avocatio causae, vel jurisdictionis infert injuriam.*
14 *Dispositio* Clem. Auditor *continet decretum Concilii generalis, ideo non data derogatione speciali procedit contra omnes.*
15 *Indultum Cardinalium capit etiam beneficia litigiosa.*
16 *An ubi ordinarius collator est, indultarius, intret regula de subrogandis.*
17 *Voluntas Papae regulatur ex stylo Datariae.*
18 *Quae sint justificanda pro exequutione gratiae subrogationis.*
19 *De distinctione inter subrogationem per viam gratiae particularis, & alteram accessoriam ex clausulis gratiae principalis.*
20 *De alia distinctione inter subrogationem in forma gratiosa; & alteram in forma* dignum.
21 *Quando reservatio est dubia, subrogatio gratiosa eget formali justificatione in omnibus.*
22 *Quando gratia in forma* dignum *tribuat jus necne.*
23 *De unione Parochialium ad effectum videndi, an servari debeat forma Concilii remissive.*

DISC. LII.

Sequuta vacatione Ecclesiae parochialis Oppidi Montis S. Petri de Angelis per obitum Aegidii in mense reservato, cum in concursu ad praescriptum S. C. T. Lucianus Gasparinus praelectus esset, unde propterea provisionem Apostolicam obtinuit, Joannes Sapolinus alter concurrens, eamdem parochialem impetravit juxta Constitutionem Pii V. ex eo quod iste locus non esset dioecesis Firmanae, sed spectaret ad Abbatiam Farsen. Nullius juxta seriem, seu praetensionem, de qua habetur in Firmana jurisdictionis *sub tit. de jurisd. disc. 14.* Hinc proinde Gasparinus primus provisus ac possessor, praevidens molestias a particulari executore, curavit adhibere consuetam cautelam committendi causam in Rota ex remedio *leg. diffamari*, quod in curia jactationis ac jactationum dicitur; sed quoad eum superfluae fuerunt diligentiae, dum nullas passus est molestias; Sequuta vero ejus morte Archiepiscopus, qui erat etiam Cardinalis, habens solitum indultum Cardinalitium conferendi reservata, ad formam S. C. T. dictam parochialem contulit Jacobo Laurentio Contuccio, dictus vero Sapolinus sub narrativa dictae pertinentiae hujus loci ad Abbatiam Farsen. Nullius, & cum praesupposito litis, in vim regulae 28. seu 29. de subrogandis, obtinuit subrogationem in jus defuncti collitigantis, directa executione ejusdem Abbatiae Cardinali Commendatario tamquam ordinario, qui ad aliquos actus procedere coepit, quare Contuccius curavit causam reassumi in Rota, ubi ut supra ad instantiam praedecessoris reperiebatur commissa coram Cerro, Datoque dubio, An constaret de attentatis coram dicto exequutore, sub die 27. Novembris 1658. affirmativa prodiit resolutio, revocata 28. Aprilis 2
1659. atque reproposita causa sub dubio, an standum esset in primo, vel secundo loco decisis, prodiit rescriptum, ut apposito sequestro, videretur de bono jure, ad cujus ulteriorem disputationem processum non fuit ob sequutum obitum dicti Sapolini.

In his igitur disputationibus, ac etiam in congressibus de more habitis ad praeparandum disputationem super bono jure, tres fuerunt puncti; Primo scilicet, an dicta lis introducta in Rota duraret necne, vel potius per mortem dicti Gasparini, qui eam introduxerat, extincta esset;
Secundo, an praesupposita lite, intraret dicta regula de 3
subrogandis, stante quod Ordinarius tamquam Cardinalis habebat indultum conferendi etiam reservata ac litigiosa; Et tertio posito quod subrogatio bene concessa esset, an subrogatus pro illius executione justificare teneretur necne omnia in litteris narrata.

Primus punctus continebat duas partes contradictorias, quoniam ad effectum attentatorum expediebat Contuccio possessori, pro quo scribebam, litem adesse ac durare; E converso autem ad effectum, ut non intraret dicta regula
de subrogandis, eidem expediebat eam non adesse, quo- 4
niam ex deductis supra *disc. 48.* lis est basis & fundamentum dictae regulae alias non intrantis.

Hic autem punctus durantis, vel respective cessatae litis pendere videbatur ab eo, an dictus Gasparinus, qui ex praefato jactationum remedio causam in Rota committi obtinuerat, dicendus esset actor, vel reus. Posito enim quod esset actor intra-

5 intrabat regula juxta *decis.* Bellam. 159. *num.* 1. Rot. *decis.* 426. *part.* 9. *recent.* & in aliis, de quibus infra super conclusione, quod in beneficialibus per mortem actoris lis finitur, unde cadebat quæstio, an intentans dictum remedium dicatur actor, vel reus.

Et in hoc scribendo super puncto attentatorum, etiam cum sensu veritatis, quam agnoscere quoque visa est Rota in utraque decisione, verius videbatur defunctum potius dicendum esse reum, & consequenter litem durare; Quamvis enim in ista quæstione, an intentans dictum remedium dicatur actor, vel reus, plures habeantur diversæ opiniones recensitæ *in Sabin. transitus, sub tit. de Regal, disc.* 136. ac etiam *in Neapolit. donationis, sub tit. de jurisd. disc.* 62. *& alibi*; Attamen opinio ubique verior, in Rota vero & Curia receptissima est, quod si commissio sequuta est ad instantiam possessoris, ut se in pos-
6 sessione conforeret, ipse dicitur inspecto cortice ordinis actor, sed in substantia est reus, ex deductis, *dec.* 500. *n.* 12. *part.* 5. *rec. dec.* 57. *n.* 31. *&* 32. *part.* 7. apud Merlin. *dec.* 335. 320. *&* 364. quæ sunt repetitæ *dec.* 123. 148. *&* 170. *ead. p.* 5. cum aliis deductis *d. disc.* 136. *de regalib. & d. disc.* 62. *de Jurisd.* ac propterea cum dictus
7 Gasparinus esset possessor, non intrabat dicta Regula de lite finita per mortem actoris, sed potius contraria de non cessante per mortem rei, ex iis quæ ad materiam terminationis litis per mortem unius ex litigantibus, vel per desertionem habentur infra, *disc.* 91. in proposito Regulæ *de triennali*, ad cujus effectum de hoc frequentius quæri solet.

Præterea ubi etiam defunctus fuisset actor, adhuc tamen dici non poterat litem esse finitam, quoniam ut intret dicta Regula terminationis litis per mortem actoris requiritur quod reus aliquem faciat actum, per quem saltem tacite ac implicite, seu adminiculative inducatur ejus animus causam ulterius non prosequendi, puta quia sequuta morte actoris, procuratorem revocaverit, aut incompatibile beneficium obtinuerit, sive alios actus gesserit id probabiliter suadentes juxta traditionem *gloss. in Clement.* 1. §. *si vero ut lite pendente*, ac cæteris relatis habetur apud Merl. *d. dec.* 150. alias *dec.* 170. *n.* 8. *part.* 5. *rec dec.* 599. *n.* 23. *& seqq. part.* 4. *tom.* 3. *dec.* 109. *n.* 5. *part.* 1. *in Faventina Rectoriæ* 3. *Decembris* 1646. coram Bichio cum aliis per Adden. ad Buratt. *dec.* 927. *n.* 34 In hac autem facti specie nullus actus concurrebat, qui hunc animum redoleret.

Item dicta Regula de lite cessante per mortem actoris, neque intrat, quando admixtum quoque est interesse alio-
8 rum superstitum, qui actori defuncto pro eorum jure, vel interesse adhærebant, puta patroni adhærentes præsentato, vel collator adhærens proviso cum similibus ad effectum præsertim dispositionis *Clement, Auditor, de rescriptis*, ut commissa causa in Rota, ibique lite pendente, alter executor non possit se ingerere, ut advertitur *decis.* 398. *part.* 3. *rec. & in Melevitana parochialis* 26 *Maii* 1651. coram eodem Cerro, *dec.* 152. *n.* 3. *part.* 11. *recent.*
9 & in aliis; Et hic erat casus, quoniam in ista lite magis principaliter interessatus videbatur Archiepiscopus propter punctum juris conferendi, vel alterum situationis Ecclesiæ, & loci in ejus Diœcesi, juxta deducta *in d. disc.* 14. *sub tit. de jurisdictione*.

Ac etiam, quia ubi subrogatio collitigantis non est pura, & in forma mere gratiosa, sed in forma commissaria, continens potius mandatum de subrogando, tam in jus collitigantis defuncti, quam ad litis & causæ prosequutionem, cum requiratur factum judicis, seu executoris tale mandatum exequi debentis cum cognitione causæ, hinc intrat dispositio *dictæ Clementinæ Auditor*, ut alter judex assumendus non sit in causa introducta in Rota, ut advertitur *d. dec.* 109. *part.* 1. *rec. d. dec.* 152. *n* 3. *part.* 11. *rec.* & bene in secunda hujus causæ decisione 28 *Aprilis* 1559.

Posita vero duratione ac existentia litis, intrabant de consequenti attentata, quoniam ex dispositione, vel ratione textus *in d. Clement. Auditor* ita communiter intellectæ, quoties causa beneficialis reperitur commissa, & introducta in Rota, cessant omnes exequutores, atque ad Rotam solum privative pertinet exequi, sive etiam in Beneficiis de jurepatronatus instituere, ut etiam confer-
10 re, atque alias gesta coram aliis exequutoribus dicuntur attentata, & tamquam talia reputantur nulla, seu revocanda veniunt, juxta *decis.* 443. Coccini *decis.* 244. *&* 469. *part.* 4 *recent. tom.* 2. & in aliis supra allegatis, & in prima hujus causæ decisione, ac passim, cum sit principium receptum.

Non negabantur hæc per scribentes in contrarium, minusque negantur, imo approbantur in secunda revocatoria decisione super exclusione attentatorum, sed fundamentum constituitur in eo quod dicta commissio causæ in Rota contineret clausulam, *sine præjudicio exequutionis* 11
litterarum Apostolicarum, quæ præservat jurisdictionem exequutoris, ut commissione non obstante, ad executionem procedere valeat, unde propterea inhibitio regulanda est ad limites commissionis, juxta quam intelligenda venit tamquam effectus regulandus a sua causa productiva, ideoque non causat attentata, ut apud Dunozett. *disc.* 847. *num.* 1. Gregor. & Adden. *decis.* 119. Rojas *decis.* 302. *decis.* 209. *num.* 1. *part.* 11. *recent.* cum aliis in dicta secunda decisione.

Ista propositio est vera in casu suo, sed non applicabatur ad præsentem, unde aliquod æquivocum adesse videbatur in applicatione; Quare ad istud æquivocum elucidandum, in dicta ultima disputatione, super dubio, an standum esset in primo, vel in secundo loco decisis (quando nulla capta resolutione, mandatum fuit videri de bono jure) dicebam plures casus distinguendos esse.

Primus vero est, ubi agitur de commissione appellationis interpositæ a sententia, vel decreto judicis inferioris pro exequutione litterarum Apostolicarum, vel al- 12
terius instrumenti, seu obligationis & tunc si commissio habet in ventre clausulam, *sine præjudicio*, præservata remanet jurisdictio judicis a quo, ut circa vitium attentatorum, non obstante inhibitione judicis ad quem, procedere valeat ad exequutionem, ut in terminis beneficialibus firmatur *d. decis.* 209. *part.* 11. *recent.* & generaliter in terminis exequutionis obligationis cameralis, vel alterius processus exequutivi, seu mandati de manutenendo cum similibus procedunt dictæ decisiones coram Dunozetto, Royas, & Gregor. ac aliæ, in dicta secunda hujus causæ decisione.

Alter casus est, ubi agitur de commissione in prima instantia super negotio principali ex dicto remedio *leg. diffamari*, vel simili, in qua Signaturæ stylus est apponendi dictam clausulam *sine præjudicio*, ad effectum, ut non alteretur potestas exequutoris jam dati, ut bene advertit Lotter. qui omnium latius ac melius materiam tractat *lib* 3. *q.* 11. *n.* 31. *cum seq.* itaut supponatur deputationem exequutoris præcedere commissionem in Rota; Et tunc, Aut erant jam expeditæ litteræ Apostolicæ, cum certo ac speciali exequutore, fortius vero si etiam præsentatæ coram exequutore, qui prævenerit, & certum est dictam clausulam esse operativam, cum per eam censeatur Papam voluisse præservare jurisdictionem executoris jam deputati, neque illi tollere jam concessam jurisdictionem, cujus avocatio injuriam ipsius judicis, ac præjudicium partis continere
dicitur, ut per Lotter. *ubi supra, n.* 30. 31. *&* 39. Rota 13
in Tullen. Coadjutoriæ 17. *Maji* 1628. coram Ubaldo & *dec.* 143. *in fine part.* 11. *recent.* & in aliis.

Aut literæ expeditæ adhuc præsentatæ non erant, fortius vero si adhuc non essent expeditæ, & tunc, quamvis gratia dictam commissionem præcederet, attamen dicta conclusio non intrat, quoniam præservativa trahenda non est ad eas futuras lites, quæ tunc non erant in rerum natura, neque ad jurisdictionem adhuc non existentem, ideoque cessant omnes rationes in præcedenti parte hujus casus consideratæ, cum nulla injuria fiat ipsi exequutori, dum nil avocatur, neque præjudicatur parti, dum habet eamdem Rotam in exequutorem, Lotter. *ibidem, num.* 30. *&* 37. Rota apud Marches. *de commiss. tom.* 1. *fol.* 294. & per argumentum a contrario admittitur *in dicta Tullen. coadjutoriæ* coram Ubaldo.

Tertius est, quando de tempore commissionis causæ in Rota, nedum expeditæ non erant, nec præsentatæ litteræ coram alio Exequutore, verum neque concessa erat gratia utpote resultans ex novo contingenti casu mortis collitigantis sequutæ post commissam ac introductam causam in Rota; Et tunc dicebam indubitatum esse, quod intraret dispositio *dictæ Clement. Auditor*, non obstante dicta clausula præservativa contenta in commissione; Tum quia nulla tunc aderat Jurisdictio reservabilis, & sic deficiebat extremum habile, in quo illa verificari possit, cum natura præservationis sit intactum relinquere id quod invenit ac præexistit, non autem aliquid dare de novo; Tum clarius quia numquam alias verificabilis esset dictæ *Clementinæ* dispositio; Et consequenter reflectendo etiam ad solam veritatem, videbatur quod attentata adessent, ac successive, quod magis probabilis fundataque esset prima, quam secunda resolutio.

Aliud deducebant fundamentum scribentes in contra- 14
rium

tium pro evitando dispositionem *d. Clementinæ*, & consequenter attentata, quod scilicet dictus Abbas Farfen. amplum baberet privilegium Apostolicum exequendi intra fines Abbatiæ privative ad quascumque omnes litteras Apostolicas, gratiam, vel justitiam continentes; Verum istud motivum merito neglectum fuit per Rotam utpote nulli innixum fundamento; Tum quia erat supponere pro conclusione id quod principaliter erat in quæstione, an scilicet ista Ecclesia esset necne intra fines dictæ Abbatiæ, cujus contrarium est probabilius ex deductis *d. disc. 14. de jurisd.* Tum etiam quia dispositio *dicta Clement.* continet decretum Concilii generalis Viennen. quod exigit particularem mentionem ac derogationem juxta naturam Conciliorum generalium; ut advertitur supra, *disc. 46. & alibi*, atque de facto dispositio *d. Clement.* inconcusse servatur, qualescumque sint exequutores, sive generales, sive particulares, quando juxta dictam distinctionem casuum intrat ejus dispositio ut supra.

Quo vero ad secundum punctum, an dicta subrogatio in vim Regulæ de subrogandis, præsupposita lite ut supra concedi debuerit, difficultas residebat in eo, quod Archiepiscopus, qui se prætendebat Ordinarium collatorem, haberet indultum Cardinalitium conferendi reser-
15 vata, quod capit etiam litigiosa juxta *dec. 1.* Martin. Andreæ, alias *dec. 525. part. 2. rec.* & habetur alibi supra;
16 Ex hoc enim, non resultat quidem dubium potestatis, quæ in Papa est absoluta in beneficialibus ex deductis *dec. 148. sub tit. de Regalib.* Sed bene illud verisimiliter deficientis voluntatis; Cum enim lis inducat beneficii affectionem ad *text. in cap. 1. & 3. ut lit. pend. in 6.* Hinc proinde Papa concedendo superstiti collitiganti subrogationem, nemini dicitur inferre injuriam, vel præjudicium; Non quidem collitiganti defuncto, cujus totum jus per mortem est resolutum; Neque ipsi collitiganti superstiti, cui facit gratiam, & favorem, Minusque alteri collatori, cujus jus ob dictam affectionem in hujusmodi vacatione remanet impeditum, unde propterea Papa ita ex justo motivo extinguendi litem solum præjudicat sibi ipsi, atque non cogitat præjudicare alteri, ut sequeretur in casu, quo Ordinarius haberet indultum conferendi etiam reservata, & affecta; De hoc autem disputatum
17 non fuit; Credebam tamen istam esse quæstionem potius facti quam juris, cum totum pendeat a voluntate Papæ, ideoque determinationem recipere a stylo Datariæ, quæ est ejus organum, & ex quo Papæ voluntas regulari solet, Mantic. *decis. 214.* Gregor. & Adden. *decis. 150.* Buratt. & Adden. *decis. 510.* & frequenter, neque adhuc occasio præbuit id formiter disputare.

Demum quoad tertium, ac ultimum punctum, an scilicet habens subrogationem teneatur justificare omnia narrata in litteris; Scribentes pro subrogato dicebant huic assistere regulam, quod ad effectum subrogationis, ejusque executionis, sufficit solum justifi-
18 care litem, & clericatum, ac possessionem ejus, in cujus locum est subrogatus de tempore obitus, Gregor. *dec. 32. 306. & 307. in princip.* Duran. *dec. 430. n. 1.* Otthob *dec 140. n. 4.* Lotter. *lib. 3. cap. 13. n. 57.*

E converso autem scribentes pro hac parte insistebant in
19 distinctione, an ageretur de subrogatione per gratiam particularem ad partes, vel potius de illa, quæ tamquam accessoria ad gratiam principalem desumpta est ex clausulis generalibus supplicationis, ut primo casu procedat dicta regula, secus autem in secundo, Garz. *de Benef. part. 6. cap. 4. n. 31. cum seqq.* Rota *dec. 109. n. 13. part. 10. rec.*

Ac etiam insistebant in alia distinctione inter subrogationem in forma gratiosa, in qua Papa utitur verbo *sub-*
20 *rogamus*, & altera in forma rigorosa, seu *in forma dignum*, in qua Papa mandat subrogari, ut hoc secundo casu formalis justificatio desideretur, juxta *dec. 11.* Mohedan. *lite pend. dec 378. n. 1. part. 1. rec. dec. 135. n. 7. & seqq. & dec. 469 n. 17. & 18. part. 4. tom. 2 & in aliis.*

Primo distinctio non intrabat, cum ea cadat in illa subrogatione, quæ obtineatur in vim reservationis, vel affectionis per provisum, tamquam de vacanti, adversus provisum ab Ordinario, seu possidentem jure unionis juxta casum, de quo supra *in Mediolanen. Beneficiorum, disc. 46.*

Bene tamen credebam intrare dictæ distinctionis rationem, ac ad instar; Quemadmodum enim in dicto casu omnia sunt justificanda, & quando reservatio, seu affectio est dubia, non conceditur exequutio, sed requiritur justificatio formalis omnium narratorum causa cognita, ut bene
21 *dec. 187. n. 1. part. 2. rec.* Gregor. *decis. 50.* Burat. *decis. 769. n. 2. & 3.* Lotter. *lib. 3. q 13. n. 69. cum seqq.* Ita a pari, ubi cadit dictum dubium resultans a narrativa, quod beneficium non esset in diœcesi Firmana, sed spectaret ad Abbatiam Farfen. *Nullius*, unde Papa non cogitavit præjudicare Archiepiscopo, qui erat Cardinalis indultarius, atque circa verificationem istius narrativæ erat tota causæ vis, dum de hoc dubitabatur principaliter ut supra.

Et quoad alteram distinctionem, ut pluries advertitur in præcedentibus occasione provisionis in forma *Dignum*, quando detegitur gratiam esse justificabilem, illa dicitur perfecta ab initio, cum justificatio non tri- 22
buat jus de præsenti, sed detegat illud quod jam aderat; Ideoque solidum motivum in bono jure videbatur illud impossibilis justificationis dictæ narrativæ, quod ille locus non esset de Diœcesi sed *Nullius*, ista vero narrativa deficiente intrabat altera difficultas, An constaret de unione Ecclesiæ dictæ Abbatiæ de cujus mensa dici posset, itaut impediret in Archiepiscopo collationem, seu eximeret a concursu juxta formam 23
Concilii, quod formiter disputatum non fuit, & de qua materia habetur pluries actum *infra, sub tit. de Paroch.* præsertim *in Senogallien. Parochialis, disc. 12.* ac etiam *in Sancti Severini, sub tit. de jurisd. disc. 15. & in eadem in supplemento*, & in aliis.

ELBOREN. SUBROGATIONIS,
PRO DATARIA,
seu petente provisionem,
CUM JOANNE BOTTADO.

Casus disputatus coram Datario, & in Rota, sub incertu exitu.

De eadem materia subrogationis dandæ collitiganti in vim regulæ 28. seu 29. An competat impetranti certo modo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Impetranti certo modo beneficium plenum viventis non datur subrogatio.*
3 *Qui sint proprie casus, in quibus pro Regula de subrogandis denegatur subrogatio.*
4 *Est arbitrarium dare, vel negare subrogationem.*
5 *Quod exempla posita in Regula non restringunt.*
6 *De casibus similibus in quibus intrare debet eadem exceptuatio.*

D I S C. LIII.

Facta per Joannem impetratione Thesaurariæ Ec- 1
clesiæ Elboren. jam plene ex causa incompatibilitatis cum Canonicatu, quem illius possessor quoque obtinebat, factisque in partibus coram Exequutore in litteris deputato, vel ejus subdelegato aliquibus actibus cum sequuta morte dicti possessoris, dictus Joannes petiisset subrogationem collitiganti concedendam ex Regula 28, seu 29. de subrogandis, dictæque petitioni se opponerent prætendentes Beneficii provisionem ex vacatione per obitum; Hinc proinde assumpta desuper fuit formalis disputatio coram Datario, qui pluries auditis partibus eorumque defensoribus, id remisit consulendum Rotæ juxta stylum, de quo supra *in Segobricen disc. 49.* unde propterea scripsi etiam pro futura disputatione in Rota habenda, incertus tamen remansi de ulteriori progressu, cum vel ob defensorum mutationem sæpe in istis præsertim causis Hispanis contingentem, vel ex alio accidenti, amplius de causa actum non audierim.

In his igitur disputationibus ultra punctum facti, an adesse diceretur necne lis legitime introducta, quæ dicitur fundamentum subrogationis ex deductis in præcedentibus, Restringebatur causa ad punctum, an dicto Joanni obstaret conclusio apud Beneficialistas recepta, utpote litteraliter contenta in eadem Regula, quod subrogatio non debetur impetranti certo modo Beneficium viventis, & quam impetrandi speciem piscatoriam Beneficialistæ dicunt, ut per Rebuff. *in eadem Regula, n. 1.* Mandos. *q. 6. in 1 part.* Rota *dec. 42 part. 2. divers. dec. 167. n. 26 in fin. part. 4. rec. tom. 2.* apud Gregor *decis. 426. n. 9 in Gerunden. Prioratus 9. Decembris 1664* coram Bichio, & admittitur *in alia edita in ead. causa dec 305. n. 36 & seqq part 9. rec.* & sic an ista impetratio dici possit de illa specie, de qua loquatur Regula.

Dubitandi rationem præbebat, quod Regula prædicta, juxta ejus antiquam editionem, loquitur de impetrantibus Beneficia viventium ex causa objectiva & criminosa, puta ob delictum, vel irregularitatem &c. sed quia dubitabatur, an caperet fraudulentas ac malitiosas impetrationes, quæ sub prætextu invaliditatis provisionis possessoris

fieri solebant de Beneficiis possessis per senes, vel infir- 3 mos, ut ita ob vacationem verisimiliter imminentem, sub hoc prætextu obtineretur provisio pinguium Beneficiorum, alias in casu simplicis vacationis non obtinendorum, quod est expiscari Beneficia, (unde propterea hujusmodi impetrantes dici solent piscatores,) Hinc proinde sub Paulo III. facta fuit nova additio, quæ hodie in Regula cernitur super denegando subrogationes præsertim impetrantibus Beneficia plena per senes, vel infirmos quamvis non ex causa objectiva, puta ex defectu potestatis conferentis, vel ex falsa narrativa valoris, aut non justificationis narratorum cum similibus. Ita enim scribentes pro Joanne dicebant, quod cum dicta additio his tantum casibus providerit, in reliquis damnabilis non remaneat, neque subrogatione indigna illa impetratio, quæ alias quam ex causa criminosa, vel objectiva fieret.

Scribens autem pro Dataria, vel oppositoribus, dicebam, quod Regula non inducit præcisam necessitatem, sed solum insinuat quamdam moralem convenientiam ex laudabili motivo resecandi lites, ac non multiplicandi collitigantes, unde propterea dicitur mera gratia pendens a Papæ libero arbitrio, in quo repositum est id denegare ex aliquo rationabili motivo, quod juxta facti qualitatem ac circumstantias præponderare credatur 4 dicto altero motivo generali, cui regula innititur, ut advertitur apud Coccin. *decis.* 350. *n.* 3. *& in præcedentibus*, unde propterea exempla posita in Regula circa impetrationem ex causa objectiva, vel circa fraudem, quam redolet impetratio illorum Beneficiorum, quorum vacatio ratione ætatis, vel infirmæ valetudinis reputatur imminens, non restringunt Regulam, ut ultra generalia deducta per Barbos. *all.* 277. *n.* 4. In 5 specie hujus Regulæ Lotter. *lib.* 2. *q.* 20. *num.* 92. *cum seq.* ideoque ubi casus esset talis, quod intraret rationis identitas, idem dicendum veniret.

Si enim ageretur de Beneficio possesso per juvenem ac validum, in quo ex facti qualitate probabiliter imminens reputaretur status immutatio inductiva vacationis, quia nempe, ut sæpe contingit, mortuo fratre primogenito, vel alio conjuncto, sibi alicujus feudi, vel majoratus successio aperiretur, unde expediret dimittere 6 clericatum, ac assumere statum laicalem; Vel quod immineret promotio ad majorem Dignitatem incompatibilem, cum similibus, unde propterea affectate fieret impetratio hujus Beneficii, cujus vacatio de recenti sperabatur, ac lis moveretur, utique vanum esset dicere quod iste impetrator non debeat cadere sub dicta exceptuatione, cum similibus; Ideoque ut dictum est, ista remanet causa puri facti, seu arbitrii, ex singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis regulanda, quibus attentis, in hac facti specie juxta præsupposita per oppositores, videbatur contra hujusmodi impetrantem respondendum esse; non potui tamen desuper maturum judicium efformare, cum ignotæ remanerent responsiones, quæ ad excusandam objectam fraudem ex parte dicti impetrantis deduci possent.

AVELLINA CANONICATUS, PRO JOSEPHO DE VIVO, CUM FRANCISCO JANNULO.

Casus decisus per Rotam pro Josepho.

De vacatione primi Beneficii ob assequutionem secundi incompatibilis, quando & quomodo sequi dicatur; Et an substineatur impetratio ab alio facta de primo ex causa hujus vacationis, non facta prius dimissione, sive non facta mentione litis, quæ super secundo aderat; Et de clausula *dummodo non sit alteri jus quæsitum*, de quo jure intelligatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De jure invalido non oportet facere mentionem, neque de illo intelligitur clausula* dummodo non sit alteri jus quæsitum.
4 *De stylo Datariæ non faciendi mentionem de impetratione certo modo, seu piscatoria.*
5 *Quod per assequutionem secundi litigiosi, vel incerti non vacat primum beneficium, & de ratione.*
6 *Declaratur quomodo, & quando procedat dicta conclusio ad* cons. 265. Castrens. lib. 2.
7 *Qui sit terminus ad dimittendum primum incompatibile, & ad quem effectum dictus terminus est statutus.*
8 *Expenditur dictum* cons. Castrens.
9 *Quod Dataria illud practicat, providendo primum beneficium eo ipso, quod contulit secundum.*
10 *Vacatio & non vacatio sunt contradictoria, ideoque dari non potest beneficium plenum & vacuum.*
11 *Ad effectum validæ provisionis attenditur illius tempus, & an tunc beneficium vacet.*
12 *De casu in quo loquatur* Castrensis, *ac de ratione in suo casu cadente.*
13 *Impetrator certo modo quamvis possessor non est legitimus contradictor, & non impedit executionem literarum provisi tamquam de vacanti.*

DISC. LIV.

Vacatu per obitum de mense Martii 1648. Canonicatu majori Cathedralis, Ordinarius de illo 1 providit Josephum, Horatius autem illum impetravit a Sede Apostolica tamquam reservatum ex capite subcollectoriæ, atque me pro isto scribente prodiit sententia A. C. exequutoris Brevis de capienda possessione nomine Cameræ pro exequutione; Quia vero probatio unicitatis subcollectoris erat aliqualiter turbida, idcirco, ex mea opera ac mediatione, deventum est ad concordiam, a Sede Apostolica approbatam, ut Horatio proviso Apostolico remaneret Canonicatus major, Josephus autem provisus ab Ordinario obtineret Canonicatum minorem a dicto Horatio dimittendum, ac etiam annuam pensionem scutorum decem super dicto Canonicatu majori.

Ista vero lite pendente, ac priusquam prodiret dicta sententia executoris, Franciscus impetravit dictum Canonicatum minorem tamquam vacantem per assequutionem secundi incompatibilis, atque expeditis litteris de facto nemine citato, possessionem adeptus est, in qua jam reperiebatur de tempore dictæ concordiæ, deindeque adhibuit solitam cautelam committendi causam in Rota cor. Cerro ex remedio *leg. diffamari*, seu *jactationum*. Unde propterea expeditis litteris provisionis Josephi per dimissionem, eisque præsentatis in Rota coram eodem Cerro, ad formam *Clement. Auditor, de rescript.* datum fuit dubium; An litteræ essent exequendæ, atque affirmativa prodiit resolutio sub *die* 17. *Martii* 1651. confirmata 12. *Junii sequentis*, quarum prima est impressa inter *rec. decis.* 131. *part.* 11. atque Francisco non acquiescente, 2 sed adeunte Signaturam Justitiæ, bis rescriptum fuit de mensibus Augusti, & Septembris ejusdem anni 1651. cum clausula huic parti favorabili, *parito litteris*, unde propterea Franciscus acquievit, atque causa finem habuit.

In istis disputationibus, tam in Rota, quam in Signatura, præsertim vero in hac secunda, in qua illæ acriores fuerunt, principalis punctus respiciens merita causæ, consistebat in validitate, vel invaliditate dictæ primæ impetrationis factæ per dictum Franciscum; Posita enim validitate, certum erat quod secunda provisio Josephi remanebat invalida, & non merebatur executionem, Tum quia Beneficium erat jam plenum, atque modus vacationis non verificabatur; Tum etiam quia ob nullam ejusdem provisionis mentionem factam, secunda provisio remanebat sine dubio subreptitia, præsertim ob clausulam, *dummodo non sit alteri jus quæsitum*.

Secus autem si esset invalida, juxta receptam conclusionem, (quam deductam a me in ista causa scribente pro Josepho, contra quem scripseram in alia, non negabant scribentes in contrarium, utpote in abstracto veram; ita ut 3 omnes quæstiones consistant in sola applicatione,) quod scilicet de jure invalido non oportet facere mentionem, neque in eo locum habet Regula *de jure tertii quæsito non tollendo*; Ideoque dicta clausula, *dummodo non sit alteri jus quæsitum* in litteris apponi solita, intelligitur de jure valido, præsertim ubi ageretur de impetratione certo modo, quam Beneficialistæ piscatoriam dicunt, de qua stylus Datariæ est non facere mentionem, juxta *gloss in cap suggestum, de jurepatronatus, vers quamvis posterius, & in cap. ex tenore, de rescriptis*, ubi Felin. & Decius *ac cæteri* apud Garz. *part.* 4. *cap.* 3. *n.* 64. Lotter. *lib* 2. *q.* 31. *n.* 26. Cavaler. *dec.* 280. *&* 333. *utrobique n.* 2. cum aliis in hujus causæ decisionibus, præsertim in secunda, in qua enunciatur 4 dictus Datariæ stylus non faciendi mentionem de impetratione certo modo, seu piscatoria, magisque respondetur ad dictam clausulam, *dummodo*; Siquidem, ut dictum est, distinctio inter jus validum ac invalidum est recepta,

& quo-

& quotidiana, solumque disputationes cadunt super
applicatione ad casum, an scilicet agatur de jure va-
lido, vel invalido.

Validitas autem, vel nullitas dictæ impetrationis
pendebat ab eo, an de tempore quo illa sequuta est,
dictus Canonicatus minor vacaret necne; Cumque in
disputationibus habitis in Rota, scribentes pro Fran-
cisco impetrante non excitassent difficultatem resul-
tantem ab infra allegando *cons.* Castrens. Hinc pro-
cessum fuit cum conclusione a me deducta, quod va-
catio primi per assequutionem secundi resultat, quan-
do obtentio secundi sequuta sit cum effectu ac pacifi-
5 ce, non alias; unde propterea donec secundum est in
lite, non cogitur provisus primum dimittere, utpote
incertus de secundo, & ne alias in casu mali eventus
litis careat utroque, sive cogatur novam litem susci-
pere cum illo qui primum impetrasset, atque in
ejus possessione se intrusisset, ut fuisset casus præsentis
controversiæ, si Horatius provisus de Canonicatu ma-
jori jam possesso per provisum ab Ordinario, ob non
bene probatam reservationem succubuisset, ut clare
disponitur in eodem textu *in cap. de multa, de præ-
bendis*, ubi est sedes principalis hujus materiæ duo-
rum incompatibilium, *ibique gloss. verb. post receptio-
nem*, & clarius *in cap. licet, secundo, de præbendis
in 6.* ibi, *Licet Beneficium postquam aliud acce-
pisti, ac ipsius pacificam possessionem habuisti, possit alteri de
jure conferri &c.* quod etiam clare disponitur *in Cle-
ment. gratiæ, de rescriptis, Clement. si plures, de præ-
bendis, & in Extravag. execrabilis*, ac firmant com-
muniter scribentes, præsertim Abb. *in d. cap. de mul-
ta, n. 16.* & Franch. *in d. cap. licet, n. 1.* Paris.
(qui dicit ab omnibus receptum) *de resignat. lib. 3.
q. 1. n. 129.* Garz. *part. 11. cap. 5. num.* 100. Burat.
decis. 102. *in princip.* Adden. *ad eam, decis. 19. &
communiter*, dum existentibus juribus claris ac litera-
libus, DD. auctoritatem desiderare non oportet, ac
etiam quia convincens, atque viva est ratio prædi-
cta, cui conclusio innititur.

Difficultas autem major fuit in disputationibus ha-
bitis in Signatura, quoniam ingeniosissimus vir, ac
6 doctus Beneficialista *Andosilla* Signaturæ Decanus di-
cebat, dictam conclusionem esse veram in ordine ad
præjudicium ipsius possessoris primi Beneficii obtinen-
tis secundum incompatibile, quod scilicet donec durat
lis, vel incertitudo, non debet privari primo, ob di-
ctum inconveniens, ne careat utroque, sive quod suc-
cumbente in lite super secundo, novam litem cum
primi impetratore suscipere ac substinere cogatur; Se-
cus autem, ubi ista ratio cessat, atque possessor pri-
mi jam obtinuit secundum, tunc enim tamquam pu-
rificata conditione sub qua primi vacatio resultabat,
ista retrotrahitur ad initium adeptionis secundi, per
quam vacat primum ipso jure ac in instanti absque
necessitate alicujus termini.

Ille siquidem terminus, qui desideratus videtur per
7 *text. in dict. cap. de multa, de præbendis cum concord.*
quem Beneficialistæ ex communi intellectu statuerunt
duorum mensium, intelligitur ad effectum, ut utriusque
possessor pacificus cum perceptione fructuum utroque ca-
reat, & sic quod provisio tamquam de vacanti per asse-
quutionem, ista effectuata, retrotrahatur ac substineatur
ab initio, juxta punctuale *cons.* 265. Castrens. *lib.* 2.
num. 2. *cum seqq. & per totum* canonizatum per Rotam
in Calagurritana beneficii de Ochon. 17 *Martii* 1603.
coram Ottembergo, quod etiam canonizari videtur *de-
cis.* 475. *num.* 18. *part.* 11. *recent.* atque post altas dispu-
tationes canonizatum etiam fuit *in Rhegginen. Archi-
presbyteratus* 28. *Maji* 1657. coram Priolo impress. *dec.*
241. *part.* 12. *recent. num.* 13.

Pro ista difficultate superanda, dicebam primo, quod
8 dictum *cons.* Castrens. in specie reprobatur per Garz. *in
Addit. ad part.* 11. *cap.* 5. *ad n.* 116. ibique responde-
tur etiam *decis. Calaguris. de Ochon.* in qua potius in-
cidenter hoc deductum fuit, unde propterea in secun-
da decisione edita in eadem causa, de qua *decis.* 160.
part. 2. *rec. n.* 2. nulla ratio de hoc motivo habita fuit,
atque in *d. decis.* 475 *part.* 1. *n.* 18. id potius inciden-
ter dicitur; Verum ista responsio erat parum tuta, Tum
quia non de facili admittendum est, ut debeat deferri
moderno *Garziæ*, elaborato quidem collectori, sed non
magno Doctori, reprobanti antiquum Jurisconsultum
adeo gravem; Tum clarius quia Dataria illud sequitur,
9 ac practicat, præsertim a moderno tempore, quo alio
termino non expectato, neque desiderata dimissione ob-
tinentis secundum, ut antiquitus practicari solebat, illi-
co ac sæpius contemporanee providetur utrumque.

Solidior autem erat altera responsio, quæ admissa fuit,
atque favorabile rescriptum causavit, quod scilicet in
hac facti specie concurrebat principale interesse ipsius
possessoris primi Beneficii, ne istius vacatio sequeretur,
donec secundi pacificam ac tutam possessionem obtine-
ret, ut supra, dum de tempore quo sequuta est dicta
impetratio Canonicatus minoris, Horatius illius pos-
sessor non obtinuerat possessionem secundi majoris, im-
mo neque sequuta erat sententia exequutoris, quæ ne-
que illum reddebat tutum; Quinimo eventus Signatu-
ræ reddiderat eum magis timidum, dum in processu
executivo ac adeo privilegiato rescripserat de clausula
translativa, *parito litteris arbitrio*, ob notabilem tur-
biditatem probationis collectoriæ cum qualitate unici-
tatis, quæ est causa reservationis, ejusque basis ac
fundamentum, ut pluries in præcedentibus habetur
ad materiam hujus reservationis. Unde propterea di-
cebam, quod de tempore impetrationis Beneficium
dici non poterat vacans, utpote jam plenum a di-
cto primo possessore, qui deterritus, ut frequenter
contingit, ab impensis & incommodis litis Rotalis,
quoties Beneficia non sunt plusquam pinguia, potuis-
set, litem deserendo, contentus esse primo minori
Beneficio pacifico, sequendo illud prudens dictum,
melius est modicum cum quiete &c. Ideoque cum
vacatio, & non vacatio sint de directo contraria &
incompatibilia, hinc dari non potest casus, ut Bene- 10
ficium esset tunc bene plenum a priori possessore,
qui deserendo litem super secundo in antiqua posses-
sione primi perseveraret, & quod dici posset vacans,
ut per Seraph. *decis.* 997. *num.* 1. Lotter. *lib.* 3. *quæst.*
9. *n.* 16. *& seqq. n.* 42. & conferunt deducta apud Bu-
rat. *d. decis.* 102. ubi quod id satis attendendum est
ad effectum sciendi mensem, in quo vacatio primi
per assequutionem secundi sequatur.

Et quamvis de tempore hujus disputationis, Horatius
possessor primi, stante dicta concordia, dici posset in
tuto positus, obtinendi Canonicatum majorem, ut scri-
bentes in contrarium inculcabant in Signatura; Dupli- 11
cem tamen dabam responsionem; Primo scilicet, quod
juxta proxime allegatas auctoritates Seraphin. & Lotter.
ad hunc effectum attenditur tempus impetrationis, non
autem quid inde sequutum sit; Et secundo, quod dicta
securitas obtinendi secundum erat causativa, seu condi-
tionalis, quatenus scilicet Joseph qui ejus possessor erat,
ex ordinaria provisione obtineret Canonicatum mino-
rem ac pensionem, nec alias liti ac possessioni Canoni-
catus majori cessisset, unde concordia effectum non
sortiente ad suum jus redire poterat.

Observabam præterea Castrensem bene loqui in suo 12
casu, in quo supponitur provisum de secundo incompa-
tibili, de tempore impetrationis jam obtinuisse illius pa-
cificam possessionem; lis autem excitata fuerat post jam
sequutam impetrationem primi tamquam vacantis per ef-
fectuatam assequutionem secundi, quo casu intrare pot-
est ratio fraudis & collusionis ponderata per Castr. quod
scilicet ita posset in fraudem hujusmodi impetrantis de
tempore habili affectari lis, ut ei tolleret jus quæsitum,
& sic posita etiam veritate dictæ auctoritatis, tolle-
batur difficultas ex defectu applicationis.

His sic stantibus, non solum resultabat dictus ef-
fectus quod de jure invalido non oportebat facere
mentionem, sed etiam resultabat alter, quod dictus
impetrator, ac possessor dici non posset legitimus
contradictor ad impediendam executionem literarum
Apostolicarum hujus provisionis, quoniam ita dictus
malus impetrator, dici poterat impetrator certo mo-
do de Beneficio pleno ac viventis, qui propterea
quamvis in possessione de facto se intrusisset, dici
non potest legitimus contradictor ad impediendam
executionem literarum provisi ex legitimo modo va-
cationis, ut firmatur *in Melphien. Cantoriæ* coram 13
Otthob. *decis.* 58. edita in causa, de qua *disc.
proxime sequenti*, ubi de concordantibus, & ex
his causa finem habuit, atque dictus impetrator ac-
quievit.

ANNOT. AD DISC. LIV. & seqq.

De incompatibilitate beneficiorum, eorumque re-
servatione habetur in *eodem tit. disc.* 109. 116.
cum quatuor seq.

MELPHIEN. CANTORIÆ.

PRO JOANNE BAPTISTA GALLEATIO, CUM DONATO MAFFEO.

Casus decisus per Rotam pro Joanne Baptista.

De eadem materia duorum incompatibilium. Et quando dispensatio super eorum retentione subsistat necne; Et an talis defectus impediat assequutionem secundi.

De invalida impetratione Beneficii curati, non facta mentione curæ; Et qualis ista esse debeat ad hunc effectum.

Et aliqua de materia legitimi contradictoris, an talis dici possit Capitulum, vel impetrator certo modo, qui possideat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Puncti cadentes sub disputatione.*
4 *Sententia quæ non justificatur ex actis est nulla.*
5 *Quid in beneficialibus, & de differentia inter executorem merum, & executorem mixtum.*
6 *Executor merus potest se extrajudicialiter informare.*
7 *Capitulum non est legitimus contradictor provisis de Canonicatibus, & dignitatibus.*
8 *Quando autem sit talis, ac possit supponere ob qualitates.*
9 *Et de interesse ob servitium Ecclesiæ.*
10 *Non habens interesse non debet audiri.*
11 *Aliud est posse se opponere, ac debere citari, & audiri, aliud vero esse legitimus contradictor, & de effectibus.*
12 *In casibus, in quibus ut supra, n. 8. & 9. Capitulum potest, ac debet audiri, sed non per hoc est legitimus contradictor.*
13 *De clausula*, qui ad ulteriorem exequutionem, *vel* ad legitimam, *ut concedat facultatem procedendi ex integro.*
14 *Impetrator certo modo non est legitimus contradictor proviso pure per vacationem.*
15 *Impetratio certo modo exigit judicium ordinarium per tres conformes in figura judicii, & de ratione.*
16 *De errore exequendi de facto impetrationem certo modo.*
17 *In provisionibus de beneficiis curatis debet fieri mentio curæ.*
18 *Declaratur quando dicatur Ecclesia curata ad hunc effectum.*
19 *Non ex eo quod Canonici, & Dignitates audiunt confessiones, ac administrant sacramenta dicuntur beneficia curata.*
20 *Incompatibilitas impedit retentionem primi, non autem exequutionem secundi.*
21 *Papa concedendo duo incompatibilia censetur dispensare in uno circa ea, quæ vere sunt incompatibilia.*
22 *An in prima Dignitate dari possit retentio Ecclesiæ parochialis.*
23 *Prima Dignitas facit primas functiones absente, vel impedito Episcopo quatenus velit, sed non cogitur invitus.*

D I S C. LV.

1 PRovisus Jo: Baptista de Cantoria prima Dignitate
Cathedrali vacante per obitum, cum narrativa, quod
huic non incumberet cura animarum, obtinuit etiam di-
spensationem super retentione Ecclesiæ parochialis S.
Nicolai, sub alia narrativa, quod utrique sine detri-
mento cultus divini & curæ commode servire pote-
rat, quodque alii possessores dictæ Dignitatis ex con-
simili Apostolica dispensatione parochiam quoque re-
tinuerint, expeditisque literis obtinuit ab executore
sententiam super exequutione, cui de facto se oppo-
suit capitulum, a quo interposita appellatione & commis-
sa causa in Rota coram Otthob. cum interim Donatus ob
dictę provisionis prętensam invaliditatem ex falsa narrati-
va, quod dictæ Cantorię nulla incumberet cura animarum,
stante quod una ex septem Civitatis parochiis Ecclesię Ca-
thedrali annexa est, eandem dignitatem certo modo impe-
trasset, ejusque possessionem de facto ab exequutore in lite-
ris deputato absque dicti Jo: Baptistæ citatione (consen-
tiente ac adhærente capitulo) obtinuisset: Hinc obtenta
per Joannem Baptistam commissione directa eidem Ot-
thobono cum facultate procedendi ad ulteriorem exe-
quutionem, datoque dubio ad formam commissionis, *An* 2
locus esset ulteriori executioni literarum Apostolicarum,
illoque proposito sub *die 2. Martii 1646.* affirmativa
prodiit resolutio, ad cujus normam expedita senten-
tia, eaque canonizata per Signaturam Justitiæ cum clau-
sula, *sine præjudicio executionis*, ista subsequuta, im-
petrator acquievit, atque causa finem habuit, dictaque
resolutio habetur *inter decisiones* Otthob. *dec.* 58.

In ista igitur disputatione (in qua ego occasionaliter
ad Curiam accedens ratione muneris Vicarii Generalis in
patria, adhuc indeterminatus, an Advocationis laborio-
so muneri me subjicere deberem, scribebam sine nomi-
ne pro amico, ac pene concive,) quatuor fuerunt pun-
cti; Primus scilicet ordinis, an locus esset ulteriori exe- 3
cutioni, stante prætensa nullitate sententiæ aliorumque
actorum, exequutoris in literis deputati ex pluribus de-
fectibus, ut frequentius contingit in hujusmodi causis
beneficialibus extra Curiam; Secundus pariter ordinis,
an tam capitulum, quam præfatus Donatus dignitatis
impetrator ac possessor, oppositoris partes gerentes, di-
cendi essent legitimi contradictores ad impediendum pro-
cessum exequutivum literarum Apostolicarum; Tertius
in meritis, an invalida esset dicta provisio, & consequen-
ter valida impetratio oppositoris ob falsam narrativam,
quod dictæ Dignitati non incumberet cura animarum;
Et quartus super invaliditate dispensationis retinendi et-
iam parochialem ob aliam narrativam, quæ falsa etiam
prætendebatur, quod utrique commode per se ipsum
sine detrimento cultus Ecclesiæ, & curæ servire posset.

Quatenus pertinet ad primum, scribentes pro opposito-
ribus, plures deducebant nullitates dictæ sententiæ exe-
quutoris aliorumque actorum, ob deficientem justificatio-
nem ex actis; Verum videbatur levis oppositio, quo-
niam necessitas compilandi processum ser. ser. parte cita-
ta, omniaque justificanda in actis, sine quorum justifi-
catione receptam, atque quotidianam propositionem ha-
bemus, ut sententia, cum inde sequutis sit nulla, Gre- 4
gor. & Adden. *dec.* 1. *&* 209. Burat. *dec.* 823. *n.* 2.
dec. 197. *part.* 5. *rec. & passim*, procedit in hac ma-
teria beneficiali, quando agatur de exequutore mixto,
qui in casu legitimi contradictoris assumere debet forma-
les partes judicis, secus autem ubi non existente legitimo 5
contradictore, agatur de executore mero, quoniam iste
non tenetur compilare processum formalem judiciarium,
neque literarum justificatio facienda est formiter in actis,
sicuti est in executore mixto, sed procedere potest etiam
per extra judicialem informationem, atque si de facto ad 6
executionem processit, præsumptio est, quod se informa-
rit, atque ista est differentia inter executorem merum ac
executorem mixtum, ex deductis per Buratt. & Adden.
dec. 842. Rota *dec.* 70. *n.* 6. *part.* 6. *dec.* 51. *n.* 10. *part.* 7.
rec. in hujus causæ decisione, *n.* 27. & frequenter, cum sit
conclusio recepta & quotidiana, aliam non admittens
quæstionem nisi illam applicationis, an scilicet agere-
tur de exequutore mero, vel mixto.

Dubitandum autem non esse dicebam quod dictus exe-
quutor esset merus, quoniam tunc non aderat dictus im-
petrator, unde cadere posset dubietas, an esset legitimus
contradictor, necne, sed oppositoris partes gerebat solum
capitulum, cui de jure pariter receptum est ut in exequu-
tione literarum super provisione dignitatis, vel Canonica-
tus jus non competat assumendi partes legitimi contradi- 7
ctoris, Cavaler. *decis.* 460. *n.* 3. *& seqq.* Gregor. & Add.
decis. 221. Adden. ad Burat. *d. decis.* 842. Merlin. *decis.*
141. *in fin. & in hujus causæ decisione*, *num.* 31. ac fre-
quenter, cum sit conclusio plana.

Et quamvis, ut patet ex celebri *Toletana Canonicatus
Pœnitentiarii* cor. eodem Otthobono inter suas *dec.*75. ac
plerisque aliis præsertim apud Carill. *dec.*201.*n.*9.*& in Ro-
mana Canonicatus* 11. *Maji* 1654. coram Priolo, confirma-
ta 25. *Junii* 1655. *coram eodem*, quarum secunda est *dec.*67.
*part.*2.*rec.* frequentes habeantur capitulorum oppositiones
provisis de Dignitatibus, vel Canonicatibus, præsertim in
Hispania, & Germania, ubi frequentes ac pene continuæ 8
solent esse oppositiones capitulorum adversus provisos A-
postolicos: Attamen id provenit ob defectum qualitatum,
quæ ex ipsorum capitulorum respective privilegiis, vel sta-
tutis, aut consuetudinibus desiderantur in obtinentibus Di-
gnitates & Canonicatus; In Hispania scilicet ob impurita-
tem sanguinis; In Germania ob defectum nobilitatis, vel
natalium; Et in Italia ob defectum originis, seu civicę qua-
litatis, cum in plerisq; Ecclesiis ex privilegio, vel consuetu-
dine

dine prætendatur non nisi cives, vel nationales admittendos esse juxta casum enunciatum supra in *Nullius Sypontin. disc.* 11. ac aliud, de quo *d. decis.* 67. *&* 105. *part.* 12. *recent. & in d. decis.* 201. Carilli cum similibus.

Iste vero opponendi titulus in hac facti specie non cadebat, quoniam cum ista Cathedralis (juxta fere generalem consuetudinem illarum partium) sit receptitia omnium civium certas qualitates habentium, qui admittuntur ad participationem massæ grossæ, quasi in nihilo differentes a Canonicis, & dignitatibus, adeout jam admissi per capitulum ad servitium ob justificatas necessarias qualitates promoveri soleant ad sacros ordines ad titulum hujus participationis: Atque dictus Joannes Baptista ante hujusmodi provisionem jam admissus esset ad dictam participationem, consequenter nullus remanebat in capitulo titulus contradictoris, vel oppositoris; Licet enim scribentes in contrarium dicerent, capituli interesse versari in eo, ut non substineretur Apostolica dispensatio super retentione, utriusque incompatibilis, ex eo quod vacando parochiali, cogebatur pro-
9 visus deserere cultum Cathedralis juxta quartum & ultimum punctum, attamen dicebam id operari posse, ut capitulum haberet aliquod interesse, ad effectum ut posset opponere ac debeat audiri juxta casum *dict. decis.* 205. Carilli super defectu ordinis, cum alias nullum ha-
10 bentes interesse in causa exaudiendi non sint, atque ad hunc effectum sufficiat interesse quale quale, Greg. & Adden. *decis.* 118. *num.* 5. *&* 6, Buratt. *decis.* 13. *num.* 7. Otthob. *decis.* 171. *num. fin. & quotidie*; Secus autem ad effectum ut dici possit legitimus contradictor.

Ut enim advertitur infra in hac materia legitimi contradictoris, longe differunt inter se, ut debeat, vel possit audiri, & quod sit legitimus contradictor; Stant enim be-
11 ne simul, quoties non agitur de intruso omnino notorio, ac indubitato, ut possessor, seu alias ex titulo quamvis invalido se opponens, debeat citari ac audiri in processu executivo litterarum provisionis Apostolicæ, & tamen non sit legitimus contradictor, cujus titulus causet cessationem processus executivi, unde procedi debeat in judicio ordinario ac appellabili, atque immutet personam executoris, quod dici non possit merus, sed mixtus gerens personam judicis formalis cum processu ac tela judiciaria; Atque in hoc versatur frequens exterorum æquivocum, quoniam aliud est posse se opponere, & sic gerere partes contradictoris de facto, ut debeat audiri, aliud vero gerere personam contradictoris legitimi de jure ad præfatos alios effectus; Unde propterea etiam in dictis casibus, in quibus propter obstantiam statutorum, vel privilegiorum circa dictas qualitates, qua-
12 rum respectu capitulum dici valeat habere interesse, ac juridice possit se opponere, id percutit dictum effectum, ut possit ac debeat audiri, neque eo se opponente spreto, de facto procedi ad exequutionem, non autem ut dicatur legitimus contradictor.

Et nihilominus ubi etiam dici posset gesta coram dicto exequutore aliquo nullitatis defectu laborare, adhuc tamen
13 ex dicto rescripto potest Rota, vel alter Judex appellationis ex integro procedere ad exequutionem, ut advertitur in causæ decisione *n.* 30. ac etiam habetur *decision.* 31. *part.* 10. *recent. num.* 22. edita in causa, de qua *supra discurs.* 17. atque in prophanis habemus frequenter circa clausulam *si quid exequendum*, vel alteram *qui ad legitimam* quod data nullitate, vel excessu mandati, vel sententiæ judicis a quo, Judex ad quem recte concedit exequutionem ex integro. Atque hinc satisfactum remanebat secundo puncto legitimi contradictoris in ordine ad capitulum.

Quo vero ad dictum impetrantem certo modo, qui etiam possessor erat, dicebam pariter, etiam cum sensu veritatis, qualem Rota agnovit, quod dum dictus erat impetrator certo modo de beneficio viventis ob prætensam
14 nullitatem provisionis, quam impetrationis speciem Beneficialistæ piscatoriam dicunt, hinc proinde ex ejus prætextu impedire non poterat dictæ provisionis exequutionem, neque pure proviso per obitum dicendus esset legitimus contradictor, ut cæteris relatis firmatur *dec.* 700. *num.* 8. *part.* 1. *recent, dec.* 542. *pariter n.* 8. *& dec.* 641. *n.* 2. *par.*
15 4. *& in hujus causæ decisione* 33. ac in aliis pluries, cum videatur principium certum ac absolutum.

Ex ea clara ratione, quod talis impetratio respicit punctum petitorii, ejusque exequutio tractanda est in forma judiciaria coram exequutore mixto, ac in judicio ordinario & appellabili terminando per rem judicatam, vel per tres conformes, Otthobon. *decis.* 186. *num.* 12. *& seqq. decis.* 314. *part.* 10. *recent. & sæpius*; Et consequenter dici non potest exceptio incontinenti probata, & apta impedire exequutionem gratiæ puræ, sed rejicienda est ad petitorium, non curata possessione, quoniam cum illa ut supra capi deberet per manus executoris mixti in forma judiciaria post terminatum judicium per rem judicatam, vel tres conformes, sine dubio notorie intrusiva remanet possessio capta de facto, neque citato eo, contra quem facta est impetratio, *ut in proxime, & in hujus causæ decisione allegatis.*

Alia etiam clara ponderata ratione, magni ac manifesti absurdi alias exinde resultantis, quoniam, ut pluries ego de facto vidi in praxi, pluribus concurrentibus ad Beneficium vacans per obitum, si contingat unum gratificari; Alter æmulus exclusus, impetrationem facere solet certo modo ob falsam narrativam valoris, sive ob irregularitatem, aut aliam incapacitatem, atque deinde diligentius expeditis litteris, provisum prævenire in adeptione possessionis de facto, unde maximum esset absurdum, quod iste impetrator dicendus esset legitimus contradictor, adeout pure provisus per obitum, seu aliam speciem vacationis, cogeretur longam ac dispendiosam litem assumere, ac substinere in judicio ordinario per tres conformes, ita impetratore piscatorio interim se consovente in possessione; Ita enim pure provisis, præsertim in Italia, ubi ob Beneficiorum tenuitatem non expedit hujusmodi lites assumere ac substinere, potius expediret litem deserere, quo nil absurdius; Atque iste est nimium frequens error, stultitiæ speciem habens in partibus, quod hujusmodi impetrantes certo modo, de facto se intrudunt in possessione cum ma- 16
gnis, ac inanibus expensis se depauperantes, legitime proviso ac possessori indebitas molestias, ac sumptus causando, unde magna resultant scandala & inconvenientia, pro quibus tollendis nimium laudabile esset, quod illi executores in litteris deputati, qui ita indocte ac temere ad hujusmodi executiones procedunt, ad reficiendum omnia damna utrique parti cogerentur.

Quovero ad tertium punctum in meritis, super prætensa nullitate gratiæ ob falsam narrativam, quod huic Dignitati non incumberet cura animarum; Scribentes in contrarium longas retexebant allegationes ad pro-
bandum dictæ gratiæ nullitatem ac subreptionem, non 17
solum ubi accedit narrativa falsa, super non existentia curæ, sed etiam ubi defectus consisteret in solo silentio, seu omissione hujusmodi qualitatis, ex recepto beneficiali principio, quod quæcumque provisiones, aut aliæ disputationes circa Beneficia habentia annexam curam animarum habere debent mentionem talis qualitatis, alias remanent invalidæ & supreptitiæ, Menoch. *de Arbitr. cas.* 201. Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 20. *n.* 163. *& seq.* Greg. *dec.* 450. *num.* 2. ubi Addit. Ror. *decis.* 684. *num.* 1. *part.* 3. *recent.*

Non negabam ego veritatem dictæ conclusionis in suo casu vere, quando agitur de beneficio vere curato, quia sibi principaliter actu, & habitu cura in-
cumbat; Dicebam tamen secus esse ubi sit accessoria, 18
vel quia agatur de Ecclesia cura annexa alicui Dignitati, vel magis de plano, ubi cura annexa esset capitulo in universum, quoniam tunc dici non potest illam incumbere singulis dignitatibus, & Canonicis, tam ad illum effectum faciendi mentionem, quam ad alium ætatis, quæ necessaria est in beneficiis curatis, vel similes juxta consil. Oldrad. 67. Gonzal. *ad Regul.* 8. *gloss.* 6. *n.* 42. Greg. *dec.* 108. cum concordantibus in hujusmodi causæ *decis. n.* 8. *&* 9. *& dec.* 31. *n. fin. part.* 10. *recent.* edita in causa, de qua supra *in Nuscana, disc.* 17.

Et quamvis contrarium diceretur, quod dignitates, & Canonici hujus Ecclesiæ, ex Constitutionibus Synodalibus aliisque decretis Episcoporum, in diebus festivis ac in hebdomada majori aliisque solemnitatibus anni tempo-
ribus audire soleant fidelium confessiones, ac etiam Eu- 19
charistiç Sacramentum administrare, Attamen id provenit pro decenti cultu Ecclesiæ Cathedralis in genere, præscindendo a particulari cura animarum ratione dictæ parochiæ eidem Ecclesiæ annexæ, eo modo quo nedum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, sed etiam in illis Regularium, ac aliis nullam curam annexam habentibus, pro decenti cultu practicatur, non inde tamen infertur ad curam, ut bene advertitur in Causæ *decisione, n.* 15. *&* 16. ubi allegantur *decis.* 226. *num.* 10. *& decis.* 258. *in fine part.* 1. *recent.*

Demum quoad quartum & ultimum punctum invalidæ dispensationis super incompatibilitate; In hac dispensatione omnis difficultas cessabat, quoniam exceptio incompatibilitatis percutit retentionem primi, non autem asse-

quutio-

quutionem secundi, ideoque impedire non potest exequu-
20 tionem secundæ gratiæ, Cavaler. *dec.* 450. *dec.* 174. *in fin. part.* 5. *recent.* & *sæpius*: Ideoque ubi etiam dispensatio invalida esset, id causasset vacationem parochialis, ac etiam utriusque si post adeptam pacificam possessionem secundi, continuasset in possessione utriusque cum perceptione fructuum ex deductis *disc. præcedent.* sed nunquam impedire poterat assequutionem secundi.

Præterea cum impedimentum retinendi utrumque beneficium, atque utrique eodem tempore inserviendi consisteret potius in jure quam in facto, seu etiam in facto notorio; Hinc proinde, cum in his non detur ignorantia in Papa, ita concedendo hujusmodi reten-
21 tionem, concedere censetur exemptionem respectivam ab uno servitio, vel scilicet, ut vacando Cathedrali explere posset munus in Ecclesia Parochiali per Vicarium, Vel quod eximeretur ab interessentia in Cathedrali, patiendo amissionem distributionum, juxta notabilem *gloss. in cap. si quis in clera, verba solemnib.* 7. *quæst.* 1. ubi Gemin. & Præposit. ac advertitur in causæ decisione *num.* 23. & 24.

Et quamvis exaggeraretur, quod hæc procedere possent in aliis Dignitatibus, & Canonicatibus, non autem in ista, quæ est prima, unde in majoribus sole-
22 mnitatibus, præsertim Resurrectionis ac Nativitatis Domini, ac in die Cœnæ, omnino congruit, ut Parochus sit in parochia; Prima vero Dignitas in Cathedrali, ut assisteret Episcopo, sive eo impedito primarias functiones perageret; Attamen difficultas tollebatur facto, in quo docebatur, prædecessorem ejusdem dignitatis possessorem, compatibiliter in istis temporibus utrique Ecclesiæ inservisse, cum functiones Pontificales fieri soleant ultimis horis matutinis post expletas functiones
23 parochiales; Ac etiam quia id recte potuit innotescere Papæ, cujus generalis, seu verisimilis cogitatio tollit defectum subreptionis; Ea etiam consideratione accedente, quod ut advertitur *sub titul. de præeminentiis*, ista est prærogativa primæ Dignitatis, quatenus velit, non autem, ut invitus ad id cogi possit, quoniam eo nolente, vel impedito supplebit alia Dignitas; Et consequenter objectum probabilem subsistentiam non habebat.

ASTEN. PRÆPOSITURÆ, PRO JOANNE PETRO PETITO, CUM N.

Casus disputatus coram Prælato, postea concordatus.

De eadem materia duorum incompatibilium, ac de decreto quandoque apponi solito in provisione secundi, de dimittendo primum infra duos menses, a quo tempore, & quomodo iste terminus currat; Et quando dicatur stare per provisum, quo minus capiat possessionem pro dicti termini cursu.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Provisus de beneficio non potest capere ejus possessionem non expeditis litteris, ac earum vigore.*
3 *Impeditus debet adhibere diligentias pro removendo impedimento.*
4 *Fallit, ubi impedimentum provenit a parte.*
5 *Decretum appositum in provisione Beneficii de aliquid faciendo infra certum terminum intelligitur a die possessionis.*
6 *Dimissio primi ob secundum non est facienda, nisi post pacificam possessionem, atque extrajudiciales molestiæ sufficiunt.*
7 *Terminus ad dimittendum currit a tempore, quo per eum stetit quominus adipiscatur possessionem.*
8 *Declaratur quando id procedat.*
9 *Amissio juris quæsiti importat pœnam formalem, idea requiritur delictum.*
10 *De causis excusantibus moram expediendi litteras.*

DISC. LVI.

1 Cum in supplicatione provisionis de controversa præpositura ad favorem Jo: Petri Petiti aliud incompatibile beneficium possidentis, adjectum esset decretum, quandoque juxta antiquum stylum apponi solitum, quod deberet dimittere primum beneficium infra duos menses a die adeptæ possessionis, seu a die qua per ipsum staret, quominus adipiscatur, sin minus gratia sit nulla ipso jure & corruat, provisus autem per quinque circiter menses distulisset expedire litteras; Hinc proinde N. præsupponendo factum esse casum decreti, eandem Præposituram impetravit, atque expeditis litteris, juxta abusum *disc. præcedent.* insinuatum, de facto in possessionem se intrusit, cumque deinde Jo: Petrus provisus expeditis litteris possessionem adipisci vellet, ut de facto adipisci curavit, idem impetrator se opposuit, atque cum solita cautela intrusorum commissionis coram Prælato, quæ jactationum dicitur ex remedio *l. diffamari, ff. de ingen. & manumiss.* & *l. si contendat, ff. de fidejussor.* obtenta inhibitione, eum impedivit, de facto in priori possessione continuando; Introductaque proinde lite *coram dicta Prælata*, cum causa consisteret in puncto; an factus esset casus dicti decreti, dum ex hoc pendebat, an dictæ impetrationi certo modo locus esset necne.

Scribens pro Jo: Petro primo proviso, contra quem facta erat impetratio, Dicebam nullatenus dici posse verificati primam decreti partem super non facta dimissione infra duos menses a die adeptæ possessionis, quoniam ante expeditionem litterarum nulla possessio adipisci poterat,
cum per Constitutionem *Julii III.* id expresse prohibitum 2
sit, etiam sub gravibus pœnis, ut habetur *decis.* 216. 268. & 287. *part.* 6. *recent. in Ferrarien. Archidiaconatus* 20. *Aprilis* 1646. Cerro, & in aliis pluries.

A tempore autem expeditionis litterarum, sive de facto adeptæ possessionis, neque dici poterat lapsum esse terminum, stante lite, ut supra, per ipsum impetrantem introducta, ac impedimentis litis ex duplici certo principio; Primo scilicet generali quod impedito non currit tempus in odium ipsius impedientis, non curata distinctione, an impeditus adhibuerit necne diligentias pro eo removendo, ad quas diligentias est obligatus *ad not. in*
l. quib. diebus, ff. de condit. & demonstr. atque cæteris 3
relatis firmant Surd. *decis.* 189. *n.* 29. & *seq.* Buræ. *dec.* 479. *num.* 14. Add. ad eum *dec.* 743. Greg. & Add. *decis.* 501. Add. *ad decis.* 6. *num.* 30. *part.* 3. *recent.* Garz. *de benef. part.* 11. *capit.* 5. *num* 142. quoniam id procedit in illis impedimentis, quæ proveniunt a tertio, non autem in illis, quæ proveniunt ab eodem allegante lapsum termini, ex quo aliquod commodum, vel jus deducere prætendit; quoniam iniquum esset, ac naturali, & scripto juri contrarium, ut ex impedimentis culposè, ac potius nulliter & intrusive præstitis, commodum reportare debeat, atque impedito objicere, cur non adhibuerit diligentias pro removendis impedimentis ab ipso opponente
præstitis, ut text. *in l. si cum ipse*, ubi Bart. Bald. & *aliis*, 4
ff. de excusat. tutor. Afflict. *dec.* 50. Adden. *ad Vestr. in prax. lib.* 6. *c. ult. n.* 25. & *seqq.* Rot. *dec.* 19. *n.* 10. *part.* 7. *recent. dec.* 492. *n.* 6. & 7. *part.* 9. & *sæpius*.

Et secundo, quia licet dictum decretum in verbis loquatur a die datæ gratiæ; Attamen ex stylo, generaliter hujusmodi decreta intelligenda veniunt a die adeptæ pa-
cificæ possessionis, ac cessatæ dubietatis, an obtenturus 5
esset necne Beneficium; Ut de decreto apponi solito in Brevi de capienda possessione nomine Cameræ expedienti litteras infra sex menses, habetur supra *in Nuscana, disc.* 17. Et de alio decreto suscipiendi gradum Doctoratus habetur supra *in Cæsaraugustana Scholastriæ, disc.* 42. cum similibus ex deductis per Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 3. *n.* 13. *cum seq.* Et in specialibus terminis hujus decreti de dimittendo, Seraphin. *decis.* 1254. quæ est confirmatoria alterius decisionis *in Tirasonen.* cor. Orano, Lotter. *ubi supr. n.* 15. Adden. ad Burat. *decis.* 19. *n.* 28. *cum seq.* cum aliis, de quibus supra *in Avellina, disc.* 54. ubi quod obligatio dimittendi primum non intrat nisi
postquam adepta est pacifica possessio secundi, de quo 6
certus ac tutus redditus sit, adeout etiam extrajudiciales molestiæ, vel jactationes in proposito sufficiant, ut apud Seraphin. *d. decis.* 1254. cum aliis allegatis, ex ea clara ratione quod non tenetur quis se exponere periculo, ut careat utroque, sive ut litem cum proviso de primo dimisso suscipere ac sustinere.

Admittebantur hec omnia per scribentes in contrarium, per quos tamen insistebatur, non in dicta prima, sed in secunda parte decreti, in qua dicitur, duos menses numerandos esse a die, qua per provisum staret quominus adipiscatur; unde cum a die datæ gratiæ usque ad expeditionem literarum decurrissent quinque, vel sex menses, ita dicebant cessare omnia præmissa circa molestias ac impedimenta, cum ista non percuterent ipsam provisionem ab initio, sed provenirent ab altera vacatione resultante a decreto prædicto, & consequenter tunc nullum aderat, nec

adesse

adesse poterat impedimentum, deducendo in id auctoritates Garz. *de benef. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 104.
7 Massobr. *in praxi habendi concursus, requisit.* 1. *dub.* 6. Buratt. *decis.* 233. *num.* 5. ex quibus auctoritatibus Judex alia ratiocinia, vel argumenta non curando, pro dicto impetrante sententiavit.

Mihi autem, etiam in sensu veritatis, videbatur id probabile fundamentum non habere, quoniam præmissæ auctoritates præsertim Rotæ apud Buratt. *decis.*
8 233. *num.* 5. percutiunt casum, in quo culpose provisus non curet possessionem adipisci, eo quia expeditis jam litteris, atque obtento etiam mandato de immittendo pro earum executione, absque eo quod aliud obstet impedimentum, per eum vere ac inexecusabiliter stare dicitur, qualis erat casus dictæ decisionis, ex qua liquet, terminum duorum mensium computatum non esse a die datæ gratiæ, imo neque a die expeditionis litterarum, sed a die mandati de immittendo pro executione, cum alias in præcedenti decisione edita in eadem causa cor. eod. Buratt. *decis.* 175. *num.* 3. *& seqq.* plene firmatur per impetrantem probandum esse concludenter, quod per provisum steterit quominus adipiscatur. Decisio autem *in Leodien. Canonicatus* cor. Pamphilio, cum qua procedit Garz. ubi supra, cujus est relator Massobr. id dicit, sed ad aliud effectum quam istum pœnalem.

Hinc proinde cum ex superius insinuata Constitutione *Julii III.* sub gravibus pœnis prohibitum sit proviso adipisci possessionem sine litteris, utique istis adhuc non expeditis, actus erat impossibilis, & consequenter negligentia non aderat in adipiscenda possessione, sed solum aderat in expeditione litterarum, ex qua negligentia nullibi cautum est, hunc adeo præjudicialem effectum resultare; Cumque juxta distinctionem, de qua infra *in Calaguritana Beneficii de Bilbao, disc.* 70. insinuatam etiam supr. *in Toletana Archipresbyteratus, disc.* 36. quando agitur de amissione juris quæsiti, id importare dicatur pœnam formalem, hinc proinde opor-
9 tet dare delictum, sine quo pœna non datur, quod jure cautum non est committi ex sola mora expediendi litteras per aliquod tempus, sed bene committi dicitur quando litteris expeditis, atque obtento mandato ab executore, negligitur possessio, ut tunc fieri dicatur contra ipsum decretum adjectum in gratia, atque intret propositio generalis, quod actus habetur pro gesto in odium ejus, in cujus facultate ac libito est facere, juxta ea quæ in his specialibus terminis, vel proximis habentur *sub tit. de pensionib.* præsertim *in Bracaren.* ad materiam clausulæ *habita, vel non habita possessione &c.*

Potissime vero, quia ut frequens & quotidiana praxis docet, ista mora in forensibus, qui sunt in Curia, vel etiam in existentibus in partibus, provenire solet a deficiente pecunia prompta pro litterarum expeditione facienda, ob difficultatem præsertim in partibus illam inveniendi, ac postquam inventa est, transmittendi; Accedente etiam inverisimilitudine, quod qui cum diligentia & labore pinguius Beneficium obtinere studuit, culpose negligat possessionem adipisci; Ideoque nisi ex facti particularibus circumstantiis desumatur negligentiam esse affectatam, & continere aliquam fraudem, non videtur quomodo ex hujusmodi actu ista gravis pœna deducenda sit; Accedente etiam stylo Datariæ quod quando provisus negligit expedire litteras per tempus notabile, ad id monetur cum præfixione termini; præcisa enim necessitas expediendi litteras intra certum tempus procedere solum videtur in provisionibus ex causa resignationis ad effectum, ut fieri possit publicatio ad formam constitutionis Gregorii XIII. & tamen isto casu est terminus longior sex mensium intra, & novem ultra montes, multo magis in hac facti specie, in qua supponebantur in facto aliqua impedimenta infirmitatis.

SPOLETANA CAPPELLANIÆ DE VENTURINIS, PRO FRANCISCO MAZZERIO, CUM ANTONIO CEDRONIO.

Casus disputatus coram Datario, credo resolutus pro Francisco.

De incompatibili retentione duorum Beneficiorum sub eodem tecto, quamvis alias sub diversis tectis existentia non essent incompatibilia; Et quando Beneficium dicatur residentiale necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguendi sunt casus super materia incompatibilitatis beneficiorum sub eodem tecto.*
3 *Primus casus est ubi agitur de duobus beneficiis ejusdem nominis, & ministerii, & tunc adest incompatibilitas certa.*
4 *Alter casus est de duobus beneficiis ejusdem nominis tendentibus ad diversos effectus, ut sunt duæ cappellaniæ in eadem Ecclesia, & tunc non adest incompatibilitas.*
5 *Tertius est casus, ubi sunt duo beneficia diversi nominis, sed utrumque est præcise essentiale, & tunc adest incompatibilitas.*
6 *Quartus est ubi ex eis unum est præcise residentiale, alterum vero est residentiale causative, & tunc non intrat incompatibilitas.*
7 *Quando dicatur beneficium residentiale causative.*

DISC. LVII.

Lucretia Venturina mandavit per hæredem erigi in Ecclesia Collegiata Sancti Emiliani Oppidi Trebbii cappellaniam de jurepatronatus cum onere, ut cappellanus teneretur celebrare, vel celebrari facere quatuor Missas in qualibet hebdomada, nec non omnibus diebus festivis assistere in choro, cum Canonicis in horis vespertinis, ac etiam intervenire in processionibus; Cum autem de dicta cappellania provisus fuisset Franciscus Mazzerius, qui deinde ad præsentationem patronorum, per Ordinarium institutus fuit in ejusdem Ecclesiæ Canonicatu, curavit iste ad majorem cautelam obtinere dispensationem Apostolicam super retentione dictæ cappellaniæ cum Canonicatu, stante quod erant ambo sub eodem tecto, cui petitioni se opponente Antonio Cedronio aliquod interesse habente super assequutione unius, vel alterius Beneficii; Hinc proinde assumpta fuit disputatio coram Datario, coram quo, aliis dicti Francisci defensoribus insistentibus in eo quod ista cappellania non esset præcise residentialis, sed solum causative juxta ea, quæ habentur in alia *Spoletana disc. sequenti*, ac in aliis. Replicabant Datariæ officiales peritissimi, difficultatem non consistere in incompatibilitate resultante ab eo, quod utrumque Beneficium sit residentiale in diversis locis, sed consistere in eo quod utrumque esset sub eodem tecto, quod aliquam specialem magisque strictam prohibitionem habet; Quare in hoc statu assumptus fui ad satisfaciendum stricte ac particulariter huic difficultati resultanti a consistentia sub eodem tecto. 1

Dicebam igitur, quod licet ista materia incompatibilitatis plurium Beneficiorum sub eodem tecto, videatur apud Beneficialistas primo aspectu involuta, unde propterea de facili in aliqua æquivoca inciditur, nihilominus ut frequentius ac fere in omnibus juridicis quæstionibus contingit, æquivoca, ac difficultates resultant a confusione casuum, seu a mala intelligentia auctoritatum non distinguendo casus, ex quorum distinctione, atque congrua auctoritatum applicatione, singula singulis congrue referendo, pro majori parte redduntur faciles ac planæ, ideoque plures casus distinguendo; 2

Primus est, ubi tractatur de duobus Beneficiis uniformibus, quia nempe ambo sint ejusdem nominis, ac ejusdem ministerii, puta duæ Dignitates, vel duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ, & in hoc omnes concordant adesse incompatibilitatem, quoniam textus *in cap.* 3
de multa, de præbendis, clare atque ad litteram ita disponit, ac firmant concorditer scribentes, ut per Lapum *alleg.* 116. *& seq.* & alios, de quibus apud Gonzal, *ad reg.* 8. *gloss.* 10. *num.* 35. Tondut. *quæst. beneficial.* 27. *num.* 42. *part.* 1. *& part.* 2. *cap.* 5. *§.* 6. *num.* 6. & communiter.

Et quamvis iste casus suas quoque recipiat declarationes ab Ecclesiarum, vel regionum consuetudine, aliisque particularibus facti circumstantiis resultantes, attamen inhærendo commendabili Curiæ stylo non evagandi in superfluis, neglectum fuit dictas declarationes examinare utpote extra casum controversiæ; insinuabatur tamen iste casus ad effectum ostendendi dictas auctoritates supra allegatas, quæ per scribentes in contrarium deducebantur incongruas esse, utpote extraneas a casu.

Secundus est, ubi agitur quidem de duobus Beneficiis uniformibus ejusdem nominis, quæ tamen ordinata non sint ad idem ministerium, neque simul concurrant ad efforman-

4 formandum, seu constituendum unum ac idem corpus, sed considerentur singulariter ac distincte, puta quia sint diversæ cappellaniæ ad diversos fines & cum diversis oneribus in cappellis ejusdem Ecclesiæ erectæ; Et tunc Navarr. *conf. 6. de prebendis* tenet non adesse incompatibilitatem, quæ refert & sequitur Gonzal. *dicta gloss.* 10. *n.* 34. idemque Navarr. refert istud vidisse pluries practicatum, neque videtur urgere congrua ratio in contrarium; Sed quoniam neque iste erat casus controversiæ, idcirco inhærendo eidem stylo negligendi superflua, obiter ad prædictum effectum distinguendi auctoritates, ac tollendi æquivoca id insinuabatur, judicium desuper non efformando.

Tertius casus est, ubi sunt duo beneficia difformia diversum nomen habentia, quorum utrumque sit residentia-
5 le ex residentia vera & præcisa, ut sunt Dignitas, & Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata, seu Canonicatus & Beneficiatus, vel Portionaria ex illis, quæ hodie post Concil. Trid. veram ac præcisam residentiam exigunt, ac annexam habent; Et tunc posita dicta qualitate præcise residentiali, certum est adesse incompatibilitatem, ut fatetur Gonzal. *d. gloss.* 10. *n.* 42. *gloss.* 15. *n.* 17. *cum seqq.* ubi de vacatione primi per obtentionem secundi, atque talis est inconcussa praxis Datariæ; quod scilicet in eadem Ecclesia non obtinentur Digoitas, & Canonicatus, sive Canonicatus, & Beneficiatus, aut Portionaria, nisi, vel ex legitima consuetudine, vel ex dispensatione Apostolica.

Quartus demum est casus, ubi beneficia sunt difformia tam in nomine, quam in fine, seu instituto, quorum
6 unum sit vere ac præcise residentiale, alterum vero nullam habeat residentiam, sive istam causativam, ut proprie contingit in Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, & in cappellania in eadem Ecclesia erecta; Et tunc quamvis Hojeda *de incompatibilit. part.* 1. *quæst.* 20. *n.* 25. auctoritate *Mandosii*, quem allegat, indistincte teneat pro compatibilitate ob dictam circumstantiam, quod sufficit consistentia sub odem recto; Contraria tamen est verior, ut reprobato nominato *Hojeda* ubi supra, communem, ac veriorem testantur Paris. *de resignat. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 128. Gonzal. *d. gloss.* 10. *numer.* 43. ubi *ex num.* 35. *ad* 41. refert alios utriusque sententiæ sequaces, Tondut. *quæst. benefic. part.* 2. *cap.* 5. *§.* 6. *n.* 8. *cum seqq.* ac bene & punctualiter Rota *dec.* 489. *part.* 2. *recentior. dec.* 631. *part.* 3. & apud Merlin. *dec.* 825. in quibus præsertim *dicta dec.* 631. *part.* 3. ac etiam *d. dec.* 489. *part.* 2. agebatur in specie de Canonicatu, & cappellania habente quoddam onus servitii, inducentis tamen residentiam causativam, non autem præcisam.

Applicando autem ad rem, versabamur in hoc ultimo casu, quoniam licet ista cappellania haberet onus interveniendi horis vespertinis, ac in processionibus, attamen id non causat residentiam præcisam, sed solum causativam, ut in specie advertitur in *dictis decis* 631. *part.* 3. *&* 489.
7 *part.* 2. & in alia *Spoletana*, *disc. seq.* ideoque dispensatio petebatur ad quandam exuberantem cautelam, cum revera pro meo sensu neque necessaria esset, adeout si meum consilium ab initio petitum fuisset, neque hujusmodi disputationes, neque dispensationis impensæ sequutæ essent.

SPOLETANA CAPPELLANIÆ,

SEU RESIDENTIÆ,

PRO CAPITULO COLLEGIATÆ HYSPELLI,

CUM N.

Responsum pro veritate.

An & quando beneficium, vel cappellania, ob onus servitii in divinis, dicatur habere onus residentiæ necessariæ, vel præcisæ; vel potius ista sit causativa, ad effectum, ut provisus teneatur residere, ac personaliter inservire.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Cappellania licet habeat onus missarum, vel alterius servitii, non dicitur sacerdotalis, vel residentialis.*
3 *Quæ dicantur beneficia habentia residentiam veram ac præcisam.*
4 *Alia beneficia quamvis habeant onus servitii dicuntur habere residentiam impropriam & causativam, non autem veram, ac præcisam.*
5 *Habens pro se regulam habet intentionem fundatam.*
6 *De differentia inter observantiam interpretativam & præscriptivam.*
7 *In facultativis non datur præscriptio, & quando secus.*
8 *Voluntas arguitur ex quantitate pretii, seu emolumenti.*
9 *Ista materia voluntatis faciendi beneficia residentialia, videretur regulanda adinstar ultimarum voluntatum.*

D I S C. LVIII.

Erecta fuit in Oppido Hyspelli, ex testatoris pia 1 dispositione cappellania in illa Ecclesia Collegiata, providenda per Episcopum ad præsentationem Communitatis, quæ eligere deberet unum servientem, qui servire debeat dictæ Ecclesiæ, cum onere celebrandi, vel celebrari faciendi missam in cappella Rosarii, sub cujus invocatione facta est erectio, singulis diebus Dominicis, ac in omnibus solemnitatibus B. Mariæ, & aliquorum Sanctorum, & in feria secunda cujuslibet mensis; Cum autem de illa provisus (& forsan primus) ad ejus titulum ad sacros ordines ac sacerdotium promotus, per seipsum missas celebraret, necnon more Canonicorum, choro ac processionibus, alilsque divinis interesse consuevisset, deinde vero ab hujusmodi servitio abstinere cœpisset, implendo per seipsum, vel per alium dictum celebrationis missarum onus; Hinc proinde Capitulum dictæ Ecclesiæ prætendere cœpit dictum cappellanum ad præfati servitii continuationem cogere, atque pro veritate consultus, an dicta prætensio haberet subsistentiam necne.

Respondi negative, quoniam quicquid per scribentes in materia variatum fuerit, Hodie statutum est pro regula, ut onus celebrationis missarum adjectum beneficiis, vel cappellaniis non inducat qualitatem sacerdota- 2 lem, neque aliam qualitatem residentialem, quæ hodie, ut alibi advertitur, de communi recepta consuetudine in beneficiis & cappellaniis simplicibus non censetur inesse, nisi testatoris, vel fundatoris voluntas aliter disponat juxta *alleg.* 35. Lapi communiter receptam ex deductis per Gonz. *ad regul.* 8. *gloss.* 5. *n.* 74 *& sequent.* Garz. *part.* 7. *cap.* 1. *n* 85. *& sequent.* Adden. *ad decis.* 21. n. 26. *cum sequent. part.* 3. *recent.* late Merlin. *decis.* 825. quæ reputatur in materia magistralis, sæpius in aliis canonizata, præsertim apud Royas *decis.* 337 *dec.* 184. *part.* 12. *rec.* atque admittitur infra, *disc.* 60. *&* 61. ubi firmatur qualitas sacerdotalis.

Idque, non obstante, quod ultra onus celebrationis missarum, aliquod aliud servitium injunctum sit, quod personalem residentiam præseferre videatur, quoniam ubi beneficium non est de sui natura præcise residentiale, ut sunt beneficia principaliter curata, necnon Dignitates & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, vel 3 Collegiatis, ac etiam hodie ex Cnnctlio Tridentino in eisdem Cathedralibus, vel Collegiatis sunt illa beneficia, quæ sub nomine Beneficiatotum & clericorum, ut est in Basilicis Urbis, aut sub nomine Portionariorum, ut est in Ecclesiis Hispaniarum, sive sub nomine Hebdomadariorum, vel Mansionariorum, aut Consortialium, seu Cappellanorum, ut in plerisque Ecclesiis Italiæ sunt principaliter servitoria, idest destinata principaliter ad servitium Ecclesiæ, in quodam præfinito invariabili numero constitutivo Collegii vere, vel abusive, ut de Collegio hebdomadariorum Ecclesiæ Metropolitanæ Neapolis habetur *dec.* 99. *part.* 10. *recent.* & de Collegio Consortialium Ecclesiæ Cathedralis Parmæ habetur *in Parmen. funerum, sub tit. de præeminentiis, disc.* 21. & de Portionariis Ecclesiæ Cæsaraugustanæ habentur tot decisiones in Cæsaraugustana portionum, de qua infra, *sub tit. de Canonicis & Capitulo*, & de Beneficiatis Sancti Petri prætendentibus habere vocem in Capitulo, seu constituere Capitulum, habetur apud Cavaler. *dec.* 57 cum similibus, de quibus infra *d. tit. de Canonicis & Capitulo*.

Reliqua omnia beneficia, vel cappellaniæ ex communi recepta consuetudine annexam non habent residentiam veram ac præcisam, nisi ex lege fundationis, vel ex particulari consuetudine, alias esset statutum, quamvis haberent onus, nedum missarum, sed etiam alicujus servitii 4 personalem interessentiam exigentis, quoniam ista dicitur residentia impropria, seu causativa inducens amissionem fructuum, seu emolumentorum, aut distributionum, non autem propria & præcisa, cujus qualitas in dubio non præsumitur, juxta communem traditionem Innocentii, Joannis

nis Andreæ, Abbatis, Butrii *& aliorum in cap. finali de clericis non residen.* Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 15. *sub numer.* 19. *& numer.* 22. ubi de materia incompatibilitatis, seu vacationis primi per assequutionem secundi, Rota *decis.* 483. *part.* 1. *divers. dec.* 489. *part.* 2. *recent. dec.* 31. *parc.* 3. *decis.* 156. *part.* 4. *decis.* 182. *part.* 8. ubi in specie de onere canendi Litanias ac assistendi aliquibus Horis divinis in choro, ut advertitur in alia *Spoletana, discurs. præred.*

Hinc proinde, ut in proposito alterius qualitatis sacerdotalis advertitur infra, *dict. disc.* 60. *&* 61. ista dicitur hodie quæstio potius facti quam juris, vel scilicet super probatione consuetudinis inducentis qualitatem residentialem, vel super probatione voluntatis fundatoris tamquam per limitationem regulæ certæ in contrarium militantis; pro qua, non bene probata li-
5 mitatione, respondendum est juxta vulgarem *decis.* 251. Mantic. *num.* 4. *cum aliis* apud Barbos. *axiom.* 198. *& passim.*

Neutrum autem in præsenti concorrere observabam, non quidem consuetudinem, in qua præcipuum fundamentum ex parte Capituli constitui videbatur, ob retroactam observatiam ejusdem cappellani, quoniam juxta
6 receptam & quotidianam distinctionem, de qua per Barbos. *in leg. post dotem, num.* 37. *ff. solut. matrimon.* Rota *decis.* 319. *&* 351. *part.* 6. *recent.* & quotidie, tunc observantia alicujus temporis, absque formalibus requisitis præscriptionis, vel consuetudinis attenditur, eique tamquam optimæ interpreti nimium defertur, quando versamur in casu omnino ambiguo, in quo cadat interpretatio, non autem ubi regula sit clara in contrarium, quoniam tunc observantia dicitur potius præscriptiva, ideoque indiget formalibus requisitis præscriptionis, quæ in præsenti non aderant, dum agebatur de observantia unius tantum cappellani, ac per modicum tempus.

Fortius vero ex subjecta materia præseferente facultatem, cui dicta observantia referri poterat, ex motivo scilicet devotionis, ac etiam alicujus honorificentiæ interveniendi in choro aliisque functionibus cum Canonicis; Absolutum autem satisque notorium juris
7 principium est, in facultativis non dari præscriptionem, nisi prævia prohibitione, seu respective coactione, ac subsequuta acquiescentia per tempus habile. Potissime vero ubi observantia non est temporis longissimi ac plurium successive possidentium idem Beneficium cum nimia frequentia actuum, aliisque circumstantiis, & ex quibus, ad necessitatem magis, quam ad facultatem observantia referri valeat, juxta ponderata per Rotam *decis.* 186. *part.* 11. *recentior.* cum similibus.

Quo vero ad voluntatem fundatoris, neque videbatur concurrere illius sufficiens probatio, unicum enim adminiculum resultabat ex eo, quod testator facultatem dedisset Communitati eligendi unum servientem, qui dictæ Ecclesiæ inservire deberet, sed hoc erat æquivocum non concludens pernecesse residentiam veram utpote referibile ad servitium celebrationia missarum, vel aliud causativum ut supra.

Idque fortius, quoniam in contrarium obstabat vehemens adminiculum resultans ex tenuitate redditωum proportionaturum dicto oneri celebrationis missarum staturis diebus ac temporibus, non autem continuo servitio, ac residentiæ præcisæ inducenti non solum onus residendi ac inserviendi, sed etiam aliud onus, seu incommodum inhabilitationis obtinendi alterum beneficium residentiale, unde propterea dicebam intrare satis frequentem ac receptam propositionem, de qua apud Gregor. & Adden. *decis.* 126. *& passim*; quod ex pretii, seu emolumenti quantitate arguitur contrahentium, vel disponentium voluntas; Atque huic argumento accedebat aliud redolens speciem apertæ probationis, quod testator dixit se illo solo servitio contentari, & nihilominus dicebam sufficere ista argumenta esse talia, quod conquassarent, vel debilitarent dictum contrarium argumentum, ut eis invicem conquassatis, vel debilitatis firma remaneat regula, ut sæpius advertitur *sub titul. de fideicommissis*, cum quibus terminis potius quam cum beneficialibus ista materia regulanda videtur, utpote concernens, ut dictum est, solam quæstionem voluntatis.

MONTIS CASSINEN. CANONICATUS PRO ANTONIO DE ANTONE.

Responsum pro veritate.

De eadem materia qualitatis residentialis Beneficii, ad effectum incompatibilitatis obtinendi alterum Beneficium residentiale, Et quid ubi Beneficia habent nuncupationem Canonicatuum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Incompatibilitas non impedit assequutionem secundi, sed retentionem primi.*
3 *De signis Collegialitatis remissive.*
4 *Servitium non facit beneficium residentiale.*
5 *Nuncupatio Canonicorum non facit veros Canonicos, si aliunde constat eos tales.*

D I S C. LIX.

IN Ecclesia parochiali Castri S. Joannis in Todice, ultra Rectorem, qui Archipresbyter nuncupatur, adsunt duo Beneficiati, vulgo Canonici nuncupari, quibus absque eo quod constet de lege fundationis, ex antiqua consuetudine incumbit onus celebrandi, vel celebrari faciendi Missam quibusdam annis temporibus; Cum autem Antonius ex resignatione ad favorem, possessor unius ex dictis beneficiis, provisus fuisset per Sedem Apostolicam de Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ S. Germani, sub narrativa istius beneficii tamquam simplicis, ac non residentialis, ut de obtentis fieri solet, ad effectum obtinendi retentionem, expeditisque litteris directis Vicario Abbatis Montis Cassin. tamquam loci Ordinario, hic renueret litteras prædictas executioni demandare ex motivo falsæ narrativæ dicti beneficii Canonicatus nuncupati, ex eo quod potius tamquam Canonicatus in Collegiata esset residentialis, & consequenter Incompatibilis cum dicto alio Canonicatu ultimo loco obtento, Hinc desuper pro veritate consultus; 1

Respondi, incongruam parumque fundatam esse dictam excitatam difficultatem, quoniam ubi etiam probabiliter dici posset dictum beneficium tamquam Canonicatum in Ecclesia Collegiata esse vere præcise residentiale, adhuc tamen id non erat aptum impedire executionem dictarum literarum super provisione secundi Canonicatus, quoniam ut advertitur supra in Melphien. Cantoriæ *disc.* 55. *ex decis.* 450. Cavaler. num. 6. Merlin. *decis.* 354. *in fine repetit. decis.* 174. *part.* 5. *recent.* 2
& in aliis, incompatibilitas duorum residentialium impedit eorum retentionem, non autem assequutionem secundi, per quam ipso jure vacat primum, ac etiam vacat quoque secundum per speciem pœnæ, quando per tempus notabile (quod ex Datariæ stylo reputatur ultra duos menses a die pacificæ possessionis computandum,) Beneficiatus temere ac absque justa excusatione utrumque retinet cum perceptione fructuum; Ideoque non est exceptio apta ad retardandam executionem litterarum secundæ provisionis atque hoc sufficere dicebam absque ulteriori inspectione.

Verum claram quoque dixi dictæ difficultatis insubsistentiam super dicta præsupposita qualitate residentiali, quoniam eatenus illa intrare posset, quatenus ageretur de Canonicatibus in Collegiata, qualis ista Ecclesia dici non poterat, dum nulla adetant collegialitatis signa, 3
de quibus *decis.* 633. *part.* 4 *recent. tom.* 3. *decis.* 216. *part.* 7. alias apud Caril. *decis.* 41. late *decis.* 147. *part.* 10. *recent.* apud Royas *decis.* 341. cum aliis supra in Vicentina, *discurs.* 14. sed potius in oppositum concurrebat inconcussa observantia in supra allegatis decisionibus ponderata, quod hujus Ecclesiæ rectoria ex communi regionis usu Archipresbyteratus nuncupationem habens, provideri consuevit tamquam simplex parochialis per concursum juxta formam præscriptam a S. Conc. Trident. Et consequenter ista remanebant beneficia regulariter non residentialia, quamvis aliquod onus Missarum, vel servitii annexum haberent juxta deducta *disc. proxime præcedenti*, quæ in hoc etiam responso deducebantur, quod scilicet id faceret residentiam causativam, non autem veram ac præcisam in- 4
ducentem dictum effectum incompatibilitatis.

Neque alicujus momenti videbatur dicta nuncupatio Canonicorum, quoniam in hac materia in specie non attenditur cortex, vel formalitas verborum, sed substantia veritatis,

ritatis, ideoque sola Canonicorum nuncupatio non facit Canonicos veros, ut advertitur præsertim *dec. 633. n. 15. part. 4. recent. tom. 3.* ac etiam in supra allegatis decisionibus in proposito collegialitatis, ac in aliis advertitur circa vulgarem nuncupationem Ecclesiæ Collegiatæ, vel Capituli; id enim non facit Capitulum, vel Collegium, nisi alia legitima requisita concurrant, quoniam vulgus quamlibet congregationem clericorum appellat Collegium, vel Capitulum, ut advertitur supra, *disc. 14.* ac etiam habetur infra, *sub tit. de Canonicis & Capitulo, & sub tit. de praeminentiis* ad materiam collegialitatis, atque juxta hoc responsum dicta provisio effectum sortita est.

ORTONEN. RESIDENTIÆ,

PRO PRÆPOSITO ECCLESIÆ S. MARIÆ IN CAMPO VALANO,

CUM EPISCOPO.

Casus disputatus in Sacr. Congregatione Concilii, & resolutus ut infra.

De eadem materia qualitatis residentialis, & quando beneficium sit vere residentiale necne; Et de censuris ob non residentiam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Attentatoribus, vel habentibus recursum ad laicos denegatur audientia.*
3 *Qualitas jurispatronatus Regii non excusat a residentia, si beneficium de sui natura est residentiale.*
4 *In actualibus Collegiatis non dubitatur, quod Dignitates & Canonicatus sunt residentiales.*
5 *Atque omnes Dignitates, & Canonicatus sunt in hoc ejusdem naturæ.*
6 *Ubi cura incumbit Capitulo, vel Collegio, non per hoc Canonicatus, & Dignitas dicuntur beneficia curata, ad plures effectus.*
7 *Excommunicatio dicitur maxima pœna, ideo exigit citationem personalem.*
8 *De intelligentia Concilii Tridentini, ut contra non residentem procedatur ad censuras cum citatione per edictum.*
9 *Quando quis impedit citari, habetur pro citato etiam ad effectum censurarum.*
10 *Consuetudo etiam mala excusat a pœna.*

DISC. LX.

1 Ecclesiam loci Campi Valani prope Civitatem Ortonen. sub titulo simplicis Rectoriæ, possessam per quemdam, qui nuncupabatur Montes Cecchinus, ac Rotæ Romanæ Auditor erat, curavit iste de anno 1429. erigi in Collegiatam cum quinque Canonicatibus, & Præposito, pro quorum dote, seu præbenda, pro majori Ecclesiæ cultu, consensum præstitit, aliquos fructus ab ejus Rectoria dismembrari; Cumque observantia currentis ac retroacti sæculi daret, quod isti Canonicatus liberæ collationis, non essent de facto residentiales, quia scilicet provisi residere non consueverunt, ita etiam provisus de Præpositura, quæ ad Regiam præsentationem provideri solita est, residere non consuevit, exercendo curam animarum dictæ Ecclesiæ incumbentem per Vicarium deputari solitum; Cum autem modernus Episcopus, negligendo residentiam Canonicorum, cogere prætenderet Præpositum ad residentiam, atque prævia monitione per edictum in dicta Ecclesia, illum excommunicasset; Hinc proinde habito per dictum Præpositum recursu ad Sacr. Congregationem Concilii, atque assumpta disputatione super censurarum validitate, ac residentiæ obligatione, nulla desuper capta fuit resolutio ob quædam attentate a dicto præposito commissa, quæ S. Congregatio mandavit ante omnia purgari, denegando interim audientiam, quæ denegari solet attenta-
2 toribus, vel spoliatoribus violentis, aut habentibus recursus ad laicos, donec purgatio sequatur, ut apud Buratt. *dec. 446. num. 2.* & in sua materia *sub tit. de judiciis*, neque quod sciam, causa hucusque ulteriorem progressum habuit, forte ob aliquod concorde temperamentum.

Duo autem fuerunt hujus disputationis puncti; Unus super obligatione residentiæ, & an istud Beneficium dicendum esset necne præcise residentiale; Alter vero super subsistentia, vel insubsistentia censurarum.

Quatenus pertinet ad primum, ex parte Episcopi constituebatur fundamentum in quadam speciali declaratione dictæ S. Congregationis Concilii de anno 1618. per quam, præsupponendo istam Præposituram esse primam Dignita- 3
tem in Collegiata, reprobatur prætensio, quod qualitas Regii patronatus excusaret a residentia, declarando abusum & corruptelam quamcumque contrariam observantiam, idem quoque determinando in Ecclesiis curatis, unde propterea dicebatur, quod cum casus esset in individuo jam decisus, dictaque declaratio quamvis generalis prodisset occasione istius individuæ Præposituræ, ita cessabat omne principium dubitandi.

Dicebam ego scribens pro Præposito, quod quando Episcopus suum munus integre ac indefinite adimpleret cum toto Collegio, cogendo etiam quinque Canonicos ad eam residentiam, tunc ego darem manus victas circa obligationem quoque Præpositi residendi, quoniam 4
data actuali collegialitate, per Concilium Trident. in hoc sublata fuit omnis difficultas, certaque est obligatio residendi, atque cum hoc præsupposito actualis collegialitatis, vel respective, an beneficium sit curatum, procedit dicta declaratio anni 1618. cujus sensus est, quod supposito beneficio de sui natura vere ac præcise residentiali, ab hujusmodi onere non excuset qualitas Regii patronatus, atque hic est proprie punctus, quem S. Congregatio determinare voluit, ad tollendam forsan prætensionem non residendi, quam ex ista qualitate alias habebant Archipresbyter Altamuræ, Prior S. Nicolai Barii, & similes primæ Dignitates, cum jurisdictione ac Prælatura insignium Collegiatarum, de jure ac de sui natura residentiales.

At punctus erat in eo, quod Episcopus volebat, ut Canonicatus (qui cessantibus reservationibus Apostolicis sunt ad ejus liberam collationem,) haberentur pro beneficiis simplicibus non residentialibus, ad effectum providendi familiares, vel alios, quodque Præposituræ prima Dignitas esset residentialis; In hoc autem consistere dicebam gravamen manifestum ob dilemma inevitabile; Aut enim ista Ecclesia dicenda est actualiter Col- 5
legiata, aut non; Si dicenda est talis, ergo omnium, tam primæ Dignitatis quam Canonicorum æqualis est obligatio; Et e contra si non est talis, omnium æqualis debet esse exemptio; Cum enim istud dicatur unum corpus constitutum a Præposito tamquam capite, & a Canonicis tamquam membris; hinc proinde dari non potest ista scissura membrorum a capite, sive ejusdem corporis diversa natura, quodque sola Dignitas sit residentialis, Canonicatus autem non, & consequenter omnium æqualiter debet esse exemptio, vel obligatio; Fortius vero ex ea facti circumstantia, quod dictus possessor Ecclesiæ non residens, curavit pro Ecclesiæ cultu erigi Canonicatus; Ergo magis debent esse servitorii ac residentiales Canonicatus, quam sit ipsa Dignitas, quæ in dicto statu non residentiali erat.

Replicabatur, quod in Præposito tamquam Ecclesiæ Rectore, diversa & particularis concurreret ratio, quæ in Canonicis non militabat, ob curam animarum huic Ecclesiæ incumbentem; Verum, cum sensu etiam veritatis, dicebam id nil relevare; Tum quia, etiam priusquam Ecclesia efficeretur Collegiata, ejus Rectoria non erat præcise residentialis, sed cura animarum tamquam accessoria & consecutiva exerceri solebat per Vicarium, ut in facto justificabatur, ex dicta præsertim circumstantia, quod eamdem Rectoriam, tunc ante Canonicatuum erectionem pinguiorem, possidebat dictus Rotæ Auditor, qui sine dubio in Curia continuam residentiam habebat; Tum etiam quia cum Ecclesia mutasset statum, atque effecta esset Collegiata, & sic repræsentata per unum corpus politicum, seu intellectuale constitutum ex Proposito prima Dignitate tamquam capite, & Canonicis tamquam membris, hinc proinde resultat, curam habitualiter residere penes ipsum Collegium in universum, cujus nomine illam exercet Vicarius, juxta plures casus, de quibus infra in sua materia *sub tit. de Parochis*, non tamen exinde infertur quod singuli Canonicatus, & Dignitates dicerentur beneficia curata, ut occasione ætatis requisitæ in beneficiis curatis, non desiderandæ in Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, cui incumbat cura animarum, sive cessan- 6
tis necessitatis faciendi curæ mentionem, habetur supra in Nuscana Canonicatus *disc. 17.* & in *dec. 31. part. 10. recent. n. 31. & seqq.* edita in ea causa, atque occasione incompatibilitatis cum altera parochia habetur supra in Melphien.

phien. Cantoriæ *disc.* 55. *& in decis.* 58. Otthoboni in ea causa edita, cum similibus; Ideoque cura, vel omnibus pariformiter incumbit, vel omnes æqualiter ab ea sunt exempti, dum longissima ac immemorabilis observantia præbet ejusdem curæ exercitium semper fuisse, ac esse penes Vicarium perpetuum.

Quo vero ad alterum punctum censurarum, ex duobus fundamentis dicebam illas non substineri; Primo scilicet, quod excommunicatio dicitur pœna gravissima, atque in spiritualibus plusquam ordinaria, quoniam magis est aliquem spiritualiter excommunicare, quam temporaliter capite plectere, *cap. corripiantur* 24. *quæst.*
7 3. *cap. nihil* 11. *quæst.* 3. *cum concord.* bene deductis per Roman. *cons.* 369. *n.* 10. Et consequenter, quod omnino necessaria esset citatio personalis, *capit. sacro, de sent. excomm.* Buratt. *dec.* 176. *n.* 2. ac habetur in sua materia *sub tit. de censuris*, & sub altero *de judiciis*, ac supponitur in proxime infra allegandis decisionibus.
8 Neque obstante quod Sacr. Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. præsupponat cum citatione per dictum deveniri posse ad censuras aliasque pœnas, quoniam pernecesse id intelligendum est cum terminis habilibus; Vel scilicet quando citandus dolose latitat, seu alias impedimentum præstat, ne citetur, quo casu citatio per proclama, vel per edictum, illud reddit verum contumacem, perinde ac si personaliter citatus esset, juxta ea quæ ad materiam censurarum ac declaratoriæ habentur *decis.* 165. *n.* 9. *&* 10. post Zacch. *de obligat. Camer.* Seraph. *decis.* 1296. *n.* 4. Rot in Leodien. Abba-
9 tissatus 8. Aprilis & 20. Junii 1644. Ghislerio, Romana, seu Albinganen. bonorum 1. Julii 1648. Cerro & sæpius; vel intelligendum est de censuris minoribus, quæ pœnam adeo gravem non important, neque animam illaqueant, ut sunt Interdictum, vel suspensio cadentes etiam in innocentibus, ut advertitur supra in Cæsaraugustana Canonicatus *disc.* 23. & habetur infra, *disc.* 77. ad materiam privationis Beneficii, aliarumque pœnarum ob non residentiam.

Et secundo quod observantia prædecessorum non re-
10 sidendi de facto, ubi etiam tamquam damnata per dictam declarationem Sacr. Congreg. anni 1618. per quam declaratur corruptela, non firmaret statum, neque induceret excusationem ab onere residendi in futurum, attamen justam præbebat excusationem a contumacia & incursu pœnarum de præterito, ex deductis per Farin. *quæst.* 95. *n.* 1. *& seq. ubi cæteri*, quod scilicet mala consuetudo non excusat ab aliis effectibus civilibus, sed bene a pœna.

NUCERINA CAPPELLANIÆ, PRO BENEDICTO CUM N. DE FÆLICIANIS.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu.

An & quando cappellania habens onus celebrationis Missarum dicatur necne Sacerdotalis, itaut exigat pernecesse in possessore ordinem Presbyteratus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De jurepatronatus passivo debitu certo generi personarum: ut non possit alter præsentari.*
3 *Cappellania regulariter non est Sacerdotalis etiam si habeat annexum onus Missarum.*
4 *Fallit ex contraria voluntate fundatoris.*
5 *Quomodo procedendum sit in ista voluntate desumenda.*
6 *Beneficia erecta sine auctoritate Ordinarii regulantur jure pii legati, non autem cum regulis beneficialibus.*
7 *Ex quibus excludatur qualitas Sacerdotalis.*
8 *An sub nomine Sacerdotalis, vel Presbyteri, veniant clerici in minoribus, vel e contra vocabulum Clerici non conveniat nisi Sacerdoti.*
9 *Tunc cadit hæc inspectio, ubi expressum est utrumque vocabulum tamquam discretum.*
10 *De effectu regulæ quæ alicui assistat.*
11 *De distinctione, an nomen* Presbyteri *expressum sit latino, vel italico idiomate.*
12 *Qualitas testatoris, an sit litteratus necne, satis attendenda est pro interpretatione ejus verborum.*
13 *De argumentis qualitatis Sacerdotalis.*

D I S C. LIX.

Erecta per N. Felicianum Episcopum Fulginaten. cap-
pellania in Ecclesia Oppidi Gualdi ejus patriæ, cum 1
onere missarum, de jurepatronatus activo ac passivo ad favorem illorum de familia, assignata ratione, ut ita successores de eadem familia ad presbyteratum allicerentur, quodque eis non existentibus, redditus d. cappellaniæ assignati erogari deberent in subsidia dotalia puellarum ejusdem familiæ; Cum possessor, qui erat primo nominatus ab ipsomet fundatore, a quo facultatem habebat nominandi successorem, nominasset clericum in minoribus; Hinc proinde Benedictus de eadem familia constitutus in ordine presbyterali prætensionem excitavit, quod cum cappellania esset sacerdotalis, pernecesse conferenda constituto in ordine præsbyterali de familia, in qua ipse tantum reperiebatur constitutus in dicto ordine, sibi debita esset, neglecta præfata nominatione utpote de persona incapaci, ideoque habenda pro infecta.

Et introducta causa coram A. C. non controvertebatur conclusio, quam ego scribens pro Benedicto actore deducebam, de qua pluries in sua materia *sub tit. de jurepatr.* quod ubi agitur de jurepatronatus passivo debito certo generi personarum, seu personis certam qualitatem habentibus, non potest habens juspatronatus activum, seu jus præsentandi alios præsentare, talem qualitatem non habentes, atque alias præsentatio habetur pro infecta, &
institutio debetur habenti talem qualitatem tamquam 2
nominato, seu præsentato per ipsum fundatorem, seu eum qui dictam legem adjecit, ut firmatur apud Buratt. *decis.* 680. cum aliis per Rot. *decis.* 122. *part.* 15. *recent. n.* 2. *&* 3. edita in Arianen. de qua *dicto tit. de jurepatr. disc.* 18. *& in aliis proximis*, quoniam est conclusio non admittens controversiam; Prout scribentes in contrarium eam admittebant, negabant vero applicationem ad casum, quod scilicet necessaria non esset qualitas Sacerdotalis, qua seclusa nominatus erat capax, dum erat clericus, ac de familia; Ideoque controversia restringebatur ad punctum, an ista cappellania esset necne sacerdotalis.

In hoc autem, scribentes pro nominato dicebant regulam sibi assistere, quod scilicet istæ simplices cappellaniæ non essent sacerdotales, quamvis annexum haberent onus celebrationis Missarum, quoniam istud recte impleri potest per sacerdotem ad id eum solita eleemosyna assum-
ptum, ut advertitur supra in Spoletana *disc.* 57. ac præser- 3
tim late firmatur apud Merlin. *dec.* 825. quæ in Curia passim circumfertur tamquam magistralis sæpius canonizata.

Non negabam Ego scribens pro actore dictam regulam, insistebam autem in pariter recepta, & absoluta limitatione resultante a contraria etiam conjecturata testatoris voluntate, ut *dec.* 495. *part.* 1. *recent.* apud Buratt. *dec.* 680. Dunozett. *dec.* 956. *n.* 10. *decis.*
403. *part.* 12. *num.* 5. edita in causa, de qua *in disc. seq.* 4
& pluries, cum ut dictum est generaliter, ac in abstracto, tam regula, quam limitatio in puncto juris non habent difficultatem, cadentem solum circa applicationem, an in una, vel altera versemur, ex circumstantiis facti, cujus potius, quam juris est quæstio; decidenda proinde, ut alias insinuatum est, cum regulis generalibus ultimarum voluntatum, de quibus
pluries *sub tit. de fideicommissis*, cum regulæ beneficia- 5
les in hoc non intrent, nihilque inducant peculiare.

Unde propterea juxta firmata apud Dunozett. *dec.* 101. repetita apud Marin. *resol.* 36. *lib.* 1. *& dec.* 238. *part.* 5. *rec.* sæpius canonizata, receptum habemus, quod in hujusmodi cappellaniis ex piis privatis dispositionibus originem
habentibus proceditur cum terminis piorum legatorum, 6
quorum jure magis, quam beneficiorum recensentur.

Applicando igitur ad rem, inspecto tenore verborum, pro regula magis, quam pro limitatione ad favorem clerici
nominati rei conventi respondendum videbatur; Tum 7
quia onus celebrationis missarum præcise ipsi cappellano adjectum non est, dum in fundatione dicitur cum onere celebrandi, vel celebrari faciendi; Tum fortius quia in quadam fundationis parte, exprimendo nominandum, seu præsentandum utitur vocabulo sacerdotis, & clerici cum alternativa, ibi *Presbyter, vel Clericus*, unde videbatur, quod intraret regula text. *in leg. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. quod in claris, ac expressa non intrant præsumptiones, & argumenta.

Et quod magis mihi inferebat difficultatem, consistebat in discretiva, ob quam cadere non poterat consideratio,

quod

8 quod sicuti sublata significatione sacerdotis, vel presbyteri venire possunt etiam clerici in minoribus, ex deductis apud Merlin. *dict. dec. 825. n. 12. & seqq.* ita non impliect vocabulum clerici, quamvis latum, atque aptum convenire etiam clericis in minoribus restringi ad illos in presbyteratus ordine vere constitutos, quando conjecturæ aliæque facti circumstantiæ id suadeant, quoniam hujusmodi considerationes super vocabulorum significatione cessant, quando accedit discretiva, ex qua constat testatorem, seu alium disponentem aliquod vocabulum non habuisse pro synonimo; Ut habemus præ-
9 sertim in ea quæstione, an sub nomine filiorum veniant nepotes, aliique descendentes, quoniam licet juxta opinionem, quam sequitur Rota, & Curia, recepta sit pro regula pars negativa, ut ex vocabuli significatione, ac proprietate non veniant nisi filii primi gradus, attamen de facili ab ea receditur ex conjecturis, ex quibus veniunt nepotes, ac alii descendentes; Verum hæc limitatio cessat, ubi testator hæc vocabula omnia expressit, tamquam discreta, ut pluries in sua materia *sub tit. de fideicommissis*; Ideoque licet scribens pro actore ponderarem quod substantia verisimilis voluntatis fundatoris esset in contrarium, ut infra, quodque saltem dicta alternativa posita inter presbyterum, & clericum induceret prælationem, juxta ea, quæ in dicta materia fideicommissaria habemus circa alternativam positam inter masculos, & fœminas cum similibus; Attamen ab initio, quo requisitus fui ad scribendum, dubitavi de malo exitu causæ, ut credo, sequutum esse; Tum quia prædicta nimium obstare videntur; Tum etiam quia, ut frequenter advertitur in dicta materia fideicommissaria, iste dicitur notabilis effectus regulæ, quod pro illa absque alio fomento extrinseco judicandum est, quoties non docetur de limitatione, quæ non præsumitur, sed per allegantem est probanda; Quoties autem non adest probatio expressa, sed confugere oportet
10 ad conjecturalem, seu præsumptivam, nimium difficile, ac rarum est illam bene concludere, quando præsumptiones, & conjecturæ obstaculum habent aliarum præsumptionum, & conjecturarum regulæ assistentium, cum ita sufficiat conjecturas invicem conquassari, vel debilitari, ut illis, quæ pro limitatione urgent, efficacem operationem non facientibus firma remaneat regula.

E converso pro dicta limitatione ponderabam verba, quod fundator per decem circiter vices adhibuerat vocabulum *Presbyteri* in lingua latina, sub quo vere, ac proprie non venit, nisi constitutus in ordine presbyterali, cum generalitas hujus vocabuli apti etiam convenire clericis in minoribus, vere, ac proprie procedat in idiomate Italico, in quo vulgo dicimus presbyteros omnes, qui non sint laici, ut distinguendo, an
11 latino, vel Italico, seu materno sermone dispositio concepta sit, advertitur per Rotam in his terminis specialibus *decis. 216. num. 3. part. 2. recent. & decis. 496. part. 1. & infra disc. 96.*

Fortius vero ex qualitate testatoris, qui erat jurisconsultus, ac Episcopus recte callens hujusmodi terminorum, seu vocabulorum distinctionem: Ut de qualitate testatoris, seu fundatoris, an sit literatus, vel illiteratus nimium attendenda pro interpretatione suæ vo-
12 luntatis, ac significatione verborum, seu vocabulorum advertitur pluries *in d. tit. de fideicommiss. de Glorieriis, disc. 41.* & in decisionibus in ea causa editis coram Emerix.

Secundo, ponderabam observantiam ipsius fundatoris in prima nominatione per eum facta, quoniam nomi-
13 navit actualem sacerdotem; Tertio, in idem, quoniam primo nominato dedit facultatem sibi nominandi successorem, adhibendo verbum, *alium presbyterum*, quod de sui natura denotat similationem, ex collectis per Barb. *dict. 26.* Quarto, ob rationem ab ipso adjectam, alliciendi illos de familia ad presbyteratum; Et quinto fortiter, quod mihi magnam vim faciebat, quoniam in casu non existentiæ presbyterorum, mandavit redditus erogari in subsidia dotalia puellarum de familia, qui casus non erat de facili contingibilis, quando dispositio conveniret clericis in minoribus, qui etiam in tenera ætate, in hujusmodi statu constitui possunt; Ac etiam quia ita non obtinetur principalis finis a fundatore desideratus, alliciendi scilicet successores de familia ad statum presbyteralem, dum juxta communem, ac frequentem experientiam, adolescentes habentes solam tonsuram, quæ ad hunc effectum sufficit, illam frequentius suscipiendo ex parentum magis, quam propria voluntate, regulata a clericatus temporalibus emolumentis potius, quam a favore devotionis, ac Dei spiritu, laicorum vitam ducunt ac figuram faciunt, (Atque utinam in aliquibus partibus ob exemptionem a foro laicali non longe pejorem & cum majori vivendi licentia;) Verum quamvis præmissa naturaliter urgerent, attamen obstante regula juris, ac obstantibus verbis, ut supra eandem regulam confoventibus, durum est in foro contrarium obtinere, cum hæc reputari soleant Advocatorum ingeniosæ considerationes, vel subtilitates, ac ratiocinia.

ROMANA CAPPELLANIÆ, PRO N. PAULINO, ET ARCHICONFRATERNITATE SANCTISSIMÆ TRINITATIS, CUM FAUSTO SINIBALDO.

Casus decisus per Rotam pro Paulino.

De eadem materia qualitatis sacerdotalis; An præcise requiratur necne in Beneficio, vel cappellania; Et de qualitate civica per fundatorem desiderata, quando adesse dicatur.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Resolutiones causæ.
3 Leges a fundatore adiectæ sunt servandæ, præsertim, ut non nisi cives admittantur.
4 Natus occasionaliter extra patriam dicitur verus civis.
5 Fallit si testator de vere civibus & incolis de facto senserit.
6 Attendenda est substantia voluntatis, non sonus verborum, vel fictio legis.
7 De circumstantiis probantibus testatorem voluisse facere Cappellaniam sacerdotalem.
8 De significatione vocabuli Presbyter, vel Sacerdos, & quomodo procedendum sit.

DISC. LXII.

Augustinus Faseolus de Oppido Leonissæ Urbis incola, instituta herede insigni, ac celebri Archiconfraternitate Sanctissimæ Trinitatis peregrinorum, & convalescentium, mandavit in ea Ecclesia erigi tres cappellanias, in quarum prima nominavit Marium Sinibaldum ejus conjunctum, Urbis civem, vel incolam, in duabus vero alis duos sacerdotes de dicta ejus patria, ex qua in futurum sacerdotes dictæ Archiconfraternitatis Officiales in casu vacationis assumi voluit, data prælatione presbyteris de domo Paulina; Sequuta autem vacatione unius ex dictis cappellaniis, per mortem unius ex dictis 2
Oppidanis sacerdotibus ab ipso testatore nominatis, cum juxta istius mentem dicti Officiales elegissent N. Paulinum sacerdotem de dicto Oppido, se opposuit Faustus dicti Marii germanus frater prætendens sibi debitam esse prælationem, atque per Cardinalem Protectorem edito rescripto super cognitione causæ de voto Rotæ; Hinc assumpta desuper disputatione coram Verospio, super dubio, cuinam cappellania debita, & adjudicanda esset, post binam propositionem sub die 11. Decembris 1658. ad favorem Paulini prodiit resolutio, cui Faustus acquievit, unde propterea causa finem habuit, dictaque decisio est impressa *disc. 403. part. 12. rec.*

Resolutionis duo fuerunt fundamenta super Fausti exclusione; unum brevius, & quasi ad superabundantiam in fine decisionis deductum, quod Faustus non haberet civicam qualitatem a testatore desideratam, attento quod natus erat in Urbe; Et alterum magis principale, ob deficientem in dicto Fausto, ratione minoris ætatis, tam actu, quam habitu sacerdotalem qualitatem a testatore desideratam, & sic duo fuerunt hujusmodi disputationum puncti, unus scilicet super dicta qualitate civica; alter vero super qualitate sacerdotali.

Quatenus igitur pertinet ad primum, scribentes pro dicto Fausto non impugnabant testatoris potestatem adjiciendi dictam qualitatem, quoniam, ut pluries ha- 3
betur in sua materia *sub tit. de jurepatronatus*, etiam in veris beneficiis formiter erectis licitum est fundatori adjicere leges, & conditiones in ipso fundationis limine de Ordinarii consensu, etiam juri contrarias, multo magis istam, quæ potius justa, & rationabilis reputatur, ut supra, *disc. 12.* cum aliis in hujus causæ decisione in fine.

Et fortius, dum non agebatur de beneficio formiter cum Ordina-

Ordinarii auctoritate erecto, sed de simplici cappellania ex privata pia dispositione fundata, quæ jure legati pii magis, quam beneficii censenda est, atque cum regulis generalibus legatorum magis, quam cum regulis beneficialibus metienda, *ut disc. praced. & sub tit. de jurepatr.* pluries.

Insistebant vero in concursu dictæ qualitatis civicæ, non obstante nativitate in Urbe, cum illa fuisset accidentalis, ob accidentalem moram patris de dicto Oppido insignis medici, occasione exercendi ejus professionem, quod non tollit veram civilitatem, quoniam natus extra patriam ex causa accidentali absentiæ parentum
4 ratione officii, vel professionis, aut mercaturæ, dicitur verus civis, perinde ac si vere, & proprie in patria natus esset, Felin. *in cap.* Rodulphus, *num. 14. de rescript.* ubi legitur de se ipso, Menoch. *lib. 6. præsumpt. 30. numer. 16. & 17.* late Ginrba *observ. 76. ubi cæteri.*

Quamvis autem dicta propositio in puncto juris vera esset, ut pluries advertitur ad hanc materiam civilitatis *sub tit. de Præminentiis*, præsertim *disc. 37.* ac etiam infra, *sub tit. de Canonicis, & Capitula. in Rhegien. consortii, disc.* 21. Unde propterea ego scribens pro Paulino, ac dicta Archiconfraternitate illi adhærente, eam admitterem; Attamen in hac facti specie,
5 etiam cum sensu veritatis, dicebam, quod ex voluntate testatoris, atque spectata substantia suæ voluntatis, seu fine per ipsum habito requisita esset civilitas vera, & naturalis, illorum scilicet, qui in eo Oppido nati, ac domicilium habentes, occasione istarum cappellaniarum Urbem colerent, atque inserviendo dictæ Ecclesiæ, in qua more insignis Collegiatæ divina celebrantur, ac sacramenta ministrantur, ita bene edocti, possent ad patriam redeuntes illi populo proficere, ac alios clericos, & presbyteros edocere, ac instruere, atque ista videbatur substantia voluntatis, ad quam principaliter est respiciendum, non curatis formulis verbo-
6 rum, ac juris fictionibus, vel subtilitatibus, juxta firmata apud Dunozett. *dec. 417. repetit. dec. 93. part. 7. recent.* & habetur pluries *sub tit. de fideicommissis*, præsertim in Romana fideicommissi de Baldassinis, *disc.* 45.

Illa etiam circumstantia accedente, quod testator in casu vacationis, disposuit de cappellaniis provideri non debere, nisi illos cives, qui bonum haberent testimonium illius Communitatis, super natalibus, vita, & moribus, onde clara desumi videbatur voluntas, sensisse de illis civibus per veritatem, ac de facto.

Quo vero ad alterum punctum super qualitate Sacerdotali, retenta recepta theorica, de qua supra, *disc. proxime præcedenti, & disc. 96.* tam super regula, ut hujusmodi cappellaniæ non censeantur præcise sacerdotales, sed etiam clericis in minoribus conveniant, quam super limitatione ex contraria etiam conjecturata fundatoris voluntate; Ex facti qualitate omnino probabilius videbatur talem voluntatem pro limitatione potius, quam
7 pro regula assistere; Dum ex ea circumstantia, cui solum causæ decisio innititur *num. 3. & 4.* quod scilicet fundator ipsis cappellanis facultatem attribuisset subrogandi alium sacerdotem pro missarum celebratione limitando in solo casu absentiæ, vel infirmitatis, aut applicationis servitio alicujus Cardinalis; Tum etiam, quia voluit concurrentem super idoneitate examinari debere, quod in idem conferre videtur; Ac etiam ob dictam considerationem occasione civilitatis, ut ita scilicet patriæ hoc beneficium conferret; Et demum quia disponendo materno Italico idiomate, pluries adhibuit verbum *Sacerdotis*, quod non nisi constitutis in ordine presbyterali convenire videtur.

Super hujus autem vocabuli significatione multum inter scribentes certatum fuit, dum in contrarium deducebantur auctoritates firmantes vocabulum *Sa-*
8 *cerdotis*, vel illud *presbyteri* etiam clericis in minoribus convenire posse, ex deductis apud Merlin. *decis.* 825. *num. 12. & seqq. dec. 59. n. 22. part. 7. recent.* Fab. de Anna *cons.* 22. *numer.* 15. Rot. in Pisaurien. primogenituræ 26. Januarii 1651. Cerro; E converso autem pro hac parte adducebatur distinctio, de qua *decis.* 216. *part. 2. recent.* an latina, vel materia lingua dispositum esset, *decis. 496. num. 8. part. 1. recent. decis.* 680. apud Buratt. *numer.* 5. Dunozett. *dec. 956. num.* 10. Verum reflectendo ad veritatem istæ verborum formalitates non placebant, atque erroneum videbatur in eis constituere principale fundamentum, quod vere constituendum est in substantia voluntatis, ex facto magis ejusque circumstantiis, ac tota facti serie desumenda; Dicta autem verba nimium operativa remanent, ac attendenda veniunt; quando voluntas est ambigua, ita ut ex facto non possit desumi sufficiens probatio, vel argumentum, unde propterea nimis operantur verba, cum revera, ut dictum est, ista materia regulanda sit cum illa fideicommissorum aliarumque ultimarum voluntatum; Atque ex præmissis, probabilis, beneque fundata est resolutio, cui altera pars acquievit.

L U C C A N A,
PRO CANONICIS REGULARIBUS S. SALVATORIS,
C U M

Quibusdam Presbyteris, eorumdem Canonicorum Ecclesiæ inservientibus.

Casus disputatus in Sacr. Congr. Concilii sub incerta exitu.

De mutatione status beneficii, vel Ecclesiæ, quando scilicet de sæculari efficiatur Regularis, vel e contra; Et an per concessionem Ecclesiæ sæcularis factam Regularibus, Beneficia in ea existentia censeantur suppressa.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Per quadragenariam status Beneficii immutatur, atque de sæculare efficitur regulare.*
3 *Ecclesia Manasterii Regularis dicitur pernecesse Collegiata.*
4 *Aliud est Ecclesia, aliud sunt Beneficia in ea existentia.*
5 *Declaratur, & quod unum corpus non potest esse diversæ naturæ sæcularis, & regularis.*
6 *Nuncupatio Canonicarum non facit Canonicos.*
7 *Quod in una Ecclesia possint esse duo Collegia, unum sæculare, alterum regulare.*
8 *De argumentis quod Papa voluerit immutare statum Ecclesiæ, ac supprimere antiquum Collegium.*
9 *Argumentum est quod Beneficia non fuerint collata in titulum.*
10 *De alia facti specie.*
11 *Membra præsumuntur ejusdem naturæ capitis.*
12 *Ex quibus constet, Ecclesiam esse sæcularem possessam per Regulares.*
13 *Non implicat, collationem esse Regularem, & tamen Beneficium esse sæculare conferendum sæculari.*

D I S C. LXIII.

Ecclesia Sanctæ Mariæ extra Portam vulgo *Folipor-* 1
ta nuncupata Civitatis Luccan. cum esset Collegiata sæcularis habens Priorem & sex Canonicos, inter quos redditus de anno 1422. per Episcopum divisi fuerunt, assignando ex quinque portionibus, duas Priori, duas Canonicis, & unam Ecclesiæ pro ejus fabrica & indigentiis, de ann. 1512. Julius II. eam tunc vacantem per liberam resignationem in manibus Papæ, concessit, ac univit Congregationi Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris, cum subsequuta effectuatione, nulla mentione facta dictorum Canonicorum, & cum expressione, ut in divinis deserviri, ac animarum cura exerceri deberent per ipsos Canonicos Regulares, seu etiam per presbyteros sæculares per eos deputandos; Observantia vero de facto dedit, ut supponebatur, initium sumens ab anno 1520. quod dicti Canonici sæculares intermedio tempore prohibiti fuerunt functiones aliquas in dicta Ecclesia peragere jure suo, sed per eosdem Priorem & Canonicos regulares vocati fuerunt ad processiones, ac exequias mortuorum, necnon majores solemnitates, dando eis quamdam recognitionem, atque subrogando novos in locum deficientium; Exortis autem controversiis inter eosdem Canonicos sæculares in titulum moderno tempore a Dataria de Canonicatibus provisos, dictosque Canonicos Regulares; Introducta causa ex compromisso in S. Congregat. Concilii, per istam responsum fuit ex deductis, Canonicatus sæculares non fuisse suppressos, quo rescripto edito, obtentaque nova audientia, in hoc statu ex parte dictorum Regularium requisitus fui ad substinendam suppressionem.

Quare scribens dicebam, certam esse juris conclusionem quod status Ecclesiæ immutatur, ac firmatur per annos 40. atque de sæculari efficitur Regularis quamvis constet de antecedenti statu sæculari, ad text. *in capit. cum beneficio, de præb. in sexto*, ubi scribentes, de qui-
2 bus Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 7. *n.* 8. Buratt. *dec.* 636. *num.* 1. Duran. *dec.* 244. *n.* 7. Merl. *dec.* 128. *etiam n.* 1. Valentina Rectoriæ 22. Junii 1650. Bich. *dec.* 65. *num.* 20. *& seq. part.* 11. *recent.*

Et propterea cum ex concessione Apostolica effectum sortita spatio annor. circiter 150. ista Ecclesia possessa esset per Priorem & Canonicos Regulares dictæ Congregationis, de plano resultabat eam effectam esse Collegiatam & Regularem, cum in Ecclesiis possessis per Regulares ibi viventes cum proprio Prælato, seu Priore collegialitas insit de natura, quæ eo ipso inesse
3 se dicitur in Ecclesia actuali Monasterii regularis, Hostien. *in cap. nobis, de Jurep.* ubi Abb. *num.* 8. Cardin. *n.* 3. *& cæteri*, de quibus *decis.* 140. *num.* 9. *part.* 7. *recent.*

Et quamvis non implicet, ut in Ecclesia sæculari adsint beneficia Regularia, vel e converso, in regulari adsint sæcularia, quoniam aliud est Ecclesia, aliud
4 sunt beneficia in ea existentia, ut *in Cap. fin. §. præcipimus, de statu monachorum*. Ancharan. *ibib. n.* 15. *&* 16. Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 34. *n.* 71. *cum seq.* Attamen dicebam id procedere diversis respectibus, quod
5 scilicet Ecclesia esset Collegiata Regularis, beneficia vero in eo existentia essent simplicia, & sæcularia, seu alias ipsius Ecclesiæ Collegium non constituentia, cum implicare videretur, ut eadem Ecclesia esset Collegiata sæcularis & Regularis, quia non potest unum & idem Collegium ex personis disparis professionis, vel status constitui, compaginando unum corpus ex partibus, seu membris diversæ imo contrariæ naturæ, Abb. *quæst.* 6. *n.* 2. Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 6. faciunt deducta per Barbos. *de Episc. alleg.* 57. *num.* 170.

Ac propterea cum ex dicta concessione Apostolica, & subsequuta observantia constaret, istam Ecclesiam esse Collegiatam Regularem, pernecesse sequebatur mutatio status ac suppressio Collegii antiqui, itaut isti non essent amplius Canonici, quamvis tales nuncuparen-
6 tur, cum sola nuncupatio non faciat Canonicos, dum sæpius tale nomen abusive competere solet etiam simplicibus beneficiatis vel presbyteris Ecclesiæ servitio adscriptis, *ut dec.* 633. *n.* 14. *& seq. part.* 4. *recent. tom.* 3. Placentina Archipresbyteratus 27. Junii 1636. coram Panzirolo, *& supra, disc.* 59.

Verum reflectendo ad veritatem, istud motivum non videbatur tutum, quoniam ex iis, quæ deducta haben-
7 tur in Cæsaraugust. Cathedralitatis *sub tit. de præeminentiis, disc.* 4. non implicat in una eademque Ecclesia adesse duo Collegia diversæ naturæ, unum sæculare, alterum Regulare, cum implicantia solum versetur in mixtura ejusdem corporis, seu Collegii ex dictis personis diversæ naturæ, quod tamen adhuc monstruose cernitur admissum in d. Cæsaraugustana; Ideoque stant simul, Ecclesiam effectam esse Collegiatam Regularem, cujus sponsus, & caput sit ipse Prælatus Regularis, & nihilominus, quod in eadem adsit aliud Collegium sæculare, eodem modo, quo in d. Cæsaraugustana dicitur Ecclesiam S. Mariæ del Pilar esse posse Cathedralem habentem in suum sponsum & caput Episcopum una cum Capitulo sæculari, unum & idem corpus cum Episcopo constituente, & tamen in eadem adesse Collegium Regulare juxta exemplum Ecclesiæ S. Ambrosii Mediolani cum aliis ibi deductis, ac etiam in Romana jurisdictionis, seu tituli Cardinalitii *sub tit. de jurisd. disc.* 34. ubi de Ecclesia titulari Cardinalitia, ut sit sæcularis habens in caput & sponsum ipsum Cardinalem, in qua tamen adsit Collegium Regulare, ita e converso, unde propterea illud fundamentum incompatibilitatis, ex quo tamquam per consequens necessarium inferebatur ad suppressionem, videbatur minus tutum.

Solidius videbatur alterum motivum voluntatis Pontificis unientis istam Ecclesiam dictæ Congregationi regulari, illam ex eo deducendo, quod habens Pontifex notitiam Status Ecclesiæ, mandavit in futurum, tam quoad
8 cultum ac divina, quam quoad exercitium curæ animarum, id fieri per ipsum Priorem & Canonicos regulares, seu etiam per clericos sæculares ab eis assumendos; Ita enim dicebam implicite Papam præsuppositive noluisse dictum Collegium sæculare supprimere, cum alias de dictis Canonicis in eadem Ecclesia cessante suppressione existere debentibus, aliquam mentionem fecisset tam circa cultum, quam exercitium curæ.

Atque ubi hoc solum argumentum resultans ab actu negativo non videretur sufficiens ad talis voluntatis concludentem probationem inducendam, omnem tamen difficultatem cessare dicebam ex subsequuta observantia, dum spatio unius sæculi, & ultra, dicti Canonici Ca- 9
pitulum facere non consueverunt, minusque sigillum & arcam communem habuerunt, & quod magis est, nullam habebant præbendam, vel saltem massam communem distributionum succedentem loco præbendæ, sine qua non datur canonia, unde resultat præsumptio, quod potius sint beneficia non numerata, ex deductis per Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 27. *cum seq.*

Et quod magis est, quod nunquam fuerunt in titulum collati a Sede Apostolica, quando eorum vacatio contingit in mensibus reservatis, sed semper in locum deficientium subrogati fuerunt alii per Abbatem, seu Priorem tamquam cappellani conductitii & inservientes, quod bene in simili ponderatur apud Achill. *dec.* 10. *de præben. n.* 3. *in fine*, atque istud argumentum mihi videbatur fortissimum, considerata potissimum qualitate Civitatis, quæ semper in Curia abundat viris litteratis, atque incolæ sunt nimium diligentes, non de facili negligentes ea, cum quibus eorum conditionem meliorem facere possunt, congruas provisiones obtinendo, unde propterea sumendo observantiam tamquam interpretativam ejus, quod etiam sine illa implicite ex dicta Apostolica concessione, seu unione deduci poterat, mihi videbatur probabiliter pro suppressione potius respondendum esse; Non potuit tamen maturum judicium desuper formari, cum incertum sit, an ex concordia, vel qua alia causa disputatio prosequuta non fuerit, neque communicatæ sint informationes scribentium in contrarium, ex qua communicatione, occasione respondendi objectis, tale judicium frequentius efformari solet.

In proposito autem ejusdem materiæ, an scilicet dari possit, ut Ecclesia possessa per Regulares sit sæcularis, & an hujusmodi status immutari valeat; In una Veronen. pro Monasterio S. Mariæ in organo Congregatio- 10
nis Olivetanæ, cum illud inter alias Ecclesias possideret parochialem sub invocatione S. Margaritæ, quæ ab ann. 1507. ex collatione Abbatum possessa fuerat per clericos sæculares, defuncto autem ultimo possessore, Abbas intendebat illius servitio & administrationi præficere unum ex Monachis Monasterii, applicando huic ejusdem Ecclesiæ redditus ac emolumenta, atque pro veritate desuper interrogatus; Respondi quod licet præsumptio stet pro regularitate, quoniam talia præsumuntur membra, quale est caput, ex deductis per Gregor. *dec.* 370. *n.* 30. Nihilominus difficultatem habebam ex dicto contrario statu unius sæculi & ultra, dum consta- 11
bat a dicto anno 1507. dictam Ecclesiam collatam esse in titulum clerico sæculari, atque talis erat etiam ultimus status, dum per clerici pariter sæcularis ita provisi obitum vacatio contigerat; positis enim extremis media præsumuntur, attento præsertim ultimo statu, in his terminis *dec.* 588. *n.* 1. *part.* 1. *recent.* atque ultimus status in proposito satis attendendus est, ut in 12
specie Ecclesiæ præsertim parochialis, ut sit sæcularis, non autem regularis, in Valentina Rectoriæ 22. Junii 1650. Bich. Bonon. Parochialis 24. Aprilis 1651. Meltio, & sæpe *sub tit. de Parochis*.

Nil obstante, quod collatio facta esset Abbati Regulari, quoniam stant bene simul, ut collator sit Regularis, & tamen beneficium sit sæculare, ac de necessitate conferendum clerico sæculari, itaut non possit Superior hunc statum immutare, Felin. *in cap. nostra, sub n.* 44. *de script.* Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 8. *num.* 38. Lotter. *de benef. lib.* 1. *quæst.* 43. *n.* 7. & 8. Rot. *d. dec.* 578. *num.* 2. *par.* 1. *recent.* in Montis Cassin. Parochialis 17. Februarii 1648. cor. Bich. *decis.* 156. *part.* 19. *recent.* in d. Valentina Rectoriæ 22. Junii 1650. cor. eodem *dec.* 65. *part.* 11. *n.* 15. *& seqq. ubi num.* 20. *& seqq.* firmatur, quod stantibus collationibus factis sæcularibus, istæ probant statum sæcularem. Neque proinde intrat inspectio super mutatione status de regulari in sæculare, quia punctus non est in mutatione de uno statu ad alium, sed in probatione quod status semper fuerit idem; Unde propterea consului, quod adiretur Sac. Congregatio, atque desuper obtineretur opportuna facultas, stante Monasterii indigentia, ut puto sequutum.

CO-

COLONIEN. ET ARGENTIN. CANONICATUUM, PRO GUSTAVO COADJUTORE FULDEN.

Responsum pro veritate.

An Regularis assequi, vel retinere possit beneficia sæcularia, & quando dispensatio ad id suffragetur; Et de differentia inter dispensationem, quæ obtineatur ad assequendum Beneficia sæcularia in statu Regulari, & alia ad retinendum obtenta in statu sæculari, non obstante supervento statu Regulari.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Status sæcularis, ac Regularis sunt omnino diversi.*
3 *Beneficia sæcularia conferri non debent Regularibus, & e contra.*
4 *Per professionem in Religionem vacant Beneficia sæcularia.*
5 *Ac etiam pensiones Ecclesiasticæ super eis.*
6 *Papa habet absolutam potestatem in Beneficialibus, atque dare potest regularia sæcularibus, & e contra.*
7 *Beneficiorum Regularium natura non immutatur si detur in Commendam sæcularibus.*
8 *Ad quid prosit in dispensationibus adesse statuta, vel consuetudines particulares ultra dispositiones juris communis.*
9 *Gratiæ nimium præjudiciales tertio, sunt revocandæ.*
10 *De indultis præservativis a vacatione per assumptionem diversi status, quod non inducant novum onus, vel contineant novum titulum: Dantur exempla.*
11 *Qui dispensatus est ad retinendum beneficium incompatibile cum novo statu regulari, habetur ad hunc effectum pro sæculari.*

D I S C. LXIV.

1 Cum Princeps Gustavus Adulphus legitimus possessor spatio plurium annorum Canonicatuum in Metropolitana Colonien. & in Cathedrali Argentin. vota Regularia emittere intenderet in Monasterio Fulden. (cujus deinde professione emissa, coadjutoriam obtinuit,) antequam dictam professionem emitteret, reportavit a Sede Apostolica indultum dispensativum retinendi præfatos Canonicatus Ecclesiarum sæcularium, etiam in statu regulari, Cumque id præfatarum Ecclesiarum Capitulis exorbitans, ac præjudiciale videretur, stantibus eorum statutis, sive immemorabili & inconcussa consuetudine non admittendi mixturam Regularium, ac propterea renuerent eum amplius recognoscere in Canonicum, atque ad jurium ac emolumentorum canonicalium participationem admittere; Hinc desuper ex parte dicti Gustavi consultus,

Respondi, quod quando ageretur de nova provisione hujusmodi Canonicatuum sæcularium in dicta persona jam constituta in statu Regulari, probabilis, beneque fundata dicenda esset Capitulorum oppositio, quoniam cum in Ecclesia isti duo ordines, seu hierarchiæ, sæcularis ac regularis, statum omnino diversum constituant, 2 ut occasione præcedentiæ ac ordinis tenendi in processionibus aliisque Ecclesiasticis functionibus habetur in Romana præcedentiæ *sub tit. de præemin. disc.* 24. ac etiam in Cæsaraugustana Cathedralitatis *eod. tit. de præemin. disc.* 4. & 5. Hinc proinde in jure statutum est, beneficia sæcularia conferri non debere Regularibus, 3 & e converso Regularia sæcularibus, *cap. cum singula, de præb. in 6. Clem.* 1. *de elect. Clem.* 1. *de supplenda neglig Prælatorum, ubi scribentes*, atque ex Rebuff. Mandos. Paris. aliisque antiquioribus Beneficialistis, habetur per Gonzal. *ad reg.* 8 *gloss.* 8. *num.* 8. Garz. *part.* 7. *cap.* 10. *n.* 3. *seq.* Rota apud Cels. *dec.* 161. *n.* 17. ubi quod ea quæ habentur de capacitate Canonicorum Regularium procedunt solum in parochialibus.

Adeout beneficia in statu sæculari obtenta, per assum- 4 ptionem status regularis incompatibilis vacare dicantur, ad text. *in c. Beneficium, de Regul. in* 6. ubi communiter scribentes, de quibus Gonz. *gloss.* 15. *n.* 45. Garz. *p.* 11. *c* 9 *n.* 9. Sanch. *ad præcepta Decalogi, lib.* 7 *c.* 4. & 29. Buratt. & Add. *dec.* 39. & *passim*: Quod etiam extenditur ad pensiones ecclesiasticas reservatas super beneficiis sæcularibus tamquam clerico sæculari, ut habetur in sua materia *sub tit. de pension.* 5 præsertim in Cæsaraugustana, de qua infra.

Et quamvis, obstante solum dicta juris dispositione, illius obstaculum cesset ex Apostolica dispensatione, cum in hac materia proveniente a jure mere positivo, non dubitetur de potestate Papæ, quæ præsertim in beneficialibus est omnimoda, & absolutoria, Fœlin. Dec. & alii *in c. quæ Ecclesiarum, de const.* Gomez. *ad reg. de jure* 6 *quæsit. non toll. q.* 1. Mohedan. *dec.* 4. *de rest. spol. Add. ad dec.* 2. *p.* 3. *rec. n.* 215. & *seq.* cum aliis quæ ad materiam potestatis tollendi jus tertii habentur *sub tit. de Regal. disc.* 148. atque ita doceat continua praxis tot Monasteriorum Regularium, quæ dantur in commendam Cardinalibus & Prælatis, aliisque clericis sæcularibus, ipsorum Monasteriorum regulari statu ac natura non immutatis, sed continuantibus, perinde ac si ipse Commendatarius esset Abbas, vel Prior, ex iis quæ cæteris relatis habentur deducta 7 in Romana jurisdictionis, seu tituli Cardinalitii *sub tit. de jurisd. disc.* 34 & *in duplici discept. Cardinalis de Albicis impress. in calce ejusdem tit. de jurisd.*

Attamen in hoc nimium attendi debere observabam circumstantiam statutorum, vel immemorabilis inconcussæ consuetudinis istarum Ecclesiarum, numquam admittendi 8 hanc mixturam, cum id considerabile sit; Vel in ordine ad subreptionem dispensationis ob non factam mentionem hujusmodi statutorum, vel particularis consuetudinis tenaciter ac inconcusse semper observandæ, quasi quod Papa crediderit solum tollere obstaculum a juris communis dispositione proveniens; Vel quod esset justum motivum replicandi, atque se opponendo excusationi adeundi eundem Papam pro moderatione hujusmodi dispensationis reputatæ adeo præjudicialis tam insignibus Capitulis utpote in- 9 ductivæ adeo abhorritæ mixturæ, ex qua causa decet Principem gratias concessas revocare, seu moderari, ex deductis *d. disc.* 148. *sub tit. de Regal.*

Hæc autem omnia cessare dicebam in hac facti specie, ac propterea eis non obstantibus improbabilem, parumque fundatam dixi hujusmodi oppositionem, quoniam hujusmodi dispensationes retinendi beneficia sæcularia, vel pensiones non obstante transitu ad diversum statum incompatibilem, non important novam provisionem, seu novum titulum, sed solum præservationem, ne superveniens di- 10 versus status incompatibilis inducat vocationem atque cessare faciat jus in diverso statu compatibili jam quæsitum, ita se opponendo principio obstaculi alias resultantis, atq; fingendo, quod novus status incompatibilis assumptus non sit, sed continuet in primævo statu, primævoque jure, tamquam primus ac idem possessor; Ut in terminis Indultorum, quæ dantur promotis ad Episcopatum retinendi incompatibilia, vel quæ dantur profitentibus in Religione retinendi beneficia, vel pensiones habetur apud Mellin. *dec.* 45. *num.* 3. & *sequent.* late & bene in Cæsaraugustana pensionis coram Peutingero & Bichio, *quarum prima est impress.* post Tondut. *de pension. dec.* 17. & *altera dec.* 121. *part.* 12. *recent.* ubi quod licet pensiones sub pœna nullitatis gratiæ exigi non possint litteris non expeditis, ac alias quam earum vigore, ut pluries in sua materia *sub tit. de pension.* attamen si possidens jam legitime pensionem in vim litterarum, transitum faciendo ad statum Regularem, obtineat dispensationem super retentione, quamvis obligationem habeat expediendi litteras, non tamen intret dictus rigor, quoniam non dicitur nova pensio, novumque Ecclesiæ gravamen, sed est eadem, ita per quandam speciem remedii præservativi occurrendo vacationi, quæ alias per immutationem status resultaret, *ut d. tit. de pension. disc.* 44.

Quod etiam habetur sub eadem materia *de pension.* in Ravennaten. *disc.* 1. ac in decisione in ea causa edita 5. Julii 1660. coram Albergato, impress. post Zuff. *de legitim. processſ. dec.* 55. & post collucubrationes Bondeni *dec.* 81. in proposito indulti concessi Cardinali, vel clerico retinendi pensiones, non obstante transitu ad statum sæcularem ac matrimonialem etiam cum bigamia, an scilicet requirerentur derogationes, vel consensus, qui alias in reservationibus pensionum super Ecclesiis præsertim Cathedralibus & Metropolitanis requiruntur, atque deciditur negative ex dicta ratione, quod ista non dicitur nova gratia importans novum onus, vel novum titulum, sed est præservatio, gratiæ antiquæ effectum sortitæ, ne cesset per illud obstaculum per quod alias de jure cessare deberet, se opponendo principio, perinde ac si status diversus & incompatibilis non sequeretur, sed continuaret primævus.

Unde propterea in terminis ejusdem indulti, de quo in dicta Ravennaten. firmatur in Patavina pensionis coram

Celso inter suas *dec.* 355. & 395. quod durent eædem obligationes, vel assecurationes ac cedulæ bancariæ pro solutione pensionis factæ ad favorem pensionarii tunc Cardinalis, quamvis deinde uxorati ac bigami, quoniam stante Indulto præservativo, habetur ac si dicta status immutatio sequuta non esset, sed continuaret idem status antiquus, eademque non autem nova esset pensio, cum similibus.

Quare applicando ad rem, dicebam non resultare for-
11 midatum præjudicium, ut Canonicatus sæculares conferrentur Regularibus, quoniam iste ita dispensatus continuare dicebatur in eodem statu sæculari, possidendo Canonicatus ex primævo jure ac titulo, perinde ac si dicta immutatio status sequuta non esset, ita fingendo eum non Regularem, sed sæcularem ad hunc effectum, cum Principis potestas in iis quæ pendent a jure positivo, fictionem veritati æquare valeat, omniaque incompatibilia tollere, adaptando, ut nostri dicunt, quadrata rotundis; Et stante hoc responso benevole dictis Capitulis communicato audio, quod acquieverunt.

ANNOT. AD DISC. LXIV.

AN Regularis assequi, vel retinere valeat beneficia sæcularia, habetur *in hoc. tit. disc.* 115. occasione agendi de puncto, an Canonici Regulares sint capaces beneficiorum sæcularium, & qualium, de quo etiam habetur actum *sub tit. de Regul. disc.* 36.

MONASTERIEN CANONICATUUM, PRO JO. SIGISMUNDO, DE ARNOLDO, ET CONSORTIBUS, CUM HERMANNO ARRECH, ET CONSORTIBUS.

Casus disputatus in Rota, & resolutus ut infra.

De Constitutione 58. Pii V. prohibente Ordinariis aliisque inferioribus collatoribus provisiones Beneficiorum vacantium per liberam resignationem in personis consanguineorum ipsorum collatorum, vel resignantium, An & quando intret, tam ad effectum invaliditatis collationis, quam incursus pœnarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Manutentio datur priori possessori etiam adversus factum judicis nullum, vel injustum.*
3 *Possessio attentata, vel vacua est sequestranda, & de materia sequestrationis remissive.*
4 *Etiam in possessorio solet incidenter deduci bonum jus.*
5 *Aliud est instituere, aliud vero destituere, & ex potestate instituendi non infertur ad illam destituendi.*
6 *Laici quandoque ex privilegio Apostolico instituunt, sed non destituunt.*
7 *Ut resignatio sit perfecta, & abdicet jus a resignante, acceptari debet ab habente potestatem destituendi.*
8 *Capitulum quandoque habet potestatem destituendi.*
9 *Ut intret Constitutio 58. Pii V. requiritur scientia conjunctionis.*
10 *Ad effectum pœnæ, vel gravis præjudicii requiritur scientia certa.*
11 *Scientia præsumpta non sufficit ubi est fundamentum intentionis.*
12 *Quod in Hispania dicta Const. Pii V. non sit in usu.*
13 *An possit dari de non usu Constitutionis Papalis.*
14 *An & quando consuetudo licet mala excuset.*
15 *Quod dicta Constitutio sit in usu in Germania.*
16 *In materia consuetudinis affirmativæ, vel negativæ non datur extensio de loco ad locum, vel casu ad casum.*
17 *Dicta Constitut. Pii V. non intrat in collationibus ad aliorum præsentationem, vel nominationem.*
18 *Consuetudo abrogativa non datur adversus Constitutiones Apostolicas ob decretum irritans.*
19 *Decretum non obstat ubi est dubium super comprehensione, & an intret necne.*
20 *De eadem Constit. Pii V. quando intret necne.*

D I S C. LXV.

CUm possessores Canonicatuum Ecclesiæ cathedralis 1
Monasterien. libere illos resignassent in manibus Canonici respective pro tempore turnarii, qui de illis providit, seu ad eos nominavit consanguineos respective suos, vel resignantium; Hinc Hermannus & alii, prætendentes ita contraventum esse Constit. 58. Pii V. sub pœna nullitatis actus aliisque pœnis, prohibenti inferioribus collatoribus providendos de beneficiis vacantibus per resignationem, conjunctos, vel affines resignantium, vel ipsorum collatorum, obtinuerunt de eisdem Canonicatibus ita vacantibus in vim dictæ Constitutionis provideri a Sede Apostolica, atque possessoribus non citatis, cum eo abusu, qui insinuatur supra, *disc.* 53. de facto per executorem in litteris deputatum immissi fuerunt in possessionem, inhibitionibus non obstantibus, quare introducta causa in Rota cor. Ottalora, datoque dubio, an constaret de attentatis, unde propterea prioribus possessoribus danda esset manutentio, seu apponendum sequestrum, illoque proposito sub die 26. Maji 1669. rescriptum fuit videri de bono jure apposito sequestro, deindeque sub die 2. Decembris sequentis prodiit resolutio affirmativa super attentatis, atque sub die 16. Junii 1670. cor. Albergato, subrogatio pro antiquorum possessorum manutentione responsum fuit.

In his vero disputationibus principaliter actum fuit de dicto possessorio retinendæ cum ego (quamvis non in omnibus scribens) ac cæteri pro antiquis possessoribus scribentes, dicebamus de plano locum esse ad prædictorum favorem ex vulgari, atque quotidiana propositione, qua nihil forte in Curia frequentius, quod antiquior possessio est manutenenda, cum posterior præsumatur turbativa & clandestina, non obstante quod manu judicis, seu executoris Apostolici obtenta esset, quoniam ubi constat, illum nulliter, vel attentate processisse, ejus actus potius prædonicus ac privatus quam judicis reputatur: ideoque non impedit, quin antiquior possessor ex processione civili animo retenta manuteneri debeat; ut ultra generalia usque ad nauseam cumulata per Posth. *in tract. de manut. observ.* 12. & per Rotam quotidie, in specialibus terminis beneficiorum adversus possessionem captam de mandato executoris Apostolici cæteris relatis habetur apud Buratt *dec.* 185 & 375. apud Celsum *dec.* Sa. 314. & 352. *part.* 10. & *sæpius*.

Quodque in omnem eventum incontrovertibilis esset appositio sequestri, quæ ex aliis respectibus tunc vigentibus occasione alterius controversiæ de qua infra in Monasterien. Coadjutoriæ *sub tit. de Canonicis, & Capitulo, seu electione* sussiciebat ex dilemmate plene deducto *dec.* 94. 2
num. 1. & *dec.* 155. *n.* 10. & 11. *part.* 11 *recent.* ac habetur etiam infra, *disc.* 98. ubi generaliter agitur de hac materia sequestri, quod scilicet, Aut dicti noviter provisi dicebant possessionem esse per eos plenam, & tunc atten- 3
tata erant indubitata, stantibus inhibitionibus, ac etiam quia sine illis specialibus, aderat inhibitio legis, dum in hujusmodi impetrationibus certo modo de beneficio pleno executor dicitur mixtus, assumere debens partes formales judicis in judicio ordinario, ac appellabili terminando per rem judicatam, vel tres conformes, alias omnia gesta sunt attentata, ut *d. disc.* 53. ac pluries in aliis, de quibus supra & infra, & consequenter possessio attentata est seque- 4
stranda; Aut vero id negantes dicebant, possessionem adhuc esse vacuam, & tunc pariter de plano intrabat sequestrum, quoniam possessio vacua est sequestranda, sicuti sequestranda est possessio attentata, ut quotidiana praxis docet, cum sint principia in jure nullam admittentia controversiam, cadentia solum in facto, an scilicet adsit necne qualitas attentatorum, seu alias vitiosæ possessionis, quæ illam pro vacua haberi faciat.

Quia vero stylus est, etiam in his disputationibus agere de meritis negotii principalis; licet enim regula sit, quod in judicio manutentionis, vel attentatorum non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum, adhuc tamen nimium confert ita incidenter, ac pro gustu insinuare justitiam negotii principalis ad facilitandum possessorium.

Hinc proinde, quatenus ad merita pertinet, dicebam opus non esse agere de usu, vel intelligentia dictæ Constitutionis procedentis in casu, quo per resignationem validam, ac perfectam sequatur vacatio, ob quam provisio sequatur in persona consanguinei, vel affinis, quod in præsenti dici non poterat, cum dicta resignatio facta esset in manibus Canonici turnarii, qui est inferior col-

collator habens quidem nomine Capituli potestatem instituendi, seu verius nominandi a Capitulo, a quo fiat institutio, non habenti autem potestatem destituendi, quæ est quid plus, neque ab una potestate ad alteram inferri
5 potest Gabr. *cons.* 187. *lib.* 1. ex communi traditione DD. *in cap. fin. de renunciat. & in cap. quod in dubiis eod.* cum aliis per Paris. *de resign. lib.* 7. *quæst.* 23. *n.* 1. *& seqq. n.* 30. *ac per tot.* Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 6. *n.* 39. *& seqq.* ubi advertit dari casum juris instituendi in laicis, in quibus non datur jus destituendi, cum longa differentia sit
6 inter unum casum & alterum, ut advertitur etiam infra in Romana juris amovendi, *disc.* 80.

Et consequenter dici non potest sequuta vacatio, neque abdicatum jus a resignante, cum ad hunc effectum requiratur resignatio valida & perfecta ex pluries deductis supra, *disc.* 35. *& seq.* Ad effectum enim ut resignatio sit valida & perfecta, opus est quod fiat cor. legitimo Superiore habente potestatem absolvendi a vinculo, seu resolvendi illum quasi contractum, qui iniri dicitur inter beneficiatum & Eccle-
7 siam, quodque sequatur admissio; & sic requiruntur copulative potestas & voluntas, pro hujus distractus perfectione Mant. *dec.* 68. *num.* 5. Penia *dec.* 1551. *num.* 5. Duran. *dec.* 273. *nu.* 20. late Rot. *dec.* 184. *nu.* 10. *&* 11. *p.* 10. *rec. dec.* 177. *n.* 17. *part.* 11. & frequenter, cum conclusio in puncto juris sit vera; Prout vera est altera superius dicta, quod a potestate instituendi, vel conferendi quam habeat inferior collator, qui non sit Ordinarius, vel Prælatus cum generali jurisdictione, non infertur ad potestatem destituendi, unde propterea, reflectendo ad veritatem, circa istud motivum, sola dubitandi ratio consistebat in facto, seu applicatione, an scilicet ex privilegio, vel legitima consuetudine, Capitulum, & ejus nomine Ca-
8 nonicus turnarius, destituendi quoque potestatem haberet, super quo judicium efformari non potuit in hac unica disputatione in qua incidenter actum est de puncto, cum etiam in capitulo dicta potestas quandoque detur ex deductis per Paris. *d. lib.* 7. *quæst.* 23. & alios apud eum.

Secundo dicebam, quod ubi etiam versaremur in casu
9 dictę Constitutionis, quod scilicet inducta esset vera vacatio, quodque super dictæ Constitutionis usu nulla caderet dubitatio; Adhuc tamen ad effectum pœnarum ex parte actoris id deducentis per viam objecti, sive venientis ex tali vacatione a præfata Constitutione resultante, constare debet de certa scientia conjunctionis sanguinis, ut in specie advertitur apud Buratt. *dec.*
10 162. *nu.* 6. *& dec.* 467. *n.* 4. *part.* 3. *recent.* atque est recepta propositio generalis, super qua multa colligunt Add. *ad dec.* 542. *part.* 4. *tom.* 3. *rec. n.* 98. & Add. ad Gregor. *dec.* 127. ut ad effectum pœnæ, seu alterius gravis præjudicii requiratur vera & certa scientia, cujus concludens probatio facienda est per eum, qui eam allegat tanquam fundamentum suæ intentionis, quoniam in Curia pariter recepta est altera propositio, de qua Adden. ad Gregor. *dec.* 53. *n.* 5. *dec.* 202. *n.* 4. *part.* 5. *recent.* & frequenter, ut probatio præsumptiva non admit-
11 tatur in iis, quæ sunt fundamentum intentionis; Reflectendo autem ad veritatem, pariter istud motivum erat magis facti & applicationis quam juris, an scilicet darentur necne sufficientes dictæ scientiæ probationes.

Tertium erat fundamentum dictæ Constitutionis exclusivum, pariter magis facti quam juris, quod scilicet dicta Constitutio in ista diœcesi non esset usu recepta, dum ex hac parte docebatur de pluribus continuatis provisionibus factis per canonicos turnarios pro tempore in personis conjunctorum resignantium, vel collatorum; Neque dicebamus ego & cæteri novum esse, ut dicta Constitutio non esset usu recepta, &
12 consequenter non obstaret, quoniam in Hispania recepta non est, ut testatur Garz. *part.* 11. *capit.* 3. *n.* 270. Licet enim, ut alibi pluries advertitur, præsertim *sub titul. de censibus disc.* 1. leges & Constitutiones
13 Papales, quæ fiant super istis præsertim materiis ecclesiasticis, vel alias spiritualibus, per Papam uti Christi Vicarium, ac Episcopum Ecclesiæ universalis, non intrent ea quæ in jure habemus de usu, vel non usu, & acceptatione populorum ad legum validitatem, cum Papa non habeat potestatem a populo, ut habent alii Principes, sed habeat a Deo immediate, ac independenter ab omnibus, adhuc tamen in ejus legibus datur non usus earum abrogativus ob implicitam ejusdem Papæ scientiam & patientiam ex non usu, vel contrario usu resultantem, ut advertitur *dec.* 194. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *n.* 14. *& seqq. & in aliis*.

Ultra quod, juxta distinctionem apud criminalistas re-
14 ceptam, in ea quæstione, an abusus, vel mala consuetu-

do excusat necne; Aliud est agere, an debeat excusare in futurum, postquam declaratum est esse abusum & corruptelam, sive ad effectum sustinendi actum; Aliud vero ad effectum pœnarum & præsertim pœnæ ordinariæ & gravis, qualis in beneficialibus dicitur ista privationis, quoniam ad istum secundum effectum qualis qualis sit excusat ex deductis per Farin. *quæst.* 95. *num.* 1. *cum seqq.*

Super hoc autem nimium per scribentes in contrarium insistebatur, quod scilicet in Germania non procederet id quod procedit in Hispania, cum in dicta *dec.* 467. *part.* 3.
recent. edita in una Colonien. usus dictæ Constitutionis 15
præsupponatur absolutus, idemque in Leodien. Archidiaconatus 1. Julii 1652. coram Cerro, & in aliis, atque illam præsupponunt passim Cochier. & alii DD. Germani, præsertim Branden. super Concordatis *quæst.* 12. & Nicholarz. *tit.* 1. *dub.* 9.

Ista responsio non videbatur considerabilis, quatenus ex
hac parte, ut pro certo supponebatur, doceretur de con- 16
trario usu continuato a tempore editionis dictę Constitutionis usque ad præsens, absque eo quod de hoc umquam dubitatum fuerit; Tum quia id sufficit ad excusandum a pœnis, ut supra; Tum etiam quia ut advertitur supra in Majoricen. Canonicatus, *disc.* 30. ac in decisionibus in ea causa editis; In materia consuetudinis argui non potest ab una diœcesi ad alteram, cum dicta extensio neque detur in eadem diœcesi, quinimo neque in eodem Capitulo de uno actu ad alterum; Et consequenter stant bene simul quod dicta Constitutio usu recepta sit in pluribus Germaniæ diœcesibus, & non in aliis.

Præterea advertebam quod cum dicta Constitutio lo-
quatur de Prælatis ac aliis collatoribus, non improbabi- 17
liter dici potest quod Canonicus turnarius non sit talis, cum ejus partes potius videantur in jure præsentandi, vel nominandi Capitulo a quo ita implicite per actum admissionis fiat collatio, & sic quod Capitulum non autem Canonicus conjunctus esset collator, ideo dicta constitutio non videtur intrare, ut advertitur apud Gonz. *d. part.* 11. *cap.* 3. *n.* 268. ubi de Beneficiis quæ providentur ad alterius provisionem, vel collationem.

Et nihilominus advertebam sufficere, ut id admitte- 18
re posset prubabilem dubitationem, ut propterea dictus casus capiendus esset, non in terminis consuetudinis abrogativæ juris clari, quo casu tamquam in consuetudine præscriptiva rigorose proceditur nimiumque difficile est illam inducere adversus Constitutiones Apostolicas ob decretum irritans in eis contentum, quod inficit quacumque contrariam possessionem, & consequenter tollit consuetudinem, quinimo impedit, ne illa unquam oriatur, ex iis quæ late cæteris relatis in his terminis non usus Constitutionis Apostolicæ ratione dicti decreti irritantis habentur *decis.* 400. *part.* 9. *rec. & decis.* 199. *part.* 12. quarum secunda est etiam repetita post colluctationes Bondeni *dec.* 35. & in aliis; Sed ita versari dicimur in observantia interpretativa, cui dictum decretum irritans non obstat, cum tam ad hunc effectum, quam ad illum possessorii, ac similes, illud suas faciat operationes, quando certum est intrare, secus autem ubi quæstio est super comprehensione, & an intret necne, Cavaler. *dec.* 522. Buratt. & Adden. *dec.* 131. 659. *&* 720. Rot. *decis.* 247. *n.* 7. *&* 299. *n.* 27. *part.* 11. *recent. & sæpius*.

Motivabatur etiam ex hac parte, quod cum Constitu- 19
tio prædicta loquatur de resignationibus factis ex causis ibi expressis, intrare non debebat in aliis, quæ extra eas causas fierent, cum tunc saltem ad effectum pœnarum solum irritetur resignatio Paris. *de resign. lib.* 5. *q.* 6. *n.* 223. *& seq.* Valenz. *de benef. lib.* 3. *tit.* 19. *n.* 20. remissive Garz. *d. part.* 11. *cap.* 3. *n.* 299. Verum de hoc in ista disputatione formiter actum non fuit, ideoque non potuit judicium desuper efformari; Credebam tamen, etiam in sensu veritatis, in hoc possessorio judicio præmissa nimium abundare, cum sufficeret reddi dubium, an nostri priores possessores Canonicatuum incurissent dictam pœnam necne atque ita responderi debuisset, responsumque tunc fuisset, nisi aliqua prudentialia motiva resultantia a dicta alia Monasterien.
Coadjutoriæ, de qua *d. disc.* 27. *sub tit. de Canon. & Cap.* 20
diversimode non exegissent, ita consulendo cum sequestro, deinde vero ita responsum fuit, ut supra.

ANNOT. AD DISC. LXV.

De concernentibus materiam resignationis habetur actum supra, *disc.* 34. *cum seqq.* nulla occasio postmodum suppetit agendi de Constitutione 58. Pii V.

TRANEN. CANONICATUS, PRO CAROLO DEGNI, CUM OPPOSITORIBUS.

Casus disputatus coram Datario, & resolutus pro Carolo.

Ad interpretationem Sacr. Conc. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 15. ubi prohibetur, ne filius habere possit Beneficium in illa Ecclesia, in qua obtinet vel obtinuit pater; Et an procedat in casu converso, quod scilicet pater non possit habere Beneficium in Ecclesia, in qua obtinuit, vel obtinet filius; Et de ejusdem decreti intelligentia etiam in filio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Datarius potest consulto lacerare supplicationes signatas ante registrationem.*
3 *Concilium prohibens, ne filius habeat beneficium, ubi habet pater, non procedit in simplici servitio clericali.*
4 *Concilium loquitur de illegitimis, non autem de legitimis.*
5 *Qui canones loquantur de una, vel alia specie filiorum.*
6 *De diversis rationibus disponentibus in materia filiorum clericorum non obtinendi beneficia.*
7 *In filiis legitimis procedit prohibitio in successione immediata in eodem beneficio.*
8 *An disposita per Canones & Concilium in exclusionem filii procedant e converso contra patrem.*
9 *Quando existentia patris & filii in eadem Ecclesia sit considerabilis etiam ubi canonum, vel Concilii Tridentini prohibitio vere non obstat.*

DISC. LXVI.

Vacante Canonicatu Ecclesiæ Metropolitanæ Tranen. per obitum in mense reservato de anno 1656. pluribusque in Dataria pro ejus assequutione concur-
1 rentibus, gratificatus fuit Carolus Degni; Cumque signata supplicatione ante registrationem, alii prætensores opposuissent de ejus incapacitate, ex eo quod haberet filium in constantia matrimonii procreatum, qui tamquam clericus eidem Ecclesiæ Cathedrali inserviebat, stante dispositione Sacr. Concil. Trident. *sess.*
2 *25. de reformat. cap. 15.* Hinc Datarius, qui ut alias in præcedentibus dictum est, habet in facultatibus lacerandi supplicationes etiam signatas, & datatas, donec sequatur illarum registratio, per quam proviso jus quæri dicitur, habebat in animo illam lacerandi; Quare desuper consultus,

Respondi in puncto juris hujusmodi objectam inca-
3 pacitatem omni prorsus fundamento carere ex solo facto absque alia juris inspectione, cum dictum decretum Conciliare disponat, ne filius illegitimus habere possit simile, vel dissimile beneficium in ea Ecclesia, in qua obtinet pater, quod in præsenti nullatenus applicari poterat, dum filius nullum habebat beneficium, sed erat simplex clericus in minoribus, præfatæ Ecclesiæ servitio tantum adscriptus; Vel ad satisfaciendum decreto ejusdem Concilii Trident. *sess. 23. de reform. cap. 6.* pro competentia fori; Vel ex fere generali consuetudine illarum partium, ut cives suscipientes clericatum, quibus non obstent Statuta Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis loci, ad servitium admittantur pro capacitate participationis massæ communis, aliorumque emolumentorum, ex iis quæ pluries habentur infra, *sub*
4 *titul. de Canonicis & Capitulo*; Et consequenter ubi etiam essemus in casu quo obstaret dicta dispositio Conciliaris, vel alia Sacrorum Canonum, de qua infra, neque intrabat, dum filius nullum habebat beneficium.

Et quamvis ab eodem Datario replicaretur, cadere eadem ratione inconvenientis ponderati a Concilio super scandaloso testimonio paternæ incontinentiæ, sive super inconvenienti, quod cerneretur filium patri in divinis ministrare; adhuc tamen replicabam dupliciter; Primo, id procedere in filiis illegitimis, non autem iis, qui ante clericatum legitime suscepti sunt, cum de filiis legitimis Concilium non disponat, sed solum de illegitimis, inhærendo dispositioni Sacrorum Canonum *in cap. præsentium, cap. conquerente, cap. quoniam, cap. cum decorem, & cap. ad abolendam, de filiis presbyterorum*, in quibus agitur de incapacitate illegitimorum; Quo vero ad legitimos Concilium nihil disponit, unde casus remanet omissus sub dispositione Sacrorum Canonum, qui solum prohibent immediatam successionem filii in eodem beneficio per patrem obtento ex ea ratione, ut tollatur in beneficiis hæreditaria successio ad text. *in cap. ad hæc, & cap. ex transmissa eod. tit. de filiis presbyterorum*; Alii enim canones *in capit. Apostolica 8. quæst. 1. cap. ad extirpandas, & cap. Michael, eod. tit. de filiis presbyter. cum concord.* præsupponunt filios illegitimos, quos 5
simpliciter ad beneficia obtinenda inhabilitant, quamvis pater nullum beneficium obtineret, & sic diversa est ratio extinguendi memoriam incontinentiæ paternæ, quam ponderat Concilium, & cui innituntur alii Canones supra recensiti, ac duæ aliæ rationes, quibus 6
innituntur alii Canones proxime allegati, in illegitimis scilicet ratione inhabilitatis generaliter a defectu natalium resultantis, in legitimis vero ratione prohibitæ successionis, procedentis idcirco in eodem beneficio immediato, adeout successio mediata non prohibeatur, 7
ut advertitur, apud Seraphin. *d. 1442. num. 6.*

Et secundo, quod etiam in casu dictæ immediatæ successionis disputant Canonistæ *in d. cap. ex trasmissa*, an prohibitio, quæ militat in filio, ne obtineat bene- 8
ficium patris, procedat in casu converso, ne pater obtineat beneficium filii; Et quamvis Hostiens. idem credat ob rationis identitatem, atque hanc opinionem sequantur plures relati apud Seraph. *d. dec. 1442. n. 5.* & per Lotter. *lib. 2. qu. 48. n. 184.* qui hanc veriorem credit, minus veram opinando contrarium opinionem antiquorum Canonistarum, quam sequuta est Rota apud Seraph. *d. decis. 1442. n. 185.* ubi credit æquivoco laborare aliam Rotæ *decis. 1951. part. 3. divers. lib. 3.* in qua firmatur, quod illa dispensatio quæ necessaria est in filio, ut obtinere possit beneficium patris, non requiratur in patre ad obtinendum beneficium filii; Attamen cum Rota consulta per Datariam, mature disputato articulo, reprobata dicta opinione Hostiens. contrariam dixerit magis communem ac veriorem, huic auctoritati potius deferri debere dicebam, ob probabilem rationem ibi deductam, quod in pœnalibus admittenda non est extensio de casu ad casum, quamvis rationis identitas urgeat.

Hæc autem quæstio inter antiquos Canonistas agitata super ea prohibitione, quæ oritur a sola ratione prohibitæ successionis, & ne beneficia ecclesiastica jure hæreditario deferantur, in dicta *dec. 1442.* Seraph. deducitur incidenter, ac tamquam a simili super alia quæstione resultante a præfato decreto conciliari super illegitimis, quorum respectu prohibitio procedit tam super eodem, quam super diverso beneficio in eadem Ecclesia; an scilicet inhabilitatio demandata quoad ipsum filium procedat in patre, ac deciditur negative; Atque in hac parte Lotter. concurrere videtur cum eodem sensu, cum ejus impugnatio in qua nimium se diffundit etiam infra, occasione agendi de adoptivis, percutiat casum ejusdem beneficii cum qualitate immediata, itaut cadere valeat dicta ratio hæreditariæ successionis.

Atque hanc opinionem, ut in diverso beneficio prohibitio non procedat in casu converso, itaut inhabilitatio percutiat solum filium, non autem patrem, sequuntur Rebuff. Gonz. Campanil. Sigismund. & alii relati per Barbos. *in collectan. ad idem Concil. Trident. dict. cap. 15. sess. 25. de reformat. n. 7.* Et consequenter ita in hac facti specie omnem difficultatem cessare dicebam, quamvis servitium filii sub titulo clericatus esset in titulum beneficii, ut esse solet in plerisque Ecclesiis, in quibus beneficiorum tres ordines constituuntur, Canonicorum scilicet, Beneficiatorum & Clericorum, ut est præsertim in Basilicis Patriarcalibus Urbis, multo magis, dum agebatur de simplici servitio, sine aliquo titulo beneficii.

Replicabat, & quidem bene doctus, ac zelo plenus Datarius; omnia hæc recte procedere circa formalem inhabilitationem, de qua videndum esset ad effectum privandi 9
patrem, vel filium beneficio jam assequuto, sive unum ex eis cogendi ad dimittendum, juxta præfati Conciliaris decreti dispositionem, quo casu cum agatur de inducendo quamdam speciem pœnæ, quam semper importare dicitur privatio juris quæsiti, immorandum est in stricto juris rigore, atque inspiciendum, an illius dispositio intret necne, secus autem, ubi agitur de plurium concursu ad beneficium assequendum, absque eo quod aliquis concurrentium ali-

quod

quod jus quamvis remotum habeat juxta illius juris species, quæ ponderatur infra in Calaguritana Beneficii de Bilbao, & in Novarien. *disc.* 70. & 71. cum in hujusmodi vacationibus, in quibus non servatur forma concursus, ut in parochialibus, neque intrat ea necessitas, quæ in beneficiis curatis juxta unam opinionem cadit, conferendi dignori, provisio fit ex mera gratia, meroque abitrio, unum vel alterum gratificandi; Et consequenter, si in dictis casibus fortioribus, de quibus in recensitis Calaguritana, & Novarien. quoties agitur de jure quærendo, sola diffamatio, vel inquisitio, quæ aliquod scandalum præbere valeat, apta est repellere, multo magis in præsenti, an uni, vel alteri ex pluribus supplicantibus ex mera gratia gratificandum esset, quasi quod inconveniens videretur saltem de facto apud ignarum vulgus, ut filius, quamvis in minoribus, patri in divinis ministraret; Id autem Ego laudabam, ac verum admittebam, quando ageretur de filio illegitimo, in quo saltem remote intrare videretur dicta ratio per Concilium considerata, super memoria, seu testimonio paternæ incontinentiæ; Secus autem quoad legitime procreatos in constantia matrimonii, post cujus dissolutionem pater statum clericalem elegerit, quo casu sacri canones, ac DD. aliud non considerant inconveniens, nisi illud inducendi speciem hæreditarie successionis; Adhuc tamen ad tollendum omne scrupulum, me consulente, filius dimisit clericatum, atque deletus fuit a matricula, seu albo clericorum, ideoque dimissa fuit supplicatio, atque provisio suum sortita est effectum; Vere tamen erat nimia scrupulositas absque fundamento.

ANNOT. AD DISC. LXVI.

AD interpretationem S. C. T. *sess.* 25. *de reform. cap.* 15. videantur deducta *in adn. idem S. Conc. disc.* 49. *per tot.*

CALAGURITANA BENEFICII S. CRUCIS DE CAMPEYO, PRO LAURENTIO MEDRANO, CUM JOANNE DE BARUNCAZEGAME.

Casus disputatus in Rota, incertus est exitus.

De constitutione Clem. VIII. super nominatione ad beneficia diœcesis Calaguritanæ; Et an debeant eligi digniores, vel sufficiat eligere dignos.

S U M M A R I U M.

1 *DE tenore Indulti Clementini in beneficii Calaguritana.*
2 *De decisione generali Rotæ super ejus intelligentia & praxi, & ratione dictæ decisionis, &* n. 10.
3 *An beneficia conferenda sint digniori, vel sufficiat conferre digno.*
4 *Ubi adest lex particularis, conferenda sunt digniori.*
5 *Quod in specie id statuat dicta Clementina.*
6 *Observantia est optima interpres.*
7 *Per binam judicaturam inducitur stylus judicandi.*
8 *Contrarium circa id, de quo num.* 5.
9 *Observantia proxima debet attendi, & prævalet remotæ.*
10 *Laudatur decisio generalis, de qua num.* 8. *& de rationibus.*

D I S C. LXVII.

1 AD extinguendas acres ac antiquas lites inter Episcopum, & Clerum Calaguritanum, & Calciatensem; super modo conferendi Beneficia, vel Portiones in Ecclesiis, tam numeratis, quam non numeratis, Clemens VIII. prævio voto Rotæ, de quo apud Seraph. *dec.* 942. per ejus Constitutionem statuit modum providendi, hoc est, quod vacantibus beneficiis, vel portionibus, sive ageretur de Ecclesiis numeratis, sive non numeratis, Patrimoniales recipiantur ac admittantur; prævio examine coram examinatoribus synodalibus, coram quibus, si se opposuerint Patrimoniales & naturales per publicum edictum vocati, & illi qui idonei reperti fuerint, præferantur Beneficiatis ejusdem Ecclesiæ, in qua vocatio contigerit, ex quibus præsentetur Episcopo instituendus ille, quem dicti Beneficiati, vel eorum major pars elegerint; Hæc autem Constitutio infinitas produxit lites, ut docet pene millenarius numerus decisionum, quas habemus hujus diœcesis ab ejus tempore usque ad annum 1657. in quo rationabiliter Rota cum resolutione capta sub die 13. Junii coram Meltio sub intitulatione Calaguritana observationis motus proprii illas extinxit, & supra qua resolutione confirmatio Apostolica quoque forsan accessit; 2
Cum enim Rota ab anno 1629. explicite dictam Constitutionem interpretata esset, ut electio Beneficiatis concessa restricta esset ad eum, quem ex pluribus in examine approbatis idoneis digniorem reputassent, quasi quod ad examinatores pertineret solum referre idoneitatem, seu sufficientiam circa litteraturam, ipsis vero Beneficiatis incumberet onus inquirendi de aliis qualitatibus ætatis, gradus, natalium, vitæ & morum, prudentiæ, servitii Ecclesiæ & similium circumstantiarum qualificantium, idcirco casus dabat, quod nulla fere provisio remanebat pacifica, dum cæteri oppositores appellabant, atque introducendo causam in Rota, frequenrer iidem appellantes ad Curiam venientes obtinebant beneficiorum adjudicationem tamquam digniores, ut liquet ex tot decisionibus, quæ habentur impressæ inter volumina, ultra alias in longe majori numero non impressas, itaut hæc diœcesis esset nimium fœcunda mater litium, atque impleret Rotam causis beneficialibus, quibus hodie ob istam materiam satis explanatam, est pene destituta. Ista vero occasione summam integritatem hujus Tribunalis sum expertus; quoniam licet hujusmodi controversiæ illud causis ditarent, Attamen agnitis inconvenientibus exinde resultantibus, integerrime ac proposito quocumque interesse, extinxit etiam radicem, declarando non subsistere dictam restrictionem ad digniorem, dummodo judicium Beneficiatorum super prælectione non esset omnino irrationabile, adinstar eorum, quæ habemus de appellatione ab irrationabili judicio Episcopi super prælectione in concursibus ad parochiales ad formam Concilii, ut infra *sub tit. de Parochis*.

Imminente autem dicta resolutione, occasione istius causæ pendentis coram Dunozetto, inter Laurentium & Joannem, casus dedit, quod ego requisitus essem ex parte Laurentii appellantis a judicio Beneficiatorum, ac prætendentis dictam Clementinam constitutionem intelligendam esse de digniori præeligendo; Quare scribendo tamquam Advocatus, dicebam, de jure communi controversam esse quæstionem, an beneficia dignioribus perneccesse conferenda sint, vel sufficiat conferre dignis ac habilibus, neglectis dignioribus, ut liquet ex deductis pro utraque sententia per Guttier. *lib.* 2. *quæst. Canonicarum*, *cap.* 11. Garz. *part.* 7. *cap.* 16. *n.* 16. *cum seq.* Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 38. Adden. ad Gregor. *dec.* 11 Rot. *dec.* 262. *part.* 10. *recent.* apud quos magis communiter procedi videtur cum distinctione inter simplicia & curata, ut in prima specie, saltem de consuetudine, quæ hanc opinionem recepit, sufficiat conferre digno absque restrictiva dignioris, secus autem in secunda; Intelligendo tamen discrete, ac dummodo arbitrium Episcopi, vel collatoris non sit irrationabile, cum sæpius aliquæ qualitates primo aspectu unum digniorem facientes, ut præsertim sunt ætas, gradus, litteratura, & naturales, suffocatæ remaneant a prudentia, moribus, vel aliis cirumstantiis, ex quibus alter minus dignus, magis aptus Ecclesiæ servitio ac administrationi reputetur occasione prælectionis ad parochiales, habetur in sua materia *sub tit. de Parochis*. 3

Ubi vero, ultra juris dispositionem sic ambiguam, accedit lex particularis desiderans beneficia conferri magis dignis, hinc casus remanet extra controversiam, ut indefinite dignior præeligi debeat, ut ex Barbos. *ubi supra*, & Sigismundo *de electione*, *dubit.* 33. ac aliis firmatur in pluribus decisionibus Calaguritan. præsertim *d. dec.* 262. *p.* 10. *rec.* quæ est alia Calaguritana 27. Novembris 1648. cor. Bichio. 4

His autem sic stantibus, dicebam, dictam Constitutionem, vel in verbis id statuere, vel saltem esse dubium, an ita disponat necne, atque hoc sufficere, quoniam cum Rota ab ejus penæ editione, clare vero, ac positive ab anno 1629. usque ad 1657. in quo dicta generalis determinatio sequuta fuit, ita continuo interpretata sit cum subsequuta effectuatione, hinc proinde ab hujusmodi interpretatione recedendum non esset, cum improbo ac abhorrito Juristarum labore, colligendo multas decisiones medio tempore editas, præsertim a dicto anno 1629. citra, ac deducendo præcipue testimonium ejusdem Rotæ in proxime allegata decisione 27. Novembris 1648. cor. Bich. *dec.* 262. *part.* 10. *recent.* quod ita semper interpretatum ac receptum esset. 5

Si enim receptam habemus conclusionem, quod simplex

plex observantia, quamvis temporis non considerabilis,
6 in casibus dubiis est optima interpres, atque attendenda venit, quamvis de jure sensus verborum, ea circumscripta, contrarium probabilius suaderet, diversumque reciperet intellectum, Barbos. *in leg. quæ dotis, n. 47. ff. solut. matrim.* bene Apont. *cons.* 41. *lib.* 1. Mantic. *dec.* 320. *n.* 5. Cavaler. *dec.* 80. *n.* 5. Cæsaraugustana portionum 16. Junii 1659. Albergato & passim. Multo magis
7 accendente observantia deducta ex interpretatione tanti Tribunalis, atque cum tot judicaturis, cum tamen per solam binam judicaturam alicujus supremi Tribunalis inducatur consuetudo ac stylus judicandi, Franch. *dec.* 91. *n.* 16. *dec.* 238. *n.* 3. & *dec.* 722. *n.* 11. Capoblanc. *de Baron. pragm.* 1. *n.* 190. & *seq.* Barbos. *in princ. Juris, lit. I. n.* 37. Quodque intellectus per observantiam amplexus prævalere debeat alteri, qui juxta sensum litteralem videretur probabilior, Franch. *d. dec.* 238. *n.* 3. bene Rota *dec.* 608 *n.* 5. & 6. *part.* 2. *recent.* Adden. ad Gregor. *dec.* 184. *n.* 8 & *sæpius*.

Scribentes in contrarium insistebant in eo quod hic
8 intellectus esset modernus a dicto anno 1629. in una Calaguritana beneficii de Brinas prima Januarii coram Dunozetto inter suas *dec.* 118. cor. quo pariter illa controversia agebatur, allegando plures decisiones antiquiores, ac etiam auctoritates præfatæ Constitutionis editioni proximas, præsertim *dec.* 572. *part.* 1. *recent. dec.* 488. *part.* 3. & in Calaguritana de Victoria 28. Junii 1613. cor. Innocentio X. ac etiam allegando Gonz. circa ea tempora scribentem *super reg.* 8. *gloss.* 9. §. 1. *n.* 23. quæ decisiones ac auctoritates allegantur in dicta decisione generali cor. Meltio, sed absque hac discussione, cum dicta decisio prodierit informantibus solum Beneficiatis.

Hinc proinde dicebam quod in concursu observantiarum seu interpretationum præponderari deberet, atque attendi proxima, non autem remota, ut apud
9 Otthob. *dec.* 26. & frequenter, ex ea clara ratione, quod cum agatur de interpretatione voluntatis legislatoris, attendenda est observantia proxima eorum, qui verisimiliter talis voluntatis conscii esse possint, non autem remota eorum, in quibus talis notitia est impossibilis, potissime quia idem Clemens legislator antequam dictam Constitutionem faceret, Rotæ votum petiit, ut patet apud Seraph. *dec.* 942. unde propterea idem Tribun. tunc congruentius talem legem interpretari potuit.

Motivum fuisset convincentissimum, quando factum assisteret, unde propterea admittendo veritatem dictæ conclusionis in suo casu veræ ac rationabilis, super præponderantia scilicet observantiæ proximæ, negabam tamen applicationem ad factum, quod scilicet deducto hoc puncto ad disputationis trutinam, ille fuerit ita decisus; Siquidem Gonzal est simplex relator dictæ Constitutionis, non tamen descendit ad hos terminos, unde propterea dicebam, in tali auctoritate nullum constituendum esse fundamentum; minusque in allegatis decisionibus, in quibus incidenter canonizatur prælectio facta per Beneficiatos, pro qua in dubio stat præsumptio, donec constet de irrationabilitate, nulla tamen prodiit discusso formiter articulo inter dignum prælectum, & digniorem neglectum, in qua id firmetur, ideoque deducebam quotidianam propositionem, quod Rotæ decisiones dicuntur tales in eo quod principaliter decidunt super articulo in disputationem deducto, non autem in iis, quæ obiter non discussa materia in eis; Et hæc dicebam scribendo tamquam Advocatus.

Adhuc tamen, his non obstantibus, placuit dicta resolutio; Tum ex dicto prudenti pioque motivo tollendi tot litium seminarium plurium inconvenientium productivum, itaut Ecclesiarum servitio longe magis expediret
10 alioquin dignos ac idoneos dignioribus præferri, quam ut ita beneficia occasione litium pene continuam vacationem paterentur, atque continua odia inter ejusdem Ecclesiæ, seu loci naturales enutrirentur; Tum etiam, quia tam ex d. voto Seraph. quam ex proximis decisionibus, quamvis incidenter ac præsuppositive loquentibus, seu ex ipsiusmet actibus negativis, quod scilicet istæ quæstiones illis proximis temporibus agitatæ non sint, iste videbatur probabilior intellectus, magis etiam approximante juris dispositione juxta magis communem opinionem a consuetudine quoque probatam; Ac demum quia ubi etiam in verbis præcipitur patronis, seu aliis jus præsentandi, vel eligendi habentibus, ut ad digniorem reflectere debeant, taliter agendo laudabilius esset, non inde tamen inferendum est ad nullitatem actus, quoties non præsentaretur, vel eligeretur positive malus, ne alias Mundus litibus involvatur, itaut cessante positiva irrationabilitate actus substineatur, ut in Ravennaten. parochialis coram Arrigonio penes Marches. *part.* 1. *fol.* 289. & habemus frequens in dicta materia provisionis parochialium *d. tit. de Paroch.*

Idque rationabiliter; Tum ex dicto motivo, ne Mundus litibus involvatur, ac etiam repleatur odiis & inimicitiis, cum scandalis de consequenti resultantibus, quoties ad forum deducere oporteat personarum qualitates ac defectus, utpote in materia nimium odibili; Tum etiam quia frequenter datur casus, quod ille, qui apparenter, ratione ętatis, aut litteraturę, vel natalium, videtur dignior, revera sit indignus, minusque idoneus ad Ecclesiæ servitium, ac animarum curam, ob vitam, & mors, aliosque defectus, qui per extrajudiciales informationes eligentibus innotescant, in judicio tamen per formales probationes non justificabiles, atque hæc est potissima & convincens ratio, ob quam satis prudens ac laudabilis fuit hujusmodi quæstiones resecare, juxta ea quæ proxime habentur infra *sub tit. de Canonicis & Capitulo in Regien. consortii, discurs.* 21. ac etiam in Forolivien. *sub titul. de præeminent. disc.* 31. Incertum est autem quid sequutum sit in ista causa, & an alium disputationis progressum habuerit

ANNOT. AD DISC. LXVII.

De hac eadem materia ad interpretationem Indulti Clem. VIII. habetur actum *in hoc eod. tit. disc.* 133.

MELEVITANA BAJULIVATUS,

PRO HIERONYMO BRANCIFORTE,

CUM FRANCISCO MAZZIUGO.

Casus decisus per Rotam pro Hieronymo.

De concursu ad Dignitates Religionis Hierosolymitanæ, quod attendi debeat benemerentia, & in quo ista consistat.

Et de aliis requisitis necessariis ad obtinendas has dignitates.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quæ requirantur pro habilitate ad obtinendas dignitates.*
4 *In eis attenditur benemerentia, quę vincit antianitatem.*
5 *Ex quibus deducatur benemerentia.*
6 *De milite desertore militiæ.*
7 *Sola diffamatio delicti sufficit ad repellendum a beneficio, & in concursu.*
8 *Fortius ubi beneficium jam collatum est alteri concurrenti, quia præsumptio est pro electione, seu collatione.*
9 *Laudatur in militia potestas Ducis gratificandi milites magis merentes.*
10 *Absens causa Reipublicę dicitur esse residens, ac præsens.*
11 *Declaratur quando & ad quem effectum id procedat in hac Religione ad effectum residentiæ.*
12 *Dispensatio ad unum effectum non suffragatur quoad alterum.*
13 *De eadem materia residentiæ necessariæ ad dignitates.*

DISC. LXVIII.

Ad Bajulivatum vacantem SS. Trinitatis Venusinæ 1
Civitatis, se opposuerunt Hieronymus, & Franciscus, æque antiani, qui primas vacationes expectabant; Cumque Consilium ordinarium, deindeque completum ipsius Religionis, illum adjudicasset Hieronymo, hunc appellavit Franciscus, introductaque causa in Rota coram Albergato sub die 15. Junii 1663 prodiit resolutio 2
conformis judicio M. Magistri, ac Religionis ad favorem Hieronymi; Atque ad normam decisionis desuper editæ prolata sententia, & commissa causa appellationis in eadem Rota *coram Bourlemont*, proposita coram isto causa sub *die* 22. *Junii* 1665. super dubio, an dicta sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, nulla capta fuit resolutio ob difficultatem habitam ex capite non bene justificatæ per Hieronymum residentiæ decennalis in Conventu, quæ ex stabilimentis Religionis est unum ex necessariis requisitis ad hujusmodi primarias dignitates obtinendas; Cessavit autem ulterioris dispu-

disputationis occasio, ob meliorem vacationem superventam, unde ita lis finem habuit, atque Hieronymus Bajulivatus possessionem, quam jam habebat, exinde pacifice continuavit, succumbentia vero alteri proficua fuit.

Unica igitur dubitandi occasio in ista causa, residebat in dicto defectu residentiæ decennalis, quo circumscripto, quatenus, ut infra, superabilis esset, in reliquis, reflectendo etiam ad veritatem, justum ac probabile videbatur judicium Religionis in decernendo hanc Dignitatem, potius Hieronymo, quam Francisco, ac etiam illud Rotæ in canonizando dictam prælectionem.

Ut enim dicebam scribens in causa, in assequutione hujusmodi Dignitatum, duo requiruntur; Primo scili-
3 cet, habilitas consistens in quinquennali residentia in commenda, seu commendis habitis, ejusque, vel earum meliorationibus, ac in decennali residentia in
4 Conventu; Et secundo, benemerentia, quæ principaliter attenditur, non curata majori, vel minori antianitate, cui dato æquali concursu habilitatis, benemerentia prævalet, ut fuit dictum *in Meliten. Prioratus Campaniæ* 18. *Maji* 1618. *coram Dunozetto seniore*, alias sub nuncupatione *Archiepiscopi Seleucien.* allegari solito, quæ inter suas non est impressa, & *in Melevitana Dignitatis* 4. *Aprilis* 1642. *coram Dunozetto juniore* inter suas *desc.* 662. Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 15. *num.* 48.

Et ideo cum in hac facti specie, antianitas esset æqualis, ac etiam æqualis præsupponeretur habilitas circa residentiam ac meliorationes præcise necessarias, hinc proinde, juste, ac rationabiliter dicebam, Hieronymum prælectum fuisse ratione majoris benemerentiæ erga Religionem, nedum quia meliorationes factæ in pluribus commendis per ipsum possessis erant valde notabiles, ac in decuplo majores illis, quas ad præcisos limites necessitatis solum fecerat alter oppositor; Resultantibus quoque dictis meliorationibus nedum ab
5 expensa bursali circa stabilium melioramenta, sed etiam ab exactissimis diligentiis, ac industria in recuperandis jurisdictionibus, & juribus honorificis ex prædecessorum negligentia pene amissis; sed fortius major benemerentia resultabat ex substentatione proprio sumptu unius triremis, cujus Præfecturam, per aliquos annos habuerat.

E converso autem, ex parte collitigantis deducebatur solum benemerentia ratione majoris residentiæ in Conventu, ac exercitii Consiliarii, seu Auditoris super revisione computorum, quæ servitia nullam proportionem habere videbantur cum illis Hieronymi eo præsertim Præfecturæ triremis; Tum ratione periculi ac incommodi propriæ personæ; Tum etiam ratione notabilis impensæ quam occasione hujusmodi Præfecturæ in substentatione triremis facere oportet, & in quo munere versatur majus servitium, quod huic Religioni præstari valeat, cum versetur proprie circa ejus institutum; Ac etiam quia si æqualis esset conditio ejus, quia extra omne periculum ac incommodum, civilem & commodam ducit vitam in potius deliciosa Insula Melevitana, ac ejus, qui cum tam magnis periculis, incommodis, ac sumptibus, unius triremis Præfecturam habet, actum esset de ista Religione, ac de substentatione triremium, cum quibus Infideles, ac pyratæ coercentur cum tam magno Christianæ Reipublicæ beneficio, cum alias non posset Religio ex solo publico ærario illas substentare; Potissime quia e converso, munera Rationatoris & Consiliarii, videntur extra ipsius Religionis militare institutum, ac potius aliquorum emolumentorum & utilitatis occasionem præbent, unde propterea quoad benemerentias, nulla videbatur adesse proportio.

Et fortius quia prætendebatur in facto, quod in oppositore potius aliqua concurreret demerentia, quæ sua servitia & benemerentias tolleret, vel offuscaret, aut redderet minores, cum supponeretur inquisitus, ac pro aliquo tempore carceratus ob desertionem triremium, quod reputatur in milite maximum delictum gravissi-
6 mis pœnis etiam ordinariæ mortis puniendum, sive illa privationis munerum, quæ habentur cum incapacitate de obtinenda ad text. *in lib.* 3. §. *non omnes*, & *leg. omne crimen*, §. *qui in acie*, *ff. de re milit. leg. defunctorum*, *Cod. eodem tit. lib.* 12. *leg. infames* 6. *quæst.* 1. Farin. *quæst.* 113. *n.* 7. & *in Pragm. crimin.* verbo *miles*, *num.* 205. quia dicitur crimen læsæ Majestatis.

Et quamvis e converso doceretur de sententia absolu-
7 toria, atque constanter affirmaretur, quod fuisset indebita imputatio; Attamen cum ex inquisitione & carceratione resultasset talis qualis diffamatio saltem de facto, hinc ista sufficiens videbatur, non quidem ad inhabilitandum ad assequenda, sed saltem ad offuscandum alia merita, & ne in concursu dignior censendus veniret, cum aliud sit considerare delictum in ordine ad formalem privationem ab assequutis, alud vero in ordine ad inhabilitandum ad assequenda, ac aliud in concursu cum altero juxta distinctionem, de qua infra *in Calaguritana beneficii*, *de Bilbao*, & *in Novarien. disc.* 70. & 71.

Et multo magis quia non agebatur de æquali concursu ad beneficium assequendum, itaut existente re in fieri, ageretur de quæstione, cui potius ex concurrentibus deberetur, & quis esset præeligendus, sed de his 8
disputabatur ad effectum infringendi prælectionem jam factam ac impugnandi judicium M. Magistri ac Religionis super prælectione quæ eis in æquali concursu competit, cum in dubio, non docto de irrationabilitate judicii, præsumptio stet pro eligente, ut in terminis electionis *decis.* 289. *nu.* 25. & *seq. part.* 6. *rec.* & in terminis prælectionis ad parochiales, in quibus præeligendus est dignior, ut præsumptio stet pro judicio Prælati præeligentis, Barbos. *de Paroch. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 141. *cum sequent.* Rota apud Cels. *decis.* 5. & 24. & infra *sub tit. de Paroch.*

Actum enim esset de hac Religione, ejusque servitio, 9
si simpliciter residentia, & servitium caravanarum ejusdem ponderis essent; Eodem modo quo magna resultarent inconvenientia in militia, si exercitus Imperatori, vel Generali Præfecto adimeretur potestas gratificandi, inter duos milites in eadem legione æque militantes in muneribus æquales, quorum unus altero ad hunc effectum magis mereri studeat; Potissime autem ubi unus est miles stipendiarius Principis, sumptu vivens, & qui per quamdam industriæ speciem pro se substentando militat; Alter vero militat proprio sumptu, & tamquam, ut vulgo dicitur, *Venturiero*, cum tunc absque dubio majus sit istius quam alterius meritum; Et hic erat casus, quoniam collitigans absque sumptu, & periculo, vel incommodo vixerat in Conventu cum expensis Religionis, vel cum emolumentis, quæ munera per ipsum exercita suppeditabant; E converso autem iste, cum periculo, incommodo, & notabili sumptu majora servitia Religioni præstiterat.

Objiciebatur e converso in Hieronymo demerentia; ex eo quod in obsidione Insulæ non paruisset literis M. Magistri, non accedendo ad eam pro defensione, sed nimis de facili sublatum fuit objectum ex solo facto, stante justificato impedimento actualis infirmitatis.

Quare unica difficultas restringebatur ad dictum defectum non bene justificatæ residentiæ decennalis in Conventu, cum de illa solum constaret per annos circiter octo; Respondebam tamen, atque Rota in prima disputatione *coram Albergato* admisit responsionem, quod scilicet tempus deficiens suppletum remaneret cum biennali residentia in triremibus, & cum unius earum Præfectura ut supra, quoniam absens causa Reipublicæ habetur pro præsente, ac residente, etiam quoad officia & munera solis residentibus conferenda, ut in 10
specie de absente ex causa belli, Bartol. *in leg. ultima n.* 3. *ff. de integr. restitut.* Menoch. *cons.* 182. *num.* 9. Et in specie hujus Religionis, ut absens pro ejus servitio habeatur pro residente, habetur *in Melevitana commendæ* 8. *Junii* 1646. Bichio; Et est generale in Canonico absente pro servitio Ecclesiæ, ut in sua materia *sub tit. de Canon.* cum quibus terminis ad effectum residentiæ istorum militum proceditur *decis.* 243. *in fin. part.* 6. *recent.* & *in Ordin.* 5. *de trirem.* & *Ordin.* 24. *de Commend.* & *in ordinatione Capitulari anni* 1608.

Adhuc tamen difficultas non cessabat, quoniam servitium in triremibus juxta ordinationem Capitularem anni 1597. concordantem cum *ordinatione quinta de triremibus*, facit habere pro præsente & interessente ad effe- 11
ctum, ut etiam absens possit eligi ad hujusmodi Dignitates, nihil vero disponit super decennali residentia in Conventu, potissime quia per ordinationem Capituli generalis anni 1631. id expresse declaratur, ut scilicet servitium triremium suffragetur earum Præfectis, seu Ducibus pro absentia & caravanis, non autem pro residentia decennali in Conventu, & quinquennali in commendis; Et quamvis in decisione primæ instantiæ *coram Albergato* responderetur de dicta ordinatione non esse habendam rationem utpote Apostolica auctoritate non confirmatam, stante quod adversatur Statutis generalibus a Pontifice con-

confirmatis, ut advertitur *decis. 136. num 4. part. 7. rec.* Nihilominus responsio non videbatur satisfacere, atque in alia instantia habebatur difficultas, cum dicta ordinatio non adversetur alicui Statuto expresso, sed potius declaret, quam præsentiam tale servitium suppleat; Potissime quia *ex ordinatione quarta de triremibus* non potest eligi in Ducem triremis, nisi qui compleverit residentiam decennalem; ergo dici non potest, quod hujusmodi servitium, seu Præfectura suppleat hanc residentiam, quæ supponenda est tamquam antecedens necessarium completa prius, quam hujusmodi munera obtineantur, itaut Hieronymus ad effectum obtinendi triremis Præfecturam obtinuerit dispensationem Apostolicam super dicta ordinatione, ac defectu residentiæ.

Considerabam, an stante dicta dispensatione, videretur ita decennium habitum pro completo, atque ad omnes effectus remotum obstaculum; Verum consideratio non erat tuta, ex recepta propositione, de qua
12 apud Cels. *decis. 69.* quod dispensationes tamquam odiosæ sunt stricte intelligendæ, neque extendendæ de casu ad casum, atque concessæ quoad unum impedimentum, seu effectum, non suffragantur quoad alterum, & de qua conclusione habetur *in Beneventana, sub tit. de pensionibus ac alibi*.

Melior responsio videbatur alia insinuata etiam in de-
13 cisione *coram Albergato*, quod in eadem ordinatione anni *1631.* dicta residentia decennalis possit terminari, tam in Conventum, quam extra pro servitio Religionis, ibi, *quale però si potrà fornire tanto in Convento, quanto fuori di esso*, quod bene comprobatum videtur a declaratione facta a Concilio de anno 1608, ubi habetur, quod Dux triremium si post expectativam de licentia M. Magistri discesserit a Conventu, & ubilibet resederit, etiam extra commendam, gaudere debeat residentia conventuali, unde propterea in similibus expectativis concessis post dictum annum *1631.* fieri consuevit mentio dictæ declarationis anni 1608. ut ita Duces triremium certi redderentur, quod extra Conventum residentiam perficere possent; Et quidem merito, ut illi, qui adeo magnum & conspicuum servitium Religionis præstiterunt, impediti non remaneant ad assequendas primarias Dignitates, ob quem finem hoc servitium Præfecturæ triremium cum tot periculis, incommodis, & sumptibus præstatur, aliàs absque dubio non præstandum, cum gravissimo Religionis præjudicio, ut supra; Et ideo cum in facto doceretur, Hieronymum post dictam Præfecturam resedisse per decem circiter annos ultra quinque obligatorios in commenda Cicciani, illam adeo notabiliter cum ejus præsentia meliorando, hæc residentia abunde supplebat dictum defectum biennii.

Replicabatur per scribentes in contrarium quod dicta declaratio anni 1608 intelligenda esset, quatenus commemorantes extra Conventum existant in servitio Religionis, ac ejus occasione absint; Verum replicatio non videbatur subsistens, cum in dicta declaratione non contineretur; Et nihilominus dicebam difficultatem tolli ex facto, quoniam dicta residentia in commenda, ob istius adeo notabilem meliorationem, dici poterat redundare in servitium; Et clarius quia commorando in hoc temporis intervallo in eodem loco commendæ satis proximo Civitati Neapolis, vel quandoque in ipsamet Civitate, assistentiam præstitit litibus in illis Tribunalibus agitatis pro recuperandis jurisdictionibus, aliisque juribus, ex prædecessorum negligentia pene amissis, quarum litium felix eventus absque dubio, sine præsentia, assistentia, & summa diligentia, multisque sumptibus dicti Hieronymi sequutus non esset; unde propterea magis Religionis interfuit, ipsum in istis locis esse, quam in Conventu residere; Atque ex hoc probabiliter confirmatio sententiæ sperabatur, quando disputatio ulteriorem habuisset progressum.

ANNOT. AD DISC. LXVIII. & LXIX.

DE Commendis, & Dignitatibus Religionis Hierosolymitanæ habetur alibi actum ad diversos effectus, & signanter *sub tit. de Praem. disc. 32. & seq. de Pens. disc. 42. & in ead. tit. de Pens. disc. 89. & 92. in Adn. ad S. C. T. disc. 13. & in hoc tit. disc. 117. & 121.*

Primo decisio emanata in casu in quo *disc. 68. est impress. part. 14. recent. decis.* 88.

MELEVITANA PRIORATUS ECCLESIÆ, PRO HIERONYMO MAMO, CUM PETRO VIANO.

Discursus in congressu.

De eadem materia Dignitatum Religionis Hierosolymitanæ debendarum ratione majoris benemerentiæ, itaut non possit præeligi dignus, omisso digniore, magisque merente.

Et an Prioratus Ecclesiæ veniat sub nomine aliarum Dignitatum Religionis, quæ conferri solent militibus Justitiæ, Ac de requisitis necessariis pro hujusmodi Dignitate obtinenda.

S U M M A R I U M.

1 *EX quibus ordinibus constituatur Religio Hierosolymitana.*
2 *De Prioratu Ecclesiæ ejusdem Religionis.*
3 *Casus controversiæ.*
4 *Causæ Religionis Hierosolymitanæ committuntur per Signaturam Gratiæ.*
5 *De requisitis necessariis pro habilitatione ad assequendas dignitates.*
6 *Prioratus Ecclesiæ est dignitas etiam super alias.*
7 *Quod in spiritualibus sit major M. Magistro.*
8 *In Commendis attenditur sola antianitas, sed in Dignitatibus attenditur benemerentia.*
9 *An beneficia conferri debeant digniori, vel sufficiat conferri digno.*
10 *Antianitas importat benemerentiam.*
11 *De qualitatibus inducentibus benemerentiam.*
12 *An beneficia debeantur potius civibus, quam exteris.*
13 *Quod aliqua munia non causent benemerentiam, si sunt affectata.*
14 *Quomodo procedendum sit in materia benemerentiæ.*

D I S C. LXIX.

COnstituta est Sacr. Religio Hierosolymitana ex tri- 1
bus profitentium ordinibus, quorum primus est militum Justitiæ, non nisi in qualitate generosæ nobilitatis admittendorum; Alter vero Fratrum Cappellanorum Conventualium, qui in Ecclesia Hospitalis Melevitani, sive Conventus quamdam Canonicorum figuram, etiam cum honorificis insigniis faciunt; Et tertius Fratrum de obedientia, qui vulgo nuncupantur *servientes*, subdistincti in duas species, quarum una est clericorum, qui Cappellanorum inferiorum, seu habentium beneficia servitoria speciem præseferre videntur; Et altera est militum non nobilium; qui servientes armorum dicuntur, ultra alios, qui formale votum non emittentes, non sunt veri Religiosi, sed potius specie oblatorum, ut sunt præsertim milites obedientiæ magistralis, qui vulgo dicuntur de media Cruce, juxta distinctionem, de qua præsertim *in Fulginaten. coram Verospio impress. dec. 15. part. 11. recent.* & post Dian. *part.* 10 *& part.* 11. ac etiam habetur actum *in Perusina successionis, sub tit. de testamentis*, & insinuatur *sub tit. de Praeminentiis, disc. 32. & seq.* ad materiam nobilitatis requisitæ pro habitu militum justitiæ.

Dicti vero secundi ordinis Cappellanorum Conventualium, ita ut dictum est, facientium figuram Canonicorum, atque constituentium Collegium Ecclesiæ dicti Hospitalis, & Conventus, Caput, seu Prælatus, primaque Dignitas est Prior Ecclesiæ, cui incumbit universalis cura parochia-
lis, ac spiritualis omnium militium, aliorumque servien- 2
tium, ac subditorum Religionis non subjectorum jurisdictioni, & curæ etiam sacramentali Episcopi Melevitani, aliorumque Ordinariorum, & sic est quasi Episcopus, seu Prælatus spiritualis Religionis, obtinens etiam præeminentiam magnæ Crucis, ac sessionem in Consilio supra alias Dignitates Religionis post M. Magistrum.

Vacante igitur hoc Prioratu per obitum possessoris, atque concurrentibus Hieronymo, & Petro, pro majori parte
votorum Consilii sequuta fuit electio in persona Petri; 3
quare Hieronymo, ab hoc irrationabili judicio appellante, assumpta fuit disputatio in Signatura Gratiæ pro obtinenda commissione appellationis in Rota, stante stylo insinuato *in Melevitana, seu Aquilana habitus sub tit. de Praemi-*

miuen-

4 *minentiis disc.* 34. ut causæ istius Religionis non nisi per viam Signaturæ Gratiæ committantur, atque commissio obtenta fuit in Rota coram Cerro, sed ulteriorem progressum causa non habuit ob Hieronymi præmortem.

In hac igitur disputatione habita in Signatura Gratiæ, ac etiam in præparatione disputationis habendæ
5 in Rota, duæ erant inspectiones; Una super habilitate dicti Petri ex eo, quod non haberet requisita necessaria ad assequendam hanc dignitatem, quorum præcipuum, est ut habeat annos quindecim habitus, & professionis juxta *statut. tit.* 13. de *cap.* 9. Et altera super dictorum concurrentium majori benemerentia, quæ in dignitatibus hujus Religionis principaliter attendenda est.

Prima inspectio utpote nudi facti, ad causæ Patronos magis quam Advocatos pertinebat super facti scilicet qualitate, ex qua resolutio pendet; Quatenus vero pertinet ad alteram inspectionem benemerentiæ; Dicebam scribens pro Hieronymo appellante, certum esse, istum Prioratum dicendum esse Dignitatem sicuti sunt alii Prioratus, ac Bajulivatus Religionis;
6 Quinimo esse aliis dignitatibus majorem, non solum ob præeminentiam loci dignioris in Consilio, aliisque functionibus, sed etiam quia est dignitas cum jurisdictione & administratione, ut in specie Rota apud Puteum *decis.* 104. *lib.* 3. *n.* 3. *& per totum*; Adeo
7 ut antiquitus controversiam habuerit cum ipsomet M. Magistro, atque apud Caputaquen. *decis.* 119. *part.* 1. dicatur eam ratione jurisdictionis spiritualis & curæ animarum dici posse majorem, ducto argumento a dispositione *text. in cap. solitæ, de majoritate & obedientia, cum ibi notatis*, ac aliis quæ a simili habentur deducta in *Caren. ibroni, sub titul. de Præminentiis, disc.* 26.

Quo posito resultat certum pricipium, de quod apud Dunoz. Seniorem *dec.* 266. *n.* 5. *& per tot.* apud Dunoz. Junior. *dec.* 66a. cum aliis *disc. proxime praeced.* quod in
8 ista Religione, licet in commendis (præsupposita habilitate resultante a requisitis per stabilimenta præscriptis) attendatur solum ordo antianitatis, in Dignitatibus tamen attenditur major benemerentia, ut ita milites, aliique ejus Religionis professores per hujusmodi dignitatum spem alliciantur ad bene serviendum, & sic quod in · ncursu conferri debeat dignioribus, neque in hoc Religio habet liberum arbitrium, sed ita refrænatum.

Fortius vero in ista dignitate, non solum ob rationem generalem, seu communem aliis dignitatibus, sed etiam quia admixtam habet curam animarum. ac administrationem spiritualem; Ut enim insinuatur *supra in Calaguritana, disc.* 67. non levis quæstio est inter scribentes,
9 an beneficia, & dignitates pernecessa conferri debeant dignioribus, vel sufficiat conferre dignis absque hac necessitate conferendi dignioribus; Et licet in Canonicatibus, aliisque beneficiis annexam non habentibus curam animarum ac administrationem spiritualem, magis communis, atque ex usu recepta opinio sit, ut sufficiat conferre dignis, in beneficiis tamen curatis, probabilior videtur altera, ex deductis per Adden. ad Gregor. *decis.* 11. Buratt. & Adden. *decis.* 635. Cels. *decis.* 24. *n.* 9. *decis.* 262. *part.* 10. *recent.*

Unde propterea videmus, quod in parochialibus, per Sacr. Conc. Trid. refrænata est illa facultas, quæ alias locorum Ordinariis, seu aliis collatoribus competit, atque restricta ad eos, qui in concursu per examinatores enunciantur idonei, data solum Ordinario facultate præeligendi inter candidatos, quæ neque est libera, dum ab hujusmodi præelectione, quoties prætenditur irrationabilis, datur appellatio, ut pluries infra *sub tit. de Parochis*, ubi de hac provisione parochialium per concursum; Et consequenter in ista dignitate magis restrictum, ac refrænatum videtur arbitrium Religionis ad limites benemerentiæ, quam in aliis dignitatibus.

Applicando igitur ad rem, utraque circumstantia in Hieronymo concurrebat in gradu longe excedente, antianitatis scilicet, ac servitiorum & benemerentiæ, dum supponebatur in facto illum habere antianitatem annorum 51. cum residentia annorum 43. E converso Petrus supponebatur juvenis ætatis annorum 27. atque ut supra, erat in controversia, an haberet necne annos quindecim habitus ac professionis; ipsa enim antianitas de
10 per se inducit quoque benemerentiam, ut generaliter probant gloss. & DD. *in cap. cum in cunctis, de electione per illum text. & dixit* sæpius Rota, præsertim *decis.* 232. *n.* 10. *part.* 11. *recent.*

Concurrebat quoque benemerentia, dum in facto justificabatur quod Hieronymus, ultra caravanas, ac melioramenta commendæ per eum possessæ, per spatium 12. 11
annorum laudabiliter exercuerat laboriosum officium Subprioris ipsius Ecclesiæ Conventualis, atque per quatriennium cum summa commendatione administraverat Collegium Divi Pauli inscriptum, & per aliud quatriennium Hospitale S. Spiritus in Rabato, quodque in obsidione Turcarum de anno 1644. Religio ejus curæ & gubernio commendavit sexcentum circiter cives inutiles, qui pro meliori defensione transmissi fuerunt ad Regnum Siciliæ.

Et his addebatur etiam qualitas, quod esset civis, seu Insulanus, ac de familia nobili satisque Religioni benemerita; Licet enim in beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est exceptio personarum, ista qua- 12
litas civilitatis non reputetur necessaria; Attamen data æquali idoneitate, atque in concursu dicitur considerabilis, ac species etiam benemerentiæ, ob quam cæteris paribus prælatio saltem de congruo debeatur, ex collectis apud Carill. *dec.* 66. alias *dec.* 232. *part.* 7. *recent.* & plurica in præcedentibus.

E converso autem, Petrus tam in ætate naturali, quam in tempora habitus ac professionis erat adeo notabiliter inferior, ut supra; Et quamvis exercuisset pene omnia munera, quæ exercuerat Hieronymus, & quæ esse solent hujus dignitatis præparatoria, nempe, vice Prioris, ac Administratoris dicti Collegii Divi Pauli, & eleemosynarii, necnon confessarii M. Magistri; Attamen ultra quod in pluribus considerabatur in facto incompatibilitas, totum sequutum erat intra breve tempus triennii circiter; Et quod magis, ita affectate jam imminente hujus dignitatis vacatione ob nominatio- 13
nem prædecessoris Prioris ad Episcopatum ejusdem Insulæ, cujus assequutio ob aliqua impedimenta ita per hoc spatium dilata fuit, ideoque dicebam, quod benemerentia ita regulari deberet inspecto tempore, quo de facto certificata fuit dignitatis vacatio, per nominationem possessoris ad dictam aliam majorem dignitatem incompatibilem.

Et quamvis reflecterem ad ea, quæ egomet deducebam in dicta *alia Melevitana, disc. praeced.* quod in hac benemerentiæ materia procedendum non est cum rigorosa libra in manibus, sed in aliquo deferendum 14
venit arbitrio Religionis propter bonas, ac respective malas consequentias alias resultantes; Ac etiam quia non semper illæ circumstantiæ, ex quibus benemerentia, vel qualitas dignior resultat, concludunt ac attendi debent, quoniam ut advertitur infra *sub tit. de Parochis* in proposito præelectionis per Episcopum faciendæ in concursu eorum, qui per examinatores synodales habiles ac idonei reputati sunt, licet qualitas Doctoratus, vel majoris scientiæ, sive ætatis, cum similibus, regulariter faciat aliquem digniorem, ex iis quæ nimium frequenter firmata habemus per Rotam in tot decisionibus editis super beneficiis diœcesis *Calaguritana*, quando procedebatur cum opinione quod indultum Clementinum injungeret necessitatem eligendi digniorem ex deductis *in d. Calaguritana, disc.* 67. Attamen non semper id concludit, quoniam stant bene simul, aliquem esse magis doctum & graduatum aliasque majores qualitates habere, & tamen ob vitam & mores, seu ratione majoris prudentiæ & gratitudinis populi digniorem reputari alterum juniorem minusque literatum, habentem tamen ætatem ac literaturam sufficientem, *ut sub d. tit. de Parochis*.

Verum hæc admittendo tamquam vera, credebam dari non posse hujus theoricæ applicationem ad praxim, ob satis notabilem differentiam, tam circa ætatem, quam circa habitum, ac servitia, aliasque circumstantias, ut supra, [illegible] propterea irrationabilitas judicii ex hactenus de[illegible] videbatur clara; Licet enim vera & rationabilis sit [illegible] theorica, attamen intelligenda est discrete, ac sa[illegible] modo arbitrio boni viri, ad effectum tollendi necessitatem regulandi benemerentiam cum rigorosa libra per uncias, non autem quando adeo notabilis dignoscitur differentia, seu inæqualitas, quæ irrationabilitatem judicii clare præseferat, quoniam alias nunquam daretur casus appellationis ab irrationabili judicio, neque istius retractatio; Non potuit autem super his certum, ac maturum judicium pro veritate efformari, cum solum incidenter actum sit in Signatura Gratiæ, unde ignotum est quid per alteram partem in disputatione causæ principalis deduci posset, dum mors litem terminavit.

CA-

CALAGURITANA BENEFICII DE BILBAO, PRO IGNATIO ABOLANCA, CUM ANTONIO.

Casus decisus per Rotam pro Ignatio.

De incapacitate, seu minori benemerentia personæ alias capacis, ac magis materiæ, ob inquisitionem, vel diffamationem simoniæ, seu alterius delicti quamvis concludens perfecta probatio non adsit; Et de differentia inter jus quæsitum, & quærendum, ad effectum inspiciendi, An requiratur perfecta probatio, vel sufficiat sola inquisitio, seu diffamatio; Et quando dicatur agi de jure quæsito, vel quærendo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Admittendi non sunt ad beneficia diffamati de crimine, quamvis istud non sit concludenter probatum.*
4 *De conclusione, quod simonia, vel aliud delictum est perfecte, & concludenter probandum.*
5 *Datur distinctio quando procedat conclusio de qua num. 3. & quando altera, de qua num. 4.*
6 *Conclusio de qua num. 3. procedit etiamsi adsit sententia absolutoria cum declaratione.*
7 *Qualis debeat esse diffamatio, ut dictum officium cooperetur.*
8 *De diversa specie sententiæ absolutoriæ.*
9 *Simonia inficit actum etiam ubi non est culposa.*
10 *De consilio Menochii quod liceat aliquid dare, ut dignior non postponatur minus digno.*
11 *De specialitate circa concursum in beneficiis curatis.*
12 *De distinctione Abbatis circa conclusionem, de qua num. 10.*
13 *Oppositio debiti in certo genere personarum tribuit jus considerabile.*
14 *Intellige quoad clausulam, dummodo alteri non sit jus quæsitum.*
15 *De distinctione etiam in materia beneficiali de jure in re & de jure ad rem, & de jure ad beneficium uti debitum, & uti debendum.*
16 *Quid ubi agitur de beneficiis debitis certo generi personarum, vel ex præsentatione, vel electione.*
17 *De differentia quando unus tantum est præsentator, vel oppositor, vel sunt plures concurrentes habentes eamdem qualitatem, vel quando est unus majus jus habens.*

D I S C. LXX.

1 Concurrentibus ad patrimoniale beneficium ad formam Clementini indulti, seu Constitutionis, Antonio, & Ignatio, illo præelecto, hic juxta tunc vigentem usum in omnibus fere casibus, appellationem interposuit ab irrationabili eligentium judicio: Et commissa causa in Rot. coram Bich. sub diebus 1. Julii 1655. & 15. Maji 1656. ad favorem Ignatii appellantis prodierunt re-
2 solutiones, quæ habentur impressæ *decis.* 78. & 172. *part.* 12. *rec.* ac repetitæ *decis.* 25. & 29. post Zuff. *de legitim. process.* & *dec.* 21. & 22. post Tondut. *de pension.* Ad quarum decisionum normam expedita sententia ista confirmata fuit in secunda instantia coram Albergato prævia decisione 18. Junii 1657. *impress. ead. part.* 12. *rec. dec.* 267. ac etiam confirmata in tertia instantia coram Priolo præviis tribus decisionibus, duabus scilicet super meritis negotii principalis, sub diebus 14 Januarii & 17. Junii 1658. & altera sub die 25. Januarii *ejusdem anni* super denegatione remissoriæ per Antonium petitæ, quæ decisiones habentur etiam impressæ *in d. part.* 12. *rec. dec.* 301. 305. & 366. unde propterea, stantibus tribus conformibus exequutioni demandatis, causa finem habuit.

Istarum resolutionum fundamentum fuit, præfatis Antonii, alias ratione ætatis, sacerdotii, ac experientiæ in cura
3 animarum dignioris, inhabilitas, seu demerentia resultans a diffamatione ac inquisitione de simonia commissa cum examinatoribus pro hujusmodi præelectione obtinenda, quoniam ad beneficium assumendus non est ille qui de aliquo crimine diffamatus, scandalum populo præbere potest, ad text. *in cap.* 2. & *cap. penult. ac finali de purgatione Canonica*, *cap. tantis*, Daniel. 8. *distinct.* *cap. omnipotens de accus.* Abb. *in cap.* 1. *n.* 8. *de dect.* Calder. *cons.* 9. *de prob. cum concord.* per Lotter. *lib.* 2. *q.* 31. *n.* 146. *cum seq.* bene ad rem, Rota apud Comitulum *dec.* 119. *n.* 3. *dec.* 77. & 216. *post secundum volum. cons. Farin. in Sabinen. concursus* coram Sacrato apud Marches. *de commiss. part.* 1. *fol.* 291. cum aliis in dictis hujus causæ decisionibus, præsertim in primis coram Bichio, cum quibus aliæ procedunt.

Insistebatur per scribentes pro Antonio in regula, quod cum delicta non præsumantur, ille qui de crimine objicit, atque in objecto ejus intentionem fundat, tenetur 4
illud plene & concludenter probare; Ut ultra generalia, in his specialibus terminis simoniæ; quod ejus omnino concludens ac perfecta probatio requiratur cum suis requisitis, illo præsertim essentiali pactionis præcedentis, cæteris relatis firmant Paris. *de confidentia q.* 72. *num.* 3. Put. *dec.* 167. *lib.* 2. Seraph. *dec.* 1209. Comit. *dec.* 114. Mantic. *dec.* 211. Cavaler. *dec.* 352. Burat. & Adden. *dec.* 445. *dec.* 538. *part.* 4. *rec. tom.* 3. & *in aliis*.

Dicebam tamen scribens pro Ignatio, atque Rota admisit, utramque conclusionem esse in suis respective casibus veram, ideoque punctum esse in applicatione; Ista enim posterior super concludenti ac perfecta simoniæ, vel alterius criminis probatione procedit quando agitur ad effectum pœnæ formalis privationis bene- 5
ficii jam obtenti ac juris valide & perfecte quæsiti, atque in his terminis loquuntur præfatæ ac aliæ auctoritates; Secus autem ad repellendum a jure quærendo, & sic a beneficii assequutione, quoniam tunc omnino verius est, solam diffamationem de facto sufficere, ex qua resultet superius insinuata ratio, vel effectus, quod scandalum populo præbiturus esset, sive resultet quædam diminutio existimationis ac benemerentiæ, ut propterea in beneficiis, quæ digniori, vel magis benemerito danda sunt, alter concurrens præferri debeat, ut advertitur supra *in Melevitana Bajulivatus disc.* 68 & alibi in precedentibus.

Ideque adeo verum, quod etiamsi inquisitus absolutoriam reportasset, quoties ista non provenit ex capite innocentiæ, adeout omnino diluat maculam ac diffamationem, adhuc intret idem obstaculum, ut advertitur *in d.* 6
dec. 119. Comituli, & *in allegata Sabinen. concursus* coram Sacrato apud Marches. cum aliis in hujus causæ decisionibus, quoniam punctus non est in delicto, ejusque punitione, sed est in dicta ratione diffamationis de facto, quoties tamen ista habet aliquod fundamentum, atque viget apud graves, & probos, secus autem ubi esset dif- 7
famatio calumniosa & affectata apud leves malevolos *juxta cons.* 6. Navarr. *lib.* 5. *de accusat.*

Unde cum in hac facti specie ex ejus circumstantiis gravia resultarent adminicula, atque constaret diffamationem esse in toto populo, etiam apud viros graves & qualificatos, sententia vero absolutoria sequuta esset, non ex capite innocentiæ, sed ex altero non concludentis probationis;
Et quam absolutoriæ speciem juxta diversos Tribunalium, 8
vel regionum stylos criminalistæ concipere solent, vel cum clausula, *ex hactenus deductis*, vel cum altera, *novis non supervenientibus &c.* hinc resultat, ut absolutus remaneat adhuc sub eodem judice, ac sub specie inquisitionis, & consequenter possit, quod ageretur de jure quærendo, itaut versaremur in secunda parte dictæ distinctionis, certum remanebat conclusionem intrare.

Clarius vero, quoniam non agebatur de crimine extraneo, accidentaliter influente ad materiam, ob solam inhabilitationem personæ, juxta casus, de quibus *d. disc.* 68. & *disc. seq.* ac dicta *Sabinen. concursus* coram Sacrato, & aliis allegatis, sed agebatur de diffamatione criminis principaliter ac directe & immediate percutien- 9
tis ipsum actum electionis, seu collationis beneficii, unde videtur concurrere aliquid magis speciale in crimine simoniæ quam in aliis, quoniam ubi simonia contrahitur per tertium ignorante proviso, non resultant pœnæ simoniacis inflictæ; illa præsertim privationis aliorum beneficiorum, sed bene resultat nullitas ipsius provisionis, in qua simonia etiam sine culpa provisi interveniat. Cassador. *decis.* 4. *de sequestr. decis.* 161. *n.* 5. *part.* 1. *divers.* Pac. Jordan. *var. elucubrat. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 11. *n.* 9. Et fortius ubi agitur de simonia, quæ resultat in beneficiis providendis per concursum, ac per viam justitiæ magis quam gratiæ, quodque illa non est ad obtinendam ab Ordinario electionem inter plures approbatos; sed est cum ipsis examinatoribus, cum tunc magis rigorose procedendum sit, ex nimium enixo decreto Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 18. & in his erat casus.

Dicebant scribentes pro Antonio, præmissa recte procedere, ubi diffamata præstatio pecuniæ, vel alterius rei

tem-

temporalis causaret simoniam, quando vero intervenisset, secus autem ubi, data etiam vera probatione, tale
10 crimen non adesset, atque hunc dicebant casum, freti auctoritate Menochii *cons. 67. num. 13.* ubi firmetur conclusio, ut non committatur simonia ob pecuniam, quam dignior dedisset ad effectum, ut minus digno non postponeretur, quoniam cum ita beneficium de justitia sibi debitum esset, ita pecunia, vel res temporalis potius dari dicitur pro removendis indebitis molestiis de facto, quam pro assequutione beneficii, vel rei spiritualis; Adinstar præbentis pecuniam bannitis ac latronibus, seu hostibus pro redemptione ejus personæ, aut bonorum, sive pro evitandis majoribus damnis & molestiis.

Respondebam tamen, atque Rota amplexa est responsionem, illum doctissimum auctorem, (in prophanis versatissimum, non tamen adeo in spiritualibus,) in hac parte aliquo æquivoco laborare (nisi dicamus esse de illis æquivocis voluntariis, in quæ etiam doctissimi viri incidunt, quando scribunt conducti ad causæ opportunitatem;) Id enim procedit, Vel ad effectum, ut ista dici posset probabilis excusatio in criminalibus ab incursu gravium pœnarum, vel quod etiam civiliter ad excusandum a pœna privationis aliorum beneficiorum, nullatenus vero ad effectum nullitatis ipsius actus, & multo magis ad istum effectum prælectionis, quoniam in Concilio Tridentino hæc examinata fue-
11 runt, eaque illis P. P. recte cognita; sed quoniam hujusmodi declarationes, seu limitationes præbere solent latum aditum fraudibus, quodque sub hoc prætextu simonia licite commitatur, idcirco, quoties præsertim agitur de hujusmodi beneficiis providendis per concursum, atque de corruptela cum examinatoribus, Concilium per verba generalia & effrænata id omnino prohibuit, ut advertunt Massobr. Riccius & cæteri late collecti per Barbos. *ad idem cap. 18. sess. 24. de reform. num. 106.*

Præterea Menoch. procedit cum auctoritate Abbatis *in cap. nobis, n. 5. de electione*, bene loquentis, sed
12 male applicati; Distinguit enim Abbas, quod aut aliquid temporale datur electoribus pro electione facienda, & tunc, sive ab ipso eligendo, sive a tertio detur, semper intrat simonia; Aut datur conjunctis eligere debentium per tertium, puta per conjunctos eligendi absque scientia, tam electorum, quam electi, vel eligendi, itaut agatur de puro facto inter tertios, & tunc non intrat simonia; Aut per ipsum eligendum, seu per tertium de ejus scientia & voluntate, dignior vero qualitas consistat in facto certo proveniente a qualitate naturali, ob quam absque examine virtutis ac animi dotium, de justitia illi debitum sit beneficium, seu prælectio, alias cum injustitia non obtinenda, puta quia debitis beneficii ex Statuto, vel consuetudine civibus, aut personis de certo genere, ille qui est certo civis, vel de illo genere, timeat ex injusta concessione postponi extero, vel extraneo, & tunc dicitur vere redemptio indebitæ molestiæ, quæ tamen ad tollendam deliquendi occasionem, stante dicto decreto Concilii Tridentini, quoties ejus forma adhibetur, neque admittenda est ut supra; Aut demum qualitas dignioris, seu benemerentiæ non pendet a dicto facto certo inalterabili per naturam, sed pendet a virtutibus, ac animi dotibus librandis per electores, seu examinatores, & tunc id nullatenus recipiendum est, quoniam ut bene advertit Abb. *ubi supra*, saltem adesse dicitur aliud crimen ambitionis & superbiæ, quæ inesse dicitur, opinando se ex virtutibus ac animi dotibus digniorem esse.

Et ulterius cum pendeat ab electoribus ac examinatoribus tenere libram in manibus, ac judicare de majori, vel minori virtute, seu majori, vel minori benemerentia, nunquam in ista libra admittenda est mixtura pecuniæ, vel alterius rei temporalis, quæ fascinando librantis intellectum, frequenter causare solet injustam præponderantiam, concurrente etiam ratione scandali; Unde propterea quicquid sit ad effectum aliarum pœnarum, ad illum tamen nullitatis ipsius actus, sive illum de quo in præsenti, nullo pacto ista propositio admittenda est.

Major igitur ac pene tota hujus controversiæ inspectio versabatur circa applicationem, an scilicet ageretur de jure quæsito, vel de jure quærendo, & sic an versaremur in prima, vel in secunda parte dictæ distinctionis; Dicebant enim scribentes pro Antonio, quod tunc intraret secunda pars distinctionis super jure quærendo, quando ageretur de beneficio liberæ collationis, secus autem ubi de illo, quod pernecesse est debitum ex privilegio, vel Statuto certo generi personarum, ut in præsenti, dum hæc beneficia ex dicta Constitutione debentur patrimonialibus, qui proinde dicuntur habere jus, ex punctualiter firmatis per Mandos. *cons. 13.* in qua auctoritate magnum constituebatur fundamentum, quodque per op- 13
positionem hujusmodi patrimonialium in beneficio vacato acquiri dicatur jus considerabile; ut habetur apud Lotter. *lib. 2. q. 51. n. 38. & seq.* Buratt. *dec. 55. n. 4. in Calaguritana S. Joannis de Molmar.* coram Cerro *dec. 193. n. 9. & 10. part. 11. rec. & aliis*.

Verum inspecta etiam veritate, neque istud fundamentum subsistebat; Dicta enim propositio, quod in hujusmodi beneficiis debitis certo generi personarum, ex sola oppositione, acquiratur jus considerabile, recte procedit ad effectum clausulæ, *dummodo non sit alteri jus quæsitum*, 14
in quibus terminis loquuntur Mandos. *d. cons. 5.* dictæque aliæ auctoritates & decisiones, ad alium similem, non autem ad istum effectum, ad quem tunc dicitur agi de pœna formali, ob quam necessaria est perfecta & concludens probatio delicti punibilis, quando agitur de privatione beneficii jam assequuti, & possessi, vel etiam non possessi, de quo non possessor contendat, potius tamquam sibi debito, quam sibi debendo, & sic de jure in re potius quam ad rem, ut de hac distinctione juris in re, & ad rem etiam in beneficialibus, Gonzal. *ad regul. 8. gl. 9. n. 88.* Garz. *part. 4. cap. 2. & 3.* cum aliis in hujus causæ decisionibus; Et confert distinctio in hac beneficiali materia passim recepta in proposito beneficii litigiosi ad effectum subrogationis ac alios circa actionem, vel litem super beneficio tamquam debito, vel tamquam debendo, ut advertitur in præcedentibus ad materiam subrogationis dandi collitiganti ac alibi.

In hoc autem differunt beneficia liberæ collationis, ac alia debita certo generi personarum, quod in prima spe- 15
cie, per oppositionem, seu petitionem nullum jus quæritur, nec in re, nec ad rem, in secunda vero specie acquiritur jus, sed ad rem, non autem in re, ut per Gonz. *d. gloss. 9. n. 88.* Lotter. *lib. 2. q. 51. n. 34.* Adden. ad Buratt. *d. dec. 55. n. 9. d. dec. 193. part. 9. rec.* cum aliis in hujus causæ decisionibus, præsertim in primis coram Bichio, quoniam etiam patrimonialis, qui se opposuit, ex illiteratura, vel alio impedimento, reputari potest incapax, vel minus dignus.

Quinimo etiam habens præsentationem patronorum ad Beneficium de jurepatronatus, cui de justitia debita 16
est institutio, sive habens electionem, adhuc a Superiore non confirmatam, non dicitur habere jus in re, sed potius ad rem, quoniam dari potest justa causa, ob quam Superior denegare valeat confirmationem, vel institutionem; Atque in fortioribus terminis habetur de habente provisionem Apostolicam *in forma dignum*, quod neque dici potest habere jus in re, antequam illud per exequutorem decernatur, ut generaliter de hujusmodi provisione *in forma dignum* habetur pluries in præcedentibus, & in specie advertitur *in Novarien. disc. seq.* Et de jam approbato per examinatores synodales in concursu ad parochialem habetur *in d. Sabinen. concursus* coram Sacrato, & tamen juxta magistralem *dec. 18.* Cassador. *de præben.* majus absque dubio est jus habentis præsentationem patronorum, vel electionem, sive approbationem examinatorum, quam habeant hujusmodi ex sola qualitate naturali se opponentes.

Fortius vero, ac extra omnem difficultatem, quando talis oppositor non est solus, sed alios habet concurrentes pariter patrimoniales, seu ejusdem generis, unde inter habentes eamdem qualitatem naturalem agatur solum de prælectione ratione dignioris qualitatis, seu majoris benemerentiæ, tunc enim dictum jus dicendum videtur ma- 17
gis considerabile, quando oppositor, vel concurrens est solus, cui data capacitate pernecesse debetur institutio, vel collatio, qua denegata prætendat Superior ob præsentationem, vel nominationem indigni habere liberam collationem extra genus, cum tunc videatur species pœnæ formalis ac positivæ declarationis indignitatis, seu incapacitatis, & tamen etiam isto casu concordant Beneficialistæ, quod ante actum auctorizabilem institutionis, seu collationis, aut confirmationis, haberi dicitur solum jus ad rem, non autem in re; Bene verum, quod isto casu magis circumspecte procedendum est, atque si non omnino concludens ac perfecta probatio, longe tamen vehementior suspicio ac diffamatio pro Superioris prudenti arbitrio desideranda videtur; Unde propterea ista videtur materia potius facti, quam juris, ex singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis regulanda, cum prudenti beneque regulato arbitrio.

AN-

ANNOT. AD DISC. LXX. & LXXI.

De concernentibus exclusionem ab assequutione beneficii ob criminis inquisitionem, seu diffamationem defuit occasio disputandi, solumque ad materiam Simoniæ videri potuerunt deducta *in hoc tit. disc.* 127. & 128. Quo vero ad punctum, de quo *disc.* 71. an Episcopus teneatur invitus conferre sacros ordines, videantur dicta *in Miscellan. Eccles. disc.* 25. Et conferunt deducta *in hoc. tit. disc.* 140.

NOVARIEN. PAROCHIALIS, PRO EPISCOPO, CUM GEORGIO.

Casus disputatus in Sacr. Congr. Concilii, resolutus pro Episcopo.

De eadem materia exclusionis ab assequutione beneficii ob criminis inquisitionem, seu diffamationem; Et quid ubi non agatur de concursu inter plures ad effectum præelectionis, sed de proviso Apostolico *in forma dignum*. Et incidenter, an & quando Episcopus teneatur invitus conferre sacros ordines, itaut alias ex denegatione appellari possit, vel haberi recursus ad superiorem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sacr. Congregationis.*
3 *An Episcopus teneatur conferre Ordines, itaut alias detur appellatio, vel recursus, distinguitur.*
4 *Quod Episcopi debeant esse parci in collatione ordinum.*
5 *Quomodo procedendum sit in casu appellationis, vel recursus.*
6 *De distinctione inter jam constitutum in sacris & inter existentem in statu libertatis.*
7 *Quando dicatur casus arctationis impropriæ, sive conveniant ea, quæ habentur de arctato.*
8 *A. C. in Beneficialibus non habet jurisdictionem.*
9 *Quod non sit admittendus ad beneficium præsertim curatum diffamatus de delicto.*
10 *Quando in hoc proposito provisus* in forma dignum *dicatur habere jus quæsitum necne.*

D I S C. LXXI.

1 Inquisitus Georgius de homicidio voluntario ex causa ludi, atque indiciatus ad torturam, ista substentata, reportavit absolutoriam, non quidem ex capite innocentiæ, sed ex defectu probationum cum clausula *ex hactenus deductis, seu novis non supervenientibus &c.* Deindeque ex capite resignationis ad favorem obtinuit provisionem Apostolicam de parochiali loci contigui ejus patriæ, ubi dictum homicidium patratum fuit, expeditisque litteris directis Ordinario in forma *Dignum*, hic ex causa dictæ diffamationis exequutionem denegavit, unde interposita appellatione, reportavit ab A. C. sententiam (nemine opponente) super dicta exequutione de facto sequuta; Cumque ad præscriptum Canonum & Concilii Tridentini, ac etiam ob decretum contentum in eadem provisione, arctatus esset suscipere sacros ordines, qui per dictum Ordinarium ex eadem causa sibi denegabantur; Hinc proinde habito recursu ad Sacr. Congregationem Concilii, assumptaque formali disputatione, An Episcopus, posito concursu aliorum requisitorum, non obstante dicta diffama-
2 tione, quæ erat unica denegandi causa, teneretur dictos ordines conferre, pro Episcopo resolutio prodiit, quæ proinde causavit etiam amissionem beneficii.

In hac igitur disputatione, Scribentes pro dicto Georgio principaliter insistebant in articulo, An & quando in Episcopi libero repositum sit denegare collationem clericatus, vel aliorum ordinum, vel potius ad id quamvis invitus de justitia teneatur; Atque in hoc deducebant distinctio-
3 nem in meo etiam sensu veram, quod, Aut agitur de volente ex devotione, seu alio voluntario motivo suscipere clericatum, vel alios ordines, & tunc quia est mera gratia, exinde resultat quod in libera Episcopi facultate repositum est concedere, vel denegare, atque negando nulla fieri dicitur injuria, vel inferri gravamen, & consequenter non intrat appellatio, vel recursus, cum potius commendabile sit in hac materia, nedum parce, sed nimium avare procedere ex deductis per Cardinalem Bellarminum *in ejus opusculo super impositione manuum*, alias nuncupato *admonitio ad Episcopum nepotem*, quod utinam Episcopi haberent præ manibus ac servarent, non exercendo in hac parte (Deus scit ex quo fine, vel motivo) tantam prodigalitatem quæ tot scandala & inconvenientia in Ecclesia producit, adeout frequenter Sacra Congregatio Episcoporum negotiis præposita cogatur eis demandare, ne ipsa inconsulta, ad collationem ordinum, præsertim vero primæ tonsuræ, procedatur.

Aut vero agitur de arctato suscipere ordines sacros ratione beneficii jam obtenti, & tunc non concurrente justa causa denegandi, Episcopus gravare dicitur, quoniam ita esset inducere pœnam formalem privationis beneficii, quod sine ordinibus retineri non potest, ideoque intrat 4
recursus, vel appellatio, ut ita distinguendo firmavit Rota *in Elboren. ordinum* 24. *Junii* 1618. & 18. *Februarii* 1619. coram Remboldo, quas decisiones refert, & sequitur Barbos. *de Episcop. alleg.* 4. *num.* 66.

Non negabam Ego scribens pro Episcopo dictæ distinctionis veritatem, cum ea tamen moderatione, quæ resultat ex pluribus declarationibus Sacri Concilii, præsertim *in duplici Vercellen. & in una Bononien.* quod scilicet stante decreto Conc. Trident. *sess.* 14. *de reform.* 5
c. 1. non teneatur Episcopus subditos ordinando exprimere causas denegationis ordinum, neque desuper formare processum, cum non solum ad hujusmodi denegationem, sed etiam ad suspensionem ordinum jam collatorum ex dicto decreto procedere valeat, etiam per notitias extrajudiciales, ideoque admittenda non est appellatio in forma judiciali tamquam in causa contentiosa, sed est recurrendum ad ipsam Sacr. Congregat. vel illam Episcoporum, quæ audita Episcopi informatione in forma extrajudiciali, per litteras juxta stylum, atque cognito, an causæ per Episcopum allegatæ subsistant necne, ac etiam an in promovendo urgeat necessitas, vel justa causa, decernere solet concessionem, vel denegationem, ut in præsenti, non obstante arctatione, sequutum fuit.

Considerando præsertim, an agatur de jam constituto in sacris, ac in statu irretractabili petente ulteriores ordines, vel e converso agatur de constituto in minoribus, & sic in statu libertatis eligendi aliud vivendi institutum; 6
isto enim secundo casu, ob dictam libertatem, per denegationem ordinum non dicitur inferri gravamen ut in altero adnotata in proposito respondendi in dubio pro irregularitate, vel ejus exclusione *per Canonistas in cap. ad audientiam, de homicidio, de quibus* Sperell. *dec.* 77. *n.* 31. & 32. Atque cum hac distinctione procedit Sacra Pœnitentiaria, unde propterea ista quæstio non recipit certam ac uniformem regulam generalem, sed decidenda est pro singulorum casuum particulari qualitate & circumstantiis.

Hinc alias dicebam *in una Neapolitana* pro Januario Alterio, quod dicta secunda pars distinctionis circa jam constitutum in statu clericali ac arctatum suscipere ordines sacros ratione beneficii, quod obtinet, ob grave præ- 7
judicium alias ab ordinum denegatione resultans adaptabilis quoque sit saltem per assimilationem ad casum, in quo quis sit constitutus in statu laicali, sed intendat assumere clericatum, ne alias amitteret beneficium de jurepatronatus activo, vel passivo, sive utroque simul, quod jam vacat, atque sibi debitum est, quatenus esset in statu capaci; quoniam ista videtur species arctationis, atque denegatio importaret grave præjudicium, quoties qualitas personæ, ac tenuitas beneficii, seu aliæ circumstantiæ diversimode non suaderent.

Admissis igitur præmissis; Dicebam punctum non consistere in veritate dictæ distinctionis in abstracto, sed in cessatione ejus applicationis ad casum, seu cessatione præsuppositæ arctationis deductæ ex possessione beneficii, quæ potius intrusiva dicenda erat, ac de facto in vim cujusdam sententiæ A. C. in gradu appellationis a denegatione executionis litterarum Apostolicarum, quæ sententia in nulla consideratione habenda erat; Tum quia prolata sine defensore in contumaciam, atque ut in Curia dicitur *per contradictas*; Tum etiam ex defectu jurisdictionis, quam 8
A. C. non habet in beneficialibus; Gregor. & Add. *dec.* 118. Coccin. *dec.* 169. *n.* 1. Cavaler. *dec.* 32. & 124. *dec.* 99. *n.* 20. *part.* 10. *rec. Civitatis plebis Cappellaniæ* 9. *Decembris* 1665. *coram Carpinto*, & *sæpius sub tit. de judiciis*.

Et clarius ratione injustitiæ, quam assistere dicebam gestis

stis per Episcopum super dicta denegata excutione, unde de consequenti resultabat injustitia gestorum per judicem appellationis, quoniam cum provisus adeo publice diffamatus esset de homicidio voluntario, pro quo substinuerat torturam, quæ saltem de facto infert aliquam notam, atque adhuc forsitan fama vigeret, confirmata etiam ab aliquibus ipsius provisi confessionibus extrajudicialibus, quod vere & realiter homicidium commisisset, ac de consequenti esset irregularis, reportata solum sententia absolutoria ex defectu probationum ob istarum evacuationem
9 a tortura; Hinc proinde dicebam, de plano intrare firmata *in Calaguritana, disc. præced.* ac in decisionibus in ea causa jam editis, quas in ista disputatione deducebam.

Et quamvis per scribentes in contrarium replicaretur de eadem distinctione, de qua *disc. præced.* inter jus quæsitum & quærendum, ut hoc secundo casu sufficiat dis-
10 famatio, in primo autem requiratur vera & perfecta probatio, cum tunc agatur de formali pœna privationis juris quæsiti, quodque versaremur in hac secunda parte, dum non agebatur de simplici præsentato, sive se opponente in vim statuti Ecclesiæ approbati in concursu, juxta casus de quibus agunt decisiones ac auctoritates *d. præced. disc.* deductæ, sed de collatione Apostolica jam perfecta cum expeditione litterarum.

Dicebam tamen, etiam cum sensu veritatis, (qualem Congregatio agnovit ac probavit,) in hoc proposito recte intrare frequentem Beneficialistarum conclusionem pluries in præcedentibus deductam ac declaratam, quod gratia in forma *Dignum*, qualis erat præsens, non importat provisionem, sed solum mandatum de providendo sub certa conditione, qua non purificata, evanescit ac habetur pro non provisione; Sicuti e converso, data purificatione, vel ejus certa potentia postmodum certificata, quamvis ex accidenti impedito actu, retrotrahitur ac dicitur ab initio valida & perfecta, ex pluries supra deductis; Et consequenter dum ita concurrebat dictum justum motivum exequendi hoc mandatum de providendo, ita ille qui obtinuit, agere dicitur potius de jure quærendo, atque intrant omnia quæ in non habente jus formale in re, sed solum ad rem habentur, eodem *disc. præced.* quoniam Papa non providet, sed Ordinario mandatur, ut provideat, quatenus idoneum ac dignum repererit, ideoque istud est justum motivum non admittendi ad provisionem, quia dignus non est.

TROJANA CANONICATUS,

PRO ALEXANDRO CALVANESIO,

CUM BLASIO DE URSO.

Casus decisus per Rotam ut infra.

De invaliditate provisionis Apostolicæ ob falsam narrativam valoris, quando intret necne; Et de ejusdem narrativæ excusationibus. Et de processu executivo, vel ordinario super impetratione certo modo facta ex dicta causa non veri valoris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De distinctione inter attentata dolosa, & non dolosa, & de effectibus.*
4 *Gesta post appellationem, vel infra tempus ad appellandum dicuntur attentata in causa appellabili, non autem in executiva.*
5 *Quando litteræ Apostolicæ super provisione beneficii sint executivæ, & quando non.*
6 *De clausulis, quæ faciunt executorem mixtum.*
7 *In impetratione certo modo de beneficio viventis executor est mixtus, & proceditur in judicio ordinario.*
8 *De conclusione, quod ubi attentata pendent a negotio principali, de isto prius est agendum.*
9 *De nullitate gratiæ ob malam expressionem valoris.*
10 *De stylo Datariæ substinetur in sexta parte.*
11 *Quid accedente clausula* cum facultate agendi.
12 *Quod ista suffragetur inter tertiam partem.*
13 *Quæ excusent malam expressionem valoris.*
14 *De mutatione status beneficii, & an id causet excusationem.*

D I S C. LXXII.

Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ *Foggiæ*, ab anno circiter ex Apostolica provisione possessum per Blasium, Alexander impetravit tamquam vacantem, ex Regula *de valore*, ob istius falsam expressionem factam per non excessum 24. stante quod ascenderet ad 75. directisque litteris Apostolicis Ordinario, hic prævia justificatione valoris in dicta majori summa, protulit sententiam pro dictæ impetrationis executione, infra decem dies effectuata; Quare introducta causa per appellationem in Nota coram Emerix, datoque dubio, An constaret de attentatis, *sub die 1. Julii 1667.* affirmativa prodiit resolutio, ad cujus normam expedito sequestro, seu mandato de manutenendo, in hoc statu causa pendet. 1

Quamvis autem attentata, mihi scribenti pro Alexandro, viderentur clara & inexcusabilia, ut ab initio libere juxta stylum pro eo agentibus insinuavi; Quia tamen, ubi non agitur de attentatis facti vere dolosis, qualia reputantur illa quæ committuntur in spretum positivum inhibitionis, in quibus rigorose proceditur, ac non de facili attenduntur excusationes, neque suspenduntur ob justitiam negotii principalis, sed agitur de attentatis juris, qualia sunt hæc circa excusationem factam in causis appellabilibus intra tempus datum ad appellandum, & quæ non dicuntur dolosa, cum frequentius provenire soleant ab ignorantia, tam Judicum, quam partium, eorumque defensorum, qui scientes regulam generalem viæ executivæ competentis litteris Apostolicis, ac etiam freti clausulæ *appellatione postposita*, in ipsismet litteris impetrationis contenta, non de facili callent has distinctiones inter executorem merum, ac executorem mixtum, seu materiam legitimi contradictoris etiam in ipsa Curia involutam, ut *disc. seq. & in aliis*, ideoque attentata utpote sine dolo reputari solent excusabilia, atque quandoque super hujusmodi dubiis rescribi *quod videatur de bono jure*; Ut de dicta differentia inter attentata facti & juris ad dictos, ac similes effectus habetur apud Gregor. *decis. 465. n. 3.* Buratt. *dec. 17. n. 1. & 2. dec. 76. n. 6. & 7. part. 11. rec.* & frequenter in sua materia *sub tit. de judic.* 2 3

Hinc proinde, quamvis dubium datum esset super attentatis tantum; Attamen ego principaliter insistebam super meritis negotii principalis, ad dictum effectum, Ideoque duo fuerunt hujus disputationis puncti; Unus ordinis circa attentata; Alter vero justitiæ circa merita negotii principalis; In utroque tamen, etiam ante disputationem timebam, unde propterea resolutio fuit juxta votum, illaque mihi, quamvis in contrarium scribenti probabilis visa est, ex eo quod etiam ipsum bonum jus esset saltem turbidum, itaut non de facili intraret illa æquitas, quæ in casu bonis juris omnino clari, in hac materia dictam suspensionem suadere solet.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum attentatorum; Scribens more Advocati ad causæ opportunitatem, dicebam quod cum in litteris Apostolicis contineretur clausula *appellatione remota*, idcirco potuit executor, etiam intra tempus datum ad appellandum, quinimo etiam post appellationem expresse interpositam, ad executionem procedere citra vitium attentatorum, quoniam inhibitio legis, quæ intra dictum terminum adesse dicitur, procedit in causis ordinariis, ac de sui natura appellabilibus, non autem in executivis, ut ita declarando dispositionem text. *in cap. non solum de appellat. in 6.* firmant Lancellot. *de attent. part. 2. cap. 2. limit. 25. numer. 1. & seqq.* Rolan. *cons. 77. num. 20. lib. 2.* Surd. *decis. 160. n. 14.* & alii apud Buratt. & Adden. *decis. 63. n. 1. & 12.* & sæpius in dicta materia *sub tit. de judiciis*, cum nil in Rota & Curia frequentius videatur. 4

Verum reflectendo ad veritatem, motivum continebat fallaciam, cum processus exequutivus competens ex privilegio, seu natura litterarum Apostolicarum, vel ob dictam clausulam, *appellatione remota*, recte procedat in casu quo agatur de provisione Apostolica beneficii vacui, seu etiam pleni per intrusum, quia scilicet de beneficio reservato provisus fuerit per Ordinarium, seu alium inferiorem collatorem, quoniam tunc ob decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ, frequentius autem in octava, seu nona mensium, receptissima, & quotidiana propositio est, possessionem haberi pro vacua, ideoque non facere legitimum contradictorem; vel quia sit provisus Apostolicus, qui tamen se de facto intruserit, nulliter ac attentate in 5

vim

tum alicujus impetrationis certo modo, alias piscatoriæ, juxta casum insinuatum supra *in Melphien. Cantoria, disc.* 55. & alibi, cum tunc possessio etiam habeatur pro vacua, & non impediat processum exequutivum litterarum provisionis puræ tamquam de vacanti, *ut d. disc.* 55. & in aliis supra, & infra.

Secus autem ubi agitur de impetratione beneficii pleni, seu viventis; Vel ex causa objectiva privationis; Vel ex causa nullitatis ob falsam narrativam, cum si-
6 milibus; tunc enim exequutor dicitur sine dubio mixtus, nedum ob clausulas, *Conlita, amoto, & vocatis vocandis*, quæ faciunt exequutorem mixtum ex deductis, *dec.* 701. *par.* 2. *recent.* Burat. & Add. *dec.* 171, 185. 529. *&* 946. Greg. & Add. *dec.* 69. *& dec.* 91. & quotidie, sed fortius ex ipsa natura, seu qualitate impetrationis ex causa accidentali inducente privationem
7 juris per possessorem jam quæsiti, quæ causa justificanda est in forma judicii parte audita, & consequenter exequutor dici non potest merus, sed pernecesse est mixtus, cum desuper judicare debeat, atque in hoc judicio circa ea quæ facti sunt, se decipere & gravare possit, unde de consequenti intrat appellatio, non quidem a gratia Papæ ipsisque litteris, sed a judicio, seu mala decalaratione ipsius exequutoris; Ideoque receptam habemus conclusionem, quod in hujusmodi impetrationibus certo modo, semper exequutor dicitur mixtus, atque procedendum est ordinarie, Seraph. *decis.* 1471. *n.* 2. *& seqq.* Buratt. *dec.* 529 *n.* 6. *dec.* 701. *part.* 2. *rec. dec.* 314. *part.* 10. *rec. n.* 8. & frequenter, ut magis distincte *disc. seq.*

Deducebam quoque more Advocati aliam conclusionem, quod quando attentata pendent a negotio principali, tunc de illo prius est videndum; atque punctus attentatorum suspenditur, ut *decis.* 574. *part.* 3. *divers. lib* 3.
8 Lancellot. *de attentatis, part.* 3. *cap.* 24. *q.* 19. atque pluries practicavi; Verum adhuc fallacia erat in applicatione; quoniam id recte procedit, quando attentata non resultant clare ex juris dispositione ob ipsum actum ita gestum, sed pendentes ab ipso negotio principali, a quo pendeat comprehensio juxta casum, de quo præsertim *in Toletana de Veles*, sub *tit. de Regularibus*, in qua id disputatum fuit, atque ita fuit practicatum. Hæc autem in præsenti non cadebat, quoniam quomodocumque negotium principale se haberet, posita qualitate exequutoris mixti procedere debentis in judicio ordinario, semper gesta post interpositam appellationem, vel durante termino ad appelandum sunt inexcusabiliter attentata.

Quo vero ad merita negotii principalis, non dubitatur quod invalida sit gratia ob falsam narrativam valoris, stante expressa ac litterali dispositione *Regulæ* 55. *de valore*, cum qua sine contradicente omnes procedunt; Solumque in ista materia cadunt quæstiones,
9 vel in facto super ipsius valoris probatione, quæ ad hunc effectum, & quando agitur per viam objecti pro nullitate provisionis, est rigorosa, & difficilis, juxta ea quæ generaliter ad hanc materiam valoris habentur *infra disc.* 90. Vel posita etiam probatione, sunt circa legitimam hujusmodi falsæ narrativæ excusationem.

Certa enim videbatur in hac facti specie probatio quod fructus hujusmodi Canonicatuum excederent ducatos 70. ac propterea, cum narrativa valoris facta esset per non excessum 24. hinc ubi justa excusationis causa non accederet, nullitas remanebat inevitabilis, cum excessus esset magnus, ideoque substineri non poterat ex stylo
10 Datariæ excusante hujusmodi narrativam in sexta parte, de quo stylo Cavaler. *dec.* 363 *num.* 3. Buratt. *dec.* 826. *n.* 4. & frequenter.

Quinimo etiamsi in supplicatione adsit clausula, quæ ad cautelam frequenter adjici solet, *cum facultate agendi*, adhuc tamen non suffragaretur; Tum quia dicta clausula
11 non se extendit ultra tertiam partem, Seraph. *dec.* 422. *n.* 2. *& dec.* 393. *n.* 4 Tum etiam quia talis facul-
12 tas suffragatur re integra ante expeditas litteras, per quas talis facultas consumitur, vel ubi secundæ expediuntur etiam re integra ante impetrationem & cum expressione erroris facti in primis litteris, Lotter. *lib.* 3. *quæst.* 50. *n.* 45. *&* 65. Puteus *dec.* 94. *lib.* 3. & alii deducti *dec.* 108. *n* 11. *&* 12. *par.* 10. *recent.*

Quare punctus restringebatur solum ad excusationem
13 resultantem a consuetudine, quod scilicet retrotractis temporibus semper hujus Ecclesiæ Canonicatuum provisiones sub dicta narrativa fieri consueverint, quod recte excusationem inducit, qualem etiam inducunt locationes, ac publica vox & fama, ex deductis *dec.* 185. *part.* 3. *diversf. lib.* 3. *repetit. dec.* 184. *eadem part.* 3. *lib.* 2. Add. ad Gregor. *dec.* 490. *in fin.* Lotter. *lib.* 3. *q.* 20. *n.* 101. *cum seqq.* ubi proinde advertit raros esse casus, in quibus hujusmodi piscatoriæ impetrationes effectum sortiantur.

Et quamvis revera ob immutatum rerum statum dicta retroacta observantia vere attendi non debeat eo quia juxta seriem, de qua *in Trojana sub tit. de Canonicis &*
Cap. disc. 8. rerum status immutatus fuit, attamen cum 14
ista fuerit recens innovatio, excusabilis videbatur actus, dum principales ad hæc reflectere non solent, sed procedunt in fide expeditorum, qui non conscii de hujusmodi innovatione, juste processerunt cum antiquo stylo.

Et licet ego dicerem, quod postquam ipse provisus obtinuit possessionem, atque per notabile temporis spatium plurium mensium recte scire potuit valorem esse longe majorem, præsertim quia tamquam civis sciebat etiam dictam status immutationem, ideoque potuit ac debuit corrigere errorem: Attamen videbatur nimius rigor, non de facili admittendus in hac materia, in qua principaliter spectatur dolus & malitia, ac etiam quia cum adhuc lapsus non esset integer annus, non potuit possessor bene certificari de valore, ac de oneribus & contingentiis illum minuentibus; Quinimo neque anni lapsus sufficit, cum in hac materia, quoties agitur ad effectum objectivum, plurium annorum decursus desideretur, ex quo valoris certificatio resultet, facta peræquatione anni fertilis cum sterili, ac omnium onerum & accidentalium diminutionum, ut latius *infra, disc.* 90. ideoque merito Lotter. ubi supra advertit raros esse casus, in quibus hujusmodi impetrationes effectum sortiantur.

ANNOT. AD DISC. LXXII.

DE materia valoris beneficii habetur plene actum infra *disc. general.* 90 ac etiam *sub tit. de Pens, disc.* 6. *& seq & in eod. tit. de Pens. disc.* 91. *&* 93. *& sub tit. de Jurepatron. disc.* 10.

Decisio coram Emerix *est impress. dec.* 118. *part.* 15. *rec.*

MONTISALTI PAROCHIALIS,

PRO BLASIO BLANCHETTO,

CUM FRANCISCO GENNARIO.

Casus decisus per Rotam pro Francisco, postea concordatus.

De privatione Beneficii per sententiam contumacialem ob homicidium; An & quando intret necne, ita ut subsistat impetratio, quamvis deinde condemmnatus restitutus fuerit.

Et incidenter de materia legitimi contradictoris, & an & quando ordinarie sit procedendum; vel executive in executione provisionis beneficii, ac litterarum Apostolicarum, distinguendo multos casus, istamque materiam generaliter examinando,

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *An beneficium vacet per homicidium, distinguitur, an exprimatur in sententia, necne.*
4 *Littera Cardinalis Nepotis, vel Sacræ Consultæ dicuntur litteræ Papæ.*
5 *Rota non se ingerit in revocatione sententia criminalis, sed pertinet ad suos judices.*
6 *Clausula,* sine præjudicio, *contenta in restitutione in integrum non tollit jus tertii.*
7 *Post annum contumaciæ restitutus non recuperat bona, nec beneficia.*
8 *Judex laicus est incompetens in causis Ecclesiasticorum, & beneficiorum.*
9 *Delegatus debet in prima citatione inserere tenorem delegationis.*
10 *Fallit præsente delegante.*
11 *Contumacia est delictum spretus judicis.*
12 *Clericus non tenetur, imo non debet comparere coram judice laico eum citante.*
13 *Data etiam potestate subdelegandi intelligitur in persona habili.*
14 *Episcopus non potest deputare laicum in Vicarium, vel causas Ecclesiasticas delegare laico.*

15 *Ad*

15 *Ad veram contumaciam præsertim in beneficialibus requiritur citatio personalis.*
16 *Quid stantibus decretis Sacræ Consultæ, seu Constitutione nuncupata* Barbarina.
17 *Declarantur conclusiones, de quibus nu. 6. & 7. ubi adest contumacia.*
18 *De motivo prudentiali scandali, ob quod prodiit resalutio.*
19 *Quod in magnis Tribunalibus prodeunt resalutiones ex motivis ignotis.*
20 *Decisiones tamen licet justæ pro aliis causis non semper sunt tutæ.*
21 *Litteræ Apostolicæ habent paratam executionem.*
22 *Secus inter duos provisos Apostolicos, vel eodem titula venientes, quia proceditur ordinarie, ac unus est alteri legitimus contradictor.*
23 *Qualis dicatur executor merus, & qualis mixtus, & quomodo unus, vel alter procedas.*
24 *De clausulis facientibus executorem mixtum, sed quando id procedat, & n. 42.*
25 *Stant simul aliquem esse contradictorem ad effectum, ut debeat citari, audiri, & tamen non esse contradictorem legitimum, qui facias cessare processum executivum.*
26 *An intrusus sit citandus cum sit contradictor.*
27 *Provisio*, in forma dignum, *an faciat legitimum contradictorem.*
28 *Quando provisus ab Ordinario sit legitimus contradictor proviso Apostolico in vim reservationis.*
29 *An possidens in vim unionis dicatur legitimus contradictor.*
30 *Exceptiones consistentes in sola puncto juris dicuntur incontinenti probatæ, & non sunt altioris indaginis.*
31 *Fallis in exceptione juris dubii, quæ assimilatur exceptioni facti.*
32 *Decretum irritans tunc inficit possessionem, quando certum est illud intrare.*
33 *In impetrationibus certo modo semper executor est mixtus ac proceditur ordinarie.*
34 *Quod impetrator certo modo etiamsi possideat non sit contradictor proviso pure.*
35 *Talis impetrator non potest apprehendere possessionem de facto.*
36 *Possessor in vim præsentationis est contradictor proviso Apostolico tamquam de libero.*
37 *Declaratur quomodo id procedat.*
38 *Quod ubi contentio est inter provisum de libero, & præsentata, nulla existente in possessione, & de materia ultimi status remissive.*
39 *Habens subrogationem gratiosam dicitur continuare possessionem prædecessoris.*
40 *Inter duos præsentatos proceditur ordinarie, ac unus est alteri legitimus contradictor.*
41 *Hinc resultant frequentia attentata.*
42 *De conclusione, de qua supra, n. 24.*
43 *De differentia in hac materia inter beneficia libera, & illa de jurepatronatus.*
44 *Derogatio pro mediante non suffragatur si non verificatur haberi medietatem vocum.*
45 *Sufficit obtinere voces etiam post gratiam.*
46 *De ratione ob quam in beneficia de jurepatronatus executor est mixtus.*
47 *An resignans sit resignanti legitimus contradictor; vel e contra.*
48 *Regressus juxta formam antiquam exigit tres conformes.*
49 *De concursu duorum æque habentium provisionem Apostolicam, an & quando unus sit alii legitimus contradictor.*
50 *Quod unus non sit contradictor, si ejus titulus est infectus, & de ratione.*
51 *Declaratur quomodo dicta limitatio debeat intelligi.*
52 *Sententia absolutoria vulnerat viam executivam.*
53 *Lata super litteris gratiæ principalis non vulnerat alias litteras subrogationis, & n. 57.*
54 *Litteræ subrogationis sunt diversæ a litteris gratiæ principalis etiamsi in vim clausularum supplicationis.*
55 *Quod in eadem supplicatione non possint contineri plures gratiæ.*
56 *Declaratur quomodo id procedat.*
57 *De conclusione, de qua nu. 53. & ad quid expediat habere subrogationem gratiosam.*
58 *Pro subrogatione gratiosa quid sit justificandum.*
59 *De conclusione quid requiratur, & qualis titulus subrogationis, itaut eam non habens non sit contradictor illam habenti.*
60 *Laudatur ut recedatur a rigore juris in hac materia.*

Card. de Luca, Lib. XII.

D I S C. LXXIII.

PAtrato homicidio in Oppido Montis Monaci, cum 1
supponeretur id sequutum esse de mandato Blasii possessoris controversiæ parochialis de Cosalicchin, Gubernator certiorem de hoc reddens Sacram Consultam, reportavit per litteras juxta stylum, etiam de oraculo Papæ, facultatem procedendi ad condemnationem in contumaciam dicti Januarii ad triremes in perpetuum ac privationem beneficii; Quare locumtenens laicus dicti Gubernatoris qui erat Prælatus, transmisso monitorio domi exequuto, processit ad dictam sententiam contumacialem triremium & privationis beneficiorum, denique Franciscus prævio concursu coram Ordinario idoneus renunciatus ob narrativam vacationis dictæ parochialis per sententiam definitivam ser. ser. latam, ac in judicatum transactam per judicem competentem, illam impetravit a Sede Apostolica in forma gratiosa, ac possessionem adeptus est, in qua per biennium circiter dicto banno durante continuavit; Obtinente autem Blasio commissionem restitutionis in integrum, seu admissionis ad novas defensiones coram Gubernatore Urbis, atque constitutus in carceribus, habilitatus fuit cum cautione de se repræsentando; Quare sublato impedimento ad patriam reversus, dictæ parochialis antiquam possessionem reassumpsit, atque in ea per biennium circiter continuavit, non contradicente dicto Francisco, qui deinde judicium instituit coram Prælato judice commissario, a quo sententiam super reintegratione reportavit. Verum habita notitia commissionis hujus causæ in Rota ad instantiam Blasii, ex remedio, quod in Curia dicitur *ja-* 2
ctationum coram Albergato, ibi reassumpta disputatione super dubio; An dicto Francisco danda esset reintegratio, nulla capta resolutione, dictum fuit quod videretur de bono jure, etiam ad effectum reintegrationis, eoque proposito sub die 7. Maji 1668. prodiit resolutio, constare de bono jure Francisci habentis provisionem Apostolicam executioni demandatam, deindeque deventum fuit ad concordiam, per quam parochialis remansit Francisco, reservata quadam pensione ad favorem Blasii, atque ita causa finem habuit.

In disputationibus autem habitis, tam in prima instantia coram Prælato, quam in Rota, duo fuerunt puncta; Primo scilicet, de quo actum fuit solum coram Prælato, in materia legitimi contradictoris, ac super modo, cum quo hujus impetrationis litteræ exequi debebant, ad effectum videndi, an impetrantis possessio esset necne notorie infecta, ut ego scribens pro Blasio antiquo possessore dicebam; Et secundo, de quo solum actum fuit in Rota, super bono jure, an scilicet dicta vacatio ac successive impetratio subsisteret.

Quatenus autem pertinet ad hunc secundum punctum, decisio super edita procedit cum præsupposito dictæ sententiæ contumacialis expresse continentis privationem beneficiorum, qua posita dicitur intrare vacationem; In hac enim materia, an beneficium vacet per homicidium, distinctio est, quod, aut non exprimitur in sententia, & 3
non vacat, secus autem e contra *ad text. in c. cum secundum, de hæreticis in 6. cum concordan per* Garz. *p.* 11. *c.* 3. *n.*98. Lotrer. *lib.*3. *q.* 33. *n.*48. ita distinguendo habetur *in Perusina pensionis* 29. *Januarii* 1663. coram Cerro, ubi firmando regulam, quod per homicidium, quoties non habet qualitatem assassinii, vel aliam ob quam in jure ista pœna expresse statuta non sit, illa non intrat, secus e contra, quoniam tunc amissio Beneficii non resultat a delicto, sed a sententia, & habetur *sub tit. de pension. disc.* 49.

Cumque ego scribens pro Blasio, ultra alios dictæ sententiæ defectus, deducerem nullitatem resultantem ex defectu jurisdictionis, cum sententia lata esset a judice laico, duæ dantur in decisione responsiones, cum quibus proceditur; Primo, quod judex processisset ex delegatione Sacr. Consultæ, cum oraculo Papæ, cujus Tribunalis litteræ vim habent litterarum ipsius Pontificis, Cæsar. de Grass. *lib.* 1. *de præbendis*, ubi de litteris Cardinalis ne- 4
potis superintendentis; Et de litteris Sacr. Consultæ apud Gratian. *discept.* 839. *n.* 20.

Et secundo, quod Rota se non ingerit in revocatione, seu revisione sententiæ criminalis, sed illa petenda est 5
coram suo Judice, eaque obtenta, agendum est in Rota pro recuperatione beneficii juxta firmata per Spad. *cons.* 70. *per tot.* præsertim *n.* 5. *l.* 3. Rota coram Seraph. *dec.* 965. & apud Farin. *qu.* 11. *n.* 42. *in fin. dec.* 8 *n.*13. & 23. *p.* 11. *rec. in Seguntina, seu Conchen. beneficiorum* 22. *Maji* 1657. coram Priolo,

Omnemque difficultatem in eadem decisione dicitur
cessare ex eo quod in dicta commissione restitutionis
in integrum per contumacem obtenta, contineretur clau-
6 sula *sine præjudicio confiscationis*, per quam præserva-
tur etiam collatio beneficiorum alteri facta, Lotter.
l. 3. *q.* 18. *n.* 163. Seraph. *dec.* 364. *n.* 16. *&* 18. *&* *ind.* *Se-*
guntina, seu Conchen. coram Priolo, quod etiam gene-
raliter advertitur *sub tit. de Regal. disc.* 160. ubi de ma-
teria confiscationis. Potissime ubi restitutio obtinea-
tur post annum, quando in Statu Ecclesiastico ob
Constitutiones Apostolicas, restitutus non recuperat
bona, vel beneficia quamvis innocens detegeretur,
juxta *decision. in Romana beneficiatus S. Petri coram*
Ordinario impress. *dec.* 3. *post primum volum. cons.* Fa-
rin. ac habetur *dec.* 8. *n.* 10. *&* *dec.* 177. *a n.* 7. *ad* 13. *p.*
7 11. *rec.* & admittitur *in dicta Perusina pensionis* coram
Cerro, de cujus casu habetur actum *sub tit. de pen-*
sion. d. disc. 49. Multo magis dum non obstantibus novis
probationibus, ac defensionibus, neque sequuta fuit
absolutoria, sed solum simplex relaxatio cum cautione.

Resolutio mihi reflectenti etiam ad veritatem, pa-
rum tuta visa est, ideoque credebam quod in revisio-
ne probabiliter debuisset sperari recessus ob dictam
inevitabilem nullitatem resultantem a defectu jurisdi-
8 ctionis, qui omni modus concurrit in judice laico
contra clericum, præsertim in sacris; Et quod ma-
gis in materia spirituali privationis beneficiorum, ideo-
que duplex concurrebat omnimoda incompetentia, pri-
mo scilicet ratione personæ, & secundo ratione rei,
non obstante dicta delegatione S. Consultæ ex oraculo
Papæ, in quo non negatur potestas committendi ju-
dici laico cognitionem causæ, vel personæ, aut rei
ecclesiasticæ, quoniam adhuc duo concurrebant clari ac
inevitabiles defectus, quos decisio sub silentio involvit.

Primo nempe ob non servatam formam, quam ju-
dex delegatus in prima citatione servare tenetur; Et
secundo, quia litteræ continentes delegationem erant
directæ Gubernatori clerico ac Prælato, qui proinde
subdelegare non potuit casum laico.

Quo enim ad primum, etiam in casu quo in judice
delegato adsit competentia habitualis, sed solum defi-
ciat actualis, adhuc receptum est, quod ad effectum, ut
citatus per judicem delegatum alias incompetentem repu-
tari possit contumax, requiritur, ut in prima citatione
inseratur tenor delegationis, ut ita citatus agnoscat com-
petentem illum judicem, quem alias recte scit esse incom-
petentem, ideoque spernere potest, Achill. *dec.* 10. *de do-*
9 *lo & contumacia*, Greg. & Adden. *dec.* 127. *n.* 1. *&* 9.
Rota *dec.* 353. *n.* 4. *part.* 10 *rec* apud Cels. *dec.* 76. *n.* 4.
& admittunt etiam communiter DD. id limitantes quan-
do ageretur de delegato procedente in loco, in quo sit
10 præsens Princeps, vel alter delegans, quo casu sufficit
se asserere talem, Grammat. *cons. civil.* 24. *&* *cons. cri-*
minal. 54. *n.* 17. *&* *dec.* 36. *n.* 26. *&* *seq.* Ludovic. *decis.*
Perusin. 106. *n.* 2 *&* *seqq.*

Atque ultra dictas auctoritates, id convincit viva ra-
tio, quoniam non est aliud contumacia, nisi delictum
quod committitur spretus ac inobedientiæ proprii judi-
11 cis citantis, Ægid. *dec.* 579. *circa med.* Buratt. *dec.* 825.
n. 3. Seraph. *dec.* 957. *n.* 8. Martin. Andr. *dec.* 87. *n.* 10.
cum aliis, de quibus supra. Igitur ad effectum, ut
quis reputari posse contumax, scire debet, quod il-
le judex qui eum citat, sit ejus competens, cum a-
lias eum spernere valeat; Potissime vero ac extra prin-
cipium dubitandi, quando non agitur de simplici in-
competentia actuali, itaut adsit competentia habitua-
lis, sed agitur de omnimoda etiam habituali. Unde
propterea clericus citatus per laicum, licet eum
spernere potest, quinimmo debet, atque male
12 ageret si compareret, cum neque volens possit se sub-
mittere foro laicali, ad vulgar. text. *in cap. cum con-*
tingat, de foro competenti, ideoque magis certificari
debebat de delegatione non de facili cogitabili, cum
non dubitetur Papam posse delegare laico causas contra
personas ecclesiasticas, ac in rebus ecclesiasticis, seu spi-
ritualibus, sed non soleat, nisi ex magna causa, ma-
xime utraque circumstantia simul concurrente.

Et quoad alterum defectum, ille pariter erat substan-
tialis, quoniam cum delegatio directa esset ipsi Guber-
natori, habitualiter capaci, dum clericus ac Prælatus
ipse non poterat causam subdelegare ejus Locumtenenti
puro laico, quamvis etiam admitteretur usu receptum
esse, ut Gubernatores Status Ecclesiastici possint dele-
gare eorum Locumtenentibus etiam causas, quæ ex
speciali commissione delegationis Sac. Consultæ, vel
alterius Superioris sibi committi solent, quoniam id in-
telligendum venit terminis habilibus, ac dummodo sub-
delegatio fiat personæ habili & capaci, cum solus Pa- 13
pa possit facere laicum capacem hujusmodi causarum,
quod tamen ut dictum est, non solet, nisi raro & ex
magna causa, unde quando Papa approbando sensum
Consultæ, oraculum præstitit super dicta delegatione
Gubernatoris, ut procederet etiam contra clericum,
ac ad privationem beneficiorum, non credidit præteri-
re debitum ordinem, neque facere hujusmodi insoli-
tam ac exorbitantem delegationem in personam laici,
dum recte sciebar, ipsum Gubernatorem tamquam cle-
ricum, ac Prælatum esse capacem; Ad quod a simili
deducebam ea, quæ habemus in Episcopo ex mente
sacrorum Canonum, ac recepto usu habente facultatem
cognoscendi per ejus Vicarium, vel etiam per dele-
gatum particularem, quoniam intelligitur de persona
capaci, ideoque deputare non potest laicum, nisi solum
in assessorem, ex deductis per Barbos. *de Episcopo, alle-*
gat. 50. *n.* 4. *cum seqq.* & Pellegr. *de Vicario in principio* 14
de monitione generali ad Episcopum, *n.* 4.

His nullitatibus accedebat altera etiam substantialis
ex defectu citationis personalis, quæ saltem unica om-
nino necessaria est ad reddendum aliquem contumacem,
verum, cum alia contumacia resultans ex citatione fa- 15
cta domi, seu per edictum dicatur ficta, *Clement. unic.*
de dolo, & contumacia, ubi Scribentes, Seraph. *dec.* 972.
n. 4. *&* 12. Buratt. *dec.* 17. *n.* 3. *dec.* 8. *n.* 12. *par.* 11. *rec.*
dec. 314. *n.* 11. *&* *par.* 10. *&* *sæpius*. Vestr. *in praxi*,
l. 7. *c.* 3. *n.* 22. ubi Add. *n.* 53.

Et quamvis in decisione respondeatur quod per formam
præscriptam a decretis generalibus Consultæ, alias Con-
stitutione nuncupata Barbarina, de qua apud Zuff. *de le-* 16
gitim. process. fol. 358. *&* *seqq.* procedi possit etiam domi;
Attamen ista sunt decreta generalia Sac. Consultæ Tri-
bunalis laicalis, unde propterea nimiam exorbitantiam
esse dicebam eam trahere ad istum casum dupliciter spe-
cialem, quia in persona ecclesiastica, & quia in ma-
teria beneficiali, in qua specialiter statutum habemus
requiri citationem personalem ut supra.

Hinc de consequenti corruebant omnia fundamen-
ta decisionis procedentia cum præsupposito contuma-
ciæ, qua posita intrat consideratio super lapsu anni 17
post illam contractam, ac super restitutione in inte-
grum cum clausula præservativa, cum ita cessaret
præsuppositum in radice, unde propterea hæc reso-
lutio, neglectis dictis fundamentis jam deductis, ali-
quam mihi inferebat admirationem, deinde tamen
cessatam ex superventa notitia prudentis, ac lauda-
bilis considerationis præsuppositæ notoriæ diffamatio-
nis dicti Blasii de dicto homicidio, ac successive de ir-
regularitate in parvo loco, ut ita illum inducendo
ad concordiam, per quam sibi in parte consultum 18
remanebat cum pensione, tolleretur occasio scanda-
li in hac beneficiali materia satis considerabilis, et-
iam ob solam diffamationem sine concludenti proba-
tione, ex deductis supra in Calagurritana, & in
Novarien. *discurs.* 70. *&* 71. Unde frequenter con-
tingit, quod in magis præsertim Tribunalibus,
ut advertit Rovit. *decis.* 49. *numer.* 13. contingunt
resolutiones ex motivis, quæ neque ab ipsis partibus 19
obtinentibus, earumque Advocatis, ac defensoribus
cogitata sunt, ideoque idem Rovit. advertit, & bene,
non semper esse rationabiles decisionum censuras, adhuc
tamen debere aliqualiter saltem subobscure insinuari; Se-
cluso enim hoc prudenti, & commendabili motivo mi-
hi videbatur, quod resolutio in puncto juris absque
dubio sustineri non posset.

Hinc proinde edocemur, ut frequens est mea consue-
tudo dicendi, caute procedendum esse deferendi in judi- 20
cando vel consulendo cum solita cæca fide decisionibus,
tam istius quam aliorum tribunalium, non indagando
omnes circumstantias illius casus, in quo prodierunt,
cum ex illis juste, ac fundate prodire potuerint, ma-
le tamen aliis casibus applicentur.

Quovero ad alterum punctum ordinis, seu legitimi con-
tradictoris disputatum coram Prælato; Cum per scriben-
tes in contrarium plura desuper involverentur, ipseque
studiosus judex desiderasset, hujus causæ occasione, hanc
materiam legitimi contradictoris, quo magis fieri posset,
distingui, ac declarari, ut dignosceretur quando in causis
beneficialibus intraret judicium exequutivum, vel respecti-
ve ordinarium, cum ob tot decisiones primo aspectu invi-
cem pugnantes materia videatur involuta, Hinc proinde,
partim ad causæ opportunitatem, ac partim ad satisfacien-
dam

dum desiderantibus, istam materiam compendiose reassumendo.

Dicebam in dicta materia duplicem haberi certam juris theoricam, seu regulam generalem; Primo scilicet, quod litteræ Apostolicæ super alicujus provisionis
21 beneficii assequutione, sunt exequutivæ, atque in judicio summario, & executivo debent executioni demandari, ad text. in *cap. si Capitulum*, ubi glos. *verbo exequantur, de concess. præbenda in sexto*, Greg. *dec.* 590. *n.* 1. *cum concord.* per Rotam *dec.* 31. *n.* 1. *part.* 10. *rec.* & passim, cum sit propositio frequens, & quotidiana; Et secundo in dictæ regulæ limitationem, ut secus dicendum sit quando contentio sit cum altero, qui sive agendo, sive excipiendo veniat ex pari titulo provisionis Apostolicæ, vel tali, qui cum de jure faciat legitimum contradictorem, quoniam tunc cessat pro-
22 cessus exequutivus, atque procedendum est in judicio ordinario, ac appellabili, terminando per tres conformes, juxta, regulam desumptam ex traditione Bart. *in l. fin. C. de edict. Div. Adrian tollent. n.* 21. ut apud Cocc. *dec.* 347. Greg. *dec.* 46. *nu.* 6. Buratt. *dec.* 212. *&* 842. cum aliis per Argel. *de legit. contradictore*, *q.* 15. *art.* 1. *n.* 2. *cum seqq.* & patet ex eisdem decisionibus, de quibus infra.
23 Atque hinc resultat distinctio inter duas exequutoris species; Unum scilicet executoris meri, qualis dicitur in eo casu, in quo non existente legitimo contradictore, summarie, ac executive procedi potest, etiam per extrajudiciales informationes ex deductis per Buratt. & Add. *dec.* 622. *&* 842. *dec.* 71. *part.* 6. *rec.* & passim; Et alteram exequutoris mixti, qualis dicitur in altero casu legitimi contradictoris, in quo procedendum sit in judicio ordinario appellabili in figura judicii, & cum formali processu, cum hic exequutor formales partes judicis assumere debeat, ex proxime allegatis, Otthob. *dec.* 58. & alias quotidie, cum sint principia notoria.

Constituta igitur ista theorica generali, certa & absoluta; Quæstio solum cadit super applicatione ad factum, an scilicet in una, vel altera ejus parte versari dicamur. Ad quod dignoscendum, seu distinguendum, solent aliqui ex nostris recurrere ad clausulas contentas in litteris Apostolicis provisionis, quasi quod continendo aliquas clausulas, executor sit mixtus, illis au-
24 tem non extantibus sit merus, ut respective, ac juxta provisionum diversam qualitatem sunt clausulæ, amoto contradictore, constito, vocatis vocandis, & similes; Verum error est ita simpliciter, ac indeterminate hujusmodi operationem dictis clausulis tribuere, quoniam operativæ sunt juxta subjectam materiam, ac provisionis qualitatem, quatenus scilicet adsit talis oppositor, vel interesse habens, qui legitimus contradictor dici valeat, & non alias, ut per Garz. *par.* 6. *c.* 2. *n.* 106. *& seqq* Rot. *dec.* 333. *n.* 2. *& seq. p.* 4. *rec. tom.* 2. *in Vintimillien. Cappellaniæ* 30 *Maii* 1635. Motmanno, apud Royas *decis.* 346. *decis.* 34. *in fin. part.* 10. *recent.* Cavaler. *decis.* 278. *num.* 8. *& sæpissime*.

Plures enim dantur casus, in quibus beneficio ab alio pleno, seu alio oppositore, vel interessato existen-
25 te, oporteat eum vocare, vel respective amovere, aut eo citato verificare clausulam, dummodo, & tamen judicium remaneat executivum, absque eo quod vocandus, vel oppositor sive possideat, sive non, dici mereatur legitimus contradictor, nisi ad effectum, ut debeat citari, ac audiri, ut apud allegatos, ac apud Otthob. *dec.* 122. *in fin.* & latius *dec.* 154. com aliis, de quibus infra.

His ita generaliter constitutis, ac descendendo ad specialia, ad tollendam eam involutionem, quæ ob tot decisionum diversitatem, primo aspectu repugnantiam præseferentium, in hac materia inducta videtur, plures casus distinguendi sunt; Quorum primus est, ubi agatur de provisione Apostolica pura, tamquam de beneficio vacante per obitum ex capite reservationis, vel affectionis, qua per Ordinarium, vel alium inferiorem collatorem negata, facta sit de eodem beneficio provisio in persona alterius, qui in possessione præveneris; Vel etiam data reservatione, aut affectione, facta sit per Indultarium; Dataria vero alterum providerit ratione duplicis reservationis, vel salis, quæ cessare faciat indultum; Et tunc quamvis provisus ob Ordinario, vel inferiori collatore possideat, non per hoc dicitur legitimus contradictor, nisi ad dictum effectum, ut debeat citari, atque non possit de fa-
26 cto non auditus expelli, cum etiam intrusus citari debeat, quoties non agatur de intrusione omnino notoria, ut ita distinguendo *dec.* 211. *p.* 2 *& dec.* 187. *p.* 3. *rec.* utrobique *n.* 1. *dec.* 47. *n* 49. *part.* 10. Lotter. *lib.* 2. *qu.* 2. *n.* 199. *& seqq.* late Frances de intruso, *qu* 87. Non per hoc tamen est legitimus contradictor ad effectum exequutionis litterarum, ex ea ratione, quod ob decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ, possessio habeatur pro vacua, atque provisio infecta, & nulla non facit legitimum contradictorem, multo magis si non possideat, quoniam ut patet ex allegatis, ac omnibus, absque principio dubitandi, possessio ob decretum irritans habetur pro vacua.

Et quamvis aliqui, terminos confundentes, distinxerint, an agatur de provisione in forma gratiosa, vel de 27
altera in forma dignum, quasi quod hoc secundo casu exequutor dicatur mixtus, & successive procedi debeat ordinarie; ut de provisione in forma dignum faciente executorem mixtum *dec.* 701. *n.* 2. *p.* 2. *rec.* Buratt. *dec.* 529. *n.* 4. *& dec* 746. *n.* 6. Add. ad eum *dec.* 171. *litt. A.* Attamen hic est pariter error fraternizans cum jam dicto clausularum: Procedit enim juxta subjectam materiam & quatenus adsit talis oppositor, qui legitimus contradictor dici mereatur, cum alias provisio in forma dignum percutiens solum habilitatem provisi, eo ipso quod ista detecta est, dicatur pura & perfecta ab initio adinstar gratiosæ, ut pluries in præcedentibus, ac patet ex eisdem mox allegatis percutientibus casum impetrationis certo modo & cum supposito legitimi contradictoris.

Procedunt hæc, ubi agatur de contentione inter duos ex eadem vacatione venientes, cum sola diversitate provisionis Apostolicæ, ac ordinariæ respective, affectio autem & reservatio sit clara, vel saltem habeat pro se 28
assistentiam regulæ; Secus autem ubi illa sit turbida, ac deducatur magis per viam limitationis, quam per viam Regulæ, unde sit talis turbiditas, quæ inducat necessitatem assumendi partes formales judicis, aliquid declarando, seu pronunciando super re ambigua, in qua decipi valeat, unde intrat ratio inductiva appellationis, juxta distinctionem inter reservationem claram & turbidam, de qua agatur inter duos ita diversimode provisos, traditam supra, *disc.* 5. cum aliis ibi proximis, quoniam data turbiditate reservationis, etiam provisus ab Ordinario est legitimus contradictor, Puteus *dec.* 120. *l.* 1. *dec.* 711. *p.* 1. *rec. dec.* 585. *p.* 5. *n.* 31. *& seq. & dec.* 225. *n.* 20. *& seq. p.* 7. quoties tamen exhibet titulum talem, quod si non possideret, posset prætendere immissionem.

Sive ubi possessor non venit ex eadem vacatione, sed illam neget, utpote consumptam, seu impeditam a præcedenti unione effectum sortita, cujus vigore possideat, juxta casum, de quo supra in Mediolanen. beneficiorum, *disc.* 47. Tunc enim deductis decisionibus in ea causa 29
editis, ubi constat incontinenti de nullitate unionis, adeout resultet operatio decreti irritantis contenti in Regulis Cancellariæ, vel in Concilio Tridentino, seu in Constitutione Pii Quarti ejus confirmatoria, talis possessor non dicitur legitimus contradictor; Secus autem ubi id sit probabilior dubium, adeout egeat formali judicis declaratione, & multo magis si hæc præcedere debet, canonizando, vel improbando probationes facti, juxta generalem regulam, quam in omnibus materiis executivis habemus, quando exceptiones dicantur altioris indaginis necne, ut ita distinguendo habetur in Caputaquen. beneficii 23. Martii 1609. coram Marcomontio, quæ reputatur in materia magistralis, com aliis apud Argelum *de legitimo contradictore*, *q.* 15. *art.* 5. *n.* 144. *& seq. & n.* 163. & non negatur in decisionibus editis in dicta Mediolan. in quibus tamen dicitur invaliditatem esse incontinenti probatam utpote consistentem in puncto juris; Atque hoc bene dicitur in abstracto, quoniam exceptiones quæ consistunt in solo puncto juris, utpote de facili ac incontinenti decidendæ cum sola apertura librorum, non dicuntur altioris indaginis, quales dicuntur illæ, quæ consistunt in facto, ut ita distinguendo Tap. *dec.* 1. *n.* 33. Capyc. Latr. *consult.* 77. *n.* 25. Gratian. *discept.* 740. *n.* 48.

Advertebam tamen in ea causa, fallaciam consistere videri in applicatione ad factum, quoniam ex ibi deductis, plures cadebant inspectiones facti super unionis causa ne- 30
necessaria, vel utile, ac etiam inspectione juris super interpretatione induli particularis concessi per Urbanum Octavum Archiepiscopo, qui unionem fecerat, ac alterius concessi per Gregorium Decimumtertium Sancto Carolo Archiepiscopo prædecessori, a quo primo indulto alteram interpretationem recipiebat, ac ponderando

punctum esse adeo dubium, quod deceperit eamdem Rotam diversimode respondentem, quandoque pro invaliditate unionis, ut dicto *disc.* 47. Et consequenter dicebam intrare proportionem, quod exceptio juris du-
31 dubii assimilatur exceptioni facti, ac recte dicitur altioris indaginis, Peregr. *de fideicommissis*, *art.* 46. *n.* 35. Capyc. Latr. *consult.* 78. *num.* 33. Rot. *dec.* 160. *num. fin. p.* 10. *rec.*

Hinc proinde certa, & determinata regula desuper
32 tradi non potest, cum ex præmissis, pateat totum pendere ex facti qualitate, quoniam virtus decreti irritantis reddendi possessionem vacuam locum habet, quando certum est illud intrare, secus autem ubi de hoc est quæstio, ut in specie *possidentis* ex causa unionis *dec.* 443. *n.* 39. *part.* 9. *rec.* & tamen etiam in casu dubio neque id est tutum, juxta casum, de quo infra in allegandis decisionibus in Gerunden. parochialis &c.

Alter est casus de directo oppositus, ubi scilicet litteræ Apostolicæ certum exequutorem deputantes, sint super provisione de beneficio pleno per impetrationem certo modo (quam piscatoriam vulgo dicimus) ex
33 causa criminosa, seu alias objectiva, puta ob privationem ex delicto resultantem, vel etiam sine crimine ob incapacitatem prius provisi, sive ob malam narrativam valoris, aut aliam subreptionem, sive ob non factam publicationem ad formam Constit. Greg. XIII. juxta casus, de quibus in præsenti, ac præcedenti discursu, ac in Melphit. Cantoriæ *disc.* 55. & in aliis, de quibus supra; Et tunc ex ibi deductis, absolutum est, exequutorem esse mixtum, ac procedere debere in judicio ordinario, nedum quando prior provisus possidet, sed etiamsi a piscatorio impetrante de facto in possessione præventus fuerit; Id enim non impedit pro-
34 cessum exequutivum litterarum primæ provisionis puræ, quam ipsa impetratio certo modo jam præsupponit, dum privatio supponit habitum, ut in dicta Melphiten. *disc.* 55.

Atque hinc in ista causa *Montis alti* dicebam, notorie infectam, ac intrusivam fuisse possessionem Francisci impetrantis beneficium venientis ex capite privationis, unde propterea Blasius primus possessor, cessato obstaculo, quod de facto eum reddebat exulem, ejus possessionem animo retentam reassumere & conti-
35 nuare potuerat, cum talis impetrator obligatus justificare litteras coram executore mixto in forma judicii ordinarii ac appellabilis, ita de facto, & absque citatione, quæ in his præcisis terminis debet esse personalis, se intruserit, juxta firmata in Callien. in Militen. & in Cusentina *dec.* 314. *p.* 10. *rec. dec.* 85. & 97. *post controv.* Contrii, & in aliis frequenter, & in dicta Melphiten. *disc.* 55. Et sic non solum concurrebat defectus citationis personalis in processu contumaciali super delicto non bene pro meo judicio suppleto cum decretis generalibus Sac. Consultæ explicari solitis sub nomine Constitutionis Barbarinæ, ut supra, cum iste videatur casus mixtus sub illis non comprehensus; Tum ratione personæ, Tum ratione privationis beneficii, cujus materia dicto Tribunali omnino incongrua est, unde videtur casus sine dubio non cogitatus; Sed etiam ob defectum alterius citationis, quæ in isto processu super exequutione hujusmodi impetrationis omnino requirebatur, illaque debebat esse personalis, ut præsertim advertitur *d. dec.* 314. *p.* 10. *rec.* cum aliis supra deductis.

Tertius casus est, quando agitur inter duos æque provisos a Sede Apostolica, vel etiam ab eodem inferiori collatore, sive unus ab uno, & alter ab altero, inter quos controversia sit ratione diversæ naturæ, seu qualitatis beneficii; quia nempe unus habeat illius provisionem tamquam de libero; Alter vero habeat tamquam de jurepatronatus ad præsentationem patronorum, quo casu frequenter dari etiam solet provisio Apostolica, vel quia patronis placet magis præsentationem facere in Dataria, quam coram Ordinario, ut pluries vidi practicari, vel quia oporteat obtinere derogationem medietatis vocum.

Et tunc; Aut provisus ad præsentationem est possessor cum possessione legitima, & non vitiosa, obtenta scilicet a manu executoris Apostolici, quatenus per hanc viam institutionem obtinuerit, vel ab Ordinario concedente institutionem, atque ita canonizante patronatum, & tali casu provisus Apostolicus tamquam de libero, quamvis etiam haberet subrogationem gratiosam in jus, ac possessionem defuncti, prætendere non
36 poterit processum exequutivum, sed talis possessor erit ei legitimus contradictor, cum punctus libertatis, seu modi vacationis egeat formali judicio, ac determinatione, ut in specie firmatur apud Buratt. *dec.* 842. ubi concordantes, cujus decisionis veritas non negatur in decisionibus, de quibus infra in sexto casu, in quibus illa sæpe enunciatur.

Si vero prætendens beneficium de jurepatronatus, atque ex ista causa provisus Apostolicus de facto possideat, mediante possessione adepta propria auctoritate, ac alias quam e manu executoris, & tunc habendus est pro non possessore ob evidentem talis possessionis infectionem, cum hujusmodi provisiones ultra justifi- 37
cationem aliorum narratorum, semper contineant clausulam, verificato prius jurepatronatus coram loci Ordinario, ut clare supponitur in eadem *decis.* 842. Buratt. Et consequenter dari non potest valida possessio propria auctoritate, ac alias, quam a manu executoris, prævia litterarum justificatione; Ideoque eo habito pro non possessore, sed solum pro oppositore non possidente, inspiciendus videtur ultimus status, qua- 38
tenus adsit non vitiosus ac effectuatus, adeout intrent ea quæ in materia ultimi status attendendi habemus, si enim iste assistit qualitati patronali, tunc non videtur, impetrantem beneficium tamquam liberum dicendum esse legitimum contradictorem habenti institutionem in vim præsentationis, quoniam esset ita de facto privare patronos eorum possessione in qua existunt.

Fortius autem in casu converso, quando ultimus status assisteret provisioni tamquam de libero, ut ita proviso non sit legitimus contradictor veniens jure præsentationis tamquam de jurepatronatus, cum ad hunc effectum stante præsumptione assistente libertati beneficiorum juxta eorum primævam naturam, cum enim servitus in dubio præsumenda non sit, hinc sufficit statum patronalem esse turbidum, ut in dubio pro executione litterarum Apostolicarum, seu brevis de capienda possessione nomine Cameræ, ad favorem provisi tamquam de libero responderi debeat absque eo, quod habens provisionem ad præsentationem dicatur legitimus contradictor, dummodo dictus ultimus status tamquam de libero dici valeat talis per actus univocos, non autem æquivocos, puta per provisiones Apostolicas in vim resignationis, vel permutationis, cum istæ non alterent statum patronalem, quatenus de illo antecedenti constet, juxta ea quæ super his magis distincte, ac mature habentur in sua materia *sub titulo de jurepatronatus*.

Et quamvis ex deductis eodem *tit. de jurepatr.* attendi non soleat ultimus status, quoties constat clare de statu contrario patronali, potissime ubi non agitur de expellendo jam provisum, ac possessorem in statu bonæ fidei, sed re integra sit concursus ad beneficium vacuum, ita distinguendo regulam deduci solitam ex vulgato *cap. consultationibus*; Attamen rari sunt hujusmodi casus, ut stante ultimo statu tamquam de libero, bonum juspatronorum sit adeo clarum, ut aptum sit reddere præsentatum legitimum contradictorem ad impediendum processum exequutivum litterarum Apostolicarum, ac fortius brevis de capienda possessione nomine Cameræ; Multoque magis si provisus Apostolicus tamquam de libero obtineat subroga- 39
tionem gratiosam ad jus, ac possessionem defuncti, cum tunc fingatur successor eadem persona prioris possessoris, ex deductis apud Otthobon. *d. dec.* 154. & passim, cum ea sola differentia, quod primo competere posset interdictum retinendæ, seu remedium manutentionis, quod denegatur subrogato, cui solum competit illud adipiscendæ, potius ex quodam stylo quam de jure, cujus dispositione attenta deberet etiam competere manutentio, cum ita fingatur continuatio ejusdem possessionis; Adinstar eorum quæ habemus in Statutis continuantibus possessionem defuncti in hæredem, cui etiam interdictum retinendæ conceditur, ex late deductis per Amat. *res.* 39. Posth. *de manut. observ.* 55. & *sub tit. de jud.* ac sub altero *de hærede*; Et consequenter nimium difficile est ad praxim deduci, ut veniens in vim præsentationis provisus tamquam de libero ex vacatione alterius possessoris pariter tamquam de libero dici valeat legitimus contradictor.

Quartus est casus inter duos venientes ex eodem jure, non controvertentes genus, seu naturam beneficii, sed 40
solum agentes de pertinentia, quia scilicet ad beneficium, quod non dubitetur esse de jurepatronatus, veniant plures ex eodem titulo præsentationis invicem conten-

tenden-

tendentes, an a majori parte patronorum fuerint præsen-
tati, sive ab existentibus, vel non existentibus in quasi
possessione præsentandi; Et tunc nimium rarus, ac pro
meo sensu nullus videtur casus, in quo sit practicabilis
processus exequutivus, unde statucoda videtur regula,
quod unus dicatur alteri legitimus contradictor, quod-
que exequutor sit potius mixtus, quam merus, dum am-
bo veniunt ex eodem titulo juxta *conf.* 1. Calderin. *ut li-*
te pendente, dec. 6. *n.* 2. & 3. *p.* 2. *diverf.* Buratt. *dec.* 625.
& 651. *utrobique n.* 1. Bituntina jurispatronatus 7. Maji
1646. coram Arguelles, & frequenter; Unde propterea
in ista materia quotidiana habemus attentata, quod
scilicet unus ex præsentatis alterum præveniens in execu-
tione provisionis Apostolicæ cum derogatione medieta-
tis, sive obtinens institutionem ab Ordinario, sub præ-
textu, quod babeat majorem partem vocum, sive jure
gratificationis, quando voces essent æquales, se intrudit
41 in possessione post appellationem, vel ejus termino pen-
dente, cum tamquam in causa appellabilis actus ita
dicatur attentatus, ut apud proxime allegatos.

Et quamvis in Lucana Canonicatus coram Royas in-
ter suas *dec.* 346. agatur de beneficio de jurepatronatus,
& tamen admittatur processus exequutivus provisionis
Apostolicæ concessæ occasione derogationis pro medie-
tate, firmando regulam in suis casibus veram, de qua
supra; quod non possessor non sit legitimus contradictor,
42 quoties non habeat gratiam æqualem, ac ejusdem natu-
ræ, non obstantibus clausulis quæ facere solent execu-
torem mixtum, cum id intelligatur posito casu legi-
timi contradictoris, & non alias, juxta firmata *in d.*
dec. 333. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & in Vintimilien. Cappella-
niæ 30. Maji 1635. coram Motmanno cum similibus,
de quibus supra, adeout ista decisio Lucana celebris
in hac materia legitimi contradictoris effecta videa-
tur, pluries canonizata in aliis de eadem materia agen-
tibus.

Attamen admissa veritate conclusionum in ea deducta-
rum in suis terminis, de quibus loquuntur dict. *decis.*
333. *p.* 4. *tom.* 2. ac in dicta Vintimilien. cum aliis,
de quibus supra, æquivocum pro meo judicio clarum
consistere videtur in applicatione ob diversam ratio-
nem, quoniam in aliis controversiis inter æque pro-
visos Apostolicos, ex diverso vacationis modo, sive
inter provisum Apostolicum, & ab Ordinario, cum
similibus punctus consistere videtur magis in jure, quam
43 in facto, ita in prumptu cum apertura librorum deci-
dendus, & consequenter quod res non dicatur petito-
rii, ac altioris indaginis; Secus autem isto casu, quo-
niam provisio Apostolica ad favorem præsentati a me-
dietate, sive ab aliqua parte patronorum, cum deroga-
44 tione alterius medietatis, seu alterius partis, catenus
suffragatur, quatenus ita provisus habeat in effectu
45 illam partem, quæ Papæ supponitur, ac alias gratia
habetur pro non concessa, & perinde ac si non esset
in rerum natura, *ut dec.* 148. *n.* 14. & *dec.* 142. *in*
fin. post Vivian. Capuana Abbatiæ 5. Maji 1659.
Priolo, & in dicta sua materia; Illudque solum de re.
cepto stylo toleratur, ut necessaria non sit verificatio talis
præsuppositi de tempore obtentæ gratiæ, sed ad ejus veri-
ficationem suffragari possiut voces etiam postea superven-
tæ, Seraphin. *dec.* 1165. *n.* 11. *dec.* 119. *n.* 9. *p.* 11. *rec.* &
in aliis, & in dicta sua materia *de jurepatr.*

Hoc autem consistit in facto, tam pro jure præsen-
tati, quam præsentantium, quibus auditis, cum for-
mali discussione judiciaria, videndum est, an & qua-
46 le jus, vel possessionem habeant illi præsentantes,
quorum vota numerantur ad constituendam medieta-
tem, vel aliam partem per Papam præsuppositam;
Igitur impossibile est in hoc practicare processum exe-
quutivum, ac terminum executoris meri, cum hic
decernendo executionem gratiæ, implicite declaret ea,
quæ facti sunt circa jus præsentantium, in quo gerit
partes judicis, atque pernecesse concurrat mixtura,
seu complicantia petitorii, qua posita, in quibuscum-
que judiciis quantumvis possessoriis, & privilegiaris
intrat appellatio suspensiva, ac forma judicii ordinarii.

Quintus considerari potest casus controversiæ inter resi-
gnantem, & resignatarium, super executione scilicet lit-
terarum Apostolicarum in vim resignationis ad favorem
47 resignatarii juxta casum, de quo supra, in Neapolitana
parochialis *disc.* 37. Vel e converso super executione im-
missionis obtentæ per resignantem contra resignatarium
possessorem in vim regressus reservati juxta modernam
formulam, tamquam per viam conditionis juxta distin-
ctionem, de qua in sua materia *sub tit. de pensionibus*, &
tunc unus alteri videtur contradictor improprius, eo
modo, quo ut supra est quilibet possessor, ut scilicet
citari, ac audiri debeat, non autem verus, ac proprius
ad effectum faciendi processum ordinarium, & causam
appellabilem, cum ita cesset concursus paris tituli, at-
que adaptari non videantur illæ rationes, ex quibus unus
alteri dici debeat legitimus contradictor, excepto casu
regressus pœnalis juxta formam antiquam fundati in
pertinacia resignatarii non solventis pensionem, vel alia
non adimplentis, cum ille regressus exigat formalem 48
canonizationem in judicio ordinario, & appellabili per
tres conformes, vel rem judicatam, Gigas. *de pens. q.*
78. cum aliis per Adden. ad Buratt. *dec.* 528. & *d.*
tit. de pens.

Sextus demum est casus magis frequens (& in quo
vere materia involuta dici potest, absque eo quod de
facili certa uniformis regula generalis statui valeat;)
ubi scilicet contentio sit inter duos æque provisos Apo-
stolicos ex diverso vacationis modo, & sic venientes
ex eodem fonte, sed non ex eodem titulo, quia nem-
pe (e. g.) vacante parochiali per obitum in mense re-
servato, unus habeat provisionem Apostolicam in vim
concursus, ad formam Concilii habiti coram Ordina- 49
rio, cum istius testimonialibus super prælectione; Al-
ter vero habeat aliam provisionem Apostolicam ob di-
cti concursus formam male servatam, atque, ut vulgo
dici solet, in vim Constitutionis Pii V. cum simili-
bus; Et tunc nun dubitatur, quod ob paritatem tituli
æque Apostolici, & sic ex eodem fonte, unus alteri
dici debeat legitimus contradictor, juxta dictam theor.
Batt. & Zuccardi *in l. fin. C. de edict. div. Adr. tol-*
len. de qua in concursu plurium hæredum, vel fidei-
commissariorum, seu ex investitura feudali, aut em-
phyteutica venientium habetur pluries *sub tit. de jud.*
& *sub altero de fideic.* potissime, ubi oppositor pos-
sidet; unde concurrant titulus, ac possessio, quo casu
clarius intrat dicta regula, ut *dec.* 641. *n.* 1. *p.* 4.
rec. dec. 34. *n.* 23. *p.* 10. & in aliis.

Attameo magna, & forte inextricabilis involutio
pendet a limitatione huic regulæ tradi solita, ut cesset,
quando titulus oppositoris assumere volentis partes legi-
timi contradictoris appareat incontinenti nullus, ac
infectus, infectaque etiam esset ejus possessio, quoniam
tunc habendus quidem erit pro contradictore, ad ef-
fectum, ut debeat citari, ac audiri, non autem ut
censendus veniat legitimus contradictor in modo pro-
cedendi, ut cæteris relatis Lotter. *l.* 3. *q.* 13. *n.* 75.
apud Otthob. *dec.* 122. *in fin.* & latius *dec.* 154. quæ 50
videtur in hac materia magistralis, & in Gerunden.
Parochialis 3. Decembris 1660. coram Bevilacqua &
4. Maji 1661. coram Verospio, ac etiam advertitur
in decisionibus editis in Mediol. beneficiorum, de qua
supra, *disc.* 46.

Limitatio ita generaliter, ac in abstracto sumpta, est
vera, quoniam cum infectio resultare soleat a Concilio
Trident. vel a dicta Constitutione Pii V. seu ab aliis
Constitutionibus Apostolicis, aut a Regulis Cancellariæ
continentibus decretum irritans, intrat illius virtus, vel
operatio inficiendi titulum ac possessionem, itaut habe-
ri debeant, ac si non essent, unde propterea receptam
& quotidianam habemus beneficialem propositionem,
ut tali casu possessio babeatur pro vacua.

Verum punctus est in applicatione, seu verificatione di-
ctæ limitationis, quoniam frequentes hujusmodi quæstio-
nes contingunt in casu nimie dubietatis, an intrent necne
Concilium, vel Constitutio Pii V. sive alia species vacatio-
nis, cui alter provisus innitatur; Ac propterea non ex eo
quod in articulo dubio, judex credit probabiliorem unam
partem potius, quam alteram, id supponendum est ita cla-
rum & certum, quo exinde inferatur ad infectionem titu- 51
li, ac possessionis ex decreto irritanti, ut practicatum cer-
nitur in dicta Mediolanen. Beneficiorum, & in dicta Ge-
runden. ac aliis; In hoc enim consistere videtur æquivo-
cum, per quod ista materia legitimi contradictoris ita in-
voluta est, quod reddita videatur mere arbitraria, absque
eo quod apta sit recipere certam regulam; Siquidem virtus
dicti decreti recte intrat quando clarum ac certum est,
quod versemur in ejus casu, secus autem ubi de hoc proba-
biliter dubitatur, quoniam tunc est petere principium, at-
que ita inanem reddere regulam nunquam verificabilem,
cum a declaratione, seu determinatione casus dubii intra-
re debeat appellatio suspensiva, eo quia exequutor partes
formales Judicis explicare dicitur, & sic illas executoris
mixti potius quam meri, ut est in casu, de quo in d. Mediol.
in quo eadem Rot. variavit, modo dicendo unionem vali-

dam, & modo invalidam ob articuli perplexitatem; Et
fortius in dicta Gerunden. coram Bevilacqua, & Verof-
pio, in qua nullitas concursus, ac successive vacatio in vim
Bullæ Pii Quinti erat adeo dubia, quod ante disputatio-
nem in Rota, Ego & cæteri pro veritate consulti respon-
dimus in contrarium, eumdemque sensum habuit judex
primæ instantiæ, cum nullitas reduceretur ad punctum
nimium subtilem ac peregrinum, ut patet ex deductis in
eadem Gerunden. infra *sub tit. de paroch. disc.* 4. Et con-
sequenter improbabile videtur, ut quatenus in articulo ni-
mium dubio, ac altissimæ indaginis, una magis, quam
altera opinio placeat, exinde resultare debeat adeo noto-
ria infectio, ut reddat exequutorem merum, ac non fa-
ciat alterum provisum legitimum contradictorem.

Aliusque rigor concurrere videtur in casu dictę Gerun-
den. quod cum per judicem primæ instantiæ prodiisset
sententia possessoris absolutoria, cum declaratione quod
litteræ alterius provisi non mereantur executionem, &
52 quæ sententia vulnerare dicitur viam executivam alias
competentem, eodem modo quo receptum habemus in
obligatione Camerali aliisque judiciis executivis, ut in
specie vulnerationis litterarum Apostolicarum, ut apud
Marchesan. *par.* 1. *fol.* 374. Cavaler. *dec.* 11. *dec.* 33.
& 99. *par.* 11. *rec.* *& sæpius*; Adhuc tamen dicitur
53 quod tale vulnus non influeret in subrogationem gra-
tiosam, non desumptam ex ipsis litteris vulneratis, sed
expeditam ad partes, in vim tamen ejusdem supplica-
tionis, ad cujus normam expeditæ sunt primæ litteræ
vulneratæ; quasi quod istæ expeditiones dicantur diver-
sæ, quodque nulla sit distinctio inter litteras desum-
ptas ex clausulis generalibus supplicationis, ac alias in
54 vim supplicationis particularis, ex deduct. per Lotter.
l. 3. *q.* 13. *n.* 38. *cum seq.* & per Rot. *dec.* 302. *p.* 4.
rec. tom. 2. *n.* 5. cum *plur. seq.*

Super quo etiam mihi videbatur processum esse cum ali-
quo æquivoco, quoniam principalis quæstio in propo-
55 sito cadit, ob regulam quod super eadem supplicatione
plures gratiæ expediri non possunt, juxta *cons.* Paris. 77.
56 *l.* 4. canonizatum etiam per Rot. *ex relatis d. dec.* 302. *n.*
5. atque ad hunc effectum consideratur compatibilitas,
vel incompatibilitas, eo quia regula prædicta procedit
in gratiis contrariis & incompatibilibus, non autem in
diversis, atque hoc est de quo ibi principaliter agitur.

Et licet in *ead. dec.* 302. *p.* 4 *tom.* 2 quæ in hac materia
circumfertur tamquam magistralis, firmetur etiam quod
denegata prius per Rotam executione litterarum super
57 provisione, expeditis deinde litteris subrogationis, pro
istis in processu executivo data fuerit immissio, ut ad-
vertitur *d. dec.* 302. *n.* 10. *& seq.* Attamen id recte com-
patibile est quando denegatio executionis processerit ex
defectu justificationis omnium narratorum in gratia, ut
est casus ibi relatus coram Lancellotto; Tunc enim ista
denegatio vere, ac proprie non inducit vulnus, cum
istud resultare dicatur quando percutit substantiam gratię,
non autem simplicem defectum justificationis, ut patet
ex eisdem supra allegatis decisionibus super puncto vulne-
rationis, ac propterea expedit habere subrogationem,
58 pro cujus executione non urget necessitas justificandi om-
nia narrata omnesque partes gratiæ, sed sufficit justifica-
re clericum, & reservationem, ac obitum in possessio-
ne, Greg. *dec.* 32. 103. 306. *&* 394. *dec.* 608. *n.* 5. *rec. dec.*
257. *n.* 1. *p.* 12. *& passim*; Sed quando sententiam abso-
lutoria prodiit ex motivo concernente substantia gra-
tiæ, ipsamque supplicationem, ex qua tamquam ma-
trice, seu primitiva veniunt tam primæ litteræ, quam
secundæ, tamquam ab eodem fonte eademque radi-
ce, ob defectum scilicet reservationis, seu casu vaca-
tionis, quæ est fundamentum gratiæ, tunc nulla vi-
detur subesse ratio, quæ suadeat, ut dictum vulnus
non influat quoque ad has secundas litteras, ideoque
conclusio videtur vera in suo casu, sed non bene ap-
plicata.

Item ob hujusmodi cautelam subrogationis gratio-
sæ, quæ ex clausulis generalibus ejusdem supplicatio-
nis expediri solet, deducitur altera limitatio dictæ re-
gulæ penitus destructiva, quod scilicet non sufficiat,
quod uterque contendens habeat parem titulum Apo-
59 stolicum, nisi etiam uterque illum habeat cum pari
qualitate, secus autem si unus habeat subrogatio-
nem, alter non, juxta *dec.* 71. Mant. cum aliis per
Lotter. *l.* 2. *q.* 20. *n.* 217. Argel. *de legit. contrad.*
q. 15. *art.* 3. *num.* 34. *cum seq.* Otthob. *d. dec.* 122.
n. pen. & fin. & dec. 154. *n.* 12. *cum plur. seq.* Verum &
in hoc circumspecte procedendum est, distinguendo an
oppositor possideat necne; Si enim non possidet, sta ut
ambo veniant agendo ac petendo immissionem, tunc
admittenda videtur propositio, ut in concursu, potior sit
conditio subrogati, tamquam possessoris ficte, ita in lo-
cum prioris possessoris succedentis, & in terminis loquun-
tur Argel. & Lotter. ac alii. Secus autem si possideat, quo-
niam ipse habens quoque provisionem Apostolicam, ha-
bere videtur habitualiter eandem subrogationem in clau-
sulis generalibus suæ supplicationis, qui habitus non suf-
ficit quidem agendo & pro executione, sed sufficere vi-
detur excipiendo, juxta eam differentiam quam habemus
in possessore non indigente cessione alicujus, in cujus
locum & jura succedere prætendit, quando non est pos-
sessor ac ad effectum agendi, secus autem si est possessor
ad effectum retinendi, seu excipiendi, cum similibus;
Quinimo ubi turbiditas est circa reservationem, vel spe-
ciem vacationis, quæ est fundamentum gratiæ, talisque
turbiditas est talis quod dici potest altioris indaginis,
tunc probabilius videtur, ut etiam est possessor, dicen-
dus veniat legitimus contradictor; Et hæc ita pene summis
labiis in ea temporis angustia, quam curiæ Professores
patiuntur, in hac vere involuta materia insinuabam.

Quamvis autem de stricta juris censura, præmissa ita
procedere videantur in hoc ultimo casu, attamen lauda- 60
bile potius videtur, ut Rota sibi assumat in hac materia,
quo magis fieri potest, arbitrium procedendi executive, ac
amplectendi potius limitationem, quam regulam; Cum
enim hujusmodi causæ beneficiales importent jus vitali-
tium, earumque effectus non transmittatur ad hæredes,
hinc proinde judicium ordinarium per tres conformes,
in magis tribunalibus vitam hominis transcendere solet;
Idque potissimum stante stylo hujus tribunalis, non decer-
nendi exequutionem, nisi prævia formali disputatione
frequentius, bina & quandoque trina, cum editione de-
cisionum, & in quibus disputationibus agitur etiam de
meritis, unde propterea appellatio, ut plurimum conti-
nere videtur inanem circuitum, secus autem in inferio-
ribus exequutoribus, in quibus hæc ratio non viget.

ANNOT. AD DISC. LXXIII.

DE materia legitimi contradictoris in materia benefi-
ciali videri poterunt deducta *sub tit. de judiciis,*
disc. 43.

Decisio prodita in isto casu est impres. *dec.* 236. *p.* 15. *rec.*

APRUTINA,

SEU NULLIUS BENEFICIORUM,

INTER

CRESCENTIUM MUTIANUM, ET ANTO-NELLUM FRANCIACURTA.

Responsum pro veritate.

De privatione beneficiorum ob excommuni-
cationem, ejusque insordescentiam ultra
annum, sive ob irregularitatem incursam
ratione celebrationis in statu censurarum,
An & quando intret necne.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Excommunicatio non causat privationem beneficii*
assecuti, sed inhabilitationem ad assequendum.
3 *In causis insordescentium ultra annum non se inge-*
rit, nisi Inquisitor, quod declaratur.
4 *De causis fidei non cognoscunt Prælati inferiores.*
5 *An ob insordescentiam in excommunicatione inflicta ob*
debitum pecuniarium intret privatio beneficiorum.
6 *Non procedtur ad censuras nisi in subsidium.*
7 *Insordescentia causat pœnam privationis, ubi est dolosa.*
8 *Irregularitas incurritur celebrando in statu excom-*
municationis etiamsi ex debito pecuniario.
9 *Sed debet excommunicatio esse rite, & recte lata.*
10 *Quod etiam requiratur dolus, vel contemptus, se-*
cus isto cessante.
11 *Irregularitas non inducit privationem ipso jure nisi*
sequatur sententia.

DISC. LXXIV.

PRo debito pecuniario camerali, subcollector Nuntia- 1
turæ Neapolis excommunicatum declaravit Crescen-
tium,

tiam, qui proinde ita coactus a patria exulare, accedendo Venetias, ibi supponitur missam celebrasse, quara elapso anno, inferior Prælatus loci *Coropolis*, qui est in possessione ordinarii cum territorio separato, juxta casum de quo in Aprutina jurisdictionis *sub tit. de jurisd. disc.* 11. post plures reiteratas citationes per edictum, processit ad sententiam privatoriam beneficiorum jurispatronatus laicorum, in quibus ad præsentationem patronorum institutus fuit Antonellus; Interposita vero per Crescentium appellatione ad A. C. in criminalibus, prodiit ab isto sententia in omnibus revocatoria dictæ sententiæ ordinarii, cum reintegratione ad beneficia; Atque in hoc statu (incertum est ex cujus parte) pro veritate consultus fui, probabiliter autem puto ex illa Antonelli noviter provisi, ad effectum deliberandi, an vellet cedere, vel contendere.

Cum autem tria essent capita, ex quibus supponebatur ad privationem processum esse; Primo scilicet, ob excommunicationem; Secundo, ob insordescentiam ultra annum; Et tertio, ratione irregularitatis incursæ celebrando in divinis in statu censurato; Hinc propterea singula examinando:

Quatenus pertinet ad primum, certum esse dixi, solam excommunicationem, quamvis a lege, vel ab
2 homine ex justa causa emanatam non inducere privationem beneficiorum jam obtentorum, sed solum inhabilitatem ad assequendum, adeout si excommunicatus non facta mentione hujus impedimenti, a Sede Apostolica, vel ab ordinario collatore beneficium obtineat, provisio remanet invalida, ac beneficium impetrari potest, cum aliud sit inhabilitari ad assequendum, aliud vero privari assequutis, ut ita distinguendo advertit Garz. *de benef. tom. 2, p. 7. c. 13. n. 3. & seqq. ex c. postulastis de Cler. excomm. minist.* multo magis in ordine ad privationem, ubi agitur de excommunicatione inflicta pro debito pecuniario, cum ista neque ad hunc effectum sufficiat data insordescentia ut infra, ideoque quoad istud primum caput res videbatur plana ad favorem prioris possessoris.

Quoad secundum circa insordescentiam, observabam duos esse punctos, Unum ordinis, seu jurisdictionis, an scilicet dictus inferior Prelatus desuper manus apponere potuerit; Et secundo in meritis negotii principalis; Circa primum pro defectu jurisdictionis obstare videbantur firmata per Rot. apud Seraph. *dec.* 1285. Ricc. *de*
3 *jure person. l. 4. c. 8. n. fin.* ut scil. in hujusmodi causis non procedat nisi Inquisitor privative ad omnes; Considerabam tamen istam propositionem procedere in Hispaniis, aliisque locis in quibus erectum est formale Tribunal Inquisitionis, cum cognitione causarum fidei privative, non autem in Regno Neapolitano, in quo ob dicti Tribunalis formalis non introductionem, omnes Episcopi dicuntur Inquisitores, atque ad limites juris communis in hujusmodi causis procedere possunt, ut de facto ex inconcussa observantia procedunt: Ac etiam quia, aliud est ad effectum puniendi in persona, aliud vero ad istum effectum consequutivum.

Major autem difficultas resultare videbatur, ex eo quod juxta deducta *d. disc.* 11. *sub tit. de jurisd.* iste inferior Prelatus dici non posset verus ordinarius, cum ea jurisdictione, quæ per S. C. T. & Apostolicas Constitutiones delegata est solum Episcopis etiam in locis exemptis, ac sub ordinaria jurisdictione inferiorum Prælatorum, qui-
4 bus proinde non competit cognitio hujusmodi causarum, quod tamen solum obiter insinuabam, cum stantibus majoribus difficultatibus in ipso negotio principali, non adeo subesset necessitas stricte, ac formiter examinandi ea quæ sunt ordinis.

Quo vero ad respicientia justitiam, seu merita, adhuc ad favorem prioris possessoris, ac pro invalida privatione respondendum censui; Licet enim Menoch. *de arb. cas.* 416.
5 credat, ut ob insordescentiam in excommunicatione quamvis inflicta pro debito pecuniario sit locus privationi beneficiorum, atque Menoch. ab impugnationibus Gonz. tueri conetur Lotter. *l. 3. q. 33. n. 93. & seq.* Contrarium tantum est magis communiter receptum, ut insordescentia in excommunicatione pro debito pecuniario talem privationem non inducat juxta *d. dec.* 1285. Seraphin. ut per Gonz. *ad reg. 8. glos. 15. n. 107. cum seq.* Grat *discept.* 119. *n. 1. & seq.* Rub. *tom. 2. sing. p. 3. sub verbo* Menoch. cum quibus pertranseunt Ricc. *de jur. person. l. 4. c. 7. n. 14.* Tond. *q. benef. p. 2. c. 5. § 3. n. fin.* Barbos. *collect. ad Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 3. n. 36.* ac agnoscit idem Lotter. *loc. sup. citato.*

Clarius vero in hac facti specie ex duplici circum- 6
stantia; Primo scilicet, quia dicta quæstio supponit censuras validas, in quibus censuratus insordescat, quod in præsenti cessabat, dum nulla servata erat forma præscripta per S. C. T. *d. sess. 25. de reform. c. 3.* ad effectum ut pro debito pecuniario ad censuras præsertim majores, qualis est excommunicatio, tamquam ad ultimum subsidiarium remedium procedi possit, ex deductis in sua materia *sub tit. de cens.* dum juxta hujusmodi subcollectorum inferiorum frequentem, nimium vero damnabilem abusum, de facto processum fuerat ad cedulones nullo ordine servato.

Et secundo, quia data etiam validitate, ad hunc effectum privationis beneficiorum importantis in beneficialibus pœnam ordinariam & gravem; requiritur insordescentia cum animi pertinacia, quæ redoleat dolum 7
& contemptum clavium, secus autem si ob necessitatem, quia nempe non haberet modum solvendi debitum, sive quod institerit pro absolutione, aut alias constet de exclusione doli & pertinaciæ ut firmatur per Rot. *dec.* 196. *post 2. vel cons.* Farin. & *dec.* 132. *p. 1. rec.* Barb. *ad Conc. ubi sup. n. 33.* Ricc. *d. l. 4. c. 8. n. 3. cum seq.* Lotter. *d. l. 3. q. 33. n. 115.* Rot. *dec. 73. n. 3. p. 7. rec.* Et hic erat casus, quoniam constabat id non provenisse ex insordescentia pertinaci, sed ex pura necessitate, quodque censuratus continuas adhibuerit diligentias pro aliqua honesta dilatione ad solvendum debitum cum censurarum suspensione.

Aliquod probabile fundamentum dictæ privationis consistere videbatur in tertio capite irregularitatis, ob celebrationem missæ in statu censurato, quo casu non distinguitur, an excommunicatio inflicta sit pro debito pe- 8
cuniario, vel ex alia causa, cum pœna non proveniat ab ipsa excommunicatione ac insordescentia in ea, sed ex novo delicto dictæ irregularitatis redolentis dolum, & contemptum clavium, ut advertitur per Ricc. *d. p. 4. c. 7. n. 2.*

Verum adhuc dubitabam contra noviter provisum ex duplici motivo; Primo, notoriæ invaliditatis dictæ excommunicationis, quæ nullo ordine servato ex abrupto inflicta erat, cum ad hunc effectum constare debeat excommunicationem esse rite & recte latam, ut in specie advertitur per Lotter. *d. q. 33. n. 105. in fin.* & quando desuper 9
non haberemus auctoritates, id extra omne dubium probarent juris principia generalia, ipsaque ratio naturalis, quoniam non entis nullæ sunt partes; Quamvis enim ille qui censuratus a superiore celebrat, non sit immunis a temeritate, quæ aliqua punitione digna est, quoniam adinstar eorum, quæ habemus in materia attentatorum in spretum inhibitionis non debet esse in libito subditi facere se judicem in causa propria, ac judicare de nullitate, vel injustitia gestorum ab ejus superiore, illaque spernere, quoties non agatur de re omnino notoria ex clara notorietate facti, sine qua ista licentia nullatenus admittenda est: Attamen non videtur id sufficere ad istam gravem pœnam ordinariam, si vere de censurarum invaliditate constet.

Ac etiam quia observabam intrare eamdem excusationem superius consideratam occasione insordescentiæ pro exclusione pertinaciæ, seu dolosi, vel culposi contemptus 10
clavium, ex eisdem auctoritatibus ibi allegatis, seu ex eadem ratione, cum constaret d. Crescentium a patria exulem, coactum fuisse celebrare missam pro necessaria substentatione cum eleemosyna, quam ex celebratione obtinebat, dum ob ejus paupertatem alium vivendi modum citra ostiariam mendicationem decori ordinis clericalis incongruam non habebat; Et ex his, quatenus consilium petitum fuisset ex parte noviter provisi, consului quod ab ulteriori prosecutione litis abstineret, incertum est tamen, quid sequutum sit.

Item quia irregularitas non inducit privationem beneficiorum, sed apta esse potest, ut judex ad eam procedat loco pœnæ, ut cæteris relatis, Rot. *dec. 73. n. 23. p. 7. rec.* & apud Baratt *dec.* 305. *n. 7.* & habetur *sub tit.* 11
de pens. disc. 40. atque ista declaratio non adetat, dum sententia se restringebat ad insordescentiam.

ANNOT. AD DISC. LXXIV. cum seqq.

Agitur in his discursibus de privatione beneficiorum ob varias causas, de quibus habetur solum actum *in hoc tit. disc.* 134. & 135. respectu residentiæ juxta ea quæ habentur in *disc.* 77.

Una decisio coram Verosp. prodiit in casu, de quo *disc. 75. est impress. dec. 10. p. 23. rec.*

NULLIUS, seu, &c.
PRO N.

Consilium pro veritate.

De privatione beneficiorum ob sacrilegam deflorationem monialis; Et quomodo ad hunc effectum de tali delicto constare debeat, atque ad privationem procedi,

Et de eadem privatione ex concubinatu, sive ex apostasia, aut ex crimine falsitatis; Et de differentia inter privationem beneficio assequuto, & inhabilitationem ad assequendum, cum nullitate provisionis factæ in persona ejus, qui jam erat criminosus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Sententia sine citatione speciali ad sententiam est nulla.*
3 *Defloratur monialis privatur beneficiis.*
4 *Sed requiritur, ut sit convinctus, vel confessus.*
5 *Qualia dicantur indubitata.*
6 *Quod neque sufficiant ad hanc pœnam privationis beneficiorum.*
7 *Sed quomodo ista pœna etiam ex inditiis non purgatis sequi possit.*
8 *Quid referat remanere diffamatus, vel inditiatus.*
9 *De materia privationis beneficiorum ob concubinatum.*
10 *Quare sententiæ ac processus de partibus fiat nulli.*
11 *De ordine qui tenendus est in hac materia priusquam ad privationem procedatur.*
12 *De alio casu impetrationes beneficiorum ob apostasiam, & ob falsitatis crimen.*
13 *Pro crimine falsificationis litterarum Apostolicarum incurritur pœna privationis beneficiorum, non autem pro alia falsitate.*
14 *Pro inhabilitate beneficii assequendi qualibet imputatio de falsitate sufficit.*
15 *Provisio Papæ declarat quod pro eo crimine adest inhabilitas.*
16 *Sufficit justificare vacationem de facto prout narrata fuit.*
17 *De inhabilitate ob apostasiam.*
18 *Exeuntes a Religione ex Apostolica provisione male exequuta adhuc remanent religiosi.*
19 *Beneficia regularia non possunt conferri sæcularibus.*
20 *Et e contra regulares sunt incapaces beneficiorum sæcularium ac beneficiorum vacantium per professionem, & quid in Canonicis Regularibus.*
21 *Professio in religione ubi adducitur tamquam objectum est plene, & concludenter probanda.*
22 *Quomodo probetur professio in religione per librum monasterii, & quomodo per testes & alias species probationis.*

DISC. LXXV.

1 Cum in quadam Civitate graviter inditiatus esset quidam possessor Canonicatus, & Dignitatis in Ecclesia Cathedrali de sacrilega defloratione & ingravidatione monialis, Episcopus contra eum absentem in contumaciam protulit sententiam condemnatoriam ad plures pœnas, illam præsertim privationis dictorum beneficiorum, quæ alteri collata fuerunt, a qua sententia interposita appellatione, & introducta causa coram A. C. in criminalibus, desuper consultus fui, an dicta sententia Episcopi subsisteret necne, ad omnes effectus, præsertim vero illam privationis beneficiorum.

Dixi generaliter ad omnes effectus sententiam esse nullam ex defectu legitimæ citationis ad sententiam. quæ
2 nullitas esse solet fere continua, & connaturalis sententiis de partibus, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de jud.* & in criminalibus advertit Vermigl *cons.* 112.

Verum quoad hæc, & alia concernentia judicium criminale in aliis pœnis, me remittendo defensoribus criminalistis; Quatenus pertinet ad materiam beneficialem,
3 super dicta scilicet privatione beneficiorum; Respondi, quod licet inter alias pœnas inflictas contra hujusmodi sacrilegos stupratores monialium, videatur ista privatio nis beneficiorum, vel ipso jure, vel quod per sententiam ad eam procedi possit, *ut in c. si qua monacharum 27. q. 1.* cum concord. plene collectis per Farin. *de delict. carnis q. 146. n. 26. ubi ex n. 1.* de aliis pœnis temporalibus, ac supponitur apud Vermigl. *cons.* 113. *n.* 1. Attamen cum in hac beneficiali materia (ut alibi etiam advertitur) ista dicatur pœna major, quam in jure ordinariam di- 4
cimus, assimilata pœnæ mortis in temporalibus, cum sit mors civilis; Hinc proinde intrat criminalistarum propositio, quod ad pœnam ordinariam procedi non potest nisi contra legitime confessum, vel contra convictum, ut in specie probat Vermigl. *d. cons.* 113. *nu.* 1.

Et quamvis supponeretur adesse inditia indubitata quibus dicta sententia innitebatur, non videbantur tamen ad id sufficere, tum quia juxta notulam, seu facti præsupposita (juxta stylum data per causæ patronum, cum Advocati non videant processus, & acta) non videbantur talia, cum ad hunc effectum non dicantur nisi ea, quæ ponunt rem ante oculos, adeout tollant contrariam credulitatem, ut late colligit idem Vermigl. *d. cons.* 113. *n.*
2. Tum etiam quia, sufficiunt quidem ad pœnam extraor- 5
dinariam, non autem ad istam ordinariam, ex deductis in his terminis individualibus per Vermigl. *d. cons.* 113. 6
n. 3. & 4 ubi de consimili sententia ex isto delicto.

Advertebam tamen, præmissa sufficere in criminalibus, ad effectum tollendi sententiam de medio (ut credo sequutum fuisse) non autem ad effectum tollendi delictum, atque vim indiciorum, ex quibus præmissa quodammodo inania remanere videntur, nisi inquisitus se constituendo, cum processu ex integro purget indicia, 7
atque ita absolutoriam reportet; Aliud enim est infirmari sententiam tamquam nullam ex capite ordinis judicarii non bene servati, seu ex capite injustitiæ ratione excessus; Aliud vero tolli, vel non tolli inquisitionem ac indicia; Ubi enim ista urgent, etiam si sententia sit nulla perinde ac si non prodiisset, itaut remaneret processus in puris terminis informativis, adhuc tamen, aut inquisitus, vigore dicti processus legitime citatus comparet, aut non; Si comparet, atque cum defensionibus, vel cum substentatione tormentorum purgat indicia, & tunc reportabit absolutoriam; Aut non comparet, & tunc tamquam contumax habendus pro ficte convicto & confesso, quemadmodum capitaliter banniri potest, & sic ad pœnam ordinariam & corporalem condemnari, ita pariter ad istam pœnam ordinariam spiritualem, ut data validitate processus, tamquam absolutum supponitur supra in Montis alti parochialis *dis.* 73. ac in decisionibus in ea causa allegatis in Callien. Prioratus coram Bich. & in aliis.

Ideoque concludebam, rem pendere a dicto futuro eventu quoad ipsum inquisitum, quidquid sit quoad eorumdem beneficiorum provisionem jam sequutam, cum attento præsenti tempore, vacatio non esset justificabilis; id enim percutere videbatur jus impetrantis, vel alterius, quid deinde novam faceret impetrationem, non autem jus ipsius beneficiati.

Eoque magis insinuabam timendum esse, quoniam licet de stricto jure, quoties agitur de privatione beneficii jam assequuti, requiratur plena & concludens probatio. atque non sufficiat aliquem esse inditiatum, seu diffamatum, cum 8
id solum attendatur circa inhabilitationem, vel postpositionem ad assequendum, juxta distinctionem, de qua supra *in Calagurritana beneficii de Bilbao, disc.* 70. Attamen ut advertitur supra *in d. Montis alti, disc.* 73 vehemens diffamatio, ob quam apud populum tale delictum habeatur pro certo (ut contingit quando adsunt indicia indubitata) de facili operatur; ut judices, præsertim vero magna Tribunalia non improbabiliter dilatent arbitrium, atque rigorosos juris cancellos transcendant, potissime ubi agitur de hujusmodi delictis adeo scandalosis, ac mali exempli; Sive ubi intrent alia motiva prudentialia, juxta casum, de quo *in Leodien. Canonicatus, disc. seq.*

In proposito item privationis beneficiorum ex delicto in quadam causa disputata coram A. C. cum Ordinarius per sententiam privasset possessorem beneficii de jurepatrona- 9
tus laicorum ratione concubinatus, fretus auctoritate S.C. *T. sess. 25. de reform. c.* 14. ac etiam sacrorum Canonum *in c. si autem, de cohabit. cler. & mulier.* & de utraque dispositione in hac materia privationis beneficiorum ob concubinatum cæteris relatis tractat Lotter. *l.* 3. *q.* 33. *ex n.* 118. *cum seqq.* Interposita appellatione ad A. C. me scribente privato, facile fuit obtinere manutentionem contra eum, qui ad præsentationem patronorum institutus fuerat, atque attentare per eumdem Ordinarium immissus in possessionem post interpositam appellationem, ejusque etiam termino pendente, quorum unum sufficit.

Ac etiam quia ultra processus nullitates (quæ ut supradi-
ctum

ctum est, sententiis ac processibus de partibus sunt con- 10 naturales, præsertim vero in Regno Neapolitano ex illo abusu, quod curiæ Ecclesiasticæ, nolentes addiscere praxim ecclesiasticam Romanæ Curiæ, procedunt cum praxi curiarum laicalium desumpta ex ritibus, vel aliis juribus laicalibus, ut in sua materia *sub d. tit. de jud.*, aderat etiam clarus defectus formæ ab eodem S C. T. præscriptæ, ad effectum, ut ex dicta causa concubinatus ad privationem procedit valeat, quod sc. fiat tri- 11 na monitio cum triplici graduali punitione; Primo, in privatione tertiæ partis fructuum; Secundo, in omnimoda privatione fructuum, ac administratione; Et tertio, in privatione ipsorum beneficiorum.

Et in alia causa pendente in Rota super quadam prima dignitate Cathedralis; Cum per eum, pro quo scribebam, adversus dictæ dignitatis possessorem facta fuis- 12 set impetratio certo modo ob suæ provisionis invaliditatem, dupliciter resultantem; Primo scil. quod de tempore dictæ provisionis esset inquisitus de falsificatione litterarum Apostolicarum; Et secundo, quod laboraret crimine apostasiæ ob illegitimum egressum a Religione, in qua professionem emiserat; Hinc proinde antequam assumeretur disputatio, quæ adhuc pendet, in congressu autem pro directione, dicebam, causæ exitum pendere magis ex facto quam ex jure, ex probationibus scil. super utroque crimine faciendis, ante quas judicium desuper efformari non poterat; Quatenus vero pertinet ad ea quæ juris sunt, posito facto, ejusque legitima justificatione, planius esse dicebam bonum jus impetrantis, distinguendo siquidem d. impetrationis capita;

Quoad illud falsificationis litterarum Apostolicarum, dicebam, quod licet de jure crimen falsitatis generaliter non inducat pœnam privationis beneficiorum, quæ ubi expresse inducta non est, non intrat, ut de homicidio 13 habetur supra *in d. Montis Alti*, *disc. 73. & sub tit. de pens. disc.* 49. Attamen in specie falsitatis litterarum Apostolicarum, contrarium dicendum est, ut cæteris relatis, tam de dicta regula generali negativa, quam de ista limitatione habetur apud Lotter. *lib. 3. q. 30. n. 90. cum seq.* Garz. *p. 11. c.* 10. §. 2. *num.* 170. Barbos. *de Episcopo, alleg.* 57. *num.* 234. apud quos concordantes.

Clarius vero, quoniam hujusmodi quæstio cadit ubi agitur de illo crimine commisso per jam possessorem, seu pro- 14 visum de beneficio, ad effectum incurrendi ejus privationem, secus autem ubi inquisitio jam aderat de tempore provisionis; tunc enim qualibet falsitas sufficit, quoniam cum istud crimen irrogare videatur infamiam, exinde resultat inhabilitatio ad assequendum, juxta traditionem Abb. aliorumque Canonist. *in c. querelam, de elect.*

Atque in hoc cessare advertebam omnem difficultatem ob expressam determinationem ipsius Papæ, qui præsupposito crimine de tempore provisionis. ita in litteris ad favorem impetrantis præsupposuit dictum primo provisum inhabilem, seu incapacem; Cum enim id consistat in jure, cu- 15 jus ignorantia (ut alias advertitur) ob assistentiam peritissimorum officialium non datur, hinc proinde justificato facto, punctus juris remanet per ipsum Papam ita declaratus, seu decisus, ut advertitur *dec. 69. n. 25. & 26. p. 12. rec.*

Ac propterea propositionem habemus in hac materia beneficiali receptam, quod sufficit justificare vacationem 16 de facto, eo modo quo in litteris narratur, ut cæteris relatis plene *d. dec. 69. nu. 27. p. 12. rec.* edita in casu, de quo *disc. seq.* ac habetur alibi *hoc eod. tit.* præsertim *in Cæsaraugustanu Canonicatus*, *disc.* 23.

Quo vero ad aliud vacationis caput ratione apostasiæ, illa posita, dicebam dubitandum non esse de invaliditate provisionis, non solum ob ipsum apostasiæ crimen, quod sine dubio ad assequendum beneficia inha- 17 bilitat, ut tamquam absolutum supponitur per Rot. *dec. 105. par. 4 rec. tom. 2.* ac etiam determinatum dicitur per ipsum Papam in hac nova provisione juxta superius ponderata; Sed etiam quia posita concludenti probatione validæ, ac legitimæ professionis in Religione, ubi etiam egressus esset coloratus, ac excusabilis, unde dici posset bonæ fidei, ut frequenter contingit in Religio- 18 sis obtinentibus Apostolicas delegationes, vel rescripta super invaliditate professionis, male tamen exequuta, qui propterea habentur adhuc pro professis, atque per Superiores ad claustra revocari possunt, ut in sua materia *sub titul. de Regul.* Attamen id suffragari posset ad effectum excusandi ab apostasiæ crimine, aliisque pœnis pro illo inflictis, non autem ad istum effectum sustinendi provisionem de beneficio sæculari, ad quem effectum sufficit solus status Regularis absque alio crimine, quoniam cum hujusmodi status in Ecclesia sint distincti, atque non solum diversi, sed etiam contrarii, ex deductis *sub tit. de Præem. disc.* 24. Hinc proinde receptum habemus, quod sine speciali Apostolica dispensatione beneficia Regularia obtineri non possunt per sæculares in statu sæculari continuantes, sed solum 19 per Regulares professos, vel non professos, profiteri volentes, ac sub tali conditione, Gonz. *ad reg. 8 gl. 8. n. 78.* Garz. *p. 7. c. 10. n. 20.* Rot. apud Buratt. *dec. 390. & 463.* Et e converso beneficia sæcularia conferri non possunt regularibus, qui non solum sunt incapaces ad obtinendum, sed etiam jam valide obtenta & possessa in statu sæculari vacant per professionem in religione, *c. beneficium de Re-* 20 *gul. in 6.* ubi DD. Garz *de benef. p. 11. c. 9.* Sanch. *ad præcept. Decal l. 7. cap. 4. & 29.* Burat. Add. *dec. 49.* & passim; Solumque in hoc prætendunt se privilegiatos Canonici Regulares, sed vere privilegium restrictum est ad sola beneficia curata, ut *in Pampil. Vicariæ 13. Martii 1664.* cor. Verosp. & advertitur *sub tit. de donat. disc. 24. ubi concord.*

Difficultas igitur pariter erat facti super status regularis, ac legitimæ professionis probatione, quæ requiritur concludens, ac perfecta, utpote deducta contra existentem in statu sæculari tamquam objectum, ut in spe- 21 cie firmatur per Rot. *d. dec. 195. p. 4. rec. tom. 2.*

Ubi autem haberetur liber Religionis, vel monasterii, in quo, ut decet ac solet, distincte adnotantur susceptio habitus cum admissione ad novitiatum, ac successive solemnis professio, ex quo libro ita resultat probatio intermedii spatii necessarii ad annum probationis, tunc professio dicitur sufficienter probata, ut in Placentina nullitatis professionis 31. Martii 1656. cor. Bevilacq. & in d. sua materia *sub tit. de Regul.* Ubi vero dictus liber deficeret, 22 ut in hac facti specie supponebatur ob ejus amissionem, tunc probatio remanet difficilior, cum possit quidem professio probari per testes *dec. 3. n. 2.* post Tambur. *de jur. Abbat. tom. 3 dec. 15. n. 3. p. 11. rec. & d. tit. de Regul.* ac etiam *in Perusina, sub tit. de testam.* Sed testes bene deponere debent non solum de emissione publicæ, ac solemnis professionis coram legitimo Superiore in forma consueta, ac etiam de præcedenti anno probationis in novitiatu formali, aliisve requisitis, *ut in d. Perusinu sub tit. de testam & d. dec. 15. p. 11. rec.*

Advertebam tamen ad supplendum omnes defectus in hujusmodi probatione concurrere possent, nimium conferre, an dict. professus ultra continuationem in statu religioso, & cum habitu regulari ultra quinquennium, suscepisset ordines sacros ad titulum paupertatis ac Religionis, cum exinde quædam species tacitæ professionis resultare dicatur, juxta plures declarationes S. Congr. de quibus habetur in dicta sua materia *sub tit. de Regul.* ideoque concludendo causa erat, ut dictum est, potius facti, quo posito juris dispositio remanebat clara.

LEODIEN. CANONICATUS, PRO HIERONYMO MORSIO, CUM PETRO DE MEAN.

Casus varie decisus per Rotam.

De privatione beneficii resultante a Constitutione Innocentii X. contra utentes transumptis litterarum Apostolicarum non habentibus formam ibi præscriptam; An intret in beneficio obtento ante dictam Constitutionem, si possessio post illius editionem capta est in vim transumpti pariter antea expediti,

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De Constitutione Innocentii X. super forma transumptorum litterarum Apostolicarum.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Ubi pena adjicitur ipso iure ipsoque facto, intrat vacatio beneficii, ut fieri potest impetratio, non citato possessore, neque expectata sententia declaratoria.*
5 *Quod lex nova respiciat futura non autem præterita.*
6 *Declaratur ubi actus præteritus est imperfectus, ut expectat perfectionem ab actu futuro.*
7 *Lex Pontificia eo ipso, quod est publicata in Urbe, ligat etiam ignorantes, & de differentia inter legem Papalem, & alias leges.*
8 *Paria sunt scire ac scire debere.*
9 *In iis quæ juris sunt, non datur ignorantia in Papa.*

10 *Narrativa vacationis sufficit, ut justificetur de facto.*

11 *Quod ex terminis prudentialibus liceat quandoque pro bono publico egredi ordinem juris, ac rigorose procedere.*

12 *In provisionibus certo modo de beneficio viventis ex causa objectiva exequutor est mixtus, ac proceditur ordinarie.*

13 *Declaratur conclusio, de qua n. 6.*

14 *Ubi actus est imperfectus, seu invalidus, ac perfectionem, seu validitatem obtinet ex actu novo, attenditur, ut nunc, non ut tunc.*

15 *Quod dicta Constitutio Innocentii contineat duas partes, & quæ sunt.*

16 *Ignorantia juris dubii assimilatur ignorantiæ facti, ac excusat.*

17 *Declarantur partes dictæ Constitutionis de quibus supra n. 15. ut sint invicem connexa, seu una alterius consequutiva.*

18 *De eadem conclusione de qua n. 9. & 10.*

19 *Declarantur conclusiones de quibus n. 7. & 8. circa legem obligantem scientes, vel scire debentes.*

20 *Ad effectum pœnæ, vel gravis præjudicii requiritur scientia vera, & certa, & non admittitur præsumpta.*

21 *De distinctione inter ea, quæ sunt naturaliter mala, & ea quæ fiunt mala per accidens per novam legem ad effectum excusandi ignorantes.*

22 *De differentia privationis beneficii ex Constitutionibus Apostolicis jam editis de tempore gloriæ, & beneficii obtenti antequam nova Constitutio ederetur.*

23 *Conditio resolutiva resolvit actum ab initio, ac si factum non esset.*

24 *Ad effectum, ut procedi possit ad pœnam per necesse constare debet de corpore delicti.*

25 *Quod scriptura informis probet ex adminiculis, vel ex eo, quod circa eam nihil oppositum fuerit.*

26 *An sumptum de sumpto probet remissive.*

27 *Quod conclusio de qua n. 25. procedat ad effectus civiles, non autem ad pœnales.*

28 *Ut dari non debeat præsumptio præsumptionis, seu præsumptionum cumulus præsertim in pœnalibus, ac graviter præjudicialibus.*

D I S C. LXXVI.

1 SEquuta provisione Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ Tongren. in forma gratiosa, expeditisque litteris, ac earum transumpto juxta formam tunc usitatam, ad favorem Guglielmi adolescentis adhuc scholaris, editaque paulo postea sub die 3. Februarii 1652. Constitutione Innocentii X. sub gravibus pœnis, illa præsertim privationis
2 beneficiorum, prohibente usum transumptorum litterarum Apostolicarum non habentium subscriptionem, ac sigillum Datarii, aliamque formam ibi præscriptam; Cum provisus in vim dicti transumpti dicti Canonicatus provisionem adeptus esset, hinc Petrus eumdem Canonicatum tamquam vacantem in vim dictæ Constitutionis impetravit, expeditisque litteris, ac præsentatis in Rota coram Verospio, sub die 28. Junii 1655. & 7. Februarii 1656. prodierunt resolutiones super earum executione,
3 quæ habentur impressæ *p. 12. rec. dec. 69. & 123. repetit.* post Tondut. *de pension. dec. 49. & 51.* a quibus tamen recessum fuit coram eodem Verospio sub diebus .... & 13. Januarii 1661. unde impetrator acquievit, atque Hieronymus continuavit in possessione Canonicatus.

Priorum resolutionum pro impetrante fundamentum fuit contraventio dictæ Constitutionis inducentis privationem beneficii ipso jure ipsoque facto, unde propterea dato usu, resultat vacatio, absque necessitate expectandi sententiam declaratoriam, vel citandi possessorem pro impetratione facienda; Adinstar eorum, quæ habemus in terminis consimilium vacationum resultantium a Constitutione Julii III. adipiscendo possessionem litteris non
4 expeditis, & ab altera Gregorii XIII. de publicandis, ut præsertim *in dec. 69. p. 12. n. 8.*

Cumque ex hac parte diceretur, dictam Constitutionem, juxta naturam novæ legis, complecti futura, non autem præterita, ex ample cumulatis per Farinacc. *in fragm. verb.*
5 *lex n. 25.* Respondetur, quod cum hic actus esset imperfectus, idcirco sub nova lege comprehenditur juxta theor.
6 Bart. *in l. omnes populi n. 45. ff. de justitia & jure*, Felin. *in c. ult. n. 21. de Constit.* cum aliis deductis in decisionibus præsertim prima *d. dec. 69. par. 12. n. 18. & seq.*

Oppositaque etiam ignorantia dictæ Constitutionis, respondetur, quod cum edita sit per viam legis generalis ac publicata in Curia, eo ipso afficit etiam ignorantes; cum lex Pontificia non subjaceat solemnitatibus publicationis in quibuslibet locis, ac lapsui cujusdam termini post eam, & acceptationis populorum cum similibus relatis per Farinac. *in fragment. d. verbo lex*, quibus aliæ leges subjacent, ut per Rot. *dec. 365. n. 13. & 14.* post Cenc. *de cens.* & in quarum secunda in fine advertitur, 7
quod cum in actu adeptionis possessionis ex parte Capituli dictum esset quod illud transumptum non haberet formam a moderna Constitutione Pontificia præscriptam, ita inducta erat ejusdem Constitutionis scientia saltem generica, qua posita tenebatur provisus inquirere ejusdem Constitutionis tenorem, aliasque dicitur in culpa, ex regula, quod paria sunt scire, ac scire debere ex rela- 8
tis per Surd. *dec. 265. n. 44. 8. & seq.* & Gratian. *discep. 194. n. 23.*

Quodque omnis difficultas cessaret, quia cum impetrator Papæ narrasset vacationem controversi beneficii ob usum transumpti jam expediti ante Constitutionem, propter usum post ejus editionem, ita Papa legis conditor declaravit, dictam Constitutionem istum quoque casum comprehendere, cum in eo præsumenda non sit ignorantia eorum quæ consistunt in jure juxta *cons. 292.* Ancharani *n. 2. & 3.* ut ex hujus causæ prima decisione advertitur *disc. præc.* ubi etiam habetur de conclusione, in dicta pariter decisione firmata, quod 9
propterea sufficit justificare narrativam, seu modum vacationis de facto.

Mihi in secunda propositione tantum adversus jam editam primam resolutionem scribenti pro Hieronymo primo 10
possessore, reflectendo ad veritatem, dictæ resolutiones, quatenus partinent ad terminos juris, eorumque cancellos, seu limites, non placuerunt, utpote duplicem continentes exorbitantiam; Unam ordinis circa processum exequutivum litterarum impetrantes certo modo, Et alteram in meritis, ideoque probabiliores visæ sunt posteriores decisiones illarum revocatoriæ; Ita vero edocemur caute procedendum esse in deferendo decisionum auctoritati, dum hucusque præcedentium utpote impressarum notitia habetur, aliorum autem non; Edita vero dicta secunda decisione primæ confirmatoria ad favorem impetrantis, observabam eas aliud non potuisse habere fundamentum, nisi prudentiale motivum ex bono publico, ac publica causa forsan consideratum, juxta consimilem considerationem, de qua supra in Montis alti Parochialis *disc. 73.* ac etiam 11
disc. prox. præc. ut scilicet in primis casibus contingentibus supra contraventione legis pro bono publico editæ ad consulendum delictis, seu scandalis & inconvenientibus, intrare debeat axioma, quod ordo est, ordinem non servare, idemque exorbitans rigor adhibetur, in magnis præsertim Tribunalibus, tamquam in casu exemplari, legis cancellos etiam aliqualiter transcendendo; Et hic videbatur casus, quoniam cum ob aliqua gravia inconvenientia, quæ circa ea tempora in Dataria contigerant, prodiisset dicta Constitutio super hujusmodi transumptis, quorum usus frequentior est ultra montes, ac in hujusmodi partibus remotis, quam sit citra; Hinc proinde nisi in hoc primo casu circa tempora proxima legi ad forum deducta, ad aliorum terrorem, ac exemplum sequuta esset privationis beneficiorum effectuatio, de facili dicta lex transiisset in abusum; Secluso autem isto prudentiali motivo, attentisque solum puris terminis juris, nullo pacto videbantur dictæ resolutiones substentabiles, tam circa ordinem, quam circa justitiam, ac merita negotii principalis.

Quatenus enim pertinet ad ea, quæ sunt ordinis, cum ista esset impetratio certo modo de beneficio viventis ex 12
causa criminosa, seu objectiva, exigente justificationem facti, cum duplici formali processu offensivo & defensivo, exinde de plano resultare videtur exequutorem esse mixtum, non autem merum, atque possessorem beneficii, contra quem facta est pœnalis impetratio esse legitimum contradictorem juxta pluries deducta in hac materia legitimi contradictoris, præsertim in Melphien. Cantoriæ, & in dicta Montis Alti Parochialis *disc. 55. & 73.* & tamen de hoc puncto in decisionibus nullum verbum.

Quo vero ad justitiam, seu merita negotii principalis, secluso infrascripto motivo implicitæ declarationis Pontifi- 13
ciæ, quod aliquam difficultatem inferre videbatur; Conclusio in eisdem decisionibus deducta in suis casibus vera, non erat applicabilis ad casum; Tunc enim lex nova capit etiam præterita, quando ista sunt imperfecta suamque perfectionem expectant ab alio actus, qui post legem supervenit, quoniam data primi actus imperfectione, secundus perficiens est ille, qui animat & informat actum, qui proinde

inde regulatur ut nunc, non autem ut tunc, juxta ea, quæ de superveniente ratificatione actus invalidi habentur a collect. per Grat. *discept.* 509. *n.* 25. *& seqq.* Surd. *dec.* 69. *& dec.* 245. Rot. *dec.* 35. post Merlin. *de pignor.*
14 Salgad. *in Labyr. p.* 2. *c.* 21. *n.* 53. *& seqq.* Et de superveniente assensu Domini directi in alienatione bonorum feudalium, seu emphyteuticorum cum similibus habentur in suis respective materiis *sub tit. de feudis, & de emphyteusi*, ac etiam in Romana, seu Albanen. vineæ *sub tit. de donat.* ac alibi frequenter, istaque est ratio dictæ conclusionis, quoniam tunc in effectu actus est novus, quod in præsenti dici non poterat, cum transumptum attento tempore quo factum fuit, esset validum, ac perfectum, alium non expectans actum ad sui perfectionem, cum usus respiciat solum executionem, non autem perfectionem.

Et nihilominus ubi etiam juxta ponderata in prima
15 *dec.* 69. *p.* 12. *rec. n.* 16. *& seq. alias* 49. post Tondut. *n.* 8. dici posset, quod cum Constitutio haberet duas partes æque pœnales; Unam circa dictorum transumptorum confectionem; Et alteram circa usum, quodque propterea in prima parte respiceret tantum futura, spectato initio, in secunda vero percuteret istum actum tamquam futurum ipso usu spectato; Adhuc tamen iste subtilis intellectus absque dubio saltem nimium dubius, aptus non videtur ad inducendam pœnam adeo gravem ac ordinariam, a qua sicuti excusat probabilis ignoran-
16 tia facti, ita etiam illa juris dubii, quæ ignorantiæ facti assimilatur, Mantic. *dec.* 78. *n.* 8. *&* 9. Buratt. *dec.* 899. *dec.* 559. *n.* 6. *&* 7. *p.* 5. *rec.* cum aliis per Altograd. *consf.* 94. *l.* 1. Redenasch. *consf.* 18. apud quos dubitatio cadit quoad effectus civiles lucri, sed ad effectum evitandi pœnam gravem, præsertim ordinariam, nulla difficultas cadit.
17 Ultra quod parum tutus quoque videbatur dictus intellectus, cum dictæ duæ Constitutionis partes percutiant diversos actus, diversasque personas, cum diversis etiam pœnis; Prima enim pars directa est Notariis, quibus pœnæ excommunicationis ac aliæ infliguntur, ne transumpta alias quam juxta formam ibi præscriptam conficiant; Altera vero illative, seu consecutive ad præcedentem, injuncta est partibus, ne hujusmodi transumptis ita male confectis utantur, & sic videntur partes connexæ cum præsupposito transumpti male confecti, quod adaptabile non est nisi illis, quæ post dictam Constitutionem fierent; Clarius vero, quia ut in posterioribus decisionibus advertitur, dicta Constitutio expresse loquitur de actibus futuris, ut denotat illud verbum, *de cætero*.
18 Aliquam tamen difficultatem faciebat dicta responsio pro meo sensu vera, quod cum Papæ narratum esset agi de usu transumpti confecti ante Constitutionis editionem juxta antiquam usitatam formam, ita ipse legis conditor, qui omnium melius eam declarare poterat, declaravit casum sub ea comprehendi, & consequenter, quod partes judicis essent deferendi declarationi, adversus quam pars cui præjudicium resultat, eumdem Principem adire debet; Verum ista difficultas pariter sublata fuit ex facto, quoniam observatum fuit hanc narrativam non adesse, ut supponebatur, sed solum deducebatur per argumentum omnino æquivocum, quod non concludebat in Papa scientiam dictæ circumstantiæ in facto.
19 Probabile quoque nimium videbatur alterum motivum justæ excusationis resultantis ab ignorantia, quæ satis verisimilis erat in proviso, utpote adolescenti adhuc scholari, non obstantibus decisionum responsionibus; Vel scilicet, quod lex postquam est publicata in Urbe, omnes afficit etiam ignorantes, vel quod paria sint scire ac scire debere, ideoque culposus dicatur ille, qui talem scientiam neglexit, quoniam hujusmodi propositiones quamvis rigorosæ, tolerabiles videntur ad effectum nullitatis actus, sive ad alterum exclusionis a jure assequendo, aliumque non adeo gravem, ac præjudicialem effectum, secus vero ad istum formalis privationis beneficii jam obtenti ac juris quæsiti, ad quem effectum exigitur perfecta & concludens probatio, & non sufficit præsumpta, juxta ea quæ distinguendo inter jus quæsitum & quærendum habentur pluries in præcedentibus, præsertim in Calaguritana Beneficii de Bilbao *disc.* 70. ac etiam *disc. proxime præced:* ubi quod neque indicia indubitata sufficiunt.

Et generaliter quod ad effectum pœnarum, seu alterius gravis præjudicii requiratur scientia certa & vera, & non
20 sufficiat præsumpta, vel ficta *ex glos. communiter recepta in c. concertationi, verbo sciverit, de appell. in* 6. Mohed. *dec.* 4. *de probat.* Seraph. *dec.* 1239. cum aliis collectis per Add. ad Greg. *dec.* 127. & per Add. *ad dec.* 542. *p.* 4. *rec. com.* 3. *n.* 98. *& seqq.* Potissime vero ubi non agitur de nova lege aggravante pœnam in iis, quæ sunt de genere malorum, ac naturaliter mala, seu pœnalia, sed agitur de his, quæ per novam legem ejusque prohibitionem efficiuntur mala, naturaliter autem non sunt talia, ut primo casu ignorantia non excuset, secus autem secundo; Et 21
nihilominus etiam in primo, data ignorantia probabili ob facti circumstantias eam juste excusantes, adhuc juxta unam opinionem, si non omnino cessat pœna, saltem temperanda est, ex iis quæ post Bart. *in leg. cunctos populos*, ac Tiraquell. *in ejus tractatu de pœnis temperandis*, & alios habentur plene deducta per Farinacc. *in fragm. verbo bannimenta, ex n.* 1. *cum seqq.* Unde cum versaremur in secunda parte actus, qui ita effectus erat accidentaliter malus; Ac etiam ageretur de adolescente adhuc scholis vacante, per cujus directores, vel conjunctos potius dictus actus sequutus fuit, nullatenus videbatur dictæ pœnæ locum esse.

Fortius vero ac pro meo judicio extra omnem difficultatem, cum ageretur de beneficio de tempore editæ hujus novæ legis jam perfecte assequuto, stante provisione ac expeditione litterarum in forma gratiosa, aliam perfectionem non expectante juxta distinctionem pluries in præcedentibus insinuatam, inter provisionem in forma gratiosa, ac alteram in forma *dignum*.

Hinc etenim resultare observabam non congrue, ne- 22
que bene applicari alios similes vacationis modos resultantes a supra insinuatis Constitutionibus Julii III. & Greg. XIII. percutientibus novas provisiones, quæ ita implicitam conditionem, vel suspensivam, vel solutivam continere videntur super concessione ipsius gratiæ perfectum effectum non sortituræ, vel resolubilis, nisi adimpleantur ea quæ adimplenda sunt, adeout privatio quæ a contraventione resultat, magis præseferre videatur quoddam impedimentum juris quærendi, seu resolutionem juris quæsiti sub tali conditione resolutiva, qua purificata actus habetur tamquam infectus ab initio, ex deductis apud Buratt. *dec.* 110. *n.* 11. Otthob. *dec.* 159. *n. fin.* & passim; Ideoque recte intrare videntur ea, quæ 23
juxta superius insinuatam distinctionem habemus in jure quærendo, facilius excludendo, ut contingeret in provisione, quæ fieret post istam Constitutionem, habente sub se implicitam conditionem, quod ipsius gratiæ provisionis exequutio non nisi ad ejus formam fieret, & sic magna differentia est inter unum casum & alterum.

Et his addebatur aliud solidum fundamentum resultans 24
ex deficiente corpore delicti omnino necessario, ex late deductis per Farinac. *q.* 2. *n.* 1. *cum seq.* ac magis proxime ad rem *q.* 151. *& seq.* ubi de materia abrasionis, vel falsificationis litterarum Apostolicarum, dum ex parte impetrantis exhibitum fuerat sumptum de sumpto, ac scri- 25
ptura omnino informis; Et quamvis in secunda *dec.* 123. *p.* 12. *rec. n.* 12. *& seqq.* alias *dec.* 51. post Tondut. *n.* 9. *cum seqq.* adversus istud motivum deducantur generales propositiones, quas in civilibus habemus circa fidem dandam scripturæ informi adminiculatæ, sive ex eo quod nihil contra eam in termino objectum fuerit; Attamen ista videbatur nimis impropria responsio, quoniam quicquid sit de dictis conclusionibus quoad effectus civiles, super quibus etiam suas habent difficultates, ex iis, quæ in materia scripturarum habentium formam probantem necne habentur in sua sede *sub tit. de judiciis*, ac etiam circa sumptum de sumpto aliquid insinuatur *sub tit. de dote, disc.* 26
24. ac alibi; Longa differentia est inter dictos effectus civiles modici, vel non adeo gravis præjudicii, ac istum effectum formalis pœnæ gravissimæ, ac ordinariæ privationis beneficiorum, quæ in beneficialibus assimilatur pœnæ capitali in temporalibus; Alia etiam notabili circumstantia accedente, quod neque justificabatur concludenter, an 27
possessio capta esset in vim dicti transumpti, vel potius in vim ipsarum litterarum originalium, dum etiam id adminiculative, seu præsumptive in decisionibus deducitur, unde si in civilibus prohibetur cumulus præsumptionum ac specialitatum, multo magis in pœnalibus & pro pœna gravissima ordinaria; Et consequenter aliud non rema- 28
nebat motivum considerabile, nisi jam dictum prudentiale, ob quod, privatum præjudicium, quandoque publico bono postponendum est, suoque malo facto imputent illi, cum quibus pro novæ legis exemplari observantia hujusmodi rigores adhibere oportet in primis casibus contingentibus; Verum ex facti qualitate maturius ponderata, consideratum fuit (& bene) quod vere omnis malitia, & culpa aberat, ideoque fuisset rigor omnino inordinatus, parumque rationabilis.

A N-

ANGLONEN. ARCHIPRESBYTERATUS, INTER JOANNEM ANTONIUM N. ET LEONARDUM ANTONIUM ZOTTAM.

Discursus pro veritate in casu varie deciso per Rotam.

De privatione beneficii ex causa residentiæ, ac de requisitis necessariis, ut ad eam valide procedi possit; Et an in tali specie vacationis intret affectio Apostolica, si possessor non residens morabatur in Curia; Et aliqua de possessorio retinendæ inter priorem possessorem privatum, ac noviter provisum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series alterius controversiæ in eodem beneficio.*
2 *Resolutiones in dicta altera controversia.*
3 *Resignatio dicitur imperfecta ac invalida, donec per Superiorem acceptetur, & tollet pœnitentia.*
4 *Clausula* sive præmisso &c. *non suffragatur ubi vacatio principaliter expressa non verificatur de facto.*
5 *Ad materiam Regulæ de triennali, & quando cesset.*
6 *De casu controversiæ circa residentiam.*
7 *Resolutiones causæ in ista controversia.*
8 *Ad effectum privationis beneficiorum in contumaciam præsertim ob residentiam requiritur citatio personalis.*
9 *Fallit ex dispositione S. C. T. qua attenta sufficit citatio per edictum.*
10 *Conciliare decretum procedit etiam ad effectum privationis.*
11 *Citatio per edictum procedit ubi ignoratur, ubi clericus reperiatur.*
12 *Conciliare decretum procedit in parochialibus, non autem in Dignitatibus & Canonicatibus.*
13 *Etiamsi Dignitati accessorie annexa sit cura animarum.*
14 *De excusatione resultante ab ætate, vel infirma valetudine.*
15 *Quando dicta excusatio, vel similis non sit admittenda.*
16 *Quando non curetur defectus citationis.*
17 *Lis non excusat a residentia.*
18 *An ista vacatio ob non residentiam sit de reservatis Sedi Apostolicæ remissive.*

D I S C. LXXVII.

1 DErelicta per Leonardum Antonium residentia sibi incumbente ratione Archipresbyteratus secundæ Dignitatis Ecclesiæ Cathedralis Anglonen. Cum illius temporis Episcopus de anno 1634 eum monuisset ad residendum sub pœnis a S. C. T. præscriptis, ipseque in dorso ejusdem monitionis respondisset quod renunciabat libere Archipresbyteratum; Hinc proinde de anno 1637. illum a Sede Apostolica, ex vacatione per liberam resignationem in manibus Ordinarii, impetravit Annibal Pasqua, contra quem Leonardus Antonius de anno 1638. judicium instituit pro dictæ dignitatis reintegratione, atque introducta desuper lite in Rota coram Coccino, illius prosequutionem neglexit usque ad annum 1650. in quo illa reassumpta coram Corrado subrogato, datoque dubio in possessorio, an scilicet eidem Leonardo Antonio danda esset manutentio, sub die 21.
2 Martii 1650. negativa prodiit resolutio, ex eo quod cecciderit a possessione facto proprio per dimissionem beneficii, comprobatum a diuturna observantia, rejectis dictæ dimissionis objectis nullitatibus, ac aliis de quibus proxime infra, ex recepta vulgari conclusione, quod in hoc judicio possessorio non quæritur de justitia, neque attenduntur concernentia negotium principale utpote remittenda ad judicium ordinarium petitorii.

Assumptaque deinde disputatione petitorii cor. Albergato subrogato super dubio, cui Archipresbyteratus adjudicandus, sub die 17. Maji 1652 pro Annibale secundo proviso responsum fuit, sed reproposita causa sub die 24. Apr. 1654 recedendo a decisis, prodiit resolutio Leonardo Antonio favorabilis confirmata 28 Junii sequentis, ad quarum decisionum normam expedita sententia & commissa causa appellationis per Signaturam Sanctissimi, sublata ulteriori appellatione cor. Meltio, sub die 5 Julii 1655. pro dictæ sententiæ confirmatione responsum fuit, atque ad normam decisionis emanata secunda sententia, istæ duæ conformes ex dicto rescripto Signaturæ Sanctissimi habentes vim trium, exequutioni demandatæ fuerunt unde Leonardus Antonius litem prosequutus est super fructibus, super quibus sub die 30. Maji 1657. cor. eodem Meltio, alia prodiit resolutio, quæ habetur impressa *par. 12. rec. dec.* 241.

Dictæque decisiones, editæ in negotio principali sunt 3
notabiles, in plerisque aliis deinde canonizatæ super pluribus conclusionibus; Primo scilicet ac principaliter in eo, quod cum hæc dimissio facta esset in dorso monitorii transmissi super residentia, absque eo quod constaret Episcopum in diverso loco existentem eam acceptasse, hinc proinde actus remansit imperfectus, ideoque integrum fuit dimittenti pœnitere; Cum enim inter Beneficiatum & Ecclesiam, cum acceptatione beneficii, inita dicatur quasi contractus, hinc ad istius dissolutionem non sufficit solus consensus Beneficiati, nisi etiam accedat ille Ecclesiæ, cujus vice, ac nomine illum explicet Episcopus, vel alter superior ad id habens potestatem, cum ita distractus exigat illum simultaneum consensum utriusque, sicut exigit contractus, quod etiam supra ad materiam resignationis pluries habetur; quamvis adesse videretur Episcopi consensus, seu acceptatio implicita per actum executionis litterarum provisionis Annibalis, quod in eisdem decisionibus supponitur sufficere; Attamen res non erat integra, dum tunc dictum Leonardum Antonium jam pœnituerat, unde cessabat conjunctio consensuum, ex qua perfectus actus, vel distractus resultat.

Secundo, firmatur conclusio, alias in præcedentibus in- 4
sinuata, ut expresso uno vacationis modo, non veniat alter, non obstante clausula, *sive præmisso &c.* quoties ille qui expressus est, de facto non verificatur, nec subsistit; Et fortius si alter de tempore provisionis neque adest, sed potius deinde supervenit, Cum etenim ex parte Annibalis possessoris diceretur, quod in omnem eventum actor a quocumque jure cecidisset ob non residentiam spatio annor. 16. circiter decursorum ante reassumptam litem cor. Corrado; Replicatur quod cum provisio esset ex capite resignationis, sustineri non potest ex altero non residentiæ, quatenus primum de facto non adsit; Ac etiam quod a tempore impetrationis citra imputari non poterat, cur non resederit, dum beneficium de facto ab alio possessum erat.

Et tertio, circa Regulam de triennali ex parte rei pos-
sessoris oppositam, dicitur non intrare stante lite mo- 5
ta, nedum infra annum, sed etiam antequam impetrator possessionem adipisceretur; Nil obstante quod dicta lis de anno 1638. cor. Coccino introducta esset in solo possessorio retinendæ, unde propterea dici non posset, quod fecisset beneficium litigiosum, ad quem effectum, receptum est, ut lis esse debeat super substantia, seu proprietate beneficii; Respondetur enim (& bene) quod, Aliud est agere ad effectum reddendi beneficium litigiosum; Aliud vero ad effectum impediendi cursum Regulæ de triennali, ad quem effectum sufficit possessionem non esse pacificam, ideoque quæcumque lis, vel molestia etiam extrajudicialis ac de facto id impedit; Cum ea differentia inter actus judiciales ac extrajudiciales, quod ubi agitur solum de molestiis extrajudicialibus, isti interrumpunt quidem præcedentem possessionem, sed eis cessatis, denuo dari potest triennium pacificum; Secus autem ubi lis mota est, quoniam tunc oportet, ut ea terminetur per rem judicatam, cum alias semper durare dicatur; atque collitigantem in mala fide constituere, cum de jure canonico instantia non pereat, sed sit perpetua; Solumque intrat desertio litis, copulative exigens longævum silentium, & malum jus, unde propterea nimium raro ad praxim deducitur, ut ad materiam hujus Regulæ de triennali advertitur infra, *disc.* 91. Illæ autem conclusiones ita solum relative, seu compendiose insinuantur ad notitiam hujusmo-
di decisionum, cum ego in causa non scripserim. 6

Sopita ista lite, alteram Leonardus Antonius introduxit contra Capitulum super pertinentia curæ animarum, ac successive emolumentorum ratione ejusdem curæ perceptorum, & quæ habetur enunciata infra, *sub tit. de Parochis*, atque sub hoc prætextu plurium annorum spatio effugere curavit residentiam, ad quam demum, instante novo Episcopo, per Sacram Congregationem Concilii, post plures dilationes accedere coactus, quamvis in Civitatem moram traxisset spatio quatuor circiter mensium, nunquam tamen in Cathedrali intervenit, neque divinis in suæ Dignitatis ministerio interfuit, missam etiam privatam in aliis Ecclesiis celebrando, deindeque denuo Urbem petiit. Quare Episcopus, seu ejus Vicarius cum citationibus per edictum, servatis terminis a Conc. Trid. præscriptis, eum privavit Archipresbyteratu, quem contulit Jo. Antonio cum subsequuta possessi-

possessione; Hisque peractis atque per Leonardum Antonium introducta lite in Rota coram Taja, pro veritate consultus fui ex parte dicti noviter provisi, seu verius ex parte Episcopi mei dilectissimi qui erat, idem de quo habetur *sub tit. de jurisdict. disc.* 20

Respondi quod ubi Rota procedere vellet cum rigorosis conclusionibus generalibus, potius per dictum provisum timendum esset, præsertim vero in possessorio ob defectum citationis, ac alia, de quibus infra; Secus autem ubi ob particulares facti circumstantias, (neglecto dicto rigore,) cum quadam lege prudentiali procedendum esset, ut pro meo sensu procedi debuisset; Talisque fuit causæ eventus, quoniam assumpta disputatione in possessorio retinendæ, seu manutentionis, sub die 29. Nov. 1666. pro Jo. Antonio noviter proviso responsum fuit. Verum reproposita causa sub die 1. Julii
7 1667. recedendo a decisis, concessa fuit manutentio dicto Leonardo Antonio antiquo possessori, atque ad normam secundæ decisionis concessa expeditione mandati de manutenendo, commissaque per Signaturam causa appellationis cum clausula translativa cor. Ottalora sub die 25. Junii 1668. pro ejusdem antiqui possessoris manutentione responsum fuit, cumque noviter provisus aliam ejusdem Ecclesiæ Dignitatem adeptus esset, ita litem deseruit, quam de facto quoque deseruit alter per mortem sequutam in Urbe, continuando in contumacia non residendi.

Ego ex prudentialibus motivis nolui scribere in causa tamquam Advocatus, omnia tamen, quæ hincinde in hujusmodi disputationibus deducta fuerunt, discursive insinuaveram in dicto Responso desuper edito pro veritate; Ad hanc autem reflectendo; Attento rigore conclusionum generalium quas in hac materia habemus, probabiliores dicebam ultimas resolutiones ad favorem antiqui possessoris, quæ principaliter editæ fuerunt ex judicii infectione ob defectum citationis personalis, quæ generaliter in omni materia, (cessante dolosa latitatione, seu alias culposo & affectato impedimento, necessaria est ad inducendum contumaciam veram, ob quam ad hujusmodi pœnam ordinariam procedi valeat, ex iis quæ occasione privationis beneficiorum ex aliis delictis habentur pluries in præcedentibus; Et in his terminis privationis ob non residentiam habetur *in cap. ex parte vestra, cum duob. seqq. de Clericis non residentibus*, ubi scribentes, Abb. *cons. 67. n. 2. l. 1. cum concord.* per Barb. *de Canonicis, c. 20.*
8 *n. 18. & 19.* per eadem verba (ut frequens est usus idem repetendi) *de Parochis, c. 8. n. 75.* Lotter. *l. 3. q. 27. n. 83. cum seq. & 89.* & in hujus causæ decisionibus, & per Fag. *in c. ex tua, de clericis non residentibus, n. 4. & 9. cum seqq.*

Non negabantur hæc (cessante, ut dictum est, culposa
9 latitatione, seu alias injusto ac affectato impedimento) attenta dispositione juris canonici; Dicebatur tamen id correctum, sive innovatum esse per S. C. T. *sess. 23. de refor. c. 1.* ubi expresse deciditur, ut etiam cum sola citatione per edictum contra absentem ad pœnas ibi inflictas procedi possit, ut late prosequitur Fagnan. *in d. c. ex tua.*

Et quamvis alias dubitatum fuerit, an cum hujusmodi
10 citatione procedi possit solum ad pœnas minores privationis fructuum, ac alias ibi contentas, non autem ad istam graviorem ac ordinariam privationis; Attamen S. Cong. ejusd. Conc. interpretum declaravit, ad istam quoque pœnam inclusive cum dicta citatione procedi posse, ut testatur Fagn. *in d. c. ex tua, n. 31 in fin.* atque dictum fuit per Rotam in una Calaguritana Canonicatus coram Cantuccio.

Verum difficultas erat in hujus Conciliaris decreti applicatione ad casum; Tum quia, cum Concilium tamquam nova lex interpretationem recipiat a jure communi, illud intelligendum videtur ad istius limites, quatenus scilicet absentia esset omnino culposa & injusta, atque incertum esset ubi clericus moraretur, cum cogi non debeat
11 Episcopus perquirere locum clerici vagabundi, secus autem ubi sibi innotescit locus, in quo moratur, ac residentia non est omnino culposa, sed ex aliquo motivo saltem colorata, cum tunc etiam in solo primo casu scientiæ debeat personaliter citari, ut per Fagn. *in d. c. ex tua, n. 4.* & Lotter. ubi supra; Multo magis dum utrumque in præsenti concurrebat, quoniam in facto per ejusdem Episcopi litteras familiares responsivas, ac alias species probationis justificabatur quod sibi recte innotesceret continua mora dicti Leonardi Antonii in Urbe, ac etiam innotesceret ejusdem moræ causa, dictæ scilicet litis cum Capitulo super juribus ac emolumentis Parochialibus, & consequenter quod tamquam in casu omisso per Concilium, intraret dispositio Canonum super citatione personali, ac etiam trina.

Et secundo quod dictum Conciliare decretum procedat in Ecclesiis parochialibus, non autem in Dignitatibus, Canonicatibus & beneficiis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, in quibus idem Concilium alibi diversimode providit, nempe *sess. 24. de refor. c. 12. §. propterea*, ubi disponitur, quod procedatur cum diversa forma, ut litteraliter patet ex textu Concilii, & advertitur per Fagn. *in d. c. ex tua, n. 14. & 15.* ubi advertitur mendosam esse declarationem Sac. Congreg. enunciatam per Mantic. *dec. 67. n. 6.* 12

Et propterea cum ageretur de secunda Dignitate Cathedralis, dictum fuit, (& bene) non intrare dictum decretum Conciliare cum citatione per edictum, ac non servata forma dicti alterius decreti in causæ decisionibus deducti; Nil obstante, quod huic Dignitati per eumdem possessorem prætenderetur incumbere curam animarum, quæ causa erat litis inter ipsum & Capitulum, quoniam ut pluries advertitur infra *sub tit. de Parochis*, ac etiam habetur supra in Nuscana Canonicatus, & in Melphiten. Cantoriæ, & in aliis, actus regulatur a principali, seu prædominante, non autem ab accessorio, seu consecutivo, & consequenter cura accessorie annexa Dignitati, non alterat ipsius Dignitatis naturam, seu qualitatem, neque reddit beneficium vere curatum, tam ad effectum formæ concursus, quam ad istum ac alios, ideoque istud beneficium cadere debet sub Conciliari decreto loquente de Dignitatibus, non autem sub altero de Parochialibus. 13

Magnum etiam fundamentum constitutum fuit in eo, quod idem Leonardus Antonius excusabilis censendus esset, cur ad residentiam non accesserit, tam ob aliquas licentias ex dicta causa litis habitas a Sac. Congreg. Concilii, quam etiam ob infirmam valetudinem, ac magis, ob decrepitam ætatem, sive utramque simul, ex quibus cum medicorum attestatione probabat adeo longævum iter sibi esse impossibile, istaque commiseratio (quæ vere ex inspectione personæ resultabat) fuit potissima causa resolutionum sibi favorabilium, in quibus etiam ponderatæ fuerunt aliquæ nullitates, resultantes scilicet a defectu jurisdictionis Vicarii non habentis ab Episcopo speciale mandatum procedendi ad hujusmodi privationem; ac etiam a defectu citationis per edictum male exequutæ per quemdam simplicem clericum, qui non erat Curiæ officialis, cum aliis in secunda & tertia decisione deductis, ac etiam in prima motivatis. 14

Ponderabam vero hæc recte procedere, attento rigore dictarum conclusionum, generaliter ac in abstracto, quando particulares facti circumstantiæ aliud non exigerent, dum præsertim decrepita ætas ac infirmitas de tempore istarum disputationum probabant impedimentum notorium per solam personæ inspectionem, absque alia medicorum attestatione; Credidissem tamen quod ex facti qualitate, ejusque tota serie, seu massa attenta, nimiam contumaciam ac pertinaciam non residendi comprobante, debuisset potius procedi cum regulis prudentialibus insinuatis supra in Montis Alti Parochialis *disc.* 15
73. Sive etiam, (satis proxime) cum iis quæ habentur infra *sub tit. de Canonicis &c.* in Sulmonen. distributionum *disc.* 12. super non admittenda excusatione infirmitatis alias per sacros Canones absque dubio probata, quando infirmus, seu alias juste impeditus, de tempore valido, vel non impedito, solitus erat non residere, seu non interesse Ecclesiæ servitio, cum ita intret contra eum mala præsumptio, quod si non esset infirmus, seu alias impeditus, neque resideret, vel interesset; Et hic videbatur casus, quoniam in substantia & de facto, continuato spatio annorum 30. numquam resederat; Et quod magis, cum coactus, ad residentiam accessisset, non solum, cum aliquo scandalo, propriæ Ecclesiæ servitium abhorruit, sed non obstantibus eisdem gravis ætatis ac infirmæ valetudinis impedimentis, quæ constabat tunc quoque vigere, novum aggressus est longævum iter ad Urbem sub solo minus justo prætextu assistendi liti, non super ipso beneficio, quod pacifice possidebat, sed super quadam levi ac accidentali prætensione emolumentorum parochialium, ideoque constabat de malo animo ac indurata contumacia, ob quam justum credidissem servare axioma, 16
quod quandoque pro aliorum exemplo, ordo sit ordinem non servare, ita etiam non curando dictum defectum citationis de juris rigore inevitabilem, ut ad aliud propositum advertit Lotter *d. l. 3. q. 27. n. 70.* ubi scilicet factum voluntatis residendi est liquidum.

Quodque absentia ex causa litis non dicatur justa, neque excuset a residentia, rationabiliter est receptum, cum lites etiam ab absentibus per Advocatos & Procuratores explicari possint, potissime ubi sunt leves, ut habetur infra *sub tit. de Canonicis* ad materiam fructuum ac distributionum percipiendarum necne per absentem. 17

In

In istis disputationibus actum etiam fuit de puncto (de quo tamen Ego in dicto discursu non egi,) super invaliditate scilicet provisionis factæ per Episcopum, quamvis juste ac valide ad dictam sententiam privatoriam processum fuisset, stante quod possessor Beneficii morabatur in Urbe, & ob quam moram, beneficii vacatio sequuta erat, nedum ex dispositione Canonum & S. C. T. sed etiam ex edicto Cardinalis Vicarii singulis annis publicari solito contra non residentes cum pœna privationis ipso jure ipsoque facto incurrendæ, elapso termino in eodem edicto prefixo ad discedendum ab Urbe; An scilicet ita vacatio dici possit sequuta in Curia, & consequenter, quod intraret reservatio Apostolica inficiens provisionem Ordinarii, super quo in utraque decisione coram Taja plura hinc inde deducuntur, distinguendo inter vacationem ex actu negativo, & alteram ex positivo, seu affirmativo, absque eo quod desuper aliquid per Rotam firmaretur, sed totum in forma discursiva, ac magis ex mente unius ex Dominis; Super quo tamen Ego, utpote non scribens in causa, maturum judicium efformare non potui, neque adhuc occasio præbuit id formiter disputandi, cum stante rigore dictarum conclusionum, rari sint casus, in quibus hujusmodi vacatio resultet, ut ego in pluribus causis consimilibus sum expertus, præsertim in una Januen. Primiceriatus pro Abb. Queirolo, & in una Ostunen. Canonicatus, & in aliis.

VERCELLEN. COADJUTORIÆ
PRO BULGARO
CUM CRAVERIO.

Responsum pro veritate.

De invaliditate coadjutoriæ ex defectu narratæ infirmitatis, Et ex defectu liberi consensus præstiti per coadjutum existentem in vinculis, seu alias vim patientem. Et generaliter de quocumque alio non libero consensu præstito resignationi, vel reservationi pensionis &c.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De Coadjutoria concessa ex sola causa infirmitatis, vel clausula, seu certis de causis.*
3 *Ubi adest dicta clausula, substinetur gratia etiam si non verificetur infirmitas, sive verificetur alia causa.*
4 *Ubi vero adest, qualis debeat esset infirmitas.*
5 *Ubi adest senectus, non est opus justificare infirmitatem, & an exercitium alterius muneris obstet.*
6 *Resignatio facta per vim & metum est nulla.*
7 *Etiamsi metus sit indirectus.*
8 *Quando actus factus in carcere dicatur nulius.*
9 *An suffragetur cautela quod actus fiat extra carceres.*

DISC. LXXVIII.

Cum Craverius Canonicus Vercellen. occasione belli detentus in arce Principis inimici ejus Principis na-
1 turalis, ex motivo infirmitatis, mandatum dedisset ad consentiendum coadjutorie cum futura successione in ejus Canonicatu ad favorem Bulgari, qui expeditis litteris Apostolicis, plurium annorum spatio in possessione continuavit; Atque adhuc durante coadjuti impedimento, exorta esset fama, quod ille intenderet, ut alteri de Canonicatu per resignationem gratificaretur, dictam coadjutoriam impugnare ex duplici capite: Primo scilicet ex non subsistente causa infirmitatis, ob quam coadjutoria concessa fuit; Et secundo ob defectum liberi consensus præstiti in vinculis, juxta dispositionem text. *in l. qui in carcerem, ff. de eo quod metus causa*; Hinc desuper ex parte Bulgari consultus

Respondi distinguendo prædictæ jactatæ impugnationis capita; Quatenus enim pertinet ad primum infirmitatis, dixi inspiciendum esse tenorem supplicationis, ac litterarum, an scilicet gratia concessa esset ex sola infirmitate, quæ narrata esset tamquam unica, ad quam
2 coadjutus ac Papa se arctarent, vel potius concepta esset per alternativam concipi solitam cum illis verbis, *seu certis de causis animum moventibus*.

Isto enim secundo casu, cum de facto adesset alia justa causa dicti impedimenti, quod ex facti circumstantiis veri-
3 similiter perpetuum, seu diu duraturum erat, dixi, quod cessante etiam justificatione infirmitatis, non per hoc gratia corruebat, cum neque Papa, neque coadjutus ad illam causam se arctassent, atque subsisteret altera æque habilis, & sufficiens, quæ etiam cum jurata attestatione justificari potest, ut *dec. 48. n. 8. part. 11. rec.* quamvis ex prudentialibus motivis ad speciem redacta non esset, sed implicite contenta sub dicta generalitate, quam tamen sufficit verificari, ut est necessarium juxta *dec. 63.* Putei *l. 1.* enunciatam *d. dec. 48. n. 9. par. 11. rec.*

In primo autem casu restrictionis gratiæ ad dictam solam causam infirmitatis, quatenus ista non bene justificaretur, dixi probabiliter timendum esse, cum ad hunc effectum infirmitas debeat esse talis, ut perpetuum redoleat impedimentum, absque probabili spe future prosperitatis, Gonzal. *ad reg. 8. glos. 5. § 9. n. 89* Caputaq. *dec. 91. p. 2.* Burat. *dec. 548. n. 2. & 3. dec. 48. n. 13. p. 11. rec. & in aliis.* 4

Nisi admixta etiam sit gravis ætas, quæ senectutem importet, quoniam tunc ipsa senectus morbus dicitur perpetuus ac incurabilis, ut habetur *d. dec. 48. part. 11. rec.* ubi advertitur non obstare, quod coadjutus in alio munere, ac sub diverso aere, ex illius beneficio, seu ex muneris diverso labore se exercere possit. 5

Quo vero ad alterum defectum consensus ratione justi metus, vel coactionis veræ, seu interpretativæ; Dixi resolutionem pendere ex facto, ac probationibus, quæ metum, vel coactionem concludant necne: Posita enim probatione, resultat de consequenti nullitas actus; Ut ultra generalia, de quibus *tot. tit. de eo quod metus causa* in specialibus terminis resignationis beneficii, cæteris relatis Paris. *de resignat. l. 13. q. 1. n. 120.* Rota in alia Vercellen. Præpositurae 11. Dec. 1657. & 5. Julii 1649. cor. Bichio, *dec. 131. & 341. p. 10. rec.* & apud Cels. *dec. 7. n. 8.* Idque adeo verum, ut etiamsi metus non sit incussus directe ipsi possessori beneficii, sed ejus fratri, vel alteri conjuncto injuste carcerato, seu alias concusso, adhuc ad illum effectum sufficiat, ut de carceratione fratris habetur *in d. dec. 132. & 341 p. 10. rec.* 6 7

Quatenus vero absque alia extrinseca speciali probatione prætenderetur, vim, & metum deduci ex sola qualitate carcerationis, juxta terminos textus *in d. l. qui in carcerem, ff. de eo quod metus causa*; respondi probabiliter timendum non esse, quoniam ad effectum ut actus gestus in carcere dicatur per vim & metum, duo copulative requiruntur; Primo scilicet carceratio injusta; Et secundo quod ordinata sit ad illum actum faciendum, sive quod actus tendat ad commodum carcerantis, vel ejus, qui procuravit injustam carcerationem, seu ejus conjunctorum, ex iis quæ plene cæteris relatis habentur apud Farin. *qu. 35. n. 32. cum seq.* Rot. apud Merlin. *dec. 506.* alias *dec. 26. p. 6. rec.* apud Carill. *dec. 272.* apud Otthob. *dec. 205. dec. 348. p. 9 rec.* & pluries *sub tit. de credito*, ac altero *de contract.* & in specialibus terminis beneficialibus in d. Vercell. cor. Bichio, *dec. 132. & 341. part 10.* 8

Applicando autem ad rem; Dicebam quod quidquid sit de primo requisito, pro quo in dubio videbatur urgere præsumptio ob detentionem clerici in arce sæculari & cum sæculari auctoritate, donec constaret cum auctoritate Superioris ecclesiastici id gestum esse; Certum erat non adesse alterum, cum carceratio ad plures annos præcedenter sequuta esset ex publica, seu politica causa belli, absque eo quod iste coadjutor, vel sui, nec remote in hoc aliquam participationem habuissent, ideoque revera illud motivum nullo pacto subsistere videbatur.

In aliquibus autem responsis de partibus, non descendendo ad hæc specialia, magnum ac pene totum fundamentum constitui videbatur in eo, quod in mandato procuræ dato per coadjutum ad præstandum consensum in Dataria, adhibita esset illa cautela, quæ frequentius in partibus adhiberi solet, educendi carceratum a carcere forma ad aulam cancellarii, seu alterius officialis intra eandem arcem, seu eamdem domum, in qua sunt carceres, idque exprimendi in instrumento, dicendo *extra carceres ac in libertate existens.* 9

Verum respondi in hoc nullum penitus fundamentum constituendum esse, istamque insipidam affectatam cautelam, posita injusta carceratione ac alio requisito, quod actus tenderet ad commodum carcerantis, vel alterius ab eo dependentis, semper per Rot. & Curiam neglectam ac irrisam fuisse, ut presertim patet apud Caril. *d. dec. 271. & in d. dec. 348. p. 9. rec.* & habetur in sua materia *sub tit. de credito*, ac sub altero *de contractibus*; Ex ea convincenti ratione, quod lex imposita est rebus, non autem verbis atque substantia veritatis, non autem verborum formalitas attendi debet, ideoque nihil refert, an faciens actum sit in formalibus vinculis, vel in alia aula, seu loco ejusdem areis, vel domus,

mus, quoties idem resultat effectus impeditæ libertatis, quam contrahens non habeat pro libito discedendi, sive faciat actum, sive non; Quinimo etiamsi extrahatur a tota arce, seu tota domo, atque actus fiat in platea, vel via publica, vel in domo propria ipsius, si tamen est sub custodia militum, aut sub aliqua gravi cautione de redeundo in carceres, quo denuo pati cogatur, nisi actum faciat, idem dicendum est, quoniam ut dictum est, spectatur effectus ac substantia veritatis, non autem formalitas verborum, seu loci; Et tamen, ut sæpius sum expertus in plerisque causis, præsertim in nullius Baren. de qua *d. dec.* 348. *p.* 9. *rec.* ubi scribebam pro Continisio, Consulentes de partibus hinc inde, in hoc motivo principaliter insistebant circa qualitatem loci materialis, an scilicet esset intra, vel extra carceres formales, quasi quod in hoc totum causæ pondus consisteret.

ANNOT. AD DISC. LXXVIII.

DE coadjutoriis notatum est supra ad *disc.* 42.

PORTUGALLIEN. PRO PETRO DE TAVORA.

Responsum pro veritate.

Ad materiam text. in c. *nisi essent, de præbendis*, An scilicet ad componendam litem super beneficio ex judicio arbitrorum, vel ex privata conventione, conveniri possit de annua pensione, sive de alia re temporali citra simoniæ vitium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Ad materiam text. in c.* nisi essent, de præben. *quomodo scilicet pro componenda lite aliquid dari possit.*
3 *Declaratur, ut non per hoc ipsum beneficium gravari possit.*
4 *In conventionibus super beneficiis ante revalidationem Apostolicam locus est pænitentiæ.*
5 *Sed in casu pænitentiæ, & nullitatis fit regressus ad primæva jura.*
6 *Conventio non est simoniaca si habet reservationem beneplaciti Apostolici.*
7 *Intellige nisi sit consummata.*
8 *In beneficialibus datur multiplicatio titulorum, absque eo quod unus alteri præjudicet.*
9 *De alio casu concordiæ super lite beneficiali, absque eo quod intret simonia.*

D I S C. LXXIX.

1 LItigantibus Petro, & Ludovico eque presentatis a diversis patronis ad Canonicatum cujusdam Ecclesiæ Cathedralis Portugalliæ de jurepatronatus laicorum, initoque compromisso, Arbitri laudarunt, Petrum assequi debere Canonicatum, cum onere annuæ pensionis scut. 300. ad favorem Ludovici collitigantis, sub reservatione beneplaciti Apostolici, ita tamen quod ex tunc illico, tam possessio Canonicatus, quam solutio pensionis effectum fortiri deberent; Petrus vero qui alias Canonicatus possessionem in vim institutionis de facto adeptus fuerat, plurium annorum spatio pensionem solvere renuit. Quare Ludovico volente, vel se jactante ad id eum cogere, ac forsan coram Judice de partibus eum molestante; Aliquibus etiam vociferantibus; Canonicatum ob simoniam ita contractam, esse impetrabilem, hinc desuper ex parte dicti Petri pro veritate super utroque puncto consultus fui.

Ad primum circa molestias, quæ pro solutione pen-
sionis ab initio, quo ut supra per arbitros reservata,
2 inferebantur, seu comminabantur, respondi planum es-
se, quod de dictis molestiis timeri non deberet, ob evidentem dictæ reservationis nullitatem; Quamvis enim per text. *in d. c. nisi essent, de præbendis*, permitti videatur ex judicio Arbitrorum, seu alias per transactionem bona fide, ac sincere citra fraudem aliquam inita, pro componenda lite, posse per eum, cui remanet beneficium, dari, vel promitti aliquid temporale alteri a lite recedenti, suoque juri cedenti; Attamen juxta veram ac receptam dicti canonis interpretationem, intelligitur ubi daretur, vel promitteretur aliquid temporale, puta pecunia, vel alia res, seu etiam annua præstatio vitalitia recompensativa commodi, quod dimittens, saltem in parte cum justa æstimatione incerti eventus litis obtinere posset, cum obligatione collitigantis, seu alterius pro eo se obligantis mere temporalis in persona & bonis propriis, absque
tamen aliquo ipsius beneficii gravamine; Et consequen-
ter pensio super ipso beneficio imposita non accedente 3
Apostolica auctoritate omnino invalida est; Taleque laudum, seu conventio neque ipsum beneficiatum contrahentem afficit, ut ita distinguendo firmant Lambertin. *de jurepatron. l.* 3. *q.* 9. *art.* 9. Bellet. *disquisit. cler. tit. de cler. debitor.* §. 6. *n.* 7. *& seqq.* & alii relati in infra *alleg. dec.* Dunozett. ac sic firmatum fuit per Rotam apud Pæniam *dec.* 453. juxta Lugdun. alias *dec.* 352. juxta Venetam, & apud Dunozett. *dec.* 982. *n.* 9. *cum seqq.* ubi in specie ita distinguendo respondetur ad dictum text. *in cap. nisi*.

Cumque in hac materia receptum sit, ut quæcumque 4
conventio re integra sit revocabilis, ac recipiat pænitentiam, ut de mandato dato ad resignandum habetur supra in Toletana *disc.* 38. Et de mandato, vel altera conventione super reservatione pensionis habetur in Aversana & in aliis *sub tit. de pensionibus*; Hinc proinde dicebam quod possessor beneficii, sive ex laudo, sive ex transactione super ejus emologatione re integra & ante Apostolicam revalidationem invitus cogi non possit, liberque locus remaneat pænitentiæ, quodque solum stante invaliditate actus, perinde ac si gestus non esset, per collitigantem
prætendi posset regressus ad ejus jura in vim præsenta- 5
tionis competentia, litem in statu & terminis reassumendo, ut advertitur apud Pæniam ubi supra.

Quo vero ad alterum punctum simoniæ; Pariter dixi 6
timendum non esset, cum adesset expressa reservatio beneplaciti Apostolici, qua concurrente, quoties ad conventionis consummationem ante beneplaciti impetrationem non proceditur, conventio simoniaca dici non potest, ex iis quæ habentur superius deducta in Toletana Archipresbyteratus *disc.* 36 ac in decisionibus in ea causa editis coram Albergato, ibi recensitis.

Et quamvis in facto supponeretur quod Antonius in
vim dicti laudi, beneficii possessionem denuo adeptus 7
esset, seu eam pacificam obtinuisset, alias non obtenturus, ideo data consummatione, dicta reservatio non suffragatur, ut in *d. disc.* 36. Dicebam tamen, quod cum ipse legitimum haberet titulum præsentationis, ac institutionis, cujus vigore jam possessionem adeptus fuerat, ita impeditam, vel contradictam, hinc recte
potuit, ad removendas molestias, uti isto titulo cumula-
tive ad superabundantiam, cum in beneficialibus detur 8
hæc multiplicatio, nullum inducens præjudicium juxta *cons.* 7. Cald. *de elect.* Mant *dec* 359. *n.* 8. Buratt. & Add. *dec.* 686. *&* 926. *& passim*; Sufficit ergo quod conventio non sit causa unica, ac præcisa & immediata, per quam beneficiarus obtineat beneficium, quodque simoniaca promissio, facta præsertim sub dicta reservatione consummata non fuerit, cum virium consistat in consummatione, ex deductis per Vermil. *cons.* 162. cum aliis in dicta Toletana Archipresbyteratus *disc.* 36. Ideoque concludebam de
alio timendum non videri, nisi de regressu ad primæva ju-
ra & de litis reassumptione. Hinc in quodam alio casu; 9
Cum vacante simplici beneficio de jurepatronatus laicorum, ex duobus, qui a patronis, inter se discordantibus præsentati fuerant, unus altero diligentior, in vim provisionis Apostolicæ cum derogatione medietatis vocum, possessionem adeptus esset; Altero vero prætendens habere majorem partem vocum, de consequenti prætenderet dictæ derogationis invaliditatem, sibique institutionem debitam esse, ac desuper penderet lis, ad istam componendam, utriusque litigantis parentes, absentibus ipsis litigantibus, sed bene scientibus, contractum inierunt cujusdam modicæ vitalitiæ præstationis longe inferioris fructibus beneficii, ac proportionatæ æstimationi dicti incerti eventus litis; adeout possessori beneficii, vel ejus parenti forte magis expediret dictæ temporali præstationi, quam ipsius litis sumptibus & incommodis subjacere; Cumque prætenderetur ita commissam esse simoniam, ob quam resultaret beneficii amissio, quodque de illius impetratione timendum esset; Respondi parum probabilem videri timorem, dum ex facti qualitate constabat quod actus esset initus cum optima, sinceraque fide ad componendam litem satis dubiam, ac dispendiosam, aliorumque scandalorum & inconvenientium verisimiliter productivam, atque conventio non importabat onus beneficii, juxta dictam dispositionem text. *in c. nisi essent, de præbendis*; Potissime vero, dum neque actus inter eosdem litigantes, & in hanc causam initus erat, sed inter parentes, unde cessabat etiam occasio scandali de facto apud vulgus; Ac etiam quia possessor beneficii, jam illud ante conventionem habebat in vim dicti legitimi tituli provisionis Apostolicæ obtentæ ab executore in

litteris

decisio, ac dicta circumstantia supra deducta in primo fundamento, quod sub hac expressa lege Vincentius rectoriam petiisset, ac obtinuisset, fuerunt potissima fundamenta, quibus tam judex, quam Signatura, pro majori parte innixi sunt.

Mihi scribenti pro Vincentio, reflectendo ad solam veritatem, hujusmodi resolutiones non placuerunt, quamvis admitterem tamquam veras in suis respecti-
7 ve casibus, tam primam regulam generalem deductam ex dispositione, vel ratione dicti text. *in l. si quis conductionis, C. locati*, quam etiam alteram beneficialem super facultate dimittendi ad nutum annuales ex sola voluntate etiam sine causa; Credebam enim, fallaciam consistere in modo, & consequenter in dictarum conclusionum mala applicatione, ex qua frequentius pœne omnes injustitiæ resultant.

Ad hanc autem malam applicationem ostendendam, tollendaque æquivoca, præsertim circa dictam beneficialem
8 regulam super facultate amovendi manuales, dictarumque decisionum intelligentiam, Advertebam, erroneum esse decisiones, ac auctoritates prædictas ita in idem consarcinare, ac insimul confundere, dictamque regulam indefinite attendere, sed plures diversos casus distingui debere.

Quorum primus est, in beneficiis, vel officiis ac Prælaturis regularibus, in quibus ratione obedientiæ, quam isti vovent ac profitentur, non datur titulus perpetuus, sed omnia ad simplicem Superioris nutum amo-
9 vibilia, ex dicta ratione obedientiæ, ob quam religioso licentia non tribuitur proprio superiori replicandi, & in his terminis procedunt deducta per Fagnan. *in dicto cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum*, & Rot. *d. decis.778. part.2. divers.* quæ propterea non bene deducitur in quæstione quæ habeatur super cappellaniis sæcularibus, quæ regulariter diversam, immo oppositam naturam habent, quoniam sicuti regulares sunt de natura amovibiles, ita sæculares sunt de sui natura perpetuæ, Cassad. *dec. 4. de præbend.* Cavaler. *decis. 72. num. 3.* & tamquam absolutum admittitur in omnibus supra
10 allegatis decisionibus, ideoque dictæ, vel similes auctoritates loquentes de Regularibus, extraneæ sunt a quæstionibus, in quibus agatur de sæcularibus, atque hic est unus de intolerabilibus collectorum erroribus, ita commiscendi triticum cum hordeo, vel paleam cum fœno.

Alter casus est, in quo agatur de officiis mere servitoriis ad Ecclesiæ servitium magis temporale quam spirituale, ut sunt Ostiarii & campanarii, organistæ, aliique cantores, ac similes, sub annua, vel menstrua mercede, vere jure famulorum conducti, absque aliqua mixtura juris, vel ministerii ecclesiastici, & de istis agitur in dicta *dec. 96.*
11 Carilli, quod scilicet etiam per Ecclesiarum Oeconomos, vel administratores laicos ad nutum deputantur, ac amoventur sine causa. Verum pariter iste casus extraneus est a materia beneficiali, cum in eis nulla concurrat mixtura ministerii ecclesiastici, & consequenter dicta *decis. 69.* Carilli, quæ magnificabatur tamquam punctualis, extranea erat a quæstione.

Tertius est casus præcedenti proximus (aliquam tamen majorem recipiens dubitationem ratione ministe-
12 rii spiritualis) in illis presbyteris, vel clericis, qui per Ecclesiæ administratores pariter, sub annua, vel menstrua mercede ex eodem titulo conductitio deputantur pro missis celebrandis, aliisque peragendis, Ecclesiæ cultum, ac servitium concernentibus, ut ex. gr. in Urbe sunt Ecclesiæ nationales, Hispanorum, Gallorum, Germanorum & similes, quod notabilem habent hujusmodi sacerdotum & clericorum numerum Ecclesiæ inservientium cum solemni celebratione divinorum, ac missarum conventualium, adinstar cujuslibet qualificatæ Cathedralis, vel insignis Collegiatæ; sed tamen omnes sunt conductitii, nullum jus, vel titulum habentes, ideoque sunt ad nutum jure famulorum amovibiles absque causa, vel auctoritate superioris, quoties ipsius Ecclesiæ, vel nationis leges particulares aliter non disponant, atque de istis agitur in dicta Sulmonen. juris amovendi Cappellanos 10. Januarii 1659. cor. Priolo.

Quartus est casus eorumdem cappellanorum & clericorum, qui sine aliquo titulo collativo assumuntur ad servi-
13 tium Ecclesiæ per illius Rectorem, vel Capitulum Cathedralis, seu Collegiatæ, aut per congregationem aliorum cappellanorum, ita quamdam Capituli speciem constituentium; admissio tamen non est mere voluntaria & facultativa in sola ratione famulatus, juxta casum proxime præcedentem, sed est quodammodo necessaria, quia nempe naturales loci admitti debent ad Ecclesiæ servitium, ut supportatis aliquibus oneribus, atque concurrentibus in eis requisitis desideratis per Ecclesiæ statuta, vel consuetudines admittantur ad participationem massæ communis, juxta casus frequenter enunciatos *infra sub tit. de Canon. & Capit.* præsertim in Reggien. Consortii, & in Neritonen. Statuti *disc. 19. & 21.* cum similibus; Et tunc verius est, dictam regulam non intrare, quoniam licet isti non habeant verum titulum collativum, attamen habent quemdam titulum, qui resultat a Statuto, vel consuetudine Ecclesiæ ob nationalitatem, unde, ut advertitur supra in Melphien. Cantoriæ *disc. 55.* ac in dictis locis *sub tit. de Capitulo*, in plerisque Ecclesiis, nationales admis- 14
si promoventur ad sacros ordines ad titulum hujusmodi massæ, seu participationis.

Non quod ista promotio alteret naturam manualium, atque adimat facultatem dimittendi, quoniam factum Episcopi promoventis præjudicare non potest tertio in ejus jure, ideoque potius dicendum est quod male gessit, ut in specie Garz. *de benefic. par. 1. cap. 2. n. 91.* in addit. & neglectum fuit in Sulmonen. Sed tamquam argumentum, quod ista admissio ad servitium, seu aggregatio ad massam, utpote canonizativa requisitorum, sine quibus posset quis non admitti, tribuit jus & quamdam speciem tituli, ut in dicta Reggien. consortii, & in dicta Neritonen. in quibus aliæ causæ enunciantur; Atque de ista specie Congregationum figuram Capituli, seu Collegii facientium ex prærogativa civilitatis, seu naturalitatis occasione agendi de collegialitate Ecclesiæ pro reservatione primæ dignitatis habetur in Venusiana apud Carillum 15
dec. 41. & 60. quarum prima repetita *dec. 143. part. 7. rec.* & in Matheranen. coram Corrado *dec. 147. part. 10. rec.* & habetur etiam pluries supra in hac materia primæ dignitatis in Collegiata; Unde propterea quamvis presbyteri, & cappellani jure conductitio assumpti sub menstrua, vel annua mercede ad servitium Ecclesiæ per ejus administratores, juxta exempla superius insinuata ac similia, de facto facere videantur eamdem figuram, quam faciunt presbyteri, & cappellani naturales ex consuetudine admissi ad participationem massæ, cum omnes pariformiter dicantur manuales, ac non habentes titulum collativum; Attamen magna differentia est inter unam, & alteram speciem, ratione diversi tituli, seu juris, cum quo ad Ecclesiæ servitium admittuntur, hinc proinde clarus error est, ea, quæ circa manualitatem conductiorum in jure habentur, applicare aliis admissis ex dicta prærogativa per quamdam speciem necessitatis; Verum pariter iste casus extraneus erat a præsenti quæstione, & consequenter extraneæ remanebant auctoritates dictum alium casum percutientes.

Quintus casus est illarum Ecclesiarum etiam parochialium, quæ unitæ, seu annexæ sint alicui Capitulo, vel 16
Dignitati, seu Prælaturæ, vel etiam Episcopatui, ut frequentius contingit in Hispania, quod cum parochiæ non sint distinctæ, neque conferantur in titulum, universa animarum cura est pœnes Episcopum: omnesque Ecclesiæ parochiales diœcesis annexæ dicuntur Episcopatui, unde Episcopus, vel respective Capitulum, seu Monasterium, aut Dignitas, cui talis cura, seu Ecclesia annexa est, deputat vicarios, aliosque ministros ad exercitium curæ, vel ad Ecclesiæ servitium; Et tunc nisi agatur de vicariis perpetuis & collativis, ut sunt in Urbe ex infra dicendis, hujusmodi vicarii habentur tamquam nudi famuli conductitii ad nutum amovibiles, cum Rector ac sponsus Ecclesiæ dicatur ipse Episcopus, vel Capitulum, seu dignitas &c. Et hic est casus, de quo agunt Lotter. & Barbos. *ubi supra*, & dictæ decisiones in Hispalen. juris amovendi curatos coram Peutingero, & in Pampilonen. coram Albergato, & similes, quæ pariter utpote percutientes casum diversum, extraneæ erant ab illo præsentis controversiæ, & tamen cum eis processum fuit, ac si deciderent casum in individuo.

Sextus est casus cappellaniarum manualium, seu ad nominationem laicorum, aut etiam hujusmodi piarum societatum & congregationem, aliarumque universitatum, sed cappellaniæ nullam habent formalem funda- 17
tionem cum auctoritate superioris, neque in istius provisione talis auctoritas præcise necessaria sit, ut contingit in illis cappellanis, quos piæ societates, vel congregationes conductos retinent pro cultu Ecclesiæ, vel oratorii, sive sint illæ cappellaniæ, quæ ex piis morientium dispositionibus cum sua dote, adinstar beneficiorum simplicium ordinantur, absque tamen formali erectione in beneficium cum auctoritate Ordinarii; Et tunc in effectu non sunt beneficia Ecclesiastica, neque sub regulis beneficialibus cadunt, sed dicuntur legata pia cum onere missarum, juxta firmata apud Dunozett.

dec. 101. *repetit.* apud Marin. *resol.* 36. *lib.* 1. *dec.* 238. *p.* 5. *rec.* & in Civit. plebis Cappellaniæ *sub tit. de jurep. disc.* 37. unde propterea hujusmodi cappellaniarum sunt capaces
18 etiam laici, quinimo infantes ac mulieres, Burart. *decis.* 1. *n.* 17. *& seq.* & habetur infra, *disc.* 97. ad materiam manualium in genere; Et consequenter ubi ex eadem pia dispositione sunt manualia, de plano intrat eadem facultas amovendi ad nutum ex mera voluntate & sine causa, cum pariter jure famulorum censeantur, nisi admixta sit etiam qualitas passiva, quia nempe agatur de cappellania, seu legato pro clericis de familia, vel genere, juxta
19 casum de quo in Licien. coram Otthobono *decis.* 270. & in eadem coram Celso *decis.* 159. & 183. quoniam tunc, licet expresse demandata sit manualitas, sive quod nulla accedat formalis erectio cum auctoritate superioris, attamen ista est prudens cautela ad tollendam formalitatem beneficii, atque occurrendum illis provisionibus, quæ fieri solent etiam de beneficiis jurispatronatus laicorum, cum istius derogatione, (ad quem effectum inolevit usus ordinandi privata auctoritate ac per speciem legati pii hujusmodi cappellanias manuales) sed si testator voluit deferri personæ certam qualitatem habenti, inesse videtur illa necessitas, seu irrevocabilitas, quæ generaliter etiam in prophanis habetur in legatis & fideicommissis, etiamsi alter proximior, vel prædilectus superveniat, juxta ea quæ ad doctrinam Lamberti de Rambonibus frequenter habentur *sub tit. de fideicommissis*.

Septimus demum est proprius ac præcisus casus hujus controversiæ, ubi scilicet agitur de Ecclesia paro-
20 chiali, vel aliam administrationem habente, alias conferri solita in titulum, ac habente proprium Rectorem, quæ deinde concedatur laicis privatis, vel etiam hujusmodi piis laicorum societatibus aliisque universitatibus incapacibus tituli ac rectoriæ Ecclesiæ, itaut pœnes concessionarios residere non possit cura habitualis, vel rectoria, ut contingit in Capitulis & Monasteriis, aliisque corporibus ecclesiasticis; Et tunc aliud non importat, nisi quoddam juspatronatus cum facultate extraordinaria præsentandi rectorem, vel cappellanum amovibilem, instituendum tamen cum auctoritate Ordinarii, vel alterius legitimi superioris ecclesiastici, ut est casus noster, quod ex eadem Apostolica concessione societas nominare, seu præsentare debet cappellanum Cardinali Titulari Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso, a quo prævia approbatione, tam circa litteraturam, quam circa mores, est instituendus.

Quo posito, cum sensu etiam veritatis, dicebam impossibile, ac in jure prorsus contradictorium esse, ut laicis jus competere deberet propria auctoritate destituendi illum cappellanum, quem cum sua auctoritate instituere ac depu-
21 tare non poterant, nec deputarunt, non solum ex regula generali, quod unumquodque solvendum est cum eo vinculo, cum quo ligatum est; Sed fortius quia difficilius conceditur facultas destituendi, quam instituendi, neque ab una ad alteram inferre licet; ut advertunt Lambert. *de jurepatr. lib.* 2 *p.* 3. *q.* 1. *art.* 10 *&* 14 *& lib.* 3. *q.* 6. *art.* 9. *&* 10. Vivian *cod. tract. part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 3. *n.* 13. Quinimo, ut advertitur in præcedentibus ad materiam resignationis, habemus in jure, quod inferior collator potest quidem conferre beneficium, vel in eo ad aliorum præsentationem instituere, & tamen non potest institutum, vel provisum admittere ad ejusdem beneficii resignationem, quæ admittenda est per Ordinarium, vel alterum, pœnes quem
22 resideat jurisdictio ordinaria, vel quasi, ob quam nomine Ecclesiæ, distractum facere possit.

Et consequenter dicebam, competere quidem hujusmodi societati, juxta dictam decisionem Dunozetti, facultatem amovendi hujusmodi curatum, seu cappellanum, qui prætendere non potest titulum, seu continuationem jure proprio, ipsa societate invita, sed cum debitis terminis, ac per eam viam, per quam deputatio, seu institutio facta fuit, instando scilicet apud eumdem Cardinalem Titularem, vel alium legitimum superiorem, ut amoveat, atque amotione sequuta, ipsa societas alium nominare possit, cui, prævio examine, institui debeat; Atque in hoc consistebat manifestum gravamen, unde meus intellectus percipere non poterat, cum quo fundamento ita per Signaturam rescriberetur; Esset enim ita dare, quod in facultate laicorum repositum esset amovere pro libito rectorem, seu cappellanum deputatum ad curam animarum; atque ita relinquere oves sine pastore inscio superiore, quo nil absurdius.

23 Neque ad rem faciebant dictæ decisiones Hispalen. cum quibus sub consueta cæca fide deferendi decisionibus ac auctoritatibus, non distinguendo casum a casu, processum fuit, quoniam in eo casu Episcopus est proprius Rector, cui commissæ sunt oves pascendæ, mediantibus ministris ab eo deputandis; ideoque merito sibi decernitur libera facultas amovendi, cum pœnes eum resideat eadem libera facultas alios subrogandi, itaut cura detrimentum non patiatur, neque oves remaneant temporis momento sine pastore: Verum non videbatur quomodo id congruere posset huic societati coquorum non habenti facultatem alium præficiendi & subrogandi; adeout, si id contigisset in aliquo parvo loco, adhuc admirationem promovere deberet, & tamen vidimus practicari in Urbe, & canonizari a magnis Tribunalibus ex sola ratione adeo damnabilis abusus deferendi, ut dictum est, cum cæca fide doctrinis, ac decisionibus, non distinguendo casus, neque reflectendo ad congruam applicationem, a cujus defectu omnia forensia mala resultant.

Dicebam etenim curam habitualem ac rectoriam hujus Ecclesiæ ita vere & proprie residere pœnes dictum Cardinalem Titularem S. Laurentii, cujus ista Ecclesia esset grancia, seu membrum, unde concessio Apostolica id operaretur, quod ea facultas, quam alias de jure haberet dictus Cardinalis Titularis, vel ejusdem Ecclesiæ Capitulum deputandi Vicarium ad curæ exercitium, & Ecclesiæ servitium, ita moderata esset, quod exerceri deberet in persona nominanda per dictam societatem, cujus jus in hoc tantum resideret, quodque ipsa volente, ut amoveretur curatus, seu cappellanus alias de ejus nominatione legitime deputatus, præclusum non esset dicti Cardinalis Titularis jus, vel arbitrium indagandi causam, ob quam remotio peteretur, eaque non subsistente, itaut deputatus bene se gereret, id denegare, cum isto casu non congruat dicta ratio, cui libera amovendi facultas innixa est, quod scilicet deputatus habeatur tamquam nudus famulus deputantis.

Item stante quod huic cappellaniæ incumbit exercitium curæ animarum, adeout de facto iste cappellanus gerat omnia, quæ gerunt alii parochi, seu vicarii Ecclesiarum parochialium, incongruam esse dicebam dictam manualitatem; ac propterea aliquam concipiebam 24
admirationem, quod Sacr. Congreg. Concilii, vel illa Visitationis Apostolicæ desuper non provideret, stante Constit. Pii V. per quam disponitur, ut vicariæ pro exercitio curæ animarum incumbentes pluribus Ecclesiis Collegiatis, Urbis, etiam ipsismet tribus Patriarchalibus, esse debeant perpetuæ, & collativæ in titulum, ut habetur deductum infra *sub tit. de parochis & parochiis*; Si enim Sedes Apostolica noluit concedere, seu permittere istam manualitatem adeo qualificatis, ac insignibus Capitulis, ut sunt illa trium Basilicarum, ac etiam aliarum insignium Collegiatarum, prorsus improprium videbatur, ut id permitti deberet societati laicali coquorum.

ANNOT. AD DISC. LXXX.

De materia manualium habetur plene actum infra, *disc. generali* 97. *per tot.*

BONONIEN. FRUCTUUM, PRO M. COMESTABILI COLUMNA, CUM CAMERA.

Casus disputatus in Congregatione Camerali, & sopitus cum temperamento, ut infra.

De fructibus beneficii inexactis, vel exactis, & non commixtis cum reliquo beneficiati patrimonio, ad quem spectent, an ad hæredem beneficiati, vel potius ad Ecclesiam, vel respective ad Cameram; Et quid in hoc operetur indultum testandi beneficiato competens: Et quid, ubi non est beneficiatus, sed reservatarius fructuum; An ea, quæ per Apostolicas Constitutiones disponuntur in beneficiatis, locum habeant in hujusmodi reservatariis; Et qua occasione agitur etiam de spolio super pensionibus non exactis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Per Constitutionem Urbani VIII. indultum testandi non suffragatur pro fructibus inexactis.*

3 Con-

3 *Constitutio Julii III. super fructibus inexactis non alteravit dispositionem juris communis quoad ipsum beneficiatum morientem.*
4 *De distinctionibus in hac materia tradi solitis inter beneficiatum habentem administrationem necne.*
5 *Recensentur casus distincti per Calderin. cons. 2. de pecul. cler. cum quo in Curia proceditur.*
6 *Fructus quamvis extantes, & non consumpti, quoties jam percepti sunt, per beneficiatum transmittuntur, ac sunt ad ejus dispositionem.*
7 *Quid requiratur, fructus esse exactos ac etiam commixtos cum bonis beneficiati.*
8 *De ratione ob quam Camera facit spolium de fructibus in borreo.*
9 *Declaratur terminus commixtionis, & quando hæc sequuta dicatur.*
10 *De quæstione inter glossam, & Azonem quando fructus collecti pertineant ad usufructuarium a quo transmittantur.*
11 *Quod beneficiatus in hoc comparetur usufructuario.*
12 *Et de ratione.*
13 *Quando frumentum existens in borreo non cadat sub spolio.*
14 *Quid de pecunia exacta existente in banco.*
15 *Quando pecunia exacta dicatur consumpta ad effectum avocationis.*
16 *De duplicatione personarum in depositario, vel alio.*
17 *Quod Constitutio Julii III. loquens de fructibus inexactis non conveniat reservatario fructuum.*
18 *Doctrina punctuali non habenti contradictorem est deferendum.*
19 *De consil. Spadæ super conclusione, de qua num. 17. expenso in alio casu.*
20 *De ratione ob quam fructus inexacti spectant ad Cameram, vel Ecclesiam.*
21 *De differentia inter beneficiatum, & reservatarium fructuum.*
22 *De differentia inter fideicommissarium, & inter legatarium quota fructuum inexactorum.*
23 *Quod pensionarius transmittat, & quare hodie id cesset.*
24 *De eodem consil. Spadæ, de quo n. 17. & 19.*
25 *Rejicitur conclusio, de qua dicto num. 17.*
26 *Quando dicta conclusio sit sustentabilis.*

DISC. LXXXI.

1 CArdinalis Columna, dimisso Archiepiscopatu Bononiæ per plures annos possesso, ex Apostolico indulto fructuum ejusdem Ecclesiæ reservatarius, discessurus in Hispanias occasione associandi filiam illius Regis desponsatam Imperatori, in vim indulti Cardinalibus concedi soliti, testamentum in Urbe condidit, in quo hæredem instituit M. Comestabilem ex fratre nepotem, quem etiam cum amplissimo mandato constituit procuratorem ad omnia negotia; Cum autem idem Cardinalis antequam discederet, omnia dicti Archiepiscopatus bona & effectus locasset diversis conductoribus, sub conventione, ut pensionem pro tempore maturandam solvere deberent banco Montis pietatis dictæ Civitatis, tamquam ejus adjecto, seu mandatario; Atque casus dedisset, quod durante absentia, dicti affictuarii, diversis temporibus solvissent, sed deposuissent summam scutorum 10. mil. in qua bancum in libris constituerat creditorem dictum Cardinalem, atque hinc in Italiam reversus in Oppido Finariæ gravi morbo laborare cœpisset; Hinc dictus M. Comestabilis diligenter curavit dictas pecunias, prævia earum receputa nomine Cardinalis, unico contextu, atque ut fieri solet, immutando partitas, in sui faciem privato nomine, per speciem novationis & creationis diversæ partitæ describi; Verum sequuto illinc ad paucos dies dicti Cardinalis obitu, Camerales (apposito de more sequestro) prætendere cœperunt intrare spolium, dicto testandi indulto non obstante, nedum in fructibus vere ac de facto inexactis, totidem & ultra importantibus, sed etiam in dicta pecunia ex eisdem fructibus proveniente, utpote cum Cardinalis patrimonio non commixta; Unde propterea assumpta desuper disputatione coram Thesaurario, ejusque Congregatione Camerali, illa ulteriorem progressum non habuit, quoniam superventa ad breve tempus vacatione Sedis per mortem Alexand. VII. ac succedente Clemente IX. naturaliter munificentissimo; Fortius vero erga istam domum sibi gratam ac benevolam, controversia sopita fuit cum temperamento, per ipsum Papam, sub nomine tamen gratiæ demandato, ut Camera contenta esset fructibus vere inexactis, removendo impedimenta super dicta pecunia, ideoque defuit occasio, ut Camerales responderent informationibus meis, aliorumque Advocatorum pro M. Comestabili scribentium, & cum qua communicatione scripturarum occasione respondendi, vel replicandi, tamquam per disputationis formalem trutinam, ad veritatis notitiam frequentius deveniri solet.

In unica igitur disputatione in Congregatione Camerali desuper habita; Distinguebam pro clariori resolutione causam in duas inspectiones; Unam scilicet respectu dictæ pecuniæ jam exactæ, atque per ministros depositatæ in banco consueto ad creditum Cardinalis, quo adhuc vivente nepos tamquam ejus procurator exegerat eadem in ipsomet banco ad sui creditum deponendo; Et alteram circa fructus vere ac de facto inexactos, quamvis ipso Cardinali vivente maturatos.

Quoad primum, admittendo Cameralium assumptum, ut hodie per Constitutionem 80. Urbani VIII. Indultum testandi non suffragetur quoad fructus inexactos, 2
itaut istorum respectu nulla sit differentia inter beneficiatum indultarium, & non indultarium, ac sic procedendo cum terminis generalibus secluso indulto cuicumque beneficiato convenientibus, licet Clem. IX. id moderatus fuerit quoad fructus a solo separatos; Illud in primis observandum esse dicebam; Constitutionem Julii III. quæ in his materiis est Cameralium fundamentum, juris communis dispositionem in nihilo alterasse, nisi in eo, quod ubi fructus inexacti, vel alia
bona, pertinent ad Ecclesiam, in locis, in quibus ad- 3
sunt Collectores Apostolici, percipiantur per Cameram, ut liquet præsertim ex *decis.* 476. Coccini, quæ videtur in materia magistralis, ubi reassumendo *cons.* 2. Calderin *de pecul. clericorum*, id supponitur, recitata etiam dicta Constitutione, cum d. cons. Calderin. ejusque distinctionibus procedendo, ut etiam habetur *in decis.* 529. & 722. *part.* 4. *rec. tom.* 3. Et sic quoad beneficiati hæredem nil referre videtur, adesse, vel non adesse, sive locum habere necne dictam Julii constitutionem, quoniam id percutit differentiam inter Ecclesiam, & Cameram, circa pertinentiam eorum, quæ ad hæredem non transmittuntur, minusque d. Constit. Urbani aliquid desuper innovavit, nisi quoad faciendum cessare indultum testandi, quatenus prætendi posset, illud etiam hujusmodi fructus comprehendere.

Quare discurrendo articulum in puncto juris com- 4
munis; Quicquid plerique variaverint, plures adhibendo distinctiones, illam præsertim inter beneficiatum habentem, vel non habentem administrationem, ex deduct. per Garz. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 94. *cum seq.* Noal. *de transmiss. cap.* 70. *n.* 6. & *seq.* Vermigl. *cons.* 491. ac insinuatur in supra allegatis decisionibus; In Rota & Curia, dictis distinctionibus rejectis, receptissima est
distinctio tradita per Calderin. *d cons.* 2 *de pecul. cle-* 5
ricorum super quinque casibus reassumptis etiam per Coccin. *dec.* 476 & qui casus, utendo verbis præcisis Calderini sunt; Primo, *quando moritur fructibus separatis, sed in area, seu campis jacentibus*; Secundo, *reconditis a colono, sed nondum illi traditis*; Tertio, *in assignatis ipsi Canonico, sed nondum consumptis*: Quarto, *quando certi fructus, vel pretium debentur Canonico post separationem per unum, duos, vel tres menses, & interim Canonicus moritur*; Quinto, *quando Canonicus moritur post dictum terminum, tamen nondum dicta species, vel pecunia erat soluta.*

In tertio igitur casu concludit, etiam ipsos fructus perceptos, quamvis extantes & non consumptos, quoties penes ipsum beneficiatum sunt, ad liberam ejus dispositionem esse, atque ad hæredes transmitti; Atque iste, respectu istarum pecuniarum, videbatur casus etiam illas considerando in puris terminis, in quibus reperiebantur in
banco Montis pietatis ad creditum Cardinalis, utpote 6
solutas per affictuarios, qui fructus jam perceperant.

Prætendebant Camerales, dictam Bullam Julii III. utpote utentem duplici termino, exactionis, & commixtionis, seu incorporationis cum aliis bonis beneficiati, id de novo induxisse, ut utraque qualitas copulative desiderata videatur, exactionis scilicet, atque commixtionis, & incorporationis cum aliis bonis, & eum quo sensu processum videtur per Rotam apud Pæniam *decis.* 300.
juxta Venetam, alias 390. juxta Lugdunen. & in eadem 7
causa coram Blanchetto apud Marches. *part.* 1. *fol.* 424 Ideoque cum eadem pecunia soluta per affictuarios men-

mensæ Archiepiscopalis, essat in ipso banco absque
alia mixtura, seu confusione bonorum patrimonialium
Cardinalis, exinde inferebant spectare ad Cameram;
quasi quod necessaria esset commixtio, seu confusio
materialis, & de facto.

Ex qua ratione, ut practicari vidimus in spolio
Cardinalis Romæ, ac aliorum Cardinalium, & habetur
etiam in Anconitana, seu nullius *disc. seq.* solent Ca-
8 merales apponere manus super frumento, aliisque fru-
ctibus jam in horreis ad liberam beneficiati disposi-
tionem existentibus, quoties constat de eorum identi-
tate, quod scilicet proveniant a bonis beneficii absque
actuali mixtura, seu confusione cum aliis ejus bonis,
quod indultum Clemens IX. substulit.

Verum, cum sensu etiam veritatis, dicebam istam
Cameralium prætensionem parum probabilem videri,
eamque continere æquivocum clarum, capiendo dictum
9 terminum commixtionis, seu confusionis, materialiter
ac de facto, cum revera capiendus esset formaliter ac
de jure, pro eo actum, per quem dicti fructus desie-
rint esse ecclesiastici, seu de dominio Ecclesiæ, at-
que effecti prophani, & de privato dominio benefi-
ciati, cujus dominii ratione dicuntur proinde commix-
ti, seu confusi cum reliquo patrimonio, tamquam istius
partes ac membra dum Calderin. clare præsupponit, ip-
sos fructus esse extantes, ac repositos, nedum in hor-
reo proprio beneficiati, sed etiam in alieno, in quo
per alium, ipsius tamen beneficiati nomine repositi
sint, ibi, *Et intellige horreo suo, vel alieno, suo nomi-
ne*, quæ verba registrantur etiam apud Coccin. *d. dec.* 476.
n. 3. unde sufficit quod etiam ab alio ipsi fructus nomi-
ne beneficiati percipiantur, atque a solo separati sint,
ac in alio loco tamquam ejus proprios repositi, etiam-
si ageretur de ipsismet fructibus identificis, & in spe-
cie; Multo magis in præsenti, ubi non agebatur de ipsis
fructibus perceptis per affictuarios, etiam absque dubio de
facto confusis cum eorum bonis, sed de pecuniis, quas
pro pensione ipsi solverant dicto banco tamquam adjecto,
seu mandatario Cardinalis, ad cujus proprium ac pri-
vatum nomen idem bancum, duplicem repræsentando
personam, eamdem pecuniam deposuerat.

Ad id autem probandum, dignoscendumque errorem
credentium, necessariam esse mixturam, seu incorpo-
rationem materialem, ac de facto cum aliis bonis, Ad-
10 vertebam, reflectendum esse ad quæstionem inter *gloss.*
& Azzonem super intellectu textus *in leg. si usufru-
ctuarius messem, ff. quib. mod. ususfr. ammittatur*; Si-
quidem Azo *ibidem*, cujus opinio majorem habet se-
quelam legistarum, credit indistincte, tam in usufru-
ctuario, quam in possessore bonæ fidei, ut ad facien-
dum fructus suos, illosque transmittendum ad hære-
des, sufficiat quod sint a solo separati, quamvis in
horreo non reconditi, quasiquod differentia inter pos-
sessorem bonæ fidei, & usufructuarium constituta, con-
sistat in eo, quod primus faciat suos fructus a solo
separatos, sive proprio, sive alieno nomine percipian-
tur, Alter vero suos non faciat nisi a seipso, vel al-
tero ejus nomine collecti, seu a solo separati sint.

Verum gloss. *in l. si fur. ff. de usufructu*, verbo *per-
cipiatur, & in l. ex diversa, ff. de rei vendicat. & in*
11 *§. his vero, instit. de rerum divis. verbo perceptis*, opi-
natur in usufructuario non sufficere solam separationem
a solo, alias sufficientem in possessore bonæ fidei, sed
requiri etiam repositionem in horreo, ut de utraque
opinione, cæteris relatis, habetur apud Apont. *cons.*
100. *lib.* 1. Castill. *de usufructu, q.* 77. *n.* 50. *& seq.* be-
ne ac elaborate Hodiern. *controv.* 4. *n.* 14 *cum seqq.* At-
que ista quæstio occasionem dedit Redoano *de spoliis,
cap.* 3. *n.* 22. se involvendi in eo, an clericus, potius
possessori bonæ fidei, quam fructuario comparandus ve-
niat, dum gloss. *in cap. si propter*, verbo *primi anni de
rescript. in* 6. & Calderin. *ubi supra*, ac cæteri sequun-
tur opinionem gloss. atque regulantes beneficiatum ad-
instar usufructuarii non contentantur sola separatione a
solo, sed exigunt perceptionem a seipso, vel altero ejus
nomine mediante repositione in horreo consummatam.

Ex ea ratione, quod cum usufructuarius non sit domi-
12 nus, neque pro domino possideat, non facit fructus suos
ex sola possessione, sed ratione juris percipiendi, quod
operativum non est, nisi ab ipso, vel altero ejus nomine
ad exercitium deducatur, & sine quo exercitio non dici-
tur sequi translatio dominii, pro qua necessaria est tradi-
tio, ex deductis per Hodiern. *d. contrav.* 4. *n.* 19. *& seqq.*
& n. 28. Ideoque punctus non est in commixtione, vel
incorporatione cum aliis bonis propriis materialiter ac de
facto, sed est in illa perceptione, seu repositione no-
mine proprio in horreo, vel alio loco, per quam fru-
ctus immutent dominum, atque abdicati a priori domi-
nio Ecclesiæ, vel respective proprietarii, transeant in
novum dominium privatum beneficiati, seu usufructua-
rii, unde bene Calderin. tali casu dicit eos transmis-
si ad hæredem.

Quod in verbis bene probat eadem Constitutio Julii III.
§. 1. dum ponderatur, quod quando fructus non sunt per-
cepti, dicuntur bona ecclesiastica, utpote continuantia
in eodem Ecclesiæ dominio, in quo sunt ipsa bona fru-
ctuum productiva, tamquam effectus adhuc non separatus
a sua causa, ideoque e converso ubi sunt separati a solo,
ac repositi in horreo, vel alio loco sub nomine beneficia-
ti desierunt esse ecclesiastica, utpote separata a dicta cau-
sa productiva, & effecta prophana de dominio privato;
Et sic totus punctus est, an sequatur ille perceptionis
actus, per quem resultet dicta separatio effectus a sua
causa, & per quem actum, dominium fructuum, ab
uno abdicetur, & in alterum transferatur.

Et hinc dicebam, quod ubi etiam existerent ipsimet
fructus in horreo; ut substinebam in causa Ferrarien. pro
Josepho de Vita, ut infra, *disc.* 83. adhuc non posset Ec-
clesia, vel ejus loco Camera prætendere eos esse suos, 13
ut in terminis frumenti reperti in horreo, Vermigliol.
d. cons. 491. Idemque in isto casu, quando pecunia per
affictuarios soluta reperiretur identifica deposita in banco
per viam depositi veri, & regularis in sacculo obsignata,
quoniam etiam ita, ob descriptionem ad proprium nomen
Cardinalis, diceretur dictus actus translativus dominii;
Clarius vero ac extra difficultatem, dum pecunia com- 14
mixta erat cum illa banchi, seu depositarii, utpote de-
positata per speciem depositi irregularis, per quod ve-
ra commixtio, atque legalis consumptio sequi dicetur,
ex ductis in proposito avocationis non sequendæ de pe- 15
cunia consumpta, per Fontanell. *de pact. claus.* 5. *gloss.*
8. *par.* 7. *num.* 17. *cum seqq.*

Ita enim fingitur quod bancherius duplicem repræ-
sentet personam, Unam adjecti, seu mandatarii exi-
gentis ab affictuariis nomine Cardinalis pecuniam ab
eis debitam; Et alteram depositarii, pœnes quem eam-
dem pecuniam tamquam propriam mandantis deposuit, 16
ut in specialibus terminis ejusdem bancherii dictas duas
personas diversas formaliter repræsentantis, habetur in
Romana Cambiorum 14. Junii 1660. & 10. Martii 1662.
coram Verospio, de qua causa habetur actum *sub tit.
de Cambiis, disc.* 1. *&* 2. Et conferunt quæ de eadem
personarum reduplicatione habentur in Romana fru-
ctuum locorum montium *sub tit. de Regalibus ad mate-
riam officiorum, disc.* 23.

Difficultas circa præmissa cadere posset, quando non
accederet ejusdem beneficiati animus, sine quo dari non
potest acquisitio dominii; Verum ea in hac facti specie
cessabat, cum Cardinalis mandando affictuariis, quod
solverent dicto banco, ita liberationem reportando, di-
citur ita constituisse dictum bancherium ejus manda-
tarium ad exigendum suo nomine, atque declarasse ani-
mum efficiendi suum id quod ita exactum ad ejus no-
men & creditum in eodem banco describeretur; Et ex
his credebam, quod de justititia pro hac parte quoad
istas pecunias responderi deberet.

Quo vero ad alteram inspectionem, super fructibus
scilicet vere inexactis, sive super illis, qui per affi-
ctuarios jam percepti essent, non soluta tamen per eos
pensione, qui ante dictum indultum Clemen. IX. abs- 17
que dubio suo nomine non perceptorum, seu inexa-
ctorum veniebant, dicebamus Ego & cæteri pro par-
te M. Contestabili scribentes, Constitutionem Julii III.
utpote loquentem de beneficiatis ac rectoribus, non
comprehendere istum casum, in quo agebatur de re-
servatario fructuum, unde propterea remanebat casus
omissus, ac extra dictam Constitutionem, ut in pun-
cto firmat Spada *cons.* 155. *lib.* 1. ubi plura deducit fun- 18
damenta, ideoque dicebamus istam auctoritatem tam-
quam punctualem non habentem contradictorem atten-
dendam esse ex deductis, *decis.* 122. *num. final. part.* 5
rec. cum aliis per Adden. *ad dec.* 20. *n.* 42. *part.* 3. Potis-
sime cum ageretur de Doctore gravi, utpote ex hu-
jus Curiæ sua tempestate primariis Advocatis, qui de-
inde ad munus Advocati Cameræ, & fisci assumptus
fuit, ut ejus consulta docent.

Et quamvis antequam fieret casus hujus controversiæ,
deducendo hanc eamdem auctoritatem in scriptura edita
pro consimili controversia pendente in Tribunali Nuntia-
turæ Neapolis in una Sarnen. pro Sigismundo Spada pos-
sessore

sessore Abbatiæ, quam Cardinalis patruus sibi resigna-
verat cum reservatione fructuum, per illos Camerales
replicaretur quod dictum consilium editum esset in una
causa Status Mediolani, *in* qua dicta Constitutio Ju-
lii III. non intrat, Attamen hoc erat æquivocum, quo-
niam adhibitis diligentiis, comperii esse in una Faven-
tina; Et ulterius etiamsi fuisset in dicto Statu, nihil
ad rem, cum cessante dicta Constitutione Julii, intret
jus commune ad favorem Ecclesiæ, cujus dispositio
ibi incorrecta remanet, ut plene probat idem Spada
consil. 151. *eodem lib.* 1. ubi pluries adducuntur deci-
siones unde propterea nil refert.

Verum discurrendo etiam punctum per rationes, ac
principia, (ut deficientibus auctoritatibus faciendum
est,) adhuc scribendo tamquam Advocatus dicebam ita
20 respondendum esse, quoniam ideo fructus inexacti per
beneficiatum pertinent ad Ecclesiam, cujus vice ubi
sunt Collectores ex dicta Constitut. Julii III. percipit
Camera, quia beneficiatus dicitur Ecclesiæ administra-
tor, non faciens fructus suos, nisi postquam ipse, vel
alter ejus nomine percipiat, ita & taliter, quod illi
desierint esse de dominio Ecclesiæ, ac transirent in pri-
vatum dominium beneficiati, itaut donec id sequatur,
dici non valeant de ejus bonis, & consequenter neque
cadant sub altera specie spolii bonorum ipsius clerici,
Seraph. *decis.* 593. *in fine & 594. num.* 15. Rot. *decis.*
529. *num.* 8. *part.* 4. *recent. tom.* 3.

Ista vero ratio cessat in reservatario fructuum, quo-
niam hic non est rector, & successive non est admini-
strator Ecclesiæ, itaut dici valeat quod fructus colli-
gantur administratorio nomine Ecclesiæ, donec ab
istius dominio exeuntes efficiantur de privato dominio
beneficiati, quoniam reservatarius eosdem fructus ob-
tinet directe ac immediate jure proprio tamquam Pa-
pæ donatarius, non autem titulo administratorio ca-
piens fructus jure servitutis per Ecclesiam debitæ ip-
sius reservatarii personæ, ut ex Mandos. Paris. & aliis
21 advertitur *dec.* 1. *num.* 14. *part.* 9 *recent.* & habetur
supra, disc. 30. ideoque magna differentia videtur inter
unum casum & alterum, quoniam beneficiatus dicitur
obtinere fructus beneficii, non principaliter, & dire-
cte ex persona propria, sed accessorie, & consecutive
ad administrationem, tamquam exuberantes post dictam
administrationem completam, idest post supportata Ec-
clesiæ onera, quibus principaliter deservire debent,
(quod an per aliquos de facto servetur, Deus scit.)

Dabam in hoc exemplum, seu rationem differentiæ,
inter fideicommissarium, & inter legatarium alicujus
quotæ fructuum ad vitam, quoniam primus decedens,
in quibusdam casibus per DD. distinctis, non transmit-
tit ad ejus hæredes fructus inexactos bonorum fidei-
22 commissi, ex deductis per Frauch. *decis.* 13. Gratian.
disceptat. 294. *num.* 41. *& seqq.* & alios collectos per
Giurb. *observ.* 44. *num.* 9. & habetur in Catacen. *in*
sua materia *sub titul. de fideicommis. disc.* 177. Hæc
autem difficultas cadere non videtur in dicto legatario
fructuum, ex iis, quæ habentur ad materiam text. *in
leg. deducta, ff. de usufructu, & leg. si usufructuar.
messem, ff. quibus modis ususfructus amittatur*, ex di-
cta ratione quod primus dicitur percipere fructus quo-
dam jure administratorio, alter vero jure suo.

Item magis proxime, adducebam alterum simile, in-
ter beneficiatum, & pensionarium; Certum enim est
quod beneficiatus majus jus habet in Ecclesia, ejusque
bonis, quam pensionarius, cum ille tamquam Ecclesiæ
23 sponsus, jure mariti & quodammodo domini utilis pos-
sidere dicatur, quod non est in pensionario, qui nul-
lum jus habet in Ecclesia, ejusque administratione,
vel subalterno dominio ejus bonorum, cum pensio sit
quid mere temporale, nullum jus super Ecclesia tri-
buens, ut pluries in sua materia *sub tit. de pension.* Ma-
jus autem jus habet reservatarius fructuum quam pen-
sionarius, cum primus capiat manu sua, alter vero
teneatur accipere a manu Titularis, Lotter. *lib.* 1. *quæst.*
35. *num* 56. & supponitur *d. decis.* 1. *part.* 9. *recent.*
& apud Royas *decis.* 318. Et tamen seclusa Bulla Pii
V. a qua, per quoddam argumentum a contrario sen-
su, Camerales introduxerunt etiam in pensionibus in-
exactis idem, quod in fructibus, certum est, quod
pensionarius de jure transmittit ad hæredes ratam pen-
sionis inexactam, Gabr. *cons.* 191. *lib.* 2. Gigas *de pen-
sion. quæst.* 52. *& cons.* 145. Redoan. *de spoliis, quæst.*
3. *num.* 27. Noal. *de transmiss. cap.* 71. *num.* 1. Bu-
ratt. *dec.* 448. *num.* 3. 670. *&* 841. *n.* 1. Quod aliam
non habet differentiæ rationem nisi prædictam, quod
beneficiatus capit fructus jure accessorio & administra-
torio, pensionarius autem obtinet quamdam quotam ju-
re donatarii particularis. Atque ista videbantur pro-
babiliora fundamenta, quam illa deducta per Spad. *d.
cons.* 151. quæ minus tuta putabam; cum ipse procedat 24
cum terminis usufructuarii, se fundando *in* dispositio-
ne text. *in leg. defuncta, ff. de usufruct.* sed male, cum
hic procedat solum in pensione debita per colonum pro
fructibus jam perceptis, atque de ipsius coloni privato
dominio effectis; De reliquo autem non obstant quæ
supra habentur ad materiam text. *in d. leg. si usufru-
ctuarius messem*; Ideoque licet iste Doctor sit alias gra-
vis, nimiumque judiciosus, nihilominus dictum con-
silium videtur parum tutum circa probationem assum-
pti; quod potius substentabile videtur cum dicta alia
ratione, sive cum ea casus omissi non comprehendi sub
exorbitantibus dispositionibus.

Quamvis autem scribendo tamquam Advocatus hæc
deducerem, Attamen ut ab initio in congressu habito
pro directione causæ, cum consueta sinceritate insinua-
bam, sentiebam magnam difficultatem, quoniam licet
reservatarius fructuum non dicatur administrator Ec-
clesiæ, cum istud jus resideat pœnes Episcopum, seu 25
Rectorem, qui dicitur ejus sponsus, ac jure maritali
administrat respectu ipsius Ecclesiæ ac jurium Eccle-
siasticorum, Attamen, quoad bona temporalia, ipse
reservatarius est magis administrator quam Titularis,
quoniam soluta congrua tamquam uno ex oneribus ad-
ministrationi incumbentibus, ad eumdem reservatarium
pertinet ipsa bona administrare, onera supportare, ac
alia agere, quæ ad patrimonii dominum, seu genera-
lem administratorem pertinet, retinendo pro se ipso id
quod, necessariis oneribus supportatis, superest; ergo
etiam ejus titulus circa fructuum perceptionem est ac-
cessorius & consecutivus, eodem modo, quo ille bene-
ficiati, quamvis causa, seu ratio tituli sit diversa, cum
in beneficiato militet illa juris maritalis, seu admini-
strationis ipsius Ecclesiæ tamquam ejus sponsæ, in re-
servatario autem illa donationis, seu præfecturæ tem-
poralium tantum per Papam sibi concessæ.

Potissime dum etiam in donatario particulari alicu-
jus quotæ, vel quantitatis fructuum, (qualis est pen-
sionarius) quamvis certum sit, quod in puncto juris
non intret spolium, nihilominus contrarium absque du-
bio de facto servatur, & consequenter per argumentum
a fortiori, clarius idem dicendum est in hujusmodi re-
servatariis; Nil obstante superius insinuata responsio-
ne, quam ego & cæteri Advocati dabamus circa ca-
sum omissum, seu circa extensionem non dandam in
odiosis, etiam ex identitate, vel majoritate rationis,
quoniam id stare non videtur in ratione extensiva, sed
interpretativa, cum Constitutio Julii III. nullum con-
tinere videatur odium, vel gravamen hæredis, dum
solum exorbitat a jure *in* præjudicium Ecclesiæ, vel
successoris, atque, ut supra dictum est, *in* alio non
immutat juris communis dispositionem, nisi in eo,
quod id quod alias Ecclesiæ de jure deberetur, *in* lo-
cis, ubi adsunt collectores Apostolici, applicatur Ca-
meræ.

Aliquam majorem probabilitatem contra Cameram
habere videbatur dictus alter casus supra insinuatus in
Sarnen. pro Spada, in quo fructus, vel maturi, & non
exacti, vel non maturi, pro rata temporis, qui per
Nuntiaturam prætendebantur, pertinere dicebantur ad
Titularem tamquam dominum, ac rectorem, magis
jure proprio per remotionem obstaculi, seu cessatio-
nem servitutis, quam jure transmissionis ex persona
beneficiati defuncti, quasi quod Constitutiones, ac de-
cisiones, & jura loquentia de hac materia percutiant
casum, quo per mortem beneficiati sequatur beneficii
vacatio, quæ per mortem reservatarii sequi non dici- 26
tur, cum solum sequatur cessatio servitutis, & nihilo-
minus etiam in eo casu contrarium judicatum fuit,
atque oportuit se componere.

ANNOT. AD DISC. LXXXI. cum seqq.

DE hac eadem materia fructuum beneficii habetur actum *in hoc tit. disc.* 137. *&* 138.

ANCONITANA, SEU NULLIUS SPOLII, PRO CAMERA, CUM HÆREDITATE CARDINALIS DE MEDICIS.

Discursus pro veritate, in casu etiam sopito cum temperamento.

De eadem materia transmissionis fructuum inexactorum, seu perceptorum, & adhuc existentium in horreis, ad hæredes beneficiati habentis indultum testandi etiam de bonis ecclesiasticis; Et quid de animalibus, aliisque instrumentis, ac melioramentis separabilibus, An pertineant ad Ecclesiam & successorem, vel deduci possint per hæredes beneficiati.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *In casu quo non adsit indultum testandi, distinguuntur personæ contendentes de pertinentia fructuum, & animalium.*

3 *De alia distinctione bonorum, super quibus cadat contentio.*

4 *De mobilibus grossis pertinentibus ad Ecclesiam juxta Constitutionem Pii V, & quanam sint.*

5 *Quid de animalibus, & melioramentis, distinguitur in clericum habentem, ac non habentem indultum.*

6 *Etiam in indultario datur alia distinctio.*

7 *De detractione melioramentorum competente feudatario, vel emphyteutæ, & similibus remissive.*

8 *Quomodo dignoscatur, an animalia, & melioramenta donata sint Ecclesiæ.*

9 *Melioramenta inseparabilia detrahuntur.*

10 *De ratione ob quam animalia transmittuntur, seu detrahuntur.*

11 *Respondetur contrariis, quibus terminis procedant.*

12 *De nominibus debitorum, & de Constit. Urb. VIII. super inexactis.*

13 *Quid de frumento aliisque fructibus reconditis in horreo.*

14 *De contraria observantia.*

15 *An, & quando compositio redoleat speciem condemnationis.*

16 *Obtinens rem ex transactione, dicitur obtinere jure suo antiquo.*

DISC. LXXXII.

1 PRovisus Cardinalis Carolus de Medicis usque ab anno 1623. de insigni Abbatia Claravallen. Anconitanæ, seu Nullius diœcesis; Ad effectum melioris culturæ bonorum, majorisque perceptionis fructuum, diversis temporibus, per ejus ministros, notabilem emit quantitatem boum aratoriorum, ac etiam vaccarum, equorum, & pecudum, quæ animalia tradita fuerunt laboratoribus 21. prædiorum ejusdem Abbatiæ ad societatem, atque ut vulgo in regione dicitur *a costume*, cum pacto præstandi certam annuam præstationem frumenti; Sequuto autem obitu dicti Cardinalis circa initium anni 1667. instituto hærede in vim indulti Apostolici etiam in bonis Ecclesiasticis filio primo, vel secundo genito M. Ducis Etruriæ; Inter illum & Cameram orta est controversia, tam super dictis animalibus, quam etiam super aliis mobilibus & instrumentis, ac super nominibus debitorum, & frumento, tam proximæ recollectæ, quam etiam alterius anni præcedentis adhuc in horreis existente, unde desuper ex parte Cameralium pro veritate consultus,

Respondi, quod ad æquivoca tollenda, congruamque applicationem auctoritatum, quæ desuper circumferri solent, duo casus constituendi sunt; Unus scilicet in puris terminis juris, præscindendo ab indulto testandi, quo clericus decedens potiretur, etiam de bonis ecclesiasticis, seu Ecclesiæ ac beneficiorum causa quæsitis; Et alterum accedente dicto indulto, in quo secundo casu in hac facti specie versabamur.

Primo casu, in locis, in quibus adsunt Collectores Apostolici, & consequenter est in usu spolium Cameræ, tres 2 personæ dicuntur esse in scena; Una est hæredis prophani, seu paganici, quem clericus moriens ex testamento, vel ab intestato habeat in bonis indifferentibus; Altera est ipsiusmet Ecclesiæ, cujus nomine agat successor, non jure spolii, vel successorio in bonis jam existentibus ac effectis de clerici dominio, (in quibus alias ipsa Ecclesia utpote ab ea provenientibus esset legitima hæres;) Et tertia est Camera Apostolica.

Qua personarum distinctione sic stante, descendi ad distinctionem bonorum in quatuor species; Unam scilicet mobilium; Alteram animalium aliorumque melioramentorum; Tertiam nominum debitorum; Et quartam fru- 3 ctuum jam recollectorum, ac in horreis existentium.

Quatenus pertinet ad primam speciem mobilium, modica, vel nulla adesse videbatur difficultas, quoniam cum omnia essent mobilia vulgo *grossa* nuncupata, ut sunt, tini, dolia, tabulæ, scamna, & similia, intrat clara Constit. 42. Pii V. repetit. post Redoan. *de spoliis*, ut pertineant ad ipsam Ecclesiam, itaut neque hæredes ratione successionis, neque Camera ratione spolii aliquid prætendere valeant; dictaque constitutio videtur potius juris communis declarativa, quam novi juris inductiva, cum hæc videantur instrumenta fundi, atque de illis bonis, quæ 4 fieri solent, ut perpetuo fundo, vel domui addicta sint, venientia sub obligatione administrationis.

Quo vero ad secundam speciem animalium, ac melioramentorum, Abb. *in c. final. n. 2. de privileg. clericorum* loquendo de melioramentis, distinguit, an facta essent ex bonis patrimonialibus, seu alias quam ex illis Ecclesiæ, sive beneficii, vel e contra, ut primo casu detrahantur per hæredem, secundo autem remaneant pœnes Ecclesiam, & de qua distinctione Redoan. *q. 3. §. sed contrarium, n. 35 & seq.* Verum advertebam, hujusmodi distinctionem in proposito non intrare, cum procedat attento primo casu supra distincto, quod scilicet, ces- 5 sante indulto testandi, procedendum sit cum solis terminis juris, ac successive cum concursu dictarum trium personarum, quo casu dicta melioramenta, quamvis de dominio beneficiati, ac alias de jure detrahibilia per hæredem, spectant ad Ecclesiam, non jure proprii dominii, sed jure successorio tamquam bona acquisita ex ejusdem Ecclesiæ fructibus, & emolumentis, in quibus ipsa est clerici hæres, atque Ecclesiæ vices, in locis ubi sunt Collectores, hodie occupat Camera, ut supra; Ubi vero concurrit indultum, hæc inspectio cessat, cum pertineant ad hæredem beneficiati, ut bene advertitur per Rotam *decis. 761. part. 1. divers.*

Quare dicebam, punctum esse in eo, an hæc anima- 6 lia, aliaque instrumenta de eorum natura separabilia, facta censerentur animo donandi, ac perpetuo addicendi fundis, ac prædiis tamquam eorum instrumenta, itaut eorum dominium illico quæsitum esset Ecclesiæ, ipso beneficiato vivente, qui neque volens, retento vel dimisso beneficio, ea detrahere posset; Vel e converso, juxta ea, quæ habemus in materia detractionis melioramentorum competentium fideicommissario, ac emphyteutæ, vel feudatario, sive usufructuario, & similibus possidentibus bona resolubiliter, ex deductis in sua respective materia, præsertim *sub tit. de* 7 *feudis disc. 27.* ac etiam *sub tit. de emphyteusi*, & sub altero *de detractionibus*, ut in terminis advertitur *d. dec. 761. part. 1. divers.* unde propterea est quæstio potius facti ac voluntatis quam juris, quoties non habeatur voluntas certa, qua concurrente, cessat omnis dubitatio.

In dubio autem, pro indaganda ambigua voluntate beneficiati, an esset juxta unam, vel alteram speciem, considerabam, quod si eo tempore, quo beneficiatus provisus fuit, invenisset in prædiis beneficii boves, alia- 8 que animalia tamquam instrumenta fundi, tunc certum esset quod existentia spectarent ad Ecclesiam jure dominii, tamquam subrogata in locum demortuorum, ex ea obligatione, qua beneficiatus, admilar usufructuarii, ac similium supra exemplificatorum, de jure premitur, Ubi vero non invenisset, seu bona non essent talis qualitatis, cujus eadem animalia esse deberent ibi fixa, ac perpetuo addicta tamquam instrumenta necessaria, itaut eorum introductio fuisset solum œconomica, & gratia industriæ, ac majoris perceptionis fructuum, & tunc, cum essent separabilia, regula est ex- 9 clusiva donationis, nisi de ista saltem conjecturaliter constet, ac successive pro detractione ac transmissione ad suum hæredem, ex deductis per Barbos. *in leg. divortio, §. fin. part. 1. ff. solut. matrim. ex n. 58. ad finem*, Bilott. *concl. feudal. 63.* Rolent. *tit. de feud. c. 10. conclu. 43.* cum aliis *in d. disc. 27. de feudis*.

Improbabile liquidem videtur, ut provisus de Episcopa- 10 tu, vel beneficio, qui ad proprios, vel descendentes libere omnia bona transmittere non potest, voluerit notabilem

impen-

impensam de proprio facere in hujusmodi animalibus, ita & taliter quod dies, vel mensis decedens impin-
10 guaret sibi ignotum, ac potius exosum successorem; Et quod magis est, privaret seipsum etiam viventem, ne de hujusmodi bonis disponere posset, seu dimisso beneficio ea detrahere, stante præsertim consuetudine in Italia, quod regulariter hujusmodi animalium introductiones fieri non solent per beneficiatos utpote solitos percipere fructus mediantibus colonis, atque pauci sunt, qui hujusmodi diligentias, ac industrias adhibent; Ideoque exceptis, ut dictum est, illis animalibus, quæ instrumenta fundi dici possent, concludebam pro hærede beneficiati potius respondendum videri.

Et quamvis ex parte Cameralium constitueretur fundamentum in deductis per Surd. *cons. 333. n. 50. & seq.*
11 super præsumpta donatione expensarum, ac melioramentorum, Ac etiam in auctoritate Rotæ *d. dec. 761. part. 1. divers.* Dicebam tamen, istas auctoritates non facere ad rem; dicta enim Rotæ decisio potius retorqueri videbatur, cum admittat competentiam detractionum hæredi, sed quia hic repræsentatur per eamdem Ecclesiam; hinc jure confusionis eam non patitur, considerando tamen eam tamquam succeditricem beneficiati, non autem tamquam dominam, potissime quia loquitur de expensis, seu melioramentis inseparabilibus deducendis per viam retentionis, seu solutionis æstimationis jure crediti potius quam jure dominii, in quibus etiam terminis loquitur Surd. *ubi supra*, ideoque quicquid sit de isto casu, (de cujus veritate opus non fuit agere, utpote extra facti speciem) quoties tamen agitur de separabilibus vendicandis, non jure refectionis, sed jure detractionis, ac dominii, cessat difficultas, quoties ex præsumpta donatione non datur ab initio dominium, & incorporatio in Ecclesia.

Circa tertiam speciem nominum debitorum, distinguebam, quod, Aut agebatur de illis, quæ immediate proveniunt a fructibus, ac effectibus ipsius benefi-
12 cii, ut sunt census, vel aliis fructus civiles maturati in vita beneficiati, & non exacti. seu etiam sunt pensiones debitæ per colonos, ac affictuarios, qui fructus jam perceperunt, atque suos fecerunt, & tunc cessat omnis difficultas, quoniam quicquid accedente indulto testandi de jure dici posset, omnis quæstio sublata est per Constit. Urban. VIII. quæ eam contra beneficiatum, vel ejus hæredem decidit ad favorem Cameræ, ut habetur etiam *disc. præced.* Licet post hæc scripta supervenerit favore Cardinalium moderatio Clem. IX. Aut de illis nominibus debitorum, quæ proveniunt ex impræstantiis frumentorum ab ejusdem beneficii prædiis perceptorum, quæ factæ sunt colonis, ac laboratoribus, pro eorum auxilio, sive ad effectum renovandi frumentum, ut fieri solet, & tunc concludebam contra Ecclesiam consideratam tamquam dominam, cum absque dubio fructus ita jam collecti essent, atque nedum effecti de dominio beneficiati, sed etiam per novationem transfusi in aliud creditum; Solumque (circumscripto indulto) prætendi potuisset spectare ad eamdem Ecclesiam, vel respective ad Cameram jure successionis, ac spolii, dum constabat esse jura provenientia ex ipsius beneficii fructibus, & sic bona ecclesiastica; Et quamvis prætenderetur per camerales, istum quoque casum venire sub dicta constitutione Urbani considerante solum actum inexactionis, quamvis ipsi fructus, quorum ratione pensio non exacta debita est per colonos, vel affictuarios de facto percepti & consufi, vel consumpti essent, nihilominus ego habebam difficultatem, quoniam cum dicta constitutio loquatur de fructibus inexactis, nullo modo congruere videbatur hujusmodi impræstantiis, cum quibus dicebatur, juxta naturam novationis beneficiatum jam percepisse & consumpsisse fructus, atque tamquam diversam personam jure proprio nomina debitorum acquisiisse.

Demum quoad quartam & ultimam speciem frumentorum, jam per menses recollectorum, ac existentium in horreis, in quibus per beneficiati procuratores, ac mini-
13 stros ejus nomine recondita erant ad œconomiam, ac majorem industriam gratia conservandi, atque meliori tempore vendendi; Stante dicto indulto, pariter respondi, magnam difficultatem habere contra Cameram, ac respective contra Ecclesiam, ex punctualiter deductis per Vermigl. *cons.* 491. cum aliis, quæ ex *cons.* 21. Calderini *de pecul. Clericor.* in hac materia habentur deducta in Bonon. *disc. præced.*

Et quamvis Camerales, tam in ista causa, quam in dicta Bonon. magnum constituerent fundamentum in con-
14 traria observantia, præsertim occasione obitus Cardinalis Romæ Episcopi Tiburtini, & Cardinalis reservatarii fructuum Ecclesiæ Salernitanæ cum similibus; Attamen non videbatur tutum fundamentum; Tum quia, cum ex præmissis contrarium videatur de jure clarum, requisita potius esset observantia præscriptiva cum suis requisitis consuetudinis contra jus, ut in his terminis in specie observat Noal. *de transmiss. cap. 71. in princ.* Tum etiam quia neque de facto aderat dicta observantia univoca & pacifica, ut requiritur, ad effectum, ut suos consuetos etiam interpretationis effectus operetur, *ut supra, disc. 28.* dum constabat omnes in omnibus casibus controversias sopitas esse per concordiam, seu compositionem cum hæredibus, qui id verisimiliter fecerunt, potius ad redimendas vexationes, ac molestias, quæ de facto per Camerales, & collectores præstari solent, ut quotidiana praxis docet.

Unde doctissimo Cameræ Advocato excitante conclusionem criminalistarum, quod compositio vicem condemnationis habeat, ejusque effectus operetur, Replicabam, id procedere in ea compositione, quæ fieret per judicem tamquam per speciem pœnæ, sive per reum jam conde- 15
mnatum ad aliam pœnam, pro istius redemptione, seu commutatione; Secus autem in ea compositione, quæ fieret ad effugiendas molestias, ac se ponendum in tuto ab eo damno, quod malus causæ eventus parere posset, ut ista distinguendo firmant communiter scribentes, de quibus Capobl. *de Baron. pragm. 6. n. 37. & 168.* Rovit. *super pragm. in rubr. de composit. n. 2.* concivis meus Robertus Maranta *cons. 6. n. 25. & seq.* Farinac. *quæst. 21. n. 21.*

Alia etiam vera, & recepta conclusione in idem concurrente, quod transigens non dicitur id quod ex transactione obtinet, ex novo jure, vel titulo obtinere ab alio contrahente, quem in ejus actorem agnoscat, sed obtinere dicitur 16
jure proprio antiquo, ita confirmato per remotionem obstaculi, ad text. *in leg. pro fundo, C. de transact.* ubi Bart. *n. 3.* Castr. *n. 7.* & cæteri per Nogueroll. *alleg. 37. n. 4.* Merlin. *de primogen. lib. 4. cap. 9. n. 22. in fine*, Rota in Roman. Casalis 18. Junii 1660. Cerro & *dec. 306. n. 6. part. 5. rec.* Controversia tamen, non expectata judiciali discussione, finem habuit cum quodam temperamento.

FERRARIEN. FRUMENTI, PRO JOSEPHO VITA DE VITA, CUM CAMERA.

Casus disputatus in Congregatione Camerali, credo resolutus pro Josepho.

De eadem materia fructuum beneficii collectorum, ac distractorum de tempore infirmitatis beneficiati, An licite alienari potuerint, itaut possessor molestari non debeat, vel potius Camera eos vindicare possit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Indultum testandi non suffragatur pro fructibus inexactis.*
3 *Ubi agitur de exactis, ac effectis de dominio beneficiati si extant, Camera eos percipit potius jure spolii, quam fructuum inexactorum, ideoque suffragatur indultum.*
4 *Quando etiam fructus extantes dicantur consumpti ob debita contracta pro illis usibus, pro quibus alias dictos fructus consumere oportuisset.*
5 *Quod ex fructibus perceptis per prædecessorem suppeditari debeant alimenta, & alia successori.*
6 *Quod id non sit in usu, & de participatione prædecessoris, vel Cameræ etiam de fructibus pendentibus, qui percipiuntur per successorem.*
7 *Successor, vel Camera tenetur ad debita contracta per prædecessorem pro expensis culturæ, ac aliis pro futura recollecta.*
8 *Idem de debitis contractis pro substentatione beneficiati, & de ratione.*

DISC. LXXXIII.

Cum Cardinalis Macchiavellus Episcopus Ferrariensis, 1
frumentum recollectum de mensibus Julii & Augusti illius anni, in quo decessit, in horreis reposuisset, gratia illud opportuniori tempore pro majori pretio vendendi,

interim vero pro ejus personæ ac familiæ substentatione, aliisque Ecclesiæ oneribus supportandis, mutuas pecunias habuisset a Josepho in ea Civitate campsore, incidens de mense Novembris in gravem morbum, ex quo post aliquos dies obiit, bonam fidem agnoscendo erga dictum creditorem, illi consignari mandavit in satisfactionem sui crediti proportionatam frumenti quantitatem; Sequuta vero dicti Cardinalis morte, cum stante Constitut. 80. Urbani VIII.
2 indultum testandi, quod Cardinales obtinent, non suffragetur pro fructibus inexactis, ut advertitur etiam *duobus disc. præced.* Hinc proinde ministri Camerales dictum frumentum sequestrarunt, unde introducta causa in Congregatione Camerali pro dicti sequestri remotione,

Scribens pro Josepho, deducebam easdem distinctiones ac auctoritates, quæ habentur *in d. duobus disc. præced.* illisque præsuppositis, (ne idem repetatur) dicebam, etiam in sensu veritatis, quod cum frumentum jam recollectum, atque a solo separatum per menses, repositum fuisset in horreo gratia expectandi tem-
3 pus magis congruum pro illius venditione, absque dubio dici non poterat, quod esset fructus inexactus, solumque prætendi posset, quod tamquam bona provenientia occasione Ecclesiæ, caderent sub spolio jure successorio, quod non obstabat, stante indulto in parte operativo, dum d. Constit. 80. Urban. VIII. percutit solum ea quæ veniunt sub nomine fructuum inexactorum, sub quorum nomine, certum videbatur istud frumentum non venire, ex eisdem auctoritatibus, de quibus *d. disc. præced.*

Clarius vero, quoniam isti fructus non solum erant percepti ac effecti de dominio dicti Episcopi, sed etiam dici poterant consumpti æquipollenter, dum debitum in
4 cujus causam dati fuerunt, contractum erat pro substentatione Episcopi ejusque familiæ, aliisque Ecclesiæ oneribus, quo quibus alias oportuisset eos vendere pro minori pretio, & consequenter cum majori eorum consumptione; Atque hoc stante dicebam, quod ad favorem hujus creditoris intrabat æquitativa actio, fortius vero exceptio utilis negotiorum gestorum, nam alias Camera ex his fructibus minus habuisset; Ac etiam in idem bene conferre ponderabam ea, quæ habemus circa distinctionem ad plures effectus, inter alimenta præterita & futura, quod futurorum nomine veniunt etiam præterita, si pro illis contracta sunt debita, quæ remaneant dissolvenda; Et ea quæ habemus de locupletatione, quod locupletior factus dicitur ex consumptis in eos usus, pro quibus alias oportuisset distrahere bona propria, quæ supersunt, alias non superextitura.

Ponderabam item, quod cum beneficiatus debeat vivere ex fructibus beneficii, adeout plurium sententia sit, quod si quando obtinet beneficium, non inveniat fructus cum quibus se substentare valeat, teneatur prædecessor, qui fructus colligit, subministrare omnes expensas usque ad novos fructus, ex deductis apud Borgnin. *decis. 37. n.*
5 *48. cum plur. seq. part.* 2. Bellet. *disquis. clerical. part.* 1. §. 15. *n.* 13. *de bonis clericorum*, conferunt deducta per Spadam *consil. 33. n. 4. & 5. lib. 3. & per modernum de Panimolis in prauximomo, Constit.* 31. *n.* 10. *&* 11.

Quamvis hoc de facto non sit in usu, quicquid allegati dicant, ut discursum fuit in alia Ferrarien. *disc. prox. seq.* in qua tam per partes hinc inde, quam per Cardinales arbitros adhibitæ fuerunt exactæ diligentiæ, an id
6 reperiretur unquam ad praxim deductum, & inveniri non potuit, sed potius compertum fuit, certam ac notoriam esse contrariam observantiam, tam Tribunalis Thesaurarii, quam Nuntiaturæ Neapolis, aliorumque locorum, quod non solum non dimittunt aliquod de fructibus collectis, vel maturis noviter proviso, sed volunt partem fructuum pendentium pro rata temporis juxta computationem, quæ in proposito solvendi pensionem habetur pluries in sua materia *sub tit. de pension.* præsertim in Neritonen. & in Anglonen. *disc.* 24. *&* 25. Attamen exinde deduci posse dicebam argumentum, quod multo magis ex ipsis fructibus pendentibus ac maturis de tempore possessionis ipsius beneficiati debeat ipse vivere cum hujusmodi anticipata indirecta perceptione, sine qua alias vivere non posset, contrahendo scilicet debita solvenda cum fructibus, postquam percepti erunt.

Et quemadmodum si possessor Episcopatus, vel beneficii, non valens proprio sumptu colere prædia, aliasque expensas facere pro futura recollectione fructuum, ad hunc effectum contrahat debita, non videretur dubitandum,
7 quod ipso moriente, fructibus adhuc pendentibus, vel in tali statu existentibus, ut pendentes dici debeant, teneatur Ecclesia, vel successor, aut Camera, (quæ ubi adest spolium, in juribus Ecclesiæ succedit) solvere hujusmodi debita ex fructibus quos percipit, dum isti dicuntur illi qui supersunt deductis expensis; Et ad quod conferunt ea quæ de potioritate pro alimentis possessoris majoratus, vel pro expensis in conservatione bonorum, seu fructuum recollectionem, ac culturam bonorum habentur plene deducta per Salgad. *in labyrinth. part. 1. cap. 24. ubi concordantes.*

Ita dicendum veniat teneri debere ad hujusmodi debita contracta pro substentatione Episcopi, vel beneficiati, aliisque Ecclesiæ oneribus, vel quia istæ dicuntur expensæ pro colono, vel quia mutuator sequi videtur fidem ipsorum fructuum percipiendorum; Ac etiam ob 8
magnum inconveniens, quod quando noviter provisi de Episcopatibus, aliisque beneficiis accedunt ad Ecclesias post fructus jam recollectos per prædecessorem, vel per Cameram, unde expectare debent futuram recollectam, interim, stante dicto usu non suppeditandi ex recollecta jam facta ea quæ necessaria sunt usquequo nova sequatur, cogerentur fame perire, ac bonorum culturam deserere, aliaque negligere, Ecclesiæ cultum & ornatum concernentia, dum invenire non possent mutuatores, nisi isti assecurati viverent ex fructibus proximæ recollectæ; Ponderando etiam, quod ut patet *ex discursibus proxime præced.* hujusmodi quæstiones esse solent circa transmissionem, vel alienationem in hæredes, vel alios donatarios foventes causam lucrativam, ac ubi vigere potest suspicio fraudis, atque ita credo resolutum pro dicta remotione sequestri.

FERRARIEN. PERTINENTIÆ FRUCTUUM, ET BONORUM, PRO CARDINALI PIO, CUM CARDINALI DONGHO.

Casus disputatus coram Arbitris, & resolutus ut infra.

De eadem materia divisionis fructuum ac onerum inter beneficiatum prædecessorem renunciantem & successorem; Ac etiam, an beneficiatus prædecessor detrahatelioramenta separabilia, puta animalia, instrumenta, & alia bona, vel potius acquisita censeantur Ecclesiæ, seu beneficio; Et de expensis culturæ ac seminis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis disputatis.*
3 *De concursu prædecessoris, & successoris in beneficio pro solutione pensionis.*
4 *Fructus civiles dicuntur percipi singulis diebus, ideo dividuntur pro rata temporis.*
5 *Fallit, ubi prædecessor desiit esse beneficiatus ex resignatione; Et de ratione differentiæ inter istum casum, & illum mortis.*
6 *Secus in Episcopatu, vel beneficio curato.*
7 *De usufructuario cum onere & fine.*
8 *Ut etiam in Episcopatu, vel beneficio curato intret conclusio, de qua num. 6.*
9 *Quid ubi quis transfertur de uno Episcopatu ad alium.*
10 *Expensæ pro cultura fundorum non repetuntur per beneficiatum.*
11 *Reprobatur opinio volentium, ut prædecessor teneatur de fructibus recollectæ præcedentis suppeditare expensas successori.*
12 *Quomodo intelligi debeat dicta opinio.*
13 *An & quæ animalia per prædecessorem immissa in fundos Ecclesiæ, possint, vel non possint detrahi.*
14 *Stigmata, seu marcum probant dominium animalium.*
15 *Donatio in dubio non præsumitur.*
16 *An & quando administrator vendere possit habita fide de pretio.*

DISC. LXXXIV.

CUm Cardinalis Pius expertus illud Cœlum, quamvis 1
natium parum salubre, coactus esset Ecclesiam Ferrariensem, octo annorum circiter spatio satis laudabiliter administratam, dimittere in manibus Papæ, hic vero ante formalem admissionem secutam in Concistorio penultima die Februarii 1663. destinasset ad eamdem Ecclesiam transferre ab illa Imolensi Cardinalem Donghum, qui de facto translatus fuit, adepta possessione sub die 23. Maji sequen-

sequentis; Hoc intermedio tempore, de scientia, & consensu ejusdem Papæ, ac principaliter in gratiam, & majorem commoditatem novi Episcopi, idem prædecessor, occasione sibi incumbentis administrationis amplissimi patrimonii, cæteris fratribus communis, temporalem dictæ Ecclesiæ administrationem suscipere, seu continuare promisit per quamdam speciem implicitæ conductionis, accollando scilicet in se onus solvendi pensiones, quibus dicta Ecclesia gravata erat, & cum obligatione solvendi dicto successori annua scut. 2500. Cumque ad aliquos annos Episcopus successor credidisset, hujusmodi conventionem sibi præjudicialem esse, dictus vero Cardinalis Pius ex consueta generositate, nedum libere a dicta conventione recessisset, sed etiam declarasset eam resolutam ab initio, perinde ac si nunquam sequuta esset, ita se habendo pro simplici administratore, ac se exhibendo promptum redditioni rationum; Hinc dictarum rationum occasione, inter ministros dictorum Cardinalium (omnem majorem benevolentiam adhuc continuantium) exortis pluribus differentiis, istæ compromissæ fuerunt in forma extrajudiciali in duos utriusque partis satis benevolos, doctos ac versatos Cardinales, Borromæum, & Gualterium, per quos post plures congressus ac disputationes, tamquam arbitros, ac arbitratores, & compositores, tam ex regulis juris scripti, quam ex prudentialibus, dictæ differentiæ terminatæ fuerunt; utraque parte, quod sciam, acquiescente.

In disputationibus igitur habitis coram dictis arbitris, ultra plerasque differentias in nudo facto consi-
2 stentes, sex erant puncti juris mixturam habentes; Primo scilicet super dictorum prædecessoris ac successoris concursu, seu contributo in solutione pensionum dicti anni 1663. in quo dimissio, ac respective translatio sequuta est; Secundo, super divisione fructuum civilium ejusdem anni; Tertio, circa detractionem a prædecessore prætensam seminis, aliarumque expensarum pro cultura agrorum ac prædiorum, dum dimissio sequuta fuerat in fine Februarii, quando prædia culta & sata sunt, Quarto, circa prætensionem, quam e converso successor habebat, quod prædecessor ex fructibus anno præcedenti recollectis teneretur successori subministrare necessaria pro ejus substentatione, ac pro Ecclesiæ oneribus usque ad novam recollectam; Quinto, circa detractionem animalium, quæ prædecessor retinere consuevit in prædiis Ecclesiæ; Et sexto demum, cujus periculo cedere deberet decoctio mercatoris, cui durante dicta administratione, prædecessor quamdam notabilem frumenti quantitatem, habita fide de pretio, vendiderat.

De primo puncto habetur actum in ejus propria sede
3 *sub tit. de pensionibus*, ubi de eodem puncto frequenter contingibili pluries agitur nedum in ista Ferrarien. sed etiam in Neritonen. & in Anglonen. ac in aliis.

Quatenus vero pertinet ad secundum; Scribens Ego
4 pro prædecessore, dicebam quod cum isti fructus civiles juris ministerio maturare, ac percipi dicantur singulis diebus, quinimo horis ac momentis, hinc proinde, inter prædecessorem, & successorem, non curato actu exactionis, intrat divisio in regulis arithmeticis pro rata temporis, adinstar eorum quæ in jure disposita sunt, ac firmantur circa divisionem faciendam inter virum, ac uxorem, vel respective hæredes in ultimo anno soluti, vel separati matrimonii, de quibus in sua materia *sub tit. de dote, disc.* 160. ut in his specialibus terminis translationis Cardinalis de uno titulo ad alium firmatur apud Duranum *dec.* 20. & in terminis translationis Episcopi, Spada *consil.* 34. *libr.* 3.

Reflectendo autem ad veritatem, ac stricto jure in hoc sentiebam difficultatem (quæ tamen ob aliquam æquitatem, seu epichejam ex facti circumstantiis resultantem procedere non debebat;) Quidquid enim sit de hoc puncto, quoties agitur de hujusmodi fructuum civilium inexactorum, vel etiam naturalium, seu industrialium transmissione ad hæredem beneficiati morientis, de quo habetur infra, *disc.* 100. ubi de hac materia divisionis inter prædecessorem, & successorem, vel respective hæredes in genere.

5 Quoties tamen beneficii vacatio sequitur per resignationem, seu dimissionem, tunc regula videtur contra resignantem, quoties expressa reservatio non accedat, quoniam ita simpliciter dimittendo, abdicare dicitur a se omne jus, dictosque fructus successori remittere seu condonare, dum dimissio sequitur per actum voluntarium, sibique imputare debet, cur non reservaverit; Hoc autem dici non potest de vacatione resultante ob mortem, utpote involuntaria ac insperata, ut cæteris relatis Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 44. *nu.* 32. *cum seq.* Cenc. *de cens. quæst.* 70 *num.* 19. Caval. *dec.* 104. *num.* 1. *& seq.* Rota *dec.* 278. *num.* 6. *& seq. part.* 2. *recent. repetit. dec.* 177. post Cenc.

Observabam tamen, ultra supra insinuatum æquitatis, seu convenientiæ motivum, quod scilicet prædecessor ideo hujusmodi fructus pro ejus rata exigere, sive dimittendo Ecclesiam eos sibi reservare neglexit, eo quia, stante dictæ conventionis præordinatione, cum scientia, & consensu Papæ, certus erat, quod omnes fructus, etiam in futurum, suo commodo ac incommodo cedere deberent, & consequenter quod intrare non deberet dictus strictus juris rigor; Duo alia ad favorem dicti prædecessoris ponderabam fundamenta; Primo scilicet, quod dicta conclusio recipienda videtur in possessore simplicis beneficii fovente causam lucrativam, non autem ubi agitur de possessore beneficii curati, ut est Episcopatus; ut per Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 15. *nu.* 12. cujus opinionem veriorem esse in beneficiis curatis, seu alias administrationem, ac servitium requirentibus 6
dicit Paris. *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 6. *in fine*; ex ea ratione, quod tunc fructus dicuntur potius compensatio onerum, seu merx laboris, ac propterea ex identitate rationis intrare debeant ea quæ habentur in viro participante de fructibus quamvis inexactis pro rata temporis, utpote recompensativis onerum matrimonialium; Et de dicta distinctione in usufructuario cum 7
onere, vel sine habetur cæteris relatis apud Hodier. *contr.* 4. *n.* 52. ac insinuatur supra in *Bononien. disc.* 81.

Verum istud motivum, quamvis ratiocinando, in Puncto juris nimium probabile videretur, attamen in praxi videtur parum tutum, dum communis opinio est in contrarium, ut supra, sequendo indefinite opinio- 8
nem Alberici *in leg. divortio, n.* 12. *ff. solut. matrim.* Ac etiam ob contrariam praxim etiam in Episcopatibus, ac beneficiis curatis, stante potissimum Constit. 80. Urb. VIII. pluries in præcedentibus insinuata, ob quam cessat responsio, quæ alias dari posset, quod scilicet dicta contraria praxis referri possit magis ad spolium, vel successionem, quam ad non participationem, cum id non procederet in Cardinalibus habentibus indultum testandi, tamen non transmittunt, ut transmittere deberent, si vera esset dicta opinio Covar. Multo minus in isto casu resignationis, in quo ob superius insinuatam differentiam inter casum mortis, & illum voluntariæ dimissionis, facilium intrat transmissio, quam retentio ad beneficium dimittentis.

Secundo ponderabam, quod dicta ratio, ob quam resignanti, nulla facta reservatione, nullum jus competit in hujusmodi fructibus inexactis, recte procedit in simplici resignatione mere voluntaria, cum tunc intrare videatur ratio præsumptæ condonationis, ac voluntariæ abdicationis omnis juris, vel altera, quod sibi imputet, cur de hoc solicitus non fuit; Secus autem in 9
casu translationis, cum hæc fieri dicatur per Papam motu proprio, unde propterea translatus facere non dicitur actum voluntarium, sed potius necessarium; Licet enim in translatione quoque interveniat consensus translati, attamen non est consensus habens originem a causa mere voluntaria, ut est resignatio, sed est quidam consensus secundarius, qui præstatur, ut libenter obediatur Papæ, cui etiam per invitum obediendum esset, ex deduct. per Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 12. *n.* 10. *& seqq.* ideoque videtur species mortis, in cujus etiam casu pie morientes consensum accommodant, ut ita se conformes reddant voluntati Dei, sed non per hoc dicitur mors voluntaria, ut in specie ponderat Spada *dict. cons.* 34. *lib.* 3. *n.* 5. Et ob quam rationem forte substineri posset *dict. dec.* 20. Durani, cujus lectura ostendit quod materia non multum discussa fuerit; Verum adhuc cessabat applicatio ad factum, cum in successore verificaretur translatio ab Ecclesia Imolensi ad istam Ferrarien. secus autem in prædecessore, cujus respectu dimissio fuit libera, ac mere voluntaria, ideoque aliud non suffragabatur motivum; nisi jam dictum æquitatis, & convenientiæ ob dictam particularem circumstantiam, & de quo aliqua ratio habita fuit.

Quoad tertium punctum detractionis seminis, aliarumque expensarum culturæ; Egomet scribens pro præ- 10
decessore, admittebam quod de stricto jure hujusmodi detractio non competeret; cum id gestum sit ex necessitate, ex iis quæ habentur *in Pientina, discurs. seq.* solumque insinuabam idem congruentiæ motivum, de quo in puncto præcedenti.

Et e converso, in sensu etiam veritatis planum esse dicebam ad favorem ejusdem prædecessoris quartum punctum

super

super prætensione successoris, ut omnes expensæ, ac onera usque ad novam recollectam fieri deberent de
11 fructibus recollectæ præcedentis; Quidquid enim incidenter, ac aliud agendo, cum aliqua confusione (forsan non insolita) dicat Cavalc. *decis. 37. num. 48. cum seqq. part. 2.* juxta unam impress. alias *dec.* 82. cum quo pertranseunt Bellet. & alii moderni collectores; ut advertitur *disc. præc.* notoria, & inconcussa observantia est in contrarium, non solum in illis Ecclesiis, in quibus ex Constit. Julii III. Camera succedendo in locum Ecclesiæ percipit fructus pendentes, seu alias non collectos de tempore vacationis, sed etiam in illis, in quibus viget dispositio juris communis, ut est in statu Mediolani, ac etiam in illis Ecclesiis Regni Neapolit. quæ sunt ad Regiam præsentationem, ac similibus.

Idque dicebam clare probari practice, non solum ob dictam generalem observantiam, sed etiam ob particularem, ac individuam casus controversiam, quoniam quando de anno 1655. prædecessor obtinuit Ecclesiam, nullum habuit subsidium a prædecessore, vel a Camera ex fructibus recollectæ præcedentis, ideoque intrare dicebam theoricam, de qua *sub tit. de dote, disc.* 160. super modo participationis fructuum bonorum dotalium viro competentis propter onera, quod si de tempore matrimonii invenit fundos vacuos, non per hoc petit a muliere, vel primo viro subventionem expensarum pro cultura, vel pro oneribus ex fructibus præcedentis recollectæ.

Id autem, quod dicitur apud Cavalc. *ubi supra*, cum ibi deductis vere ac proprie percutit substentationem
12 successoris, aliaque onera pro residuo illiusmet anni, in quo prædecessor integram collectam fecisset; Ut puta, consistentibus fructibus beneficii in frumento, hordeo, leguminibus, aliisque frugibus, atque juxta ea, quæ habentur *in Neriton. sub tit. de pension.* calculando annum a 1. die Septembris, usque ad ultimam Augusti, si prædecessor dimittat Ecclesiam in finem mensis Junii, quando juxta plurium regionum qualitatem, integra dd. fructuum recollecta jam per eum facta sit, tenebitur supplere dicta onera pro restantibus mensibus Julii, & Augusti, & sic proportionabiliter juxta fructuum qualitatem, procedendo cum eadem regula, de qua *in d. tit. de pension.* nempe quot recollectæ, tot anni integri onerum.

Circa quintum punctum animalium, quæ dici poterant instrumenta fundi, ut sunt boves aratorii, ac etiam in plerisque partibus, sunt oves pro fundi ster-
13 coratione, sive pro perceptione fructuum, herbæ, & pascuorum, qui percipi non solent, nisi mediantibus animalibus propriis ibi depascentibus, itaut ea videantur duo fixa, & ordinaria fundi instructi; Et tunc admittebam obligationem beneficiati, eodem modo, quo viget in viro, & in usufructuario, seu fideicommissario, ac similibus subrogandi nova capita in locum deficientium, ac relinquendi fundos instructos in eo statu, in quo invenit, quare super his nulla fuit quæstio juris, sed tota facti, & applicationis; Idemque respectu illorum animalium, quæ necessaria fuissent ex fundi qualitate pro illo instruendo, quamvis ex culpa prædecessoris, vel ex alio casu, successor non invenisset tot animalia, cum suppletio fieri debeat ex fructibus tamquam per speciem oneris intrinseci, & realis, eodem modo, quo negligente prædecessore reficere ædificia, vel subrogare arbores, vel vites in locum demortuarum, pariter supplendum est a successore.

Disputatio igitur erat solum circa ea animalia, quæ industriæ causa cum colonis, seu ad meliorem perceptionem fructuum consistentium in pascuis, immissa essent, atque de tempore dimissionis Ecclesiæ non extracta; In his autem dicebam, prorsus insubsistentem esse prætensionem successoris, cum illa ad alium titulum referri non valeat nisi ad illum præsumptæ, seu implicitæ donationis, quam beneficiatus cum immissione animalium facere voluerit Ecclesiæ, & cum quo præsupposito procedunt aliqui id supponentes. Hæc autem simplex, ac levis præsumptio (quidquid de illa esset generaliter ac in abstracto) sine dubio in hac facti specie non intrabat ex pluribus contrariis præsumptionibus, imo claris demonstrationibus d. præsumptionem suffocantibus; Primo scilicet quod animalia adhuc retinebant stigmata, vulgo *marcum* familiæ Piæ, quod marcum imprimi consuevit etiam illis animalibus, quæ in ipsismet fundis nata erant; Stigmata enim probant dominium, sive ex eadem ratione probant animum, quo scilicet jure, vel titulo possideantur animalia per eum, qui duplicem ge-
14 rat personam, juxta celebrem doctrinam Bart. *in leg. stigmata, Cod. de fabricensib. lib.* 11. ubi alii, præsertim Luc. de Penn. Menoch. *lib. 6. præsumpt. 15. num.* 12. Add. ad Buratt. *decis. 317. in fine*.

Secundo ob generalem præsumptionem militantem pro exclusione donationis in dubio non præsumendæ, quoties ad aliam causam, vel titulum actus referri potest, ex deductis per Tiraq. *in leg. si unquam, verbo donat. largitus, num. 206. & seq.* Caval. *decis. 603. num. 5. & 6. decis. 41. n. 2. & seqq. part. 9. recent.* & pluries *sub titul. de donat.* & sub altero *de Regal. ad materiam officiorum*.

Tertio fortius ad comprobationem d. regulæ, quoniam animalia ordinarie erant patrimonialia, & consequenter aliis fratribus communia, ideoque non de facili admittenda erat præsumptio donandi alienum; Quarto magis in specie, quia justificabatur in facto, hujusmodi animalium administrationem, in fructu, ac expensis continuasse in libris domesticis, ac patrimonialibus sub iisdem calculis aliorum animalium patrimonialium absque distinctione; Quinto, quia aderat probabilis causa clare exclusiva contrariæ præsumptionis, in qua totum fundamentum constituebatur, non extrahendi animalia a fundis de tempore dimissionis Ecclesiæ, stante dicta præordinata conventione super continuatione administrationis temporalis; Et sexto demum, quia hujusmodi quæstiones cadere solent inter Ecclesiam, vel beneficiatum successorem, ac hæredes prædecessoris jam defuncti, qui non potest suam voluntatem declarare, & in quo moriente admitti potest pia præsumptio donandi, seu relinquendi hujusmodi animalia Ecclesiæ ob non factam in contrarium declarationem, vel dispositionem; Ultra quod plerique moderni, potius collectores, seu transcriptores, quam doctores non discurrentes, neque conclusiones investigantes ex rationibus, vel principiis, in hoc involvunt terminos diversos præsupponendo quod ista animalia tamquam bona beneficiati remanere debeant pœnes Ecclesiam tamquam clerici hæredem ob præsumptionem, quod acquisita sint ex bonis Ecclesiæ, juxta traditionem DD. *in auth. licentiam, C. de Episcop. & Cler.* Redoan. *de spol. quæst. 9. §. quid dicendum, n. 42. & seq.* Rot. *dec. 560. n. 5. & 6. part. 4. recent. tom. 3.* dum istæ auctoritates allegabantur; Hic autem titulus longe diversus est ab altero præsumptæ donationis resultantis ab ipsa immissione animalium in fundos.

Hæc autem applicari non poterant ad casum prædecessoris superviventis, contrariam voluntatem declarantis juxta ea, quæ a simili circa præsumptionem remissionis fructuum bonorum paraphernalium ponderantur 15
sub titul. de dote, disc. 168. cum similibus *sub tit. de donat.* ubi de declaratione donatoris attendenda.

Et nihilominus etiam mortuo beneficiato, advertebam contrarium comprobare observantiam Cameræ Apostolicæ, ubi fiunt spolia, quoniam relinquuntur solum in fundis Ecclesiæ illa animalia, quæ juxta morem regionis ac fundorum qualitatem dici possunt eorum instrumenta, non autem ea, quæ beneficii, vel Ecclesiæ possessores immittunt ad industriam, seu meliorem fructuum perceptionem, quæ tamquam propria beneficiati veniunt sub spolio.

Demum quoad sextum, & ultimum punctum decoctionis debitoris, cui frumentum venditum fuerat, habita fide de pretio, Cum scribentes in contrarium insisterent in eo, quod administrator sine speciali man- 16
dato vendere non potest pecunia credita; Ego non negando regulam de jure veram, dicebam illam limitari, quando ita exigentibus bonorum qualitate, & communi usu, ita facere expediat pro meliori venditione, quæ alias in notabili quantitate sequi non posset, unde ita practicent viri sagaces, ac diligentes patresfamilias, ut advertit Merlin. *lib. 8. contr. c. 38. n. 6.*

Præterea omnis difficultas cessabat, quoniam quando d. venditio facta fuit, prædecessor non credidit id agere jure simplicis administratoris rei alienæ, sed potius gerendo proprium negotium in vim dictæ conventionis, adeout ejus esset commodum, & incommodum, ideoque dum ex benevolentia a dicta conventione recessum fuerat cum retrotractione ad initium, ita fingendo interim se fuisse administratorem, discrete intelligendum est, absque eo quod intrent juris rigores, qui habentur contra eum, qui scit administratorio nomine alienum negotium gerere, non autem proprium; ex iis quæ in consimilibus terminis appaltatoris gabellæ, vel alterius juris, qui resoluto concorditer appaltu remaneat administrator, habentur *in Rom. redditionis rationis, sub tit. de Regal. disc.* 86. ibique deducta, in ista etiam disputatione deducebantur, atque ita super hoc puncto ad favorem prædecessoris determinatum fuit.

PIEN-

PIENTINA TRANSACTIONIS, PRO FABIO ET FRATRIBUS DE CHECCONIS, CUM CAMERA.

De eadem materia, & præsertim, an Camera, quæ administrat Ecclesiam, vel beneficium de tempore vacationis, ac fructus percipit, dici possit creditrix noviter provisi pro semine erogato in cultura agrorum, & segetum pro nova recollecta.

S U M M A R I U M

1 *Facti series.*
2 *Expensa pro cultura agrorum, & semine facienda sunt cum fructibus jam recollectis.*
3 *Quod ex dictis fructibus prædecessor teneatur alere successorem, sed non servatur.*
4 *Materia divisionis fructuum beneficii desumpta est ex materia dotis.*
5 *Creditore succedente debitori, inducitur confusio actionum.*
6 *Cessionarius hæreditatis dicitur hæres ab initio, & cedens exercet ejus propria jura.*
7 *Ex pretio desumitur voluntas.*
8 *De clausula apposita in cessione, ut non afficiat cedentem, quomodo intelligenda venit.*

D I S C. LXXXV.

1 Vacante Ecclesia Pientina de anno 1665. ministri Camerales Nunciaturæ Florentiæ, facta recollecta omnium fructuum illius anni, ex eisdem fructibus dederunt colonis triticum, aliasque fruges necessarias pro semine ad præparationem futuræ recollectæ; Cumque de dicta Ecclesia provisus esset N. Checconus, qui adeptus fuit possessionem in fine mensis Novembris ejusdem anni 1665. & sic post factam collectam, & sata prædia, obiisset vero de mense Martii 1668. hinc inter dictos ministros Camerales, ac præfati Episcopi defuncti fratres aliquæ exortæ sunt controversiæ occasione spolii, sopitæ per concordiam, per quam omnia bona dicti Episcopi sub spolio cadentia, ac etiam nomina debitorum, exceptis bonis per Cameram distractis, vel nominibus exactis, dictis fratribus cessa fuerunt, soluta per eos quadam summa, eosque ponendo in universum jus, & locum Cameræ juxta frequentem stylum hujusmodi compositionum, quæ fieri solent inter Cameram, & hæredes Episcopi, vel beneficiati defuncti; Cumque d. transactarii assumpsissent in se, juxta eundem stylum, onus solvendi omnia debita, & onera hæreditati, seu spolio d. Episcopi incumbenetia, hinc proinde d. ministri Camerales coram Nuncio Apostolico Florentiæ eos pulsarunt pro credito, quod Cameram habere dicebant cum d. Episcopi hæreditate ex causa dicti seminis, dum ipse integram perceperat recollectam ann. 1666. pro qua sibi incumbebat dictam seminis impensam facere, quare defunctus requisitus ad causæ opportunitatem pro dd. fratribus reis conventis; Duas constituebam inspectiones; Unam scil. an Camera dici posset creditrix d. Episcopi ejusq. hæreditatis ex causa dicti seminis; Et alteram posito quod esset talis, an istud debitum esset de accollatis per transactarios, Atque super utroque puncto, cum ratio etiam veritatis, credebam justitiam assistere ipsis reis conventis, pro quibus scribebam, præsertim vero in primo, quo posito, ut ut cessaret creditum in radice, opus non erat diutius immorari in altero; Incertum vero est quid sequutum sit.

Quatenus igitur ad d. primum punctum, an sc. Camera, quæ nomine Ecclesiæ vacantis, illam administrat, vel prædecessor, repetat a successore noviter proviso expensas erogatas pro cultura & sementatione prædiorum, ut advertitur *disc. prox. præced.* (in cujus casu ita sine aliqua difficultate decisum fuit) omnino verior est negativa, quo-
2 niam possessor, vel administrator beneficii, vel Ecclesiæ, ex fructibus quos percipit, suppeditare tenetur illam partem, quæ necessaria est pro semine, & cultura prædiorum, sibi applicando id quod superest, ut litteraliter probat text. *in cap. fin. de off. ord. in 6* & est communis sensus DD. de quibus Borgin. *dec. 37. part 2. ex n. 48. cum plur. seq.* juxta unam impressionem, & juxta alteram *dec. 81.* Bellet *disqu. cler. part. 1. §. 15. num. 13.*

Imo ut advertitur supra *in duplici Ferrar. disc. 83. & 84.* & apud allegatos, id ampliatur, ut prædecessor ex hujusmodi fructibus ab eo perceptis teneatur etiam suppeditare necessaria pro sublentatione successoris, & Ecclesiæ usque ad novam recollectam, ne interim ille fame perire cogatur, atque Ecclesiæ cultum, aliaque onera 3
deserere; Et quamvis quoad victum, aliasque expensas de futuro faciendas ista propositio, quæ in puncto juris abstracte vera est, non sit in usu, *ut d. disc. præc.* attamen quoad expensas jam factas absolutum est hujusmodi repetitionem non dari, cum gestus esse dicatur actus necessarius; Et clarius, quia vere non dicitur expensum de proprio, sed de bonis ipsius Ecclesiæ, illaque rata fructuum, quam prædecessor beneficiatus, vel Camera administrans, sibi applicare non poterat, sed ad hunc effectum dimittere tenebatur penes ipsos colonos.

Ponderabam item, ex duplici alia circumstantia improbabilem remanere dictam prætensionem; *Primo sc.* ex duplici observantia, quæ in omnibus dicitur optima interpres, dum ibi Camerales hujusmodi prætensionem non excitarunt super ea prima collecta facta ex hoc semine, super qua eorum prætensio aliquam majorem apparentem probabilitatem habere potuisset, & tamen de tempore transactionis hujusmodi prætensionem ad speciem non deduxerunt.

Et secundo, quod ipsa Camera perceperat integram recollectam ann. 1668. defuncto Episcopo de mense Martii, quando pariter prædia erant culta & sata, unde ita Camera se reintegravit de dicto semine, quod per Episcopum habitum in primo anno erogatum fuit in ultimo, juxta ea quæ circa hujusmodi controversias inter virum, & uxorem habentur deducta *sub tit. de dote*, 4
disc. 160. ex qua sede Beneficialistæ totum in hac materia desumpserunt, ut advertitur etiam infra, *disc. 100.* de hac materia divisionis fructuum in genere.

Hinc cessabat necessitas agendi de altero puncto confusionis actionum ipsius Cameræ, eo ipso quod factus fuit casus successionis, vel spolii, cujus ratione habetur loco hæredis, ideoque ratione incompatibilitatis, 5
ne idem sit debitor, & creditor, eo ipso quod creditor succedit debitori, inducta dicitur actionum confusio juxta unam opinionem, ac juxta alteram, præsumpta solutio, ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur apud Apont. *cons. 8.* Franch. *dec. 80* Marc. Jun. *disp. 95.* Merl. *de pign. lib. 5. q. 14. & 15.* cum aliis in sua materia *sub tit. de cred.* præsertim in *Senen. concursus.*

Verum catenus illud motivum intrare observabam, quatenus ista cessio esset particularis de certis rebus, ut probabilius esse videbatur; Secus autem si fuisset uni- 6
versalis de tota hæreditate, omnibusque juribus activis, & passivis, tunc enim juxta dispositionem text. *in l. 1. & 2. & tot. tit. ff. & C. de hær. vel act. vend.* cessionarius dicitur hæres ab initio, perinde ac si ipse successisset, & consequenter, si ille qui cessit hæreditatem, erat ejusdem hæreditatis creditor, ita consideratur tamquam tertius, ejusque creditum petere potest, nisi facti circumstantiæ aliud suadeant; Potissimum vero attenta quantitate pretii pro hujusmodi cessione soluti, ex recepta, frequentique propositione, quod pretium est 7
magnum argumentum voluntatis partium, & quid in contractum deducere voluerint. Alex. *cons. 26. lib. 4.* Mant. *de tac. lib. 4. tit. 9. n. 8.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 75* Greg. *dec. 126. n. 9* Burat. *dec. 471. n. 4. & 607. n. 5.* & in aliis frequenter; Ideoque attenta quantitate pretii soluti, ac respective quantitate, & qualitate bonorum & jurium, quæ cessa fuerunt, probabile videbatur quod Camera hujusmodi prætensionem neglexisset, sive quod de illa habuisset rationem, ita pretium augendo; Et quamvis ex parte Cameralium magnum fundamentum constitueretur in d. concordiæ clausulis nimium amplis, quod scil. nec directe, nec indirecte contra ipsam Cameram aliquis regressus haberi posset, neque exinde conferetur sibi in aliquo præjudicatum; Attamen advertebam id intelligendum 8
esse de molestiis, quæ ab aliis inferri possent, non autem de illis ipsiusmet cedentis, ac pro juribus tunc competentibus, ex plene deductis apud Merl. *dec. 874. n. 4 & seq.* repetit. *dec. 237.* post Zacch. *de oblig. Cam.* secus autem, ubi ageretur de jure postea supervento, vel alias competente tamquam ex diversa persona verisimiliter in conventionem non deducto, *ut dec. 49. num. 30 & 31. part. 11. recent.* ubi concordantes.

PRÆNESTINA, PRO ANGELO MATTHIOLO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia detractionis melioramentorum, quæ per beneficiatum superviventem, dimisso beneficio fiat necne; Et quid ubi agi-

tur

tur de melioramentis inseparabilibus, puta plantando vineas, vel arboreta, seu constituendo domus in solo Ecclesiæ.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Beneficiatus non detrahit melioramenta facta in bonis Ecclesiæ.*
3 *De differentia, quando melioramentorum detractio petitur per hæredem beneficiati defuncti, vel per ipsum supervinentem.*
4 *De detractione melioramentorum per fundatarium, emphyteutam & fidecommissarium remissive.*
5 *In quo beneficiatus differat a prædictis.*
6 *De ratione, ob quam beneficiatus vivens detrahit.*
7 *Voluntas declaratur magis factis, quam verbis.*
8 *De pluralitate personarum concurrente in beneficiato, ut acquirere possit bona Ecclesiæ.*
9 *De incursu pœnarum contentarum in Extrav. Ambit.*

D I S C. LXXXVI.

1 CUm Angelus esset Rector Ecclesiæ parochialis Palliani, plantavit vineam in quadam petia terræ ejusdem Ecclesiæ, qua dimissa, vineam prædictam aliquo tempore retinuit, deindeque volens a loco discedere, alteri vendidit, unde successor in beneficio prætendere cœpit, d. vineam, absque aliqua melioramentorum refectione vindicare, diffamando etiam prædecessorem de incursu censurarum, aliarumque pœnarum contentarum *in Extrav. Ambit. de rebus Eccl. non alien.* Quare desuper ex parte dicti Angeli pro veritate consultus,

Præsupposita consuetudine, tam hujus, quam aliarum Ecclesiarum loci, absque alia solemnitate passim concedendi privatis terras ad plantandum vineas, cum obligatione respondendi de quinta parte fructuum, quod supponebatur tendere in evidentem Ecclesiæ utilitatem;

Respondi, quod licet regula ipsi Angelo resisteret, quod scilicet beneficiatus dimisso beneficio non detrahat melio-
2 ramenta facta in fundis ac bonis beneficii, cum ex debito officii fecisse censeatur, magis ex fructibus ejusdem beneficii quam de proprio. juxta deducta *in plur. disc. præced.* & magis specie per Garz. *de expens. & melioram. cap. 11. num. 71.* & per Rot. *decis. 761. part. 1. divers.*

Attamen in hac facti specie ex ejus qualitate, & circumstantiis contrarium verius videretur, dictæ siquidem auctoritates ac aliæ apud eas, seu earum rationes, vere, ac proprie percutiunt casum, in quo hæres beneficiati defuncti intendant detrahere hujusmodi me-
3 lioramenta inseparabilia; tunc enim regulariter non conceditur in hærede beneficiati id quod conceditur hæredi feudatarii, vel emphyteutæ, sive possessoris fideicommissi, vel majoratus in casu non culposæ devolutionis, vel alterius non expirationis proprii juris, habetur in suis respective sedibus, vel materiis, ut de possessore
4 fideicommissi *sub tit. de detract.* de emphyteuta *sub titul. de emphyt.* & de feudatario *sub titul. de feud.* præsertim *in nullius Baren. melioramentorum, disc. 27.*

Duplex enim ratio differentiæ viget in beneficiato, qui a prædictis aliis, vel similibus diversificat; Primo scil. quod in dubio, non constito de contrario, intret præsumptio
5 donationis, seu incorporationis ad beneficium Ecclesiæ; Et secundo, in quo potissimum fundamentum constituitur in allegatis auctoritatibus, ac in aliis deductis *d. disc. præced.* quod præsumptio est ut hujusmodi melioramenta facta sint de ejusdem Ecclesiæ, seu beneficii fructibus, & consequenter, ubi etiam ipsi beneficiato acquirerentur, adhuc tamen in eis succedit Ecclesia tamquam beneficiati hæres in bonis, quæ Ecclesiæ occasione quæsita sunt.

Utraque ratio in præsenti cessabat, potissimum vero secunda, cum ageretur de beneficiato adhuc vivente, cujus hæreditas non datur, minusque prima, quoniam, ut adver-
6 titur supra *in Ferrar.* dicta simplex ac nuda juris præsumptio tollitur sine dubio ex contraria probatione, vel fortioribus præsumptionibus diversæ voluntatis, quæ in hac facti specie videbatur nimium clara, utpote comprobata magis factis quam verbis ex recepta propositione, quod voluntas factis potius quam verbis comprobatur, seu declara-
7 tur, ex deduct. per Greg. & Add. *dec. 163. 239. & 247.* & passim; Siquidem dimittendo Ecclesiam, non dimisit hanc vineam, sed notabili tempore in statu non beneficiati eam retinuit, ac fructus percepit, deindeque vendidit, quorum utrumque facere non potuisset, ideoque intrat vulgare axioma metiendi voluntatem a potestate; Ac etiam quia adhuc supervivens eamdem voluntatem clare declarabat; ut advertitur in *dict. Ferrarien.*

Clarius vero stante dicta consuetudine concedendi absque alia scriptura, vel solemnitate, ad majorem Ecclesiæ utilitatem, hujusmodi petias terræ nudæ ac incultæ ad plantandum vineas per quamdam speciem emphyteusis, seu livelli, cum responsione in certa parte fructuum; Ut enim cæteris relatis advertitur per Salg. *in labyr. p. 2. c. 28.* & alibi pluries de possessore majoratus, vel fideicommissi, ac etiam habetur pluries in dicta sua materia *sub tit. de feud* præsertim in Rom. donationis scut. 30. m. *disc. 23.* in hujusmodi possessoribus jurium re- 8
solubilium quamdam administratorum speciem redolentibus, duplex formalis persona in una materiali repræsentari dicitur cum omnimoda diversitate, una scil. propria, & privata, altera vero possessoris feudi, vel fideicommissi, quæ distinctio sine dubio cadit etiam in Prælato, seu Rectore beneficii, quinimo hodie stante beneficio inventarii ex novissimo jure inducto, eadem distinctio datur in hærede, adeout citra incompatibilitatem possit unus, & idem esse debitor, & creditor, emptor, & venditor, seu concedens, & concessionarius; Et consequenter id quod ipse rector cuilibet privato concedere poterat, prohibendus non videtur concedere sibi ipsi privato jure tamquam diversæ personæ, quoties tamen actus citra fraudem aliquam, publice, & palam, ac bona fide fiat, juxta eam distinctionem, quam receptam habemus in tutore prohibito emere bona pupilli, creditore prohibito emere pignus, officiali prohibito emere bona subditorum cum similibus, de quibus *sub tit. de tutor. & administr.*

Atque hinc de plano resultabat resolutio alterius quæsiti super non incursu pœnarum contentarum *in extrav. ambit.* dum hujusmodi vineæ venditio facta non erat a 9
dicto Angelo, tamquam beneficiato, sed post dimissum beneficium, tamquam persona privata; Ac ulterius facta non erat de solo, seu bonis Ecclesiæ, sed de suis melioramentis, quæ non veniunt sub prohibitione alienandi ex deductis præsertim in *Tuscul. Salviani, sub tit. de emphyt. disc. 44.* ac alibi pluries; Et nihilominus, ut habetur sæpius ad hanc materiam alienationis bonorum Ecclesiæ *sub tit. de alienat. & contract.* frequenter datur nullitas alienationis, adeout nedum successori, sed etiam ipsimet Prælato, seu Rectori alienanti detur facultas revocandi, & tamen non intret incursus pœnarum, qui dolum ac temeritatem exigit.

S. AGATHÆ GOTHORUM CONTRIBUTIONIS, PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM JOANNE DOMINICO DE RUBEIS.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ, credo sopitus per concordiam.

De contributione facienda per possessores beneficiorum alicujus diœcesis pro solutione transactionis, seu compositionis cum Camera ratione spoliorum; An ad eam teneatur ille beneficiatus, qui ob indultum testandi non subjacet spolio.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De obligatione causativa cessante, si cessat causa.*
3 *Clerus potest collectare Ecclesiasticos pro causa publica, sed non invitos, qui nolunt uti commodo dictæ causæ.*
4 *Quod possidentes beneficia in diœcesi composita super spoliis teneantur contribuere, quamvis non subjaceant spolio, vel non curent privilegium.*
5 *An per exemptionem alicui beneficiato concessam minuatur summa in hujusmodi compositionibus contenta, & Camera teneatur hanc ratam defalcare.*

D I S C. LXXXVII.

CUm pleraque Italiæ capitula sub diversis Pontificibus, 1
frequentius vero sub Sixto V. nomine totius respective diœcesis se composuerint cum camera super spolio beneficiatorum, ut sc. soluta quadam summa, a cujuslibet respective diœcesis beneficiis regulata, singulis annis Cameræ, beneficiorum possessores exempti fiant a spolio, præterquam ex causa illicitæ negotiationis; In ista vero diœcesi ita composita Jo: Dominicus alias Innoc. X. familiaris possideret beneficium S. Angeli de Palumbaria, cujus ratione plurium annorum spatio passus fuerat contributionem, seu collectam singulis annis ex d. causa Cameræ solvendam, post longam patientiam excitavit prætensionem contra capitu-

lum

sum pro repetitione exacti spatio ann. 15. circiter, ac exemptione in futurum; Et introducta causa coram A. C. super utroque in contumaciam, quod in curia dicitur (*per contradictas*) sententiam reportavit, elapsoque termino ad appellandum, ac servatis consuetis terminis, exequutoriales quoque obtinuit, quarum occasione capitulum adiit Signaturam justitiæ, ad effectum obtinendi, prout obtinuit, commissionem restitutionis in integrum cum clausula suspensiva, seu translativa executionis, quod causæ finem dedit, cum amplius de illa actum non audierim, vel quia actor occasione hujus disputationis in Signatura, agnoscendo ejus malum jua acquieverit, vel quia concordia desuper sequuta sit.

In hac igitur disputatione habita in Signatura, ubi ex laudabili stylo, non solum deducuntur concernentia ordinem judicii, sed etiam summarie gustatur de meritis; Scribentes pro dicto beneficiato dicebant, quod dicta contributio respiciebat certum effectum, ut scilicet beneficiorum possessores ita non subjacerent spolio, ideoque erat beneficium, quod conferendum non est in eum, in quo nullus esset dicti beneficii effectus, ut in præsenti, dum stante indulto testandi etiam de bonis Ecclesiæ intuitu quæsitis, nullus quoad eum ex dicta concordia effectus resultabat.

Ad quod probandum, ultra generalia deducta ex regula text. *in cap. cessante, de reg. jur. in 6.* late exor-
2 nata per Tiraquell. ut cessante causa cesset effectus, ac quæ habentur pluries *sub tit. de Regal.* ad materiam officiorum, præsertim *disc. 8. & 9. sub tit de empt. & vendit.* ac sub altero *de cred.* de obligatione causativa cessante, ubi citra propriam culpam cesset causa, seu occasio; Magis in specie deducebant firmata per Rot.
3 *decis. 587. part. 4. recent. tom. 3. & dec. 148. part. 7.* quod scilicet quamvis clero alicujus diœcesis competat facultas imponendi collectas, seu contributiones pro substinendis litibus, vel aliis faciendis, quæ omnium beneficiatorum, & clericorum utilitatem concernant, attamen id intelligitur a sponte contribuere volentibus pro majori eorum utilitate, non autem ab invitis, quibus aliud onus non infertur, nisi illud privationis commodi, ac utilitatis ex dicto actu resultantis.

Clarius vero, quia in eisdem litteris Apostolicis super d. compositione solvenda mediante collecta, seu contributione disponitur, ut nolentes contribuere, subjaceant spolio ad beneficium ejusdem Capituli.

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis contrarium probabilius dicebam, edoctus a praxi, ob consimilem disputationem circa professionis initia habitam in
4 Camera in una Capuana pro Fabritio Caraffa Episcopo Bituntino possessore ejusdem Abbatiæ de jure patronatus Principum Ostiliani, renuente pati d. contributionem, ex eo quod tamquam Episcopus jam subjaceret spolio generali non patrimonialium, & consequenter quod nil sua interesset obtinere exemptionem ratione istius beneficii; Verum contrarium resolutum fuit, ob receptam praxim, seu observantiam contrariam, illi rationi innixam; quod alias impossibilis redderetur observantia hujusmodi compositionum, ac solutio annuæ præstationis constituentis certum redditum, super quo tamquam dote Camera montes erexit, seu alia onera adjecit; esset enim alias omnia involvere, cum quilibet ita eximi posset, vel negligendo spolium, quia totum vivens consumeret, vel quia, ut frequentius contingit in beneficiis simplicibus, illa possideantur per Curiales, quæ ex Costitutione Pauli V. spolio non subjacent, quoties eorum obitus in Urbe sequatur, vel infra ejus ambitum 10. milliarium; Talisque est inconcussa praxis, adeout defuncto dicto Episcopo Bituntino, atque ad Patroni præsentationem de dicta Abbatia proviso Octaviano Caraffa Prælato habente indultum testandi, ac etiam continuam residentiam in Urbe, ideoque non timente spolium, acerrima lis in eodem Tribunali Cameræ habita fuit inter ipsum, & præfatum capitulum Capuanum, me pro dicto Octaviano scribente, non super dictæ contributionis substantia, de qua non fuit amplius dubitatum, sed ea præsupposita tamquam absoluta, super excessu taxæ, quam ipse dicebat non proportionatam fructibus ipsius beneficii, & quantitati aliorum beneficiorum diœcesis, unde quæstio fuit potius facti quam juris.

Et quamvis hujusmodi debitum erga Cameram non minuatur ob exemptionem, quam Papa concedat possessori alicujus beneficii, alias contribuere deberi, cum per exemptionem civis non desinat debitum Civitatis, seu Univer-
5 sitatis, ex deductis per Bellene. *de charit. subsid. quæst. 59.* Gigan. *de pens. quæst. 59 n. 6.* Monet. *de decim. cap. 9. q. 3. n. 130.* & conferunt plene deducta per Surd. *dec. 278. n. 6. cum seq.* Attamen quidquid sit de veritate articuli in hoc formiter non disputati punctus non erat in exemptione a contributione, dum hæc in facto non aderat.

MELEVITANA CONTRIBUTIONIS PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU, CUM CLERO.

De beneficiorum contributione pro seminarii substentatione per Conc. Trid. demandata donec Seminarium provisum esset, An ex eadem ratione provisionis cessare debeat assignatio, quæ facta esset alicui Collegio Regulari in locum Seminarii subrogato.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Mutato facto receditur a resolutis.*
4 *Fructus dicuntur, deductis expensis, & oneribus.*
5 *Quæ sint istæ expensæ.*
6 *Confirmatio non extendit confirmatum.*
7 *Quod non sit attendenda formalitas verborum, sed substantia veritatis.*
8 *Regula subrogatorum non procedit, accedente diversa ratione.*
9 *De differentia inter Seminarium, & Collegium Regularium.*
10 *De quasi contractu in nova erectione conventus, & quod diminutis redditibus non cessant onera.*

D I S C. LXXXVIII.

DEstinata ex Constitutionibus Synodalibus ad præscri-
ptum S.C.T. *sess. 23. de ref. c. 18.* erectione Semine- 1
rii in Insula Melevitana, substentandi cum contributione beneficiorum; Clemens VIII. Episcopo, & Capitulo petentibus, loco d. Seminarii, mandavit erigi Collegium Societatis Jesu, per quod, stante istius Societatis instituto retinendi scholas, ac majori facilitate habendi Religiosos omnium nationum, melius haberi posset finis, ob quem Seminarii erectio demandata est, assignata eidem Collegio dict. contributione beneficiorum, cum autem tractu temporis clerus prætenderet quod Collegium prædictum, ex piis legatis aliisque obventionibus esset congrue provisus, Hinc proinde excitata fuit prætensio, ut ad normam dicti decreti Conciliaris hæc assignatio taxæ, seu contributionis expiraverit; Et introducta causa
in Rota cor. Cerro, sub die 21. Aprilis 1660. ad fa- 2
vorem Cleri pro expiratione prodiit resolutio, ex generali regula subrogatorum, sive ex altera text. *in c. cum cessante, &c.* Quia vero difficilius est superare recessum a decisis ex motivis juris, facilius vero ex illis facti, quo immutato, vel cessante, judicium quoque immutandum est, ut advertitur per Rot. *dec. 372. n. 1.*
part. 11. recent. Hinc proinde ego, & cæteri pro Col- 3
legio scribentes, sanius consilium judicavimus recurrere ad motivum facti, negando scilicet dictam præsuppositam congruam provisionem, eo quia notabiles redditus, qui dabantur in calculo, detractis oneribus, aliisque detrahendis, insufficientes remanebant; Ideoque petita fuit remissoria, quæ prævia formali disputatione super dubio particulari juxta stylum sub die 10. Martii 1664. concessa fuit, neque quod sciam causa ulteriorem progressum habuit.

In his igitur disputationibus super utroque dubio, duæ erant inspectiones, Una facti super dicta præsupposita provisione Collegii aliunde, Altera vero juris, an scil. admissa etiam dicta provisione, dicta assignatio cessare deberet necne.

Quatenus pertinet ad primam, cum tota esset facti, nullæ in ea erant partes Advocatorum, nisi super certo juris principio, quod fructus, seu redditus dicuntur
illi, qui supersunt deductis oneribus, & expensis aliisque 4
deducendis, *l. fructus, ff. sol. matr. l. hoc, de fruct. & sumpt. lit.* cum concord. ad nimiam satietatem collect. per Add. *ad dec. 444. p. 4. rec. tom. 2. n. 13. cum seq.* & habetur infra, *disc. 90.* ad materiam valoris.

Aliæ vero deductiones in hac facti specie non consistebant solum in iis, quæ requiruntur pro cultura prædiorum, & collectione fructuum, regulando id quod superest juxta ta-
xam generalem, ac uniformem aliorum Collegiorum, seu 5
conventuum, ad rationem tot scutorum pro qualibet persona, ut scribentes pro clero calculabant, & cum quo præsupposito processum fuit per Rot. in prima disputatione, (illud enim videbatur facti æquivocum;) Cum enim ob residentiam in hac Insula Sac. Religionis Hierosolymitanæ, ex plu-

ex pluribus linguis, seu nationibus totius Catholici Orbis constituta sit, hinc sequitur quod intentio Sedis Apostolicæ fuit ex hoc motivo potius demandare erectionem istius Collegii, quam illam seminarii, ut ita adessent Religiosi omnium linguarum, seu nationum, nempe Itali, Hispani, Galli, Germani, Poloni, &c. quod dupliciter magnum satisque notabilem sumptuum ac redditυum diminutionem causat; Primo scilicet pro expensis itineris in accessu, & recessu hujusmodi Religiosorum a tot remotis regionibus; Et secundo magis, quia hujusmodi expensæ itineris, ac etiam aliæ vestium aliarumque rerum, quæ in ipsa insula non habentur, necnon pro taxis, & contributionibus Religionis, fieri non possunt cum moneta rationis, in qua fructus ac redditus exiguntur, stante illius mala qualitate, ex iis quæ de ista moneta Melevitana habentur *in Melevitana quinque Canonicatuum sub tit. de Regal. ad materiam monetarum, disc.* 126. & consequenter non bene procedebat calculus introitus, & exitus, qui fiebat ex parte cleri in eadem specie monetæ.

Quo vero ad alteram inspectionem juris; Alii pro Collegio scribentes (quibus ego quoque Advocati more adhærebam) magnum fundamentum constituebant in verbis ac dictionibus contentis in litteris Apostolicis perpetuitatem denotantibus, atque, super hoc magis insistit decisio desuper edita, ad probandum scilicet quod litteræ Apostolicæ non continent novam dispositionem, sed solum confirmationem ejus, quod in Synodo pro erectione Seminarii statu-
6 tum fuerat & consequenter quod intraret conclusio deducta ex text. *in capit.* 1. *&* 2. *de confirm. ult. vel inutil.* de qua *decis.* 58. *part.* 6. *recent. num.* 28. *& frequenter* (cum occasione Ægidianæ aliorumque Statutorum confirmationem Apostolicam habentium, sit recepta, & quotidiana) quod confirmatio tribuit quidem robur confirmato, non autem illud extendit, seu alias alterat.

Verum illud motivum pro meo sensu in congressibus de more libere insinuato videbatur nimis leve, ex eo vero, ac recepto principio, quod in quibuscumque actibus tam in-
7 ter vivos, quam per ultimam voluntatem, perpetuo præ oculis judicantium habendum est, ut scilicet non cortex, vel formalitates verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debeat, spectato principaliter fine, ob quem prodiit dispositio, ut in omnibus fere materiis frequenter advertitur, frequentius vero in illa ultimarum voluntatum *sub tit. de fideicomm.* Eatenus autem Conc. Trid. mandavit hujusmodi contributionem beneficiorum pro substentatione Seminarii, quatenus non posset aliunde consultum esse, & tamquam per remedium subsidiarium, quod de jure semper dicitur istud collectuum, seu gabellarum etiam quoad Principem, & Rempublicam, ideoque iste finis, vel effectus spectari debet, non curata formalitate verborum.

Solidius motivum mihi videbatur alterum, cui decisio parum satisfacit, quod scilicet regula subrogatorum, in qua potissimum est d. resolutionis fundamentum, non procedit data rationis diversitate inter subrogatum, & eum, in cujus locum fit subrogatio, ex
8 deduct. per Menoch. *de arbr. casu* 54. *c.* 31. *cum seq.* Barb. *axiomat.* 213. *n.* 3. Grat. *discept.* 848. *nu.* 18. Rot. *decis.* 248. *n.* 4. *& dec.* 249. *nu.* 8. post Zacch. *de oblig. Cam. dec.* 55. *n.* 5. *part.* 8. *rec. & frequenter.*

Duplicem autem notabilem differentiam ponderabam inter Seminarium, & hujusmodi Collegium; Primo scilicet quod in erectione Seminarii ab initio statuitur quidam numerus alumnorum, qui ex dioecesis qualitate congruus re-
9 putatur, absque necessitate illum alternandi; Non sic autem est in erectionibus conventuum Regularium, quoniam in ipsa erectione inspicitur solum præcisa necessitas illius religiosorum numeri, qui ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum est necessarius pro fundatione, ex iis quæ habentur in sua materia *sub tit. de Regul.* non autem taxative, sed cum spe augmenti ac majoris progressus, cum fere omnium hodie insignium ac primæ classis Monasteriorum, & Collegiorum principia debilia fuerint.

Et secundo magis proxime, ac stringenter, quoniam in Seminarii erectione, ac respective substentatione, nullus intercedit quasi contractus utriusque contrahentis obligatorius, sed est erectio sub œconomica administratione Episcopi, & Capituli, quatenus assignati redditus durent ac sufficiant, & non alias, ut ad aliud propositum advertitur *in Bojanen. sub tit. de loc. & conduct. disc.* 22.

Non sic est in erectionibus Conventuum, vel Collegiorum, dum in illis iniri dicitur quasi contractus inter Civitatem, vel Clerum invitantem Religionem ad ibi fundandum conventum, vel collegium, ipsamque Religionem,
10 cujus damno cedit diminutio assignamentorum, neque sub ejus prætextu excusatur a susceptis oneribus, ac observantia contractus, ut in proximis terminis Mant. *decis.* 142. Pænia *decis.* 186. *juxta Lugdunen. alias* 146. *juxta Venetam*, & conferunt quæ habentur infra *sub tit. de Paroch. in Perusina congruæ, disc.* 19. ac ea quæ habentur *sub tit. de donat.* circa onera suscepta per donatarium ab favorem donatoris, non minuenda ex casuali superventa diminutione bonorum donatorum cum similibus; Super his tamen in unica disputatione maturum judicium efformari non potuit ad veritatem; Potissime ex eo quod, præsupposita probatione materiæ articulatæ, tollebatur omnis difficultas ex facto, cujus motiva longe tutiora, ac solidiora reputantur, atque ubi illa habentur, inanis labor est, quinimo erroneum, immorari in articulis.

ANNOT. AD DISC. LXXXVIII.

De contributione pro substentatione Seminarii videri poterunt deducta *in Adn.* ad S. C. T. *disc.* 25.

ROMANA, seu &c. QUINDENNIORUM AD PETITIONEM SAC. COLLEGII CARDINALIUM.

Responsum juris pro veritate.

De quindenniis solvendis pro beneficiis perpetuo unitis Capitulis, & Collegiis aliisque Universitatibus, & manibus mortuis, in quo loco solvi debeant, & in qua specie monetæ; Qua occasione agitur de annatis, ac etiam de hujusmodi quindenniorum introductione.

SUMMARIUM

1 *Facti series, seu casus controversiæ.*
2 *De introductione annatarum, & servitiorum, & de eorum ratione.*
3 *De distinctione quindenniorum.*
4 *De distinctione inter hæc quindennia debita Cameræ loco annatarum. & de aliis debitis privatis.*
5 *De fundamentis quod solutio quindenniorum fieri debeat in Urbe.*
6 *Quod quindennia, & annatæ non differant.*
7 *Quod subrogatum sit ejusdem naturæ ejus, in cujus locum facta est subrogatio.*
8 *Solutiones tributorum, vel aliarum præstationum Domino in signum dominii, fieri debent in loco, ubi est ipse Dominus.*
9 *De quindenniis introductis in materia emphyteutica loco laudemii, quando emphyteusis transit ad manus mortuas.*
10 *De relevio, seu laudemio solvendo Domino directo per novum feudatarium pro renovatione, ut fiat in loco Domini.*
11 *De eadem conclusione, de qua num. 8. ut quod solvitur in recognitionem dominii, solvi debeat in domo Domini.*
12 *Feudistæ utuntur terminis beneficialibus, & e contra Beneficialistæ utuntur terminis feudalibus.*
13 *Quando in hac materia deferendum sit ucene observantiæ; Et de differentia inter observantiam præscriptivam, & interpretativam.*
14 *Quod in specie istorum quindenniorum deferendum non sit observantiæ.*
15 *Quod illa solvenda sint in ducatis auri de Camera, vel in æquivalenti, eo modo quo solvuntur annatæ aliæque expeditiones Datariæ, & Cancellariæ.*
16 *De theorica in materia monetarum earumque alterationis, & quale tempus attendi debeat. & an augmentum, vel decrementum cedat damno, vel commodo creditoris.*
17 *Quod in hac materia non deferatur observantiæ tamquam in re clara, multominus si est procuratoris, vel administratoris.*
18 *De ducatis auri de Camera, unde dicti sint, & qualis sit eorum valor, & in quo differant a reliquis scutis auri.*

DISC. LXXXIX.

Cum ob rerum status immutationem nostro seculo sequutam in quibusdam partibus, accidentali impedimento durante, Sedes Apostolica ex prudentialibus moti- 1

vis

vis abstinuerit ibi solitum ministrum tenere, atque Ecclesias Cathedrales, ac Metropolitanas, seu etiam monasteriales providere. Hinc proinde de facto plurium annorum spatio neglecta fuit consueta exactio quindenniorum pro beneficiis, quæ illis Ecclesiis perpetuo unita sunt; Cessato autem impedimento, cum de hujusmodi quindenniorum exactione ageretur, de duobus dubitari contigit; Primo scil. de loco, in quo talis solutio fieri debeat, stante præsupposito, quod solitus minister Sedis Apostolicæ hujusmodi exactionem ibi facere consueverit; Et secundo, super, qualitate monetæ, stante notabili alteratione monetæ propriæ regionis, cujus longe major quantitas necessaria est ad æquivalentiam scutorum auri, seu ducatorum Cameræ, quam prius requireretur; Quare desuper ex parte dicti S. Collegii de tempore quo ob vacationem Sedis ob mortem Clementis IX. reperiebatur in Conclavi pro futuro Pontifice eligendo, pro veritate consultus, respondit ut sequitur.

Ut clarius hujusmodi quindenniorum causa, necnon natura, & qualitas dignoscantur, ex quibus pendet cognitio modi, ac loci eorum solutionis; Illud præcognoscendum venit, quod ex antiquissimo, ac immemorabili Ecclesiæ Catholicæ, Sedisque Apostolicæ usu, introducta fuit
2 in beneficiis ecclesiasticis exactio communium servitiorum, ac annatarum, in recognitionem universalis dominii, quod Pontifex, & Ecclesia Romana habet omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac beneficiorum, ideoque etiam ante tempora Conciliorum, Viennensis, & Constantiensis, hic annatarum usus habetur.

Probatur hoc non solum ex testimonio Antonii Massæ alias Gallesii nuncupati, in ejus sermone *de Annatis*, directo S. Carolo Borromæo, in quo recenset Jo. Andr. aliosque antiquos Canonistas, qui hujusmodi annatarum, ac servitiorum mentionem faciunt, respondendo iis, quæ per Jo. Gersonem aliosque scriptores adversus hanc exactionem parum fundate dicuntur.

Sed melius, ac solidius, ex maxima, & necessaria auctoritate Pontificia *in Constit.* 17. *Pauli IV.* §. 1. cujus hæc sunt verba precisa: *Nuper accepimus, quod licet communium servitiorum, & annatarum exactio in recognitionem universalis dominii introducta, sit antiquissima, itaut etiam peritissimi, & probatissimi juris interpretes, qui tempore Concilii Viennensis jam* 240. *& ultra annis celebrati &c.*

Hinc proinde apud Catholicos in gremio S. R. E. viventes, quærendum non est, quid exteri, vel ex malignitate, vel ex ignorantia, cum privata auctoritate desuper scripserint, dum habemus adeo expressam, ac litteralem Apostolicam determinationem, quod hæc servitiorum, ac annatarum introductio, sequuta fuerit in recognitionem dominii universalis Ecclesiæ Romanæ.

Quia vero pariter antiquissimus inolevit usus Apostolicæ Sedis, faciendi Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac beneficiorum uniones, ita impedientes vacationes, ac personales, seu vitalitias provisiones, præjudican-
3 tes Papæ, ac S. Collegio Cardinalium, aliisque officialibus circa solutionem dictorum servitiorum, & annatarum, quæ occasione novarum provisionum facienda esset; Hinc pro hujusmodi damni, ac præjudicii refectione, inolevit etiam antiquus usus solvendi dicta onera, & annatas, pro Ecclesiis, ac beneficiis unitis, singulis quibusque temporibus, cum aliqua varietate, juxta regionum, vel beneficiorum, & Ecclesiarum usum.

Cum autem ex hac varietate plura resultarent litigia, & inconvenientia, idcirco ut his consuleretur, prudenter Paulus II. per ejus Constit. 6. juxta ordinem Bullaris novi, uniformem regulam desuper statuit, atque cum regula forte desumpta ex dispositione text. *in l. hæreditatem*, *ff. ad l. falcid.* ita quandam mediam viam eligendo, præfinivit uniforme tempus 15. annor. Atque ex hoc prodiit istud quindenniorum vocabulum, ut per d. Massam alias Gallesf. *d. sermon seu opuscula de annatis*, §. *fin.* & ex eo Lotter. *de benefic. lib.* 1. *quæst.* 29. *a n.* 1. *ad* 7. ubi recenset alias Apostolicas Constitutiones Pii V. & Sixti V. super his quindenniis proditas; Et ex Lotter. Amayden. *de stylo Datar. cap.* 18. §. 4. *n.* 1. *cum seq.* Barbos. *in Summ. Apost. dec. verbo quindennia*, *collect.* 626. Tond. *de pens. c.* 10. *n.* 20. Vermigl. *cons.* 476. *& seq.* ubi agitur quando hæc obligatio non intret.

Addidit etiam perpetuo Rota Romana antiqua, media, & moderna, ut apud Seraph. *dec.* 1401. *n.* 2. *& dec.* 1410. *n.* 10. *& seq. & n.* 28. super quibus habemus *cons.* 94. *&* 95. Spad. *lib.* 2. *& dec.* 474. *n.* 19. ac in aliis.

Atque in dictis decisionibus Seraphin. præsertim secun-
4 da, & in dictis *cons.* 94. *&* 95, Spadæ, distinguendo ista quindennia ab aliis quæ per privatos prætenduntur, concorditer firmatur, ut ista quindennia debeantur ex causa onerosa.

His igitur ita constitutis, de consequenti sequitur, planum esse, ut solutio dictorum quindenniorum fieri debeat in Urbe, ex tribus fundamentis, quorum unum sufficeret, multo magis eis simul junctis.

Primo, ex dispositione d. Constitutionis Apostolicæ Pau-
li II. renovatæ, ac ampliatæ per plures alias Constitutio- 5
nes Pontificum successorum, ut supra, quoniam in §. 4. & 5. clare supponitur hujusmodi solutionem, ac respective oblationem, faciendas esse Camerario, & in Camera.

Secundo, ex inconcusso usu generali totius Orbis Catholici, ac etiam speciali provinciæ, vel regionis, de qua agebatur, quod occasione provisionum quæ fiunt de Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus, sive de Monasteriis, & Hospitalibus, aut Dignitatibus & Canonicatibus aliisque beneficiis unitis, solvuntur annatæ, & servitia in Curia, non autem in partibus.

Quindennia enim debita Cameræ Apostolicæ sunt idem, ac annatæ, & servitia, in nihilo differentia, nisi
in nomine, sive in tempore solvendi, quod scil. an- 6
natæ, & servitia varie solvuntur juxta continentias vacationum, quæ longiores, ac breviores esse solent, utpote pendentes a vita hominum, quindennia vero habent tempus uniforme, ut advertit Massa alias Gallesius *d. opusculo de annatis*, §. *fin.* incip. *Et aliud quoque &c.* & ex eo Lotter. *d. l. s. quæst.* 29. *n.* 19. Ergo si est unum & idem, intrat axioma, quod una & eadem res non debet diverso jure censeri, ad vulgat. text. *in l. qui ædes*, *ff. de usu cap.* Barbos. *axiom.* 74. *n.* 4.

Et quando etiam constituerent diversam speciem subrogatam loco annatarum, seu servitiorum, adhuc idem dicendum esset, ex altero pariter vulgari, ac recepto
axiomate, ut subrogatum sit ejusdem naturæ cujus est 7
res in cujus locum facta est subrogatio, ex plene collect. per Gabriel. *de regul. jur. concl.* 2. Barb. *axiom.* 213. Greg. *dec.* 115. *num.* 3. Rot. *in Cæsaraugust. portionis* 16. *Junii* 1659. coram Alberg. & passim.

Et tertio clarius, attentis etiam terminis generalibus juris communis, quoniam hi hujusmodi exactiones fiunt
in recognitionem dominii universalis Ecclesiæ, ut clare 8
disponitur in d. Const. 17. Pauli IV. juxta verba superius registrata, ita dicenda sunt species tributi, quod in signum dominii, ac subjectionis potius, non consistit in aliqua portione fructuum, sed in pecunia præstari debet Domino, & in loco ubi ipse est, non autem in loco rei pro qua tributum solvitur, sive ubi residet vassallus, aut tributarius, ut docet inconcussa praxis totius Orbis, tam recensendo tempora antiqua Romanæ Reipublicæ, aliorumque Regnorum, & Dominiorum, quam etiam moderna, ut videmus præsertim de tributo, quod per Regem Catholicum solvitur Cameræ, vel Sedi Apostolicæ singulis annis pro Regno Neapol. cum similibus.

Clarius vero, quoniam neque sumus in tributo, vel annua præstatione, sed magis adaptate, ac proprie intrant termini laudemii, quod pro re emphyteutica solvitur Domino directo, in casu alienationis, quod per vassallum offerendum est domino occasione petendi consensum, seu novam investituram, ex deductis per Nigr. *de laudem. quæst.* 6. *tom.* 1. & in sua materia *sub tit. de emphyteus.*

Unde propterea, quando bona emphyteutica transeunt ad manus mortuas, adinstar istorum quindenniorum beneficialium, loco laudemii introducta sunt etiam quindennia, ut apud Leon. *decis.* 77. Tondut. *quæst. de be-
nef.* 46. *nu.* 5. Font. *de pact. claus.* 4. *gloss.* 12. *nu.* 23. 9
plene Rot. *decis.* 474. *&* 494. *part.* 9. rec. & post Merlin. *resolut. quotid.* 235. *lib.* 1. & in sua materia *sub tit. de emphyt. disc.* 50.

Ac etiam (magis ad rem, & proxime) hujusmodi an-
natæ, ac servitia præstantur Papæ per beneficiatos, tamquam 10
domino universali, adinstar illius partis fructuum, quæ per feudatarium domino debetur in eo anno, quo succedit vacatio feudi, & successive revocatio, quoniam vassallus tenetur solvere æstimationem fructuum, seu laudemium in recognitionem dominii, in ipsius domini domo, non autem in domicilio ipsius vassalli, Bald. *in leg. final. num.* 8. *Cod. de condit. inser.* & feudistæ communiter, de quibus plene Capan. *in tract. de relevia*, *part.* 1. *quæst.* 3. *&* 4. *cum seq.* ubi de solutione relevii Regni utriusque Siciliæ subrogati loco dicti laudemii, seu recognitionis debitæ domino pro renovatione; & de quo relevio plene agitur etiam apud Prat. *observat.* 8. *&* 9. *& sub tit. de feud. disc.*

disc. 28. Et de dicta obligatione vassalli adeundi domi-
11 num, eique solvendi in propria domo juxta dictam doctrinam Bald. Surd. *de aliment. tit.* 4. *quæst.* 16. *n.* 6. & cæteri communiter, talisque est notoria, & inconcussa praxis totius Orbis.

Et hic videtur casus noster præcisus, quod scilicet quemadmodum mortuo feudatario, in renovatione, seu provisione novi feudatarii dominus pro recognitione exigit fructus illius anni, vel aliam præstationem; ita a pari, quoniam feudum quoque beneficium dicitur, atque Beneficialistæ utuntur terminis feudalibus, vel Feu-
12 distæ terminis beneficialibus, ut apud Rosental. *capit.* 6. *conclus.* 76. *numer.* 4. Bellon. Junior. *de jur. accresc. capit.* 6. *quæst.* 37. *num.* 68. *& seq. & num.* 76. Rovit. *pragmat.* 1. *de tit. abus. num.* 80. *cum sequent.* & advertitur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc.* 7. *&* 8. Ita etiam comprobante communi observantia, tam in laudemiis, seu in recognitionibus domini directi pro feudo, vel emphyteusi, quam etiam in beneficiis, occasione novarum provisionum ut supra; Igitur jungendo simul Constitutiones Apostolicas, illam præsertim Pauli II. necnon generalem dispositionem juris, generalemque observantiam, ac etiam observantiam particularem omnium quindenniorum, quæ Cameræ solvuntur ex omnibus Mundi partibus, ita videmur esse in casu indubitabili.

Neque alicujus momenti videbatur prætensa observantia contraria, quod scilicet quandoque Sacrum Col-
13 legium commiserit alicui Ministro Apostolico hujusmodi exactionem; Istud enim objectum satis de plano cessat; Tum quia de tali observantia non constat; Tum etiam quia cum ex præmissis versemur in casu claro, ac indubitabili, ut solutio fieri debeat in Urbe, non intrat observantia interpretativa, sed præscriptiva, quæ indiget formalibus requisitis præscriptionis, ut ita distinguendo bene habetur apud Barbos. *in leg. post dotem, post num.* 47. *& sequent. ff. solut. matrim.* Et de eadem distinctione inter observantiam interpretativam, & præscriptivam, quodque in claris non intret prima, sed altera quæ indiget requisitis formalis præscriptionis, bene apud Rot. *dec.* 319. *num.* 2. *cum seq. & n.* 15. *cum sequent. & decis.* 351. *num.* 7. *&* 8. *part.* 6. *recent.* & in aliis frequenter, ac satis bene ad rem, & in terminis, Rot. in Capuana pensionis coram Verospio *dec.* 430. *n.* 3. *part.* 4. *recent.* & pluries *sub tit. de pension.*

Absolutum autem est, verificari non posse formalis præscriptionis requisita; Tum quia versamur in actu facultativo, in quo juxta satis vulgaria principia, non datur præscriptio nisi prævia prohibitione, ac subsequuta acquiescentia, collect. per Gabr. *de præscript. conclus.* 10. & communiter, cum sit principium satis vulgare; Tum etiam quia, si forte aliqua deputatio adfuit gratia indulgentiæ, ac majoris commoditatis illa fuit Cardinalis Camerarii Sac. Collegii, vel alterius officialis, non autem totius dicti Sac. Collegii, cui factum officialis, vel administratoris præjudicare non potuit, ut satis bene ad rem *dict. dec.* 430. *n. fin. part.* 4. *recent.*

Et nihilominus quando etiam fuisset facta deputatio
14 ab ipso Sacro Collegio, neque sufficeret, quoniam ut supra dictum est, ista exactio debetur Papæ in recognitionem dominii, istam vero partem hujusmodi emolumentorum applicavit S. Collegio Cardinalium, aliisque officialibus, demandata ipsi Collegio, tanquam inter officiales digniori, simplici administratione, & consequenter intrat eadem ratio, quod gesta per administratorem præjudicare non possunt domino absque ejus scientia, & consensu.

Quinimo quod neque positive gesta per ipsosmet prædecessores Pontifices attendi debeant, ac præjudicare possint in hac materia quindenniorum, in individuo deciditur *in dict. Constitut.* 17. *Pauli IV.* §. 8. *in princip.* ibi, *Nos considerantes præfatum Eugenium prædecessorem, per ejus litteras successoribus suis Romanis Pontificibus, cum par in parem non habeat imperium, & per consequens Collegio Cardinalium, & officialium Romanæ Curiæ causam ab ipsis Romanis Pontificibus habentibus, præiudicare non potuisse, & propterea jus nostrum, & Collegii ac Officialium prædictorum illæsum remansisse, ac litteras Leonis, & Clementis prædecessorum hujusmodi, cum contra ordinationes, statuta, decreta, & declarationes Pauli, & Julii II. prædecessorum hujusmodi, ac causa non cognita, & non vocatis, nec auditis quorum intererat, emanaverint, & per eas jus tertii contra tenorem Constitutionum per eos editarum manifestè tollatur, effectum sortiri non debere.*

Hinc proinde de plano etiam resultat, solutionem faciendam esse in scutis auri currentibus in ipsa Urbe; & in quibus hujusmodi annatarum, ac servitiorum, omniumque emolumentorum Cameralium solutiones fieri solent etiam pro expeditionibus provisionum, quæ fiunt 15
pro Ecclesiis, monasteriis, & beneficiis istius provinciæ, seu regionis, absque principio dubitandi, potissime ob affluentiam scutorum auri, qui prompte, ac satis commode habentur, unde propterea non intrat illa difficultas, quæ cadere solet in propositionibus Ecclesiasticis solvendis in loco beneficii, ubi non habetur copia scutorum auri, vel alterius monetæ, in qua facta sit pensionis reservatio, quo casu de æquitate admittitur debitor ad solvendum in moneta regionis, in ea tamen quantitate, quæ adæquet ipsos scutos auri, seu aliam speciem monetæ, in qua constituta est obligatio, ex plene deductis per Larream *dec.* 21. *cum seq.* Rot. *decis.* 688. *part.* 4. *divers.* cum aliis, de quibus infra; Sed hæc difficultas (ut dictum est) in Urbe non cadit.

Et consequenter omnino extranea pariter remanet quæstio resultare solita ex alteratione valoris monetæ, quæ sequatur inter tempus obligationis, ac illud solutionis, quoniam scuti auri stamparum, in quibus ista solutio facienda est pro toto tempore, de quo est controversia, nullam alterationem receperunt, sed idem est valor nunc, ut erat de tempore quo solutiones quindenniorum fieri debuerunt.

Cæterum quatenus pertinet ad præfatum articulum, ad intelligentiam doctrinæ Bartoli *in leg. Paulus, n.* 4. *ff. de solution.* Quamvis apud antiquiores ista reputata esset quæ- 16
stio involuta, attamen hodie reddita est nimis plana, itaut in foro non videatur amplius mereri disputationem, cum vulgari distinctione deducta ex eadem doctrina Bartol. quod, Aut agitur de moneta imaginaria, & attenditur tempus obligationis; Aut de moneta vera, & quæ licet etiam cum difficultate haberi potest, ejusque augmentum, vel decrementum non provenit ab aliqua qualitate extrinseca, melioris, vel deterioris ligæ, sed est intrinsecum ratione temporis, & ob auctum, vel diminutum valorem auri, seu argenti, & tunc ipsa moneta, qualis, qualis sit solvenda est, atque ad summum, aliud debitori non indulgetur, nisi concurrente difficultate habendi ipsam speciem, ac solvendi æquivalentiam in alia moneta magis currenti, ut cæteris relatis, Afflict. *dec.* 194. bene Gamma *dec. Lusitan.* 374. *n.* 1. Larr. *dict. dec.* 21. *cum sequent.* Rot. *dec.* 686. *&* 688. *part.* 4. *divers.* Pæn. *dec.* 5. Gregor. *dec.* 24. Burrat. *dec.* 626. *&* 790. Dunozett. sen. *dec.* 139. & in aliis plene congestis per Add. *ad dec.* 67. *num.* 21. *& seq. & num.* 71. *& seq. part.* 9. *recent.* Et in terminis notabilis alterationis monetæ sequute in Insula Melevitana habetur in Melevitana quinque Canonicatuum 4. Aprilis 1661. coram Albergat. Decano, de qua *sub tit. de Regal. disc.* 126. ubi, & in duobus *disc. ibi proxime sequent.* de materia, ac etiam *sub tit. de pension. & sub tit. de credit.*

Adeoque id procedit, quod etiam si exprimeretur valor scutorum auri ad rationem tot juliorum, vel carolenorum pro scuto, adhuc tamen id censetur stare demonstrative, ac non tollit obligationem solvendi in ipsius scutis auri, vel eorum æquivalentia, habita etiam ratione augmenti, ut bene *in dict. Capuana pensionis* coram Verospio *dec.* 430. *num.* 2. *part.* 4. *recent.*

Neque prætensa observantia (quatenus adesset) obstare posset; Tum quia illa esset procuratoris, vel ministri, qui non potest præjudicare principali, ut in puncto *d. dec.* 430. *num. fin. part.* 4. *recent.* Tum quia agitur de præjudicio ipsius Sedis Apostolicæ, ut supra 17
dictum est, occasione prætensæ observantiæ super loco.

Ac demum quia, cum certum, & clarum sit, debitum esse in scutis auri, hinc observantia tamquam in re clara non attenditur, ut punctualiter apud Dunoz. Senior. *dict. dec.* 139. *n. fin. & d. dec.* 430. *n. etiam fin. part* 4. *rec.*

Atque ita sæpissime judicatum fuit, non solum per Rotam, sed etiam per Sacram Congreg. S. Officii universalis Inquisitionis de anno 1656 in una Melevitana super pensione solvenda per illum Episcopum illi Inquisitori, in scutis auri, non obstante longissima observantia solvendi in moneta illius Insulæ, & deinde in una Imol. super alia perpetua pensione solvenda per illum Episcopum illi Inquisitori, non obstante, quod fere per annos 70. & ultra soluta esset ad rationem librarum, ac monetæ Regionis in longe minori summa, & sæpissime, quia est hodie principium absolutum, de quo *d. disc.* 126. *cum duobus seqq. sub tit. de Regal. & d. tit. de pension.*

Solutiones enim annatarum, omnesque expeditiones

Data-

Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ fiunt in dictis scutis aureis de Camera, qui antiquitus constituebantur ex quadam moneta aurea, quæ nuncupabatur ducatus, ex eo quia introduci cœpit de tempore, quo, scisso in his partibus Romano Imperio, dominatio Urbis cum ejus districtu, seu adjacentibus sub Longobardis, vel Gothis nuncupari solebat sub nomine *Ducatus Romani*,
18 ut advertunt Gomes. *de reg. valor. q. 9.* Fenz. *ad Stat. c. 179. n. 146. & seqq.* Ista vero species scutorum ob introductionem aliorum scutorum auri breviorum, seu minoris valoris, nuncupari cœpit scutus largus, ut in specie de isto scuto largo ad differentiam aliorum scutorum minoris valoris, illius præsertim qui dicebatur *navicellæ* habetur *dec. 149. n. 2. & seq. p. 2. rec.* Verum & ista species scutorum largorum alias ducatorum auri, qui in Urbe antiquitus cudebantur, adhuc in rerum natura existit, quamvis nimium rari sint, conservati per antiquarios profitentes habere monetas antiquas, numismata ænea, seu aurea, & argentea, ut in disputatione habita in Tribunali Vicarii in una *Romana census pro Monasterio S. Mariæ Novæ de Urbe*, occasione agendi in qua specie monetæ, seu in qua summa monetæ currentis facienda esset extinctio census impositi in istis scutis auri largis, plures ex eis reperti fuerunt, factaque eorum peræquatione cum scutis currentibus, quos dicimus stamparum, detectum est, eorum valorem esse majorem istis modernis, ac usualibus in uno julio, ac etiam plus; Ideoque ex hoc inolevit usus, quod ducati Cameræ constituuntur ex uno scuto aureo stamparum, & uno julio monetæ pro suppletione valoris dicti antiqui ducati; Ideoque moneta quæ est in obligatione, non est imaginaria, sed vera in rerum natura existens, & consequenter de plano intrat dicta theorica, ut solutio fieri debeat, vel in ipsa moneta, vel ubi cum difficultate haberi potest, in æquivalenti, habita etiam ratione augmenti intrinseci, *ut etiam de hac materia locis citatis*.

ANNOT. AD DISC. LXXXIX.

De iisdem quindenniis, de quibus agitur *in præsenti disc.* habetur *in hoc tit. disc. 139.*

De valore Beneficii, de cujus provisione agitur; Ac etiam de valore obtentorum tam ad effectum justificationis, & executionis gratiæ, quam ad effectum nullitatis provisionis, vel pensionis impositæ super beneficio:

S U M M A R I U M.

1 De *dispositione* Regulæ 55. de valore.
2 *Distinguuntur diversæ inspectiones cadentes in materia.*
3 *Valor obtentorum non est narrandus, & justificandus, quando provisus non vult retinere.*
4 *Quod valor obtentorum non sit exprimendus in gratia motu proprio, & de ratione.*
5 *In principali provisione etiam motu proprio requiritur expressio valoris obtentorum.*
6 *Valor in gratia ad supplicationem probatur per probationes tales quales.*
7 *In gratia provisionis omnino necessaria est expressio valoris.*
8 *Etiamsi agatur de beneficiis non excedentibus 14. & de ratione.*
9 *Ac etiamsi agatur de provisione motu proprio:*
10 *In istis motu proprio non est necessaria justificatio.*
11 *Quid in provisionibus legatorum, & Nuntiorum,*
12 *Non requiritur expressio, vel justificatio valoris in provisionibus Ordinariorum, & de ratione.*
13 *Debet exprimi, & probari valor fructuum certorum, non autem, & distributionum.*
14 *Distinguuntur fructus incerti, & distributiones ad certos effectus.*
15 *De stylo, seu concordatis non exprimendi valorem nisi in 24.*
16 *Declaratur ad quem effectum procedant stylus, vel concordata.*
17 *De stylo Datariæ substinendi valorem pro sexta parte.*
18 *De probatione imperfecta, & adminiculativa sufficiente pro litterarum exequutione, & de speciebus probationum.*
19 *Probationes debent percutere tempus gratiæ.*
20 *Non est opus, ut in probatione per non excessum testes deducant onera.*
21 *Quid si collitigans eamdem expressionem fecerit.*
22 *Probatio per ascensum non concludit non excessum, & quomodo concludat, & e contra probatio per non excessum non concludit ascensum.*
23 *De justificatione non excessus valoris in provisionibus Nunciorum Hispaniæ, vel aliorum quibus incumbat.*
24 *De rigorosa probatione decennali, ubi agitur de defectu valoris per objectum.*
25 *Quod admittatur, vel non admittatur conjunctio probationum imperfectarum.*
26 *Quod in criminalibus etiam ad effectus civiles probationes debeant esse claræ, & concludentes.*
27 *De causis excusantibus malam expressionem valoris.*
28 *Taxa librorum Cameræ non excusat.*
29 *Quod de clausula* cum facultate augendi &c.
30 *De regula 65. circa dictam clausulam.*
31 *De stylo substinendi pro sexta parte.*
32 *Quando frequentius de valore agatur.*
33 *De multis diversis speciebus pensionum.*
34 *Distinguuntur plures species pensionis reservatæ in quantitate sub expressione valoris etiam in quantitate.*
35 *Reservatio pensionis motu proprio non indiget justificatione valoris.*
36 *Acceptans beneficium gravatum pensione non excusatur ob tenuitatem fructuum.*
37 *Reservatio pensionis cum narrativa valoris per ascensum ad supplicationem eget justificatione valoris.*
38 *De differentia inter pensionem voluntariam beneficio pleno, & alteram ex causa resignationis, & de conclusione quod falsitas in parte vitiet consensum.*
39 *Relevat ab onere probandi consensus titularis;*
40 *Non tamen contra successorem.*
41 *Quid ubi successor in sua impetratione narravit valorem, vel pensionem.*
42 *Ubi pensionarius est in possessione exigendi, ista in eodem possessorio relevat ob onere probandi.*
43 *Etiam contra successorem.*
44 *Sed possessio non suffragatur in petitorio;*
45 *Nisi agatur de possessione 30. annorum.*
46 *Quid de pensione reservata cum clausula*, dummodo mille, seu centum, *quæ faciat conditionem.*
47 *Quid operetur consensus titularis, ubi agitur de pensione reservata cum dicta clausula*, dummodo.
48 *De moderna cautela, quod titularis asserit se informatum.*
49 *De reservatione cum clausula*, dummodo, *supra certa quota.*
50 *Quando etiam accedente clausula*, dummodo, *reservatio sit pura, & non requiratur justificatio.*
51 *Quomodo dignoscatur, an clausula*, dummodo, *faciat conditionem necne.*
52 *An existentia aliarum pensionum probetur per narrativam in litteris.*
53 *Quomodo debeat esse probatio valoris pro justificatione reservationis pensionis.*
54 *Valor est difficilis probationis.*
55 *Distinguuntur casus, & primo de justificatione facienda per pensionarium pro exequutione gratiæ puræ.*
56 *De altero casu justificationis faciendæ etiam per pensionarium pro substinenda reservatione.*
57 *De distinctione inter pensionem voluntariam beneficio pleno, & alias reservationes.*
58 *De probatione valoris per titularem ad effectum congruæ.*
59 *De probatione facienda per titularem ad impediendam translationem ultra medietatem fructuum, ut requiratur probatio per decennium.*
60 *Contrarium, quod non agatur de probatione objectiva, & quid disponat* Constitutio Urbani VIII.
61 *De rigorosa probatione objectiva facienda per titularem pro annullatione pensionis.*
62 *Quomodo debeat fieri probatio, & quid debeat concludere, distinguuntur requisita.*
63 *Testes debent esse bene informati de bonis.*
64 *Debent reddere bonam causam scientiæ, non autem de proprio judicio, vel credulitate.*
65 *Ubi sunt satis informati, non tenentur allegare causam scientiæ.*
66 *Minusque ad coarctationem negativæ alias necessariam.*
67 *Debent deponere deductis oneribus, & expensis, quod declaratur,*

68 *De aliis speciebus probationis, vel de adminiculis, puta de libris capituli, de locationibus &c.*
69 *Distributiones quotidianæ, aliaque incerta non veniunt sub valore.*
70 *Quando emolumenta incerta obvenientia ex obligationibus reputentur tamquam certa, & n. 73.*
71 *Anniversaria non veniunt sub valore.*
72 *Declaratur, & in specie de quarta funerali, aliisque juribus Parochialibus.*
73 *De eodem de quo num 70.*
74 *De emolumentis jurisdictionis, distinguitur.*
75 *An domus rectoris, vel domus Canonicalis veniat in valore.*
76 *Quid de domibus canonicalibus.*
77 *De muneribus, an veniant in valore distinguitur.*
78 *De Cappellaniis, & legatis piis in ipsa Ecclesia, an veniant in valore.*
79 *De oneribus & expensis deducendis, necne a valore.*
80 *Distinguuntur onera, quæ sint necessaria, & quæ voluntaria deducenda, necne.*

D I S C. XC.

1 DIsponente *Regula* 55. *Cancellariæ*, ut in quibuscumque gratiis, & provisionibus de beneficiis quomodocumque vacantibus, verus annuus valor, secundum communem æstimationem, exprimi debeat, sub decreto annullativo gratiæ, hinc proinde de hac materia valoris frequenter in foro dubitari contingit, tam super illius justificatione ad effectum exequutionis gratiæ, quam ad effectum impetrationum, quæ ex isto capite malæ expressionis fieri solent; Ac etiam frequentius, ad effectum pensionum, quibus beneficia gravari solent; Ideoque pro clariori materiæ notitia, tres constituendæ veniunt inspectiones; Primo scilicet in ordine ad justificationem pro exequutione gratiæ; Secundo in ordine ad ejusdem gratiæ validitatem, vel invalido
2 liditatem, vel ob defectum potestatis collatoris restrictæ ad certum valorem; Vel occasione impetrationum, quæ ex falsa expressione valoris fieri solent; Et tertio in ordine ad pensiones, cum supposito certi valoris reservatas.

Prima inspectio subdistinguenda est inter valorem obtentorum, ac illum ipsiusmet beneficii, de cujus provisione agitur.

Obtentorum valor neque exprimendus est, neque justificandus, quamvis expressus fuerit, quoties provisus se offert paratum illa dimittere, cum utraque necessi-
3 tas percutiat illorum receptionem, qua non curata, cessat omnis quæstio, ut clare disponitur in eadem Regula 55. in fin. Rota *dec* 20. *de Præb in nov.* Seraph. *dec.* 1393. & 1470. *utrobique, n.* 2. Greg. & Add. *dec.* 84 *n.* 4. & 9. *dec.* 169. *n.* 11. *part.* 10. *recent.* bene in *Clusina benef* 29. *Aprilis* 1650. cor. Bichio 5. *fin.* & in aliis frequenter Lotter *lib.* 3. *q.* 20 *n.* 71

Ubi vero vult retinere, tunc iste valor est exprimendus, ac justificandus, quoties agitur de gratiis ad partis supplicationem, non autem de illis motu proprio; Quamvis enim Regula moderna, juxta additionem factam a tempore Gregorii XIII. citra, disponat de valore etiam in gratiis motu proprio, quod non continebatur in Regulis antiquis; Attamen id intelligitur
4 in ipsa gratia principali super provisione beneficii, non autem super obtentis, ut bene firmatur apud Seraphin. *dec* 911. ubi *n.* 5. bona assignatur ratio, quod dum Papa motu proprio confert beneficium, non tenetur divinare, an ille cui confert, alia obtineat necne, cui rationi, aliam addo, quod provisus motu proprio, dici non potest in culpa dum est ignatus, quid Papa motu proprio facere velit.

Et quamvis illa ratio congruat etiam ipsi principali provisioni, attamen, ut in eadem *dec.* Seraphin. advertitur, contrarium recipiendum est, ex eo quod Regula ita expresse disponit, attendenda vero est in solo casu, de quo loquitur, ad alterum non extendenda,
5 Aliqua etiam differentiæ ratione militante, quod de ipso beneficio vacante Papa notitiam habere potest ab ipsis Datariæ officialibus, vel similiter informatis, a quibus vult si potest informari, sed hanc informationem habere non valet de obtentis, quæ ipsis etiam officialibus ignota sunt, cum dicta *dec.* Seraph. proceditur apud Duran. *dec.* 167. *n.* 2 *cum seq*

Ubi vero agitur ad partis supplicationem, tunc licet, tam expressio, quam justificatio, requirantur, attamen sufficit justificatio talis qualis, etiam per semiplenas, ac minores probationes, vel per unicum te-
stem, aut simplex adminiculum, quod sit in genere suo perfectum, Lotter. *d. quæst.* 20. *lib.* 3. *n.* 67. Greg. & 6
Adden. *dec.* 78. *n.* 4. & *dec.* 89. *n.* 6. *dec.* 236. *n.* 6. *part.* 4. *recent. dec.* 357. *n.* 8. *part.* 10. & in aliis, adeout rari sint casus, in quibus defectus probationis valoris obtentorum, impediat exequutionem, vel causet nullitatem gratiæ, itaut aperiat locum impetrationi, ut sæpe contingit circa valorem ipsius beneficii, de cujus provisione agitur.

Quo vero ad dictum valorem beneficii, quod confertur, & sic in ordine ad justificationem ipsius gratiæ principalis, indubitatum est, necessariam esse expressio- 7
nem veri valoris, sub pœna annullationis gratiæ, ob litteralem dictæ *Regulæ* 55. dispositionem, istaque conclusio, seu regula plures recipit ampliationes.

Primo scilicet, ut expressio veri valoris ad præscriptum Regulæ fieri debeat, etiam in beneficiis non excedentibus summam ducator. 24. auri de Camera, pro 8
quibus non solvitur annata; Licet enim aliqui crediderint, Regulam prædictam inductam esse pro jure, ac interesse annatarum, quod licet obiter dicatur in dicta *dec.* 107. Duran. *n.* 6. quæ est repetita *dec.* 212. *n.* 7. *p.* 5. *rec.* & consequenter tamquam ex cessante ratione non videatur necessarium, cum pro hujusmodi beneficiis non solvatur annata; Contrarium tamen est verius, ac in praxi receptum, quoniam talis expressio non desideratur solum ex dicta causa, sed etiam ex altera, ut Papa notitiam habeat qualitatis beneficii, ut bene Rot. *dec.* 184. *p.* 3. *divers. lib.* 2. replicata *dec.* 185. *eadem p.* 3. *lib.* 3. Talisque est inconcussa praxis, ob aliam deficientem voluntatem Papæ, qui beneficia infra duodecim, vel decem de facili concedit clericis, vel curialibus petentibus, non autem ea, quæ sunt ultra 12. magis vero si ascendunt, vel approximant ad 24. quæ reservari solent pro familiaribus; imo hodie ob beneficiorum diminutiones, reservantur etiam Cardinalibus, vel qualificatis Prælatis.

Ampliatur secundo, etiam in gratiis & provisionibus motu proprio, in quibus de jure talis expressio non requirebatur, inducta per modernas Regulas a temporibus Gregorii XIII. citra, ex deductis per Seraph. *dec.* 9
911. & advertitur supra occasione obtentorum.

Cum ea tamen differentia inter provisiones motu proprio, ac alias ad supplicationem; quod in prima specie sufficit sola expressio absque necessitate justificatio- 10
nis, quæ necessaria est in altera specie provisionis, seu gratiæ ad supplicationem, ut ita distinguendo Seraph. *dict. dec.* 951. Duran. *dec.* 145. & *clarius dec.* 167. repetita *dec.* 212. *part.* 5. *dec.* 191. *eadem part.* 5. apud Dunoz. *dec.* 579. *num.* 2. & *frequenter.*

Tertio ampliatur etiam in gratia Legati, Burat. *dec.* 162. *num.* 9. & 390. *n.* 9. Et quamvis aliqui ponderent pro ampliatione necessitatem narrativæ, ac justificationis in provisionibus Nunciorum, attamen male id con- 11
sideratur per viam ampliationis hujus Regulæ de valore, quoniam hæc necessitas non provenit a Regula, sed a restrictiva, seu conditione contenta in facultatibus Nunciorum, ex iis, quæ occasione facultatis Nuncii Hispaniarum habentur in præcedentibus.

Eadem Regula limitatur primo in provisionibus Ordinariorum, quæ neque dictam expressionem exigunt, neque justificationem tam circa valorem, quam circa 12
illa ex triplici ratione; Primo scilicet, quia Regula de illis non loquitur, neque in eis viget ratio jurium Annatistarum; Secundo, quia provisiones Ordinariorum fiunt motu proprio; Et tertio, quia cum Ordinarii teneantur, ac soleant singulis annis visitare, ac peragrare diœcesim, præsumuntur informati de statu & qualitate beneficiorum, ut *dec.* 585. & 567. *part.* 5. *recent.* Burati. & Add. 484. *ubi concordantes.*

Limitatur secundo, ut solum exprimi debeat, ac successive justificari valor certus fructuum, non autem distributionum quotidianarum, aliorumque incertorum, ex deductis per Gregor & Adden. *decis.* 13
540. Burati & Adden. *dec.* 255. Add. *ad dec.* 576. *p.* 4 *rec. tom.* 3 Rot. *in rec. dec.* 79. *n.* 2. *p* 4 Unde propterea resultat, quod nimium pingues, ac insignes Canonicatus Ecclesiæ Toletanæ, ac etiam Basilicarum Urbis, ac plurium Ecclesiarum Germaniæ, impetrantur cum sola narrativa valoris per non excessum. ut *dec.* 396. *n.* 3. *p.* 2. *dec.* 14. *n.* 30. *part* 12. *rec.* & frequenter absque difficultate, quia nulla cadit ad hunc effectum expressionis valoris pro satisfaciendo huic Regulæ, quamvis distributiones proveniant ab anniversariis & obligationibus, aliisque omnino incertis fructibus, ac redditibus ita pro majori servitio

vitio & cultu laudabiliter ad formam distributionum re-
dactis, quoniam hæc distinctio percutit alios diversos ef-
fectus, illum præsertim concessionis jurispatronatus ex
14 causa augmenti dotis ad regulandam naturam concessio-
nis, an dici debeat ex justitia & causa correspectiva, vel
potius ex gratia & privilegio, ex quo pendet, an cadat
necne sub derogationibus, ac reservationibus Apostoli-
cis, ex iis, quæ habentur pluries in sua materia *sub titul.
de jurepatron.* præsertim in Lucana Prioratus *disc.* 10.

Tertio limitatur, ubi de stylo, vel ex concordatis Ger-
maniæ, seu alias, beneficia alicujus regionis, vel provin-
15 ciæ narrari solent uniformiter per non excessum 24. tunc
enim alia expressio, vel justificatio valoris non requiri-
tur, quamvis revera ille esset major; unde propterea omnia
beneficia in Gallia, quoties non sunt consistorialia,
exprimuntur per dictum non excessum 24. Buratt. *d.
decis.* 255. *num.* 14. *&* *decis.* 303. *num.* 4. Et de be-
neficiis Germaniæ, *decis.* 202. *num.* 8. *part.* 4. *recentior.
& decis.* 567. *eadem part.* 4. *tom.* 3. *decis.* 69. *num.*
3. *&* 4. *part.* 12. ubi allegantur concordantes.

Quod tamen intelligitur ad effectum substinendi im-
16 petrationem Apostolicam, ac etiam non subjacendi oneri
solutionis annatæ, secus autem ad alios effectus, ad il-
lum præsertim facultatum, quæ dantur Accademicis,
vel universitatibus, vel aliis inferioribus, nominandi
ad beneficia certum valorem non excedentia, cum tunc
dicta necessitas intret, non ex dicta Regula, sed potius
ex eadem ratione, quæ ponderatur in facultatibus Nun-
ciorum, ut advertitur *dict. decis.* 576. *numer.* 7. *&
seq. part.* 4. *recent. tom.* 3.

Posita regula super dicta necessitate narrandi, ac ju-
stificandi respective; Quatenus pertinet ad defectum
17 narrativæ, ex Datariæ stylo substinetur in sexta par-
te, Cavaler. *decis.* 363. *num.* 3. Buratt. *decis.* 826. *n.*
4. *decis.* 443. *n.* 1. *part.* 2. *recent.* apud Cels. *dec.* 175.
num. 3. ubi allegantur *dec.* 182. n. 3. *&* 327. *num.* 7.
apud Mantic. cum aliis per Lotter. *lib.* 3. *quæst.* 20.
num. 65. *Aquilana jurispatronatus* 1. *Junii* 1650. §.
justificatio, in fine, coram Meltio.

Ad illum autem effectum simplicis justificationis narra-
tivæ pro exequutione gratiæ, ac litterarum, sufficit, (ubi
18 agitur de expressione per non excessum) etiam imperfe-
cta, & qualis qualis probatio, puta per testes de publica
voce & fama, Gregor. *decis.* 35. Duran. *dec.* 38. Buratt.
& Add. *decis.* 493. Royas *decis.* 337. *num.* 2. Otthob.
decis. 172. *num.* 7. *in recent. decis.* 156. *num.* 3. *part.*
12. *& decis.* 62. *num.* 8. *part.* 10. & frequenter.

Item per testes de credulitate, Duran. *decis.* 38. *num.*
4. Vel per unicum testem cum adminiculis, Mantic.
dec. 193. Duran. *decis.* 172. *n.* 4. Greg. *decis.* 143. *num.*
1. Adden. Buratt. *dec.* 493. Caval. *decis.* 33. *n.* 3. *&
decis.* 517. *n.* 15. *recent. dec.* 137. *n.* 14. *part.* 10. Aut
per similes imperfectas, seu adminiculativas probatio-
num species, adeout etiam extrajudicialis notitia exe-
cutoris quandoque sufficiat.

Quoties autem probatio sit per tres, seu etiam per
alios modos debet percutere tempus gratiæ, ex deductis
19 per Lotter. *lib.* 3. *quæst.* 20. *num.* 56. Ita tamen quod
tempus intelligatur moraliter, non autem physice, ac
præcise, quod scilicet non deponant de tempore diver-
so, vel remoto, ex quo alteratio sequi potuerit, ut
advertitur per Lotter. ubi supra, *num.* 57. *& seq.*

Neque in hac specie requiritur, quod testes depo-
20 nant deductis oneribus, quoniam si his non deductis
valor non excedit, multo minus excederet, facta co-
rum deductione, Lotter. *dict. lib.* 3. *quæst.* 20. *num.* 88.
Mantic. *decis.* 138. *num.* 2. Royas *decis.* 337. *num.* 4.
in recent. dec. 62. *n.* 12. *& seqq. part.* 10. & frequenter.

Probatur etiam, si alter collitigans eandem valoris
21 expressionem fecerit, Gregor. *decis.* 143. *num.* 1. Buratt.
decis. 931. & quotidie; Ac etiam ut supra per alias
similes species, super quibus certa & determinata re-
gula dari non potest, cum materia probationum dica-
tur arbitraria, ex facti qualitate regulanda; Potissimum
vero ad hunc effectum justificationis litterarum, in quo
satis leviter, ac benigne proceditur, cum non intret
ille rigor probationis per decennium, de quo infra,
ubi scilicet agitur de probatione objectiva, ad effectum
impugnandi gratiam, vel pensionem, ut *decis.* 62. *part.*
10 *recent.* n. 13. & quotidie, cum omnia hæc sint
principia hodie recepta, & plana.

Probatio autem per ascensum non concludit non exces-
sum; Non enim ex eo, quod dicitur beneficium fructare
22 centum, exinde resultat probatio, quod dictam summam
non excedat; Gregor. & Add. *dec.* 13. *n.* 5. *& decis.* 353.
num. 4. *&* 16. Otthobon. *dec.* 221. *num.* 4. Duran. &
Adden. *decis.* 769. *num.* 7. *&* 941. *num.* 4. nisi ascen-
sus esset limitatus, quia nempe dicatur, tanti solum
fructus importare, cum tunc ista affirmativa ita limi-
tata, seu coarctata, implicitam negativam continere
dicatur; Et e contra, per non excessum non conclu-
dit ascensum, Dunozet. *decis.* 880. *num.* 7.

Quo vero ad secundam inspectionem, super defectu va-
loris, qui sit in quæstione tamquam objectum pro nulli-
tate provisionis, illa pariter subdistinguitur inter pro-
visiones Nunciorum, aliorumque inferiorum collato-
rum, qui limitatam potestatem habent conferendi bene-
ficia certum valorem non excedentia, ut est facultas
Nuncii Hispaniarum conferendi non excedentia 24. seu
est etiam illa aliquarum universitatum, & Accademiarum
Germaniæ, ex indultis Apostolicis nominandi ad non
excedentia centum, cum similibus; Et provisiones Apo-
stolicas, in quibus valor narratus fuerit diminutus,
unde intret nullitas resultans ex *Regul.* 55.

Primo casu, quamvis valor spectato effectu deduca-
tur tamquam objectum, atque ejus excessus sit funda-
mentum gratiæ impetrantis beneficium a Sede Apo-
stolica, tamquam non cadens sub facultatibus dicti in-
ferioris collatoris; Attamen non est onus impetrantis
Apostolici justificare valorem per excessum, sed est onus
provisi ab inferiore illum probare per non excessum, 23
tamquam fundamentum potestatis sui auctoris, dicta-
que probatio debet esse concludens, & perfecta, ut in
specie collationis Nuncii Hispaniarum, Otthob. *dec.* 172.
& 221. *dec.* 512. *part.* 3. *recent. decis.* 357. *part.* 10. *decis.*
238. *part.* 12. Et de provisione facta per inferiorem ha-
bentem indultum in non excedentibus 100. ducatos in su-
perius allegata, *decis.* 576. *part.* 4. *recent. tom.* 3. atque
occasione agendi de collatione facta per Nuncium Hispa-
niarum habetur supra, *disc.* 26. ubi latius de hac materia.

In altero vero casu, in quo agatur de nullitate pro-
visionis Apostolicæ in vim *Regulæ de valore* ob istius
falsam expressionem, quæ propterea sit causa vacatio-
nis, ac fundamentum intentionis impetrantis, tunc va- 24
lor exigit plenam, & concludentem probationem, quæ
percutiat integrum decennium, nempe per quinque an-
nos antea & quinque postea, juxta rigorosam praxim,
quæ vulgo tribuitur Sarnensi, quam sequitur Rota,
ut apud Achil. *decis.* 24 *de probat. dec.* 189. *n.* 4. *part.*
1. *divers.* Seraph. *dec.* 485. *n.* 1. cum aliis per Lotter.
d. quæst. 20. *lib.* 3. *n.* 89. Add. ad Buratt. *dec.* 538.
n. 22. *in fin.* Non per hoc enim quod in uno, vel duo-
bus annis beneficium plus, vel minus fructaverit, exin-
de resultat quod tanti fructet; Neque ex eo, quod de
tempore impetrationis factæ ex capacitate istius nullitatis
appareat esse majoris valoris inferri potest ad invalidita-
tem provisionis, seu falsam narrativam, cum id prove-
nire potuerit ex augmento extinseco, ut ex Oldrad.
Felin. & aliis advertitur *in d. dec.* 24. Achill. *de pro-
bat. in fin.* & propterea exigitur probatio, per quin-
quennium antecedens; atque circa istam rigorosam spe-
ciem probationis Beneficialistæ concordant, quoties
agitur ad illum effectum nullitatis ipsius principalis
provisionis, cum discordiantia sit quando etiam va-
lor deducatur per viam objecti ad effectum impugnandi
pensionem, ut infra in inspectione sequenti.

Item licet sine dubio ad effectum justificationis gra-
tiæ, juxta præcedentem inspectionem, vel etiam, non
improbabiliter ad effectum substinendi pensionem, ad-
mittatur conjunctio plurium imperfectarum probatio- 25
num, quæ tamen in suo genere sint perfectæ, ut supra,
& infra, ad dictos alios effectus; Attamen ad illum id
non admittitur, quoniam cum agatur de materia forma-
liter objectiva, tamquam de delicto inductivo gravis pœ-
næ formalis amissionis beneficii, requiruntur probatio-
nes omnino perfectæ, & concludentes, quæ redoleant
fraudem, ut in delictis requiritur, Lotter. ubi supr.
n. 90. Mant. *dec.* 210. *n.* 1. Caputaq. *dec.* 280. *&* 381.
part. 2. Quodque probatio debeat esse luce meridiana
clarior, & non detur ista conjunctio, in specie Lotter. 26
d. q. 20. *n.* 96. ex regula generali, quæ constituitur
in criminalibus apud Caputaq. *dec.* 8. *part.* 2. ubi quod
id procedat, etiam si de crimine agatur in civilibus,
quod etiam ad aliud propositum sequentis inspectionis
advertitur per eumdem Lotter. *lib.* 1. *qu.* 43. *n.* 21.

Debet præterea cessare omnis causa, quæ excuset cul-
pam, seu dolum, quæque sunt causæ; Primo locationes;
Secundo publica vox & fama; Et tertio similis expressio
prædecessoris, Rota *dec.* 184. *part.* 3. *divers. lib.* 2. repetita 27
dec. 185. *eadem part.* 3. *lib.* 3 Add. ad Greg. *dec.* 490. *in fin.*

Lotter. *dict. lib. 3. quæst. 20. num. 102. cum seq.* qui bene
advertit quod propterea rari sunt casus quod impetran-
tes certo modo ex isto capite beneficium obtineant,
& habetur supra *in Trojana, discurs. 72.*

Taxa vero in libris Cameræ sola & de per se non
28 excusat, Greg. *dict. decis.* 499. Prout neque excusat
clausula in supplicatione apponi solita *cum facultate*
29 *augendi &c.* quia cum sit facultativa, nihil operatur,
nisi facultas deducatur ad exercitium re integra, po-
tissime vero ubi litteræ sunt expeditæ, cum tunc fa-
cultas dicatur consumpta, Mantic. *decis.* 290. *num.* 5. *de-
cis.* 308. *num.* 11. & 12. *part.* 10. *rec.* ex Put, *decis.* 94. *lib.*
3. *num.* 65. *Gerunden. beneficii.* 14. *Maii* 1629. §. *fin.* coram
Pirovano, cum aliis deductis, & in *d. Trojana, disc.* 72.

Ubi etiam advertitur, quod in casu in quo dicta
clausula, utpote re integra, & non consumpta, cum
30 expeditione litterarum ut supra, operativa sit, (quod
raro in praxi verificatur, ex Regula 65. *de qua dict.
decis.* 108. *nu.* 51. *part.* 10. *rec.*) Adhuc illa non se ex-
31 tendit ultra tertiam, Seraph. *decis.* 1393. *n* 4. *decis.* 422.
num. 2. Bene tamen excusat stylus Datariæ, de quo
supra, substinendi sextam partem; Rari autem, ut di-
ctum est, sunt casus, in quibus de ista inspectione
agatur principaliter, ac agendo, pro canonizatione
impetrationis factæ certo modo ex ista vacatione,
cum frequentius in causis beneficialibus, vel super
exequutione litterarum Apostolicarum de hoc agi so-
leat incidenter, sive excipiendo ad effectum impedien-
di exequutionem litterarum ex defectu justificatio-
nis, cum ex pluries deductis in præcedentibus, etiam
in beneficialibus recepta sit regula, quod reo & pos-
sessori sufficit vincere per non jus actoris.

Major igitur ac frequentior disputatio in hac ma-
teria valoris contingere solet circa pensiones, quæ su-
32 per beneficiis, vel Ecclesiis reservantur, ex iis quæ
pluries habentur in sua materia *sub tit. de pension.* ubi
patet, raros esse casus, in quibus agatur de infrin-
gendo pensiones ex aliis causis, puta ob non factam
mentionem antiquarum pensionum, vel ob exactionem
litteris non expeditis, aut propter militiam, vel ma-
trimonium, seu non incessum in habitu, cum simili-
bus, frequentiores autem esse illas ex causa valoris &
incapacitatis beneficii.

Multipliciter autem pensiones reservari solent; Pri-
33 mo scilicet, & frequentius in quantitate certa sub
narrativa valoris etiam in certa quantitate per ascen-
sum, puta quia reservetur pensio scutorum centum su-
per beneficio, quod asseratur valoris scutorum bis cen-
tum; Secundo, reservatur pensio pariter in certa quan-
titate, sub conditione non excessus alicujus quotæ fru-
ctuum, nullo istorum valore, seu quantitate specifica-
ta, puta quia reservetur pensio scutorum centum, dum-
modo tertiam partem fructuum, seu aliam quotam non
excedat; Tertio, ubi reservatur etiam pensio in quan-
titate, absque narrativa, vel expressione valoris, sed
cum præservativa certæ quantitatis remanere debentis
ad favorem Titularis, puta in Cathedralibus, vel Me-
tropolitanis, *dummodo remaneant mille pro Episcopo*, vel
in parochialibus, dummodo *remaneant centum pro Rectore
&c.* Quarto, ubi fiat reservatio etiam in certa quanti-
tate absque alia expressione valoris, vel fructuum Eccle-
siæ, seu beneficii. Et quinto demum, ubi reservatio
pensionis fiat in quota absque alia valoris expressione,
puta in tertia parte fructuum, &c.

Quatenus igitur pertinet ad primam speciem pensionis
reservatæ in certa quantitate, sub narrativa etiam cer-
tæ quantitatis fructuum, seu valoris Ecclesiæ, vel be-
neficii gravati absque aliqua clausula *dummodo, &c.*
Cum in hoc propter casuum varietatem, diversas ha-
beamus propositiones, ac decisiones, quarum confusio
æquivoca pluries parere soleat, hinc proinde tres con-
stituendi veniunt casus diversam rationem habentes.

Primus est, ubi agatur de reservatione pensionis facta
34 per Papam motu proprio super beneficio, vel Ecclesia va-
cante antequam provideatur, vel in ipso actu providendi;
Alter est in reservatione, quæ pariter fiat per Papam oc-
casione resignationis beneficii ad favorem resignantis; Et
tertius in reservatione pensionis voluntariæ, quæ fiat su-
per beneficio pleno de consensu possessoris.

Primo casu nulla requiritur justificatio valoris pro
exequutione gratiæ, quoniam Papa providendo motu
35 proprio præsumitur informatus, ne in his terminis
pensionis cæteris relatis, Tondut. *de pension. cap.* 14. *n.*
30. Rot. apud Buratt. *decis.* 261. *n.* 7. & ibi Add. *num.* 15.
& 16. *in Ferrariana post* Marches. *part.* 1. *fol.* 535. *Nea-
politana pensionis* 2. *Junii* 1645. coram Bichio; & fre-
quenter in sua materia *sub tit. de pension.* Et confe-
runt quæ habentur supra de cessante necessitate justi-
ficandi valorem expressum in provisione ipsius beneficii
facta motu proprio, quamvis ad præscriptum regulæ
necessaria sit expressio, ut supra.

Solumque in hujusmodi reservationibus inspici solet
de valore illorum beneficiorum, vel Ecclesiarum, in
quibus ratione curæ animarum subintelligatur reserva-
ta congrua debita Episcopo, vel rectori ad præscri-
ptum Sacr. Concil. Trident. ac etiam sacrorum Canonum
decernentium saltem alimenta; In aliis vero beneficiis,
in quibus ista ratio non cadit, tenuitas fructuum non 36
vitiat reservationem, neque excusat a solutione ex vul-
gari dicterio Beneficialistarum, quod possessor beneficii
gravati, vel solvat vel dimittat, nisi qualitas beneficii
esset talis quod ratione administrationis illi incumbentis,
sive ex aliis facti circumstantiis intraret eadem ratio con-
gruæ substentationis possessoris, quæ cadit in cura-
tis; Sive quod non subsistente valore per Papam præ-
supposito, cujus reliquam partem ita pro substenta-
tione Titularis congrua consueverit, intrare dicatur
ratio falsi præsuppositi, seu alias deficientis volunta-
tis, ut ex dictis rationibus, quandoque vidi practicari
in Canonicatibus, ac beneficiis Basilicarum Urbis & in
aliis, ac advertitur in dicta sua materia.

Secundo autem casu reservationis pensionis occasione 37
resignationis ad favorem resignantis, vel alterius in ejus
gratiam ejusque supplicationem, in qua valor fuerit ex-
pressus per assensum, & cum clausula, *et asseria*, planum
est valorem, ita affirmative narratum, tamquam causam,
ac fundamentum reservationis, esse concludenter proban-
dum, ex deductis per Lotter. *dict. lib.* 1. *quæst.* 43. *num.* 1.
cum sequent. Garz. *de benefic. part.* 5. *cap.* 5. *numer.* 442.
cum seqq. Adden. ad Gregor. *decis.* 57. Rot. *decis.* 444.
part. 2. *recent. decis.* 147. *part.* 4. *tom.* 2. & in aliis in di-
cta sua materia.

Adeoque id verum est, quod non solum, cessanti-
bus limitationibus, de quibus proxime infra, gratia
non mereatur exequutionem, sed etiam constito de fal-
sa narrativa, reservatio corruat in totum; Super hoc
autem aliqui Beneficialistæ æquivocarunt, hujusmo-
di assumptum ita generaliter, ac indefinite ca-
piendo, quoniam ubi non agitur de pensione volun-
taria magis odiosa juxta tertium sequentem casum,
sed de ista reservata occasione resignationis ad favorem
resignantis, dicta propositio ita rigorose attendenda venit
contra resignatarium, ne prætendere valeat teneri solum
pro rata, atque ad effectum, ut resignanti, ratione re-
gressus juxta formulam modernam, vel etiam juxta for-
mulam antiquam detur facultas dicendi beneficiato,
quod vel solvat, vel dimittat, ex iis quæ habentur in
dicta sua materia *sub tit. de pension. disc.* 50. *& seqq.* ubi
etiam habetur de æquitate, quæ, cessante quoque re-
gressu, intret favore pensionarii non dolosi, pro substi-
nenda pensione proportionabiliter pro rata.

In tertio autem casu pensionis mere voluntariæ super
beneficio pleno reservatæ de consensu possessoris; Cum re-
putetur in jure odibilis, hinc ultra rigorem circa proba-
tionem concludentem veræ, ac effectivæ solutionis in sin-
gulis terminis factæ per Titularem; Rigorose etiam pro-
ceditur in hac materia valoris non solum, ut ille ita affir-
mative narratus per ascensum, perfecte, & concludenter
probari debeat, sed etiam constito de minus vera expres-
sione pensio corruat in totum, ut cæteris relatis in his
terminis pensionis voluntariæ super beneficio pleno apud
Dunozett. *decis* 800. repetit. post Tondut. *de pension. de-
cis.* 43. *decis.* 306. *part.* 10. *recentior.* 187. *part.* 11. & in
aliis frequenter.

Dicta vero regula super necessitate justificandi valo- 38
rem expressum per ascensum pro exequutione reservatio-
nis pensionis, ultra jam dictam limitationem in casu
quo reservatio esset motu proprio; Limitatur ubi Titu-
laris consenserit illius reservationi, quæ sit pura, non 39
autem conditionalis, vel qualificata per clausulam *dum-
modo, &c.* quoniam consensus inducit præsumptionem
justificationis, atque transfert onus probandi contrarium
in ipsum Titularem consentientem, Lotter. *lib.* 1. *quæst.*
43. *num.* 5. *cum sequent.* Seraphin. *decis.* 1017. *numer.* 3.
cum aliis per Buratt. & Adden. *decis.* 382. & 409. Ad-
den. ad Greg. *decis.* 57. Quod tamen declaratur procede-
re respectu ipsius consentientis, non autem successoris,
quem talis consensus non afficit, ex ea clara ratione, quod
successor non metitur jus a prædecessore, sed directe ac 40
immediate a Papa, vel alio collatore, Lotter. *ubi supr.*

Buratt,

Buratt. *decis.* 437. *&* 676. *dec.* 144. *part.* 4. *recent.* *tom.* 2. *dict. decis.* 306. *num.* 6. *part.* 10. *recent.*

Et quamvis ista limitatio sublimitationem recipere soleat, quando successor in sua impetratione eumdem valorem narrasset, seu fecisset mentionem pensionis, qua
41 beneficium gravatum erat, quasi quod tunc obstet propria confessio, ut per Merlin. *decis.* 211. *n.* 2. Martin. Andr. *decis.* 57. *in fin.* Add. ad Greg. *d. decis.* 57. etiam *in fin.* tamen non de facili hujusmodi declaratio ad praxim est deducibilis, quod scilicet confessio ita serio ad hunc univocum effectum facta sit, cum alias dicenda veniat æquivoca, utpote referibilis ad motivum evitandi solutionem annatæ, sive ad facilitandam impetrationem propter onus, quo beneficium gravatum est, ut advertitur *in dict. dec.* 306. *numer.* 8. *part.* 10. *recent.* Vel quia sine scientia facta sit narrativa, ut frequentius contingit per expeditores se regulare solitos cum proxima provisione, ejusque narrativa, cum ad hunc effectum præjudicii requiratur scientia certa, ut advertitur *d. decis.* 306. *num.* 11. *& seq.* *part.* 10. ubi *num.* 14. *& seqq. ad num.* 18. singillatim respondetur auctoritatibus, ac decisionibus fundamentum constituentibus in dicta narrativa.

Fallit item, ubi pensionarius reperiatur in quasi possessione exigendi, atque suspenso petitorio, agat in solo possessorio, ad cujus effectum necessaria non est ju-
42 stificatio valoris, cujus præsumptio a possessione resultat, Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 38. *numer.* 71. Mantic. *dec.* 196. *dec.* 547. *num.* 4. *part.* 1. *recent.* cum aliis per Adden. ad Gregor. *d. decis.* 57. & ad Buratt. *decis.* 261. Atque in fortioribus terminis magis odibilis pensionis voluntariæ beneficio pleno, admittitur apud Dunozett. *dec.* 859. & supponitur *d. dec.* 305. *part.* 10. & in ejus confirmatoria coram Bichio, *dec.* 11. *part.* 11. ac in aliis recensitis in sua materia *sub tit. de pension.* occasione invalidandi hujusmodi pensiones ob malam expressionem valoris in petitorio.

Idque procedit etiam contra successorem in beneficio, quamvis ipse nunquam solverit, sed possessio quæsita sit a prædecessore, quoniam in hac materia jus metimur
43 ex persona actoris, seu possessoris pensionis, non autem ex illa rei, seu possessoris beneficii, ut *d. dec.* 547. *part.* 1. Add. ad Gregor. *d. decis.* 57. *numer.* 16. cum aliis ad nauseam cumulatis per Postii. *de manut. observat.* 40. *num.* 41. *cum seq. & num.* 50.

In petitorio autem sufficit Titulari intentanti actionem negatoriam dicere, valorem narratum non esse verum, ut
44 pensionarius illum justificare teneatur, absque eo quod possessio relevet, Mant. *d. dec.* 196. *dict. dec.* 144. *part.* 4. *recent. tom.* 2. *& dec.* 287. *num.* 1. *& seq. part.* 6. Lotter. *dict. quæst.* 38. *num.* 71. Adden. ad Greg. *d. dec.* 57. & ad Buratt. *dec* 269. *d. dec.* 306. *part.* 10. & frequenter.

Nisi ageretur de longissima possessione 30. annor. continua, & observata, cum tunc resultet etiam præ-
45 sumptio justificationis in petitorio, non data contraria probatione, ex deductis per Add. ad Greg. *d. dec.* 57. *&* 431. Buratt. & Adden. *dec.* 295. *&* 464. *in Cortonen. pensionis* 24. *Januarii* 1646. cor. Verospio, Lotter. *dict. quæst.* 38. *lib.* 1. *numer.* 122. ubi sufficit probare extrema, ut media præsumantur, dum ille rigor exactæ probationis veræ & effectivæ omnium terminorum percutit casum dictæ odibilis pensionis voluntariæ beneficio pleno, ut in sua materia.

Ubi vero reservatio est in quantitate cum expressione valoris etiam in quantitate, non pure, sed conditionaliter, seu qualificate, cum clausula scilicet, *dummodo remaneant mille pro Episcopo, vel centum pro Rectore*, ut in Cathedralibus, seu parochialibus adjici solet, & tunc, aut dicta clausula *dummodo* est ita concepta quod faciat gratiam conditionalem, seu modalem, & ju-
46 stificatio valoris facienda est per eum qui petit gratiæ exequutionem, non solum de tempore datæ gratiæ, sed etiam de tempore quo exequutio petitur, quoniam cum ista conditio respiciat certum effectum, hinc proinde non intrat regula generalis, ut in conditionibus sufficiat existentia, seu verificatio, momento temporis, sed requiritur tractus successivus, spectato, ut dictum est, effectu, adeo ut si fructus de tempore reservationis sint sufficientes, deinde vero minuantur, tunc supplendum est, ut conditio semper suum sortiatur effectum, ut per Lotter. *d. q.* 38. *n.* 70. Add. ad Greg. *dec.* 345. *n.* 13. Caval. *dec.* 404. *n.* 1. late Dunoz. *dec.* 633. *n.* 1. *d. dec.* 306. *p.* 10. *rec.* præsertim ex *n.* 12. *& n.* 21. *cum seq. & dec.* 3. *p.* 10 *& dec.* 187. *n.* 9. *& seq. &* 288. *n.* 4. *& duobus seqq. p.* 11. *Monopolitana pensionis* 2. *Junii* 1645. coram Bichio, & in aliis frequenter.

Cum eadem tamen differentia, de qua supra, circa casum in quo gratia cœpta sit jam exequi, & illum in quo agatur de exequenda, ubi enim pensionarius est in possessione exigendi, cum in possessorio non impedit defectus justificationis, ac propterea debet manuteneri, secus autem in petitorio, nisi concurrat observantia trigenaria, ex supra allegatis, & præsertim *d. decis.* 306. *part.* 10. *recent.* Add. ad Greg. *decis.* 57. & ad Buratt. *d. decis.* 261. & pluries in sua materia *sub tit. de pension.*

Consensus autem Titularis non operatur eumdem effectum, quem ut supra operatur in casu reservationis puræ, quoniam consensus prædictus etiam munitus cum obligatione camerali, arctius quidem ligat, sed non tollit di- 47
ctam conditionem, qua firma remanente præstitus censetur, Lotter. *d. quæst.* 38. *num.* 47. *&* 48. *cum aliis per* Add. ad Greg. *d. decis.* 57. & ad Buratt. *decis.* 261. *d. decis.* 633. Dunoz. *num.* 4. ubi plene concordantes, *dict. decis.* 288. *num.* 5. *& seq. & decis.* 187. *n.* 9. *& duobus seqq. part.* 11. *Monopolitana pensionis* 2. *Junii* 1645. §. *quæ conclusio*, coram Bichio, & in aliis pluries.

Nisi adhibeatur cautela ab aliquo moderno tempore 48
practicari solita præsertim in Episcopatibus, qui in Italia providentur ad Regum, vel Principum nominationem, super quibus pensio reservari non solet nisi cum clausula præservativa certæ quotæ, (dummodo scilicet pensio, vel pensiones tertiam partem fructuum non excedant,) quoniam cum experientia doceret, ut ob difficultates quæ per ipsos Episcopos parabantur, difficilis redderetur hæc justificatio de sui natura difficilis, hinc pensionum reservationes remanebant inanes, ut patet ex *decis.* 3. *part.* 10. *& dec.* 288. *part.* 11. *recent. & d. Monopolitana pensionis* 2. *Junii* 1645. cor. Bichio, & ex aliis; Ac propterea curatur, ut provisi non solum præstent consensum, sed faciant etiam narrativam valoris cum jurata assertione, quod sint bene informati, & cum assumptione in se oneris probandi contrarium, tunc etenim relevatur pensionarius ab alio onere justificationis, atque transfunditur in Titularem onus probandi contrarium, non impedita interim exequutione, Lotter. *d. q.* 38. *n.* 49. *& seqq.* & est in praxi quotidianum.

Idemque in omnibus procedit etiam ubi dicta clausula
dummodo, percutit, ut supra, certam quotam, juxta *d. dec.* 49
Monopolitanam cor. Bich. *ac dict. decis.* 3. *part.* 10. *recent.* *&* 288. *part.* 11. & in aliis, cum nulla dignoscatur differentia.

Cum præsupposito tamen, quod dicta clausula *dummodo*, importet conditionem, vel modum, ita ut faciat reservationem conditionalem; Secus autem ubi non 50
faciat reservationem conditionatam, ita ut ea potius censenda sit necessaria, Lotter. *dict. quæst.* 38. *numer.* 64. *cum seq.* bene Cavaler. *dec.* 251. *&* 262. Buratt. *decis.* 883. *n.* 2. *& decis.* 671. *n.* 4. Add. ad eum *decis.* 261. & in dicta Monopolitana cor. Bichio.

Ideoque difficultas cadere solet in applicatione ad 51
factum, an scilicet & quando dicta clausula causet conditionem, necne, super quo distinguitur, quod aut illa apposita est substantiæ reservationis, & ante verbum *reservatus*, quod illam perficit, puta quia dicatur *pensionem tot ducatorum, dummodo remaneant centum, vel mille, seu dummodo tertiam partem fructuum non excedant, reservamus &c.* & tunc facit conditionem; Secus autem si reservatio sit pura, clausula vero *dummodo* sit consequutiva alterius clausulæ; quia nempe dicatur *pensionem tot ducatorum reservamus, etiam si aliæ adsint pensiones, dummodo omnes tertiam partem
fructuum non excedant &c.* ut per Lotter. Buratt. & 52
Caval. *ubi supra, & in dict. Monopolitana pensionis* cor. Bichio, ubi tamen firmatur, quod etiam isto casu, si constat de existentia aliarum pensionum, quæ sint validæ, ac effectuatæ, intrat eadem necessitas justificationis, cum data dicta existentia dictæ clausulæ *dummodo* id faciat conditionem.

Bene verum, quod periculosa videtur propositio con-
tenta *in dict. Monopolitana*, ut existentia aliarum pensio- 53
num probetur per solam narrativam Papæ in ipsis litteris, quoniam potest quidem dicta narrativa sufficere ad justificationem existentiæ de facto, non autem ad illam de jure ex causa Papæ ignota; Vel quia aliæ pensiones reservatæ essent ad favorem incapacis, aut alteri nullitati subjacerent; Sive quia ob militiam, vel non incessum in habitu, aut exactionem ante expeditionem litterarum, vel ex alia causa cessaverint; Ideoque si Titularis de facto non sensit onus aliarum pensionum, nimius rigor videtur obligare pensionarium ad hujusmodi justificationem, dum possunt aliæ pensiones, spectato effectu, non existere.

Major autem difficultas productiva frequentium quæstionum in ista materia valoris, esse videtur circa modum illum probandi, sive ad Titularem, sive ad pensionarium onus probationis pertineat; Ad hunc enim effectum receptum est, non sufficere illam imperfectam, seu minorem probationem, quæ ut supra sufficit pro
53 justificatione valoris ad effectum exequendi literas Apostolicas ipsius provisionis beneficii, vel pro justificatione obtentorum, ut supra, sed requirit probationem concludentem ac perfectam, *ut dec. 444. part. 2. recent. decis. 143. part. 4. tom. 2.* Add. ad Gregor. *dict. decis. 57. & 245.* Dunozett. *d. decis. 633.* Lotter *d. lib. 1. quæst. 43. n. 1. & seq. & quæst. 38.* & communiter; Diversitas vero casuum consistere videtur in majori, vel minori rigore pro judicis prudentis arbitrio, in quo tota ista materia probationum reposita est, juxta celebrem *text. in leg. 3. ff. de test. cum notis concordantibus*, quod arbitrium pro facti qualitate interpretandum venit, potissime quia
54 sumus in materia de sui natura difficilis probationis ex deductis per Lotter. *d. lib. 1. quæst. 43. n. 19. & 20.* apud Gregor. & Add. *d. decis. 245. & 277.* & alias quotidie, ideoque plures casus distinguendi sunt.

Primus casus est, ubi agitur de reservatione non odibili, neque de fraude suspecta, ut (ex. gr.) illa quæ fiat occasione resignationis ad favorem resignatis, vel
55 motu proprio, seu ad nominationem cum clausula *dummodo &c.* atque pensionarius agat de justificatione gratiæ pro illius exequutione, & tunc benigne procedendum est, ac admittitur probatio adminiculativa cum regula, *ut singula quæ non prosunt &c.* ut in proxime allegatis auctoritatibus, *& in dict. Cortonen. pensionis 24. Januarii 1646.* coram Verospio *in fin. & in aliis*, adeout iste casus fraternizare videatur cum illo justificationis valoris faciendæ per provisum de beneficio per liberam vacationem ad solum effectum exequutionis.

Alter casus justificationis faciendæ per pensionarium est, ubi Titulari intentante negatoriam, atque principaliter excipiente de gratiæ invaliditate ob non verum
56 valorem, justificatio a pensionario fiat, & tunc cum non agatur de materia objectiva ad infirmandam gratiam, sed pro illa sustinenda, tollendoque objecto, pariter ita benigne proceditur tam circa probationes adminiculativas, quam circa non necessarium longus tempus decennii ejusque peræquationem; Cum ea tamen differentia inter pensionem non odiosam nec suspectam juxta casus supra exemplificatos, ac odiosam & suspe-
57 ctam, (qualis dicitur voluntaria, quæ de consensu Titularis, ac frequentius in ejus gratiam reservatur beneficio pleno,) ut isto casu probatio debeat esse magis concludens, ac non ita de facili interponendum sit arbitrium; Atque ita, si bene advertatur, conciliantur omnes auctoritates, & decisiones, quæ diversæ, seu contrariæ videantur.

Tertius casus est, ubi agitur de probatione facienda per Titularem, non quidem per viam objecti pro annul-
58 latione gratiæ, sed solum per viam moderationis ad verificationem clausulæ *dummodo*, ac defalcationem pro suppletione congruæ, & tunc videtur dicendum idem, cum eadem sit ratio.

Quartus est ubi agitur de probatione facienda per Titularem ad effectum impugnandi pensionis traslatio-
59 nem in toto, vel in parte, non tamen per viam objecti pro ejus invaliditate, sed ex beneficio resultante a dispositione juris, præsupposita etiam validitate reservationis, ut est (ex. gr.) impugnatio translationis in parte excedente medietatem fructuum ad præscriptum Constit. 21. Urb. VIII & tunc illum casum regulandum esse tamquam objectivum, de quo supra ad materiam nullitatis provisionis ipsius beneficii, & consequenter requiri concludentem rigorosam probationem decennalem tenet Lotter. *l. 1. quæst. 1. n. 127.* & sequuta est Rota pluries, præsertim apud Royas *decis. 169. & 184. dec. 343. n. 7. & seq. p. 9. rec. dec. 101. n. 1. part. 12.* ac in alias, quasi quod id sapere videatur speciem objecti; Hoc autem mihi non satisfacit, quoniam id non importat nullitatem gratiæ, vel translationis, ut in dicta decisione supponitur, sed potius quan-
60 dam reservationem congruæ Titularis, ut ei salva remaneat medietas fructuum libera, eo modo quo in casu reservationis quamvis puræ in Cathedralibus, vel Parochialibus remanere debent centum, vel mille, ad præscriptum Concilii Tridentini, sive in propositionibus Cathedralium ad Regiam nominationem, remanere debent duæ tertiæ partes &c. ideoque non videatur quale probabile fundamentum ista opinio habeat, cum *decis. 550. part. 1. & 243. part. 7. rec.* quibus Lotter. innititur, id non dicant diversosque terminos percutiant.

Quintus demum est casus probationis a Titulari faciendæ principaliter per viam objecti pro annullatione 61
gratiæ, & tunc recte intrat dicta species rigorosæ probationis decennalis, juxta *decis. in Aquen. pensionis 19. Novembris 1608.* coram Lancell. *dec. 159. n. 7. & seq. part. 5. recent.* Lotter. *lib. 2. quæst. 20 n. 89. & seqq. & lib. 1. q. 43. n. 22. & seqq.* cum aliis istam rigorosam speciem percutientibus, cum vere iste casus percutiat probationem objectivam.

Quia vero probatio, facienda præsertim per titularem super non ascensu, sive super non veritate valoris, duo debet concludere; Primo scilicet, fructus certos, cum de incertis non habeatur ratio; Et secundo, deductionem one- 62
rum, & expensarum, cum fructus dicantur illi, qui supersunt his deductis, hinc proinde materia reputatur nimium difficilis, ob coarctationem utriusque negativæ, fructuum scilicet, ac onerum; Et consequenter triplex cadere solet quæstio: Una circa dicta testium, quando bene concludant necne; Altera super qualitate fructuum, qui dicantur certi, & qui incerti; Et tertia super qualitate onerum, quæ scilicet deducenda veniant, & quæ non.

Quatenus igitur pertinet ad testes, eorumque dicta, plura in eis desiderantur; Primo scilicet, ut sint informati de omnibus corporibus, ac bonis, & juribus beneficii, co- 63
rumque qualitate, quoniam si id ignorant, deponere non possunt de valore, juxta *cons. 54. Alex. lib. 6.* in Rota passim receptum, Lotter *d. lib. 1. quæst 43. n. 12.* Gregor. & Add. *d. dec. 579. n. 4.* Cavaler. *dec. 383. n. 3. dec. 544. n. 6. part. 5. rec. d. dec. 288 n. 8. & 10. p. 11. rec. & frequenter.*

Secundo, ut reddant, quamvis non interrogati, bonam & concludentem causam scientiæ, puta quia fuerint longo tempore œconomi, exactores, affictuarii, 64
vel administratores &c. ideoque, non sufficit quod deponant de eorum judicio & peritia quamvis essent periti, *dec. 272. n. 20. & seq. p. 5. rec.* Greg. *dec. 379. n. 3.* Lotter. *d. q. 43. n. 27.* deponendo etiam certitudinaliter ac affirmative, non autem per possibile. Buratt. *decis.*
618 *n. 2. dec. 269. n. 5. p. 7. rec.* Nisi essent adeo bene 65
informati & practici, quod non possint decipi, quia tunc neque expressio causæ scientiæ necessaria videtur, Lotter. *d. n. 27.* Add ad Greg *decis. 315. n. 27.*

Apud quos habetur ita procedere aliud requisitum coarctationis negativæ, removendo contrariam possibilitatem, de qua *dec. 550. p. 1. rec. decis. 544. n. 2 p. 5. dec. 267. n. 1.*
p. 7. ut scilicet non procedat quando sunt bene informati, 66
quoniam tunc sufficit deponere simpliciter de negativa.

Tertio, ut deponant deductis oneribus ac expensis, alias
non probant verum valorem, Caval. *dec. 383. n. 2. dec. 462.* 67
dec. 444. n. 5. part. 2 recent. cum aliis per Add. ad Gregor. *dec. 245. num. 12. & decis. 373. in fin.* Lotter. *d. quæst 43. n. 14. & seq.* Si vero testes deponant simpliciter bona tanti fructare, intrat præsumptio, quod deduxerint ordinarias & consuetas expensas culturæ & recollectionis, ut apud Greg. *d dec. 273. num 3. dec 62. num. 11. part. 10.* sed non infertur ad alia onera, aliasque expensas, quæ beneficio incumbunt, Lotter. *dict. qu. 43. nu. 15.* Adden. ad Greg *d. dec. 273. in fin. d decis. 443. nu. 5. part 2. rec. ubi num 4.* quod ubi agitur de probatione affirmativa valoris per ascensum, debent etiam testes coarctare negativam onerum.

Ubi vero testes non bene concludant, sive aliquas patiantur exceptiones, aut quod sint inter se contrarii, vel diversi &c. tunc recurritur ad alias species probationis ac adminicula, puta ad librum Capituli, in quo
omnes fructus, omniaque emolumenta notari solent, 68
Lotter. *in d. quæst. 3. num 9* Rot. *dict. decis. 201. num. 10. part. 12. recent* & habetur in sua materia *sub tit. de pensionib.* Secundo, per quæstiones fieri solitas a Communitate, sive propalationibus apud Officiales Annonæ, Lotter. *d. quæst. 43. num. 29. & 30.* Tertio, per Locationes, & arrendamenta, *ut dict. decis. 544 num. 12. part. 2. recent. decis. 186. num. 8. & seqq. part. 6. in d. Cortonen. pensionis 24. Januarii 1645.* coram Verospio Add. ad Greg. *dec. 101.* Quarto, processus concistorialis, qui licet de per se non probet, facit adminiculum, *ut in d Cortonen.* coram Verospio; Quinto, libri Cameræ, qui pariter ut supra non probant, sed faciunt adminiculum; Sexto, fama publica, Greg. *dict decis. 245. & 273.* Septimo, quod beneficium notabili tempore tale onus substinuerit, vel e converso quod non substinuerit, Greg. & Adden. *dict. dec. 245.* Buratt. & Add. *decis. 261. num. 7. d dec. 186. num. 16. part 6. recens. in dict. Corton.* coram Verospio, cum aliis similibus, pro facti qualitate prudentis judicis arbitrio pensandis.

Quo

Quo vero ad qualitatem redditnum, ac emolumentorum, de quibus tamquam certis ad regulandum valorem habenda sit ratio necne, Cum certum sit, di-
69 stributiones quotidianas, aliaque incerta non venire sub valore, tam ad effectum Regulæ de valore ut supra, quam etiam ad effectum pensionis impositæ super fructibus, quoties expresse non dicatur etiam super distributionibus, vel incertis, ex deductis per Add. ad Greg. *dec.* 540. Buratt. & Add. *decis.* 255. cum aliis plene collectis per Add. *ad dec.* 576. *part.* 4. *recent. tom.* 3. & in sua materia *sub tit. de pension.*

Solumque circa incerta cadit dubitatio, quando sint talia, quæ a plurium annorum, & cum longissimi temporis observantia comprobentur quodammodo certa cum aliqua
70 modica variatione, adeout invenirent emptorem, seu conductorem, & arrendatarium, juxta doctrinam Anchar. *in Clement. unica*, *n.* 4. *de concess. præbend. cum concord.* per Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 42. *num.* 63. Rota *in Maurianen. pensionis* 13. *Junii* 1625. coram Pirovano, quæ in curia reputatur magistralis, & ad aliud propositum *dec.* 222. *n.* 7. *part.* 11. *recent.* edita in causa de qua in *Assisien. oblationum sub tit. de præeminent. disc.* 11.

Hinc proinde, descendendo ad speciem, quæri solet quarta funeralium, seu anniversariorum cum simili-
71 bus; Et licet pro negativa faciant firmata apud Burat. *dec.* 354. *num.* 9. *in Romana pensionis* 26. *Maji* 1646 coram Bichio, *&* *dec.* 187. *num.* 27. *part.* 11. *recent.* ut anniversaria non computentur in valore; Attamen, ut advertitur *in d. Maurianen. pensionis* cor. Pirovano, ac habetur pluries in dicta sua materia *sub tit. de pension.*
72 *& in Lucana Prioratus*, *sub tit. de jurepatron. disc.* 10. id recte procedit in illis anniversariis, aliisque obventionibus, quæ veniant ex mera devotione, seu libera voluntate fidelium, non autem in quarta parochiali, seu portione canonica, aliisque emolumentis solvi solitis pro necessaria administratione sacramentorum, seu pro aliis juribus parochialibus.

Quinimo etiam, ubi emolumenta non proveniant ratione juris necessarii, sed ex mera devotione, quoties
73 tamen non concurrat altera circumstantia, quod emolumentum detur tamquam nudum præmium laboris in illo ministerio, juxta regularem naturam exequiarum, ac anniversariorum, adhuc pro certis haberi debent si longa observantia quandam certitudinem inducit, adeo ut inveniantur emptores, vel conductores, dum Anchar. exemplificat in oblationibus fieri solitis in Ecclesia S. Antonii Venetiarum, & in illa S. Mariæ de Bononia, & in Urbe comprobat practicum exemplum Ecclesiæ S. Antonii Abbatis, quod in die commemorationis dicti Sancti ducuntur ad dictam Ecclesiam fere omnes equi, ac muli, & asini pro quibus offeruntur cerei & pecuniæ; Idemque vidi practicari in Civitate Neapolis, in ea Ecclesia S. Antonii Abbatis in Burgo, ibique, dum scholis, ac praxi Tribunalium adolescens vacabam, aliam practicari vidi speciem emolumentorum ex causa devotionis, (abusum forte potius redolentis,) circa quosdam porcos, quibus aures truncantur, in signum, quod totum provenit a devotione, ac voluntaria oblatione, & tamen constituit redditum certum annuæ pensionis, quæ a conductoribus inveniatur.

Circa vero proventus jurisdictionis procedi solet cum aliquo æquivoco, Alii siquidem sunt proventus resultantes a mulctis & pœnis, seu compositionibus, & istos cer-
74 tum est non venire sub valore, cum applicari debeant piis usibus, eosque non possit Episcopus, vel Prælatus sibi applicare; Alii vero in emolumentis cancellariæ ratione actorum judicialium in causis civilibus & criminalibus, & tunc licet videatur idem dicendum, stantibus aliquibus resolutionibus Sac. Congregationis prohibentibus Episcopis locare cancellariam, ac etiam quia aliqui Morales confundentes casum præcedentem mulctarum, & compositionum, cum istis emolumentis cancellariæ, indistincte videantur negare Episcopis, seu Prælatis facultatem sibi applicandi, credentes intrare eamdem obligationem convertendi in ipsos usus, Contrarium tamen in specie firmatum fuit in dicta *Maurianen. pensionis* coram Pirovano, cum qua pertransit Lotter. *dict. quæst.* 42. *num.* 64. *cum seqq.* quoniam hujusmodi emolumenta principaliter introducta fuerunt pro substentatione Vicarii generalis, ac Notarii, aliorumque servientium, ac ministrorum Tribunalis pro administratione justitiæ; Ideoque si ob amplitudinem diœcesis, vel multiplicitatem causarum, casus præbeat, quod supportatis dictis oneribus, eisque deductis, aliquid supersit, non videtur subesse ratio cur id quod superest, non possint Episcopi, vel Prælati sibi applicare pro sui, & Ecclesiæ substentatione, eodem modo quo applicant portionem canonicam, aliaque amolumenta; Ita etiam docente communi observantia, non solum Episcoporum & Prælatorum, sed etiam ministrorum Cameræ Apostolicæ Sede vacante, quoniam inter fructus, ac emolumenta Ecclesiæ exigunt, & incamerant etiam ista jurisdictionis & cancellariæ, illa quoque concedendo in appaltum pro rata spectare solita ad Episcopum, vel Prælatum juxta Ecclesiarum consuetudinem, quæ varia esse solet; in aliquibus enim diœcesibus omnia emolumenta percipiuntur per Episcopum, qui solvit salarium Vicario, & Notario, aliisque ministris, unde fructus jurisdictionis dicitur ille, qui superest deductis dictis expensis & oneribus, in aliis vero Episcopus percipit certam quotam, puta tertiam, vel quartam, seu dimidiam, reliquum vero cedit loco mercedis Vicarii, & Notarii, aliorumque ministrorum tamquam per speciem divisionis fructuum fundi in portionem dominicalem & colonicam. Decreta vero prohibentia locari, fuerunt localia ex prudentialibus motivis pro facti qualitate, ne ita daretur ansa conductori, seu arrendatario faciendi extorsiones, ac alternandi taxas; Vel quod sub dicto arrendamento includerentur etiam mulctæ & compositiones, ideoque in plerisque diœcesibus substinetur usus dandi in appaltum cancellariam; In illis autem emolumentis, quæ obtinentur ratione Baroniæ, seu jurisdictionis temporalis, istæ difficultates non cadunt, sed extra omne dubium veniunt in valore, cum inter laicos etiam mulctæ, & compositiones computentur inter fructus feudi.

Super domo destinata pro habitatione Episcopi, vel Rectoris dubitari consuevit, an veniat in valore, 75
sed quoties de facto deservit ad usum destinatum habitationis, receptum est non venire, quamvis in eadem domo inhabitent sæculares conjuncti Titularis, ut cæteris relatis Buratt. *decis.* 364. *decis.* 267. *n.* 2. *&* *decis.* 268. *n.* 1. *part.* 7. *recent. dec.* 75. *n.* 1. *part.* 8. *rec.* ubi in specie, quod non computetur in congrua; Et de domibus destinatis ad usum colonorum, & ministrorum, quod neque veniant, habetur *d. decis.* 268 *part.* 7. *recent. num.* 3.

De domibus autem canonicalibus locari solitis, non dubitatur venire sub valore, quando pertinent ad Canonicatum fixe, ac invariabiliter; Difficultas vero est in illis 76
domibus, quæ optantur ratione antianitatis, unde dicuntur membra temporalia, & separabilia juxta distinctionem, de qua cæteris relatis, Add. ad Gregor. *decis.* 378. Caval. *decis.* 116. *Romana pensionis* 19. *Januarii* 1646. coram Cerro, de quo habetur particulariter actum *sub tit. de pension.* ubi videndum.

Quo vero ad munera, quæ quibusdam anni temporibus per colonos in rebus comestibilibus, vel aliis fie- 77
ri solent Episcopo, vel Prælato, quod non veniant in valore, firmatur in specie *d. decis.* 267. *n. fin. part.* 4. *recent.* Verum & id non videtur ita simpliciter recipiendum, quoniam si munera sunt talia, quod ex antiqua consuetudine transierint in obligationem, ut in plerisque Italiæ partibus præsertim in Regno Neapolitano, docet usus in illis muneribus, quæ in die Nativitatis Domini, vel in alia solemnitate per Capitula, vel Communitates in summa certa & invariabili dari solent Episcopis, vel Baronibus quæ vulgo sub *Strenæ* vocabulo ibi explicantur, de cujus vocabuli significatione Rovit. *Pragmat.* 1. *de Porteriis*, *seu Ostiariis*, *num.* 3. adeout etiam ab invito exigantur, atque in libris mensæ dicta emolumenta descripta sint inter alios redditus, tunc non videtur subesse ratio dubitandi, ut veniant; Secus autem in illis muneribus, quæ per singulos subditos in quibusdam anni temporibus præstari solent, quoniam licet de facto juxta supra insinuata exempla posita per Anchar. videatur quodammodo certa, attamen utpote pendentia a mera voluntate, & benevolentia personali, non debent hoc jure regulari, dum sede vacante Collectores Apostolici illa non exigunt, atque ab hujusmodi exactione, & observantia pendere videtur determinatio, ut in proposito observatur *in Feretrana servitiorum sub tit. de feudis disc.* 51.

Hinc proinde in quadam facti contingentia, cum ageretur de erectione cujusdam loci *Nullius* in Episcopatum, 6
atque inter redditus pro Ecclesiæ dote computarentur hæc munera præstari solita illi Prælato habenti ordinariam quasi Episcopalem jurisdictionem, Ego procedebam cum dicta distinctione inter munera antiqua uniformia, quæ præstentur per Capitula, vel Communitates, adeout

etiam ab invitis exigi valeant, & munera, quæ præ-
stantur a privatis.

Item dubitari solet de cappellaniis, seu piis legatis fa-
78 ctis ipsi Ecclesiæ, unde rector aliquod percipiat emolu-
mentum, & de hoc agitur in specie, *in d. dec. 75. n.
2. & 3. part. 8. recent.* ubi proceditur cum distinctio-
ne, an emolumentum sit annexum ipsi rectoriæ inva-
riabiliter, vel potius a rectore accidentaliter, vel ex
alio titulo percipiatur, & de qua distinctione habetur
particulaelter actum *sub tit. de Decimis*, præsertim *in
Palentina decimarum*.

Demum quoad tertium requisitum deductionis onerum
& expensarum; Quoad expensas culturæ, & recollectæ
etiam seminis juxta locorum qualitatem, certum est, quod
deductio facienda venit, itaut fructus dicatur ille, qui
79 remanet eis deductis, ut in his terminis *dec. 296. n. 2.
cum seq. & in fin. part. 7. rec.* atque supponitur in plu-
ribus aliis decisionibus, ibi proxime sequentibus editis
in eadem *Cremonen. Pensionis*, in quibus agitur de hac
materia valoris.

Prout deducenda sunt onera certa, & necessaria, non
80 autem incerta & voluntaria, sive quæ fiunt ob ea mune-
ra, quæ per seipsum explicari possunt, ex deductis ita
distinguendo per Buratt. & Add. *dec. 354. & 418.* &
Add. ad Greg. *dec. 345. &* Merlin. *dec. 587. num.* 8.

Inter necessaria reputantur refectio Ecclesiæ ac domus
Episcopi, seu rectoris, oleum pro lampadibus, hostiæ,
cerei, paramenta, cathedraticum, expensæ visitationis,
salarium unius, vel plurium clericorum pro qualitate
Ecclesiæ & servitii, quatenus præstari sit solitum, nec
non contributiones pro Seminario, vel fabrica Eccle-
siæ, ac onus, seu expensa cambiorum, si pensio est *in*
moneta Romana, cum similibus.

Voluntaria vero dicuntur ea quæ fiunt pro majori or-
namento & decore, seu pro majori ipsius Titularis com-
moditate, ejusque labore levando, seu minuendo, in-
ter quæ computari solet impensa coadjutoris, quando
iste pro qualitate Ecclesiæ, ac servitii non sit præcise
necessarius, ut per Add. ad Gregor. *d. dec* 245.

De pluribus autem aliis ad hanc materiam habetur *sub
tit. de pension.* ita hæc insinuando potius pro quadam sum-
maria cognitione ad propriam instructionem ac memo-
riam, quam pro absoluta & formali tractatione.

ANNOT. AD DISC. XC.

De valore beneficii habetur notatum supra *ad di-
scurs. 72.*

De Regula de triennali, ac aliquibus adnota-
tionibus illam concernentibus.

S U M M A R I U M.

1 *De dispositione Regulæ de triennali, & quod
raro deducatur ad praxim.*
2 *Procedit tam in petitorio, quam in possessorio.*
3 *Tollit jurisdictionem, & acta sunt nulla.*
4 *Inducit justificationem tituli.*
5 *Procedit etiam contra provisum Apostolicum alias
quam ex reservatione clausa in corpore juris.*
6 *Non procedit favore habentis titulum infectum a
simonia, vel confidentia commissa per ipsum, se-
cus si per patrem, vel alium.*
7 *Suffragatur etiam possessio prædecessoris.*
8 *Suffragatur etiam post rem judicatam provenientem
ex sententia unica lata extra Rotam in contuma-
ciam, vel ex culpa procuratoris non appellantis.*
9 *Possessio probari debet per eum, qui se fundat in
Regula.*
10 *Sed probato initio præsumitur continuatio.*
11 *Regula non ligat superiorem volentem inquirere de
titulo possessoris.*
12 *Sed quæ moderatio in hoc dari deberet.*
13 *Quod requiratur titulus coloratus, super cujus præ-
sumpta justificatione operatur Regula.*
14 *Præsumptio solemnitatis exigit titulum verum, cui
innitatur.*
15 *Declaratur conclusio, de qua num. 4.*
16 *Possessio pacifica decennalis supplet titulum colora-
tum.*
17 *Regula inducit præsumptionem, quæ tollitur ex con-
traria præsumptione, præsertim ex revolutione re-
gistrorum Datariæ.*
18 *Quando etiam cesset presumptio ex infectione tituli.*
19 *Quod caute deferendum sit decisionibus editis unica
tantum &c.*
20 *Quod regula non præbeat titulum, & quid operetur.*
21 *Cessat Regula si possessio desiit esse pacifica per litem.*
22 *Omnis lis sufficit, imo etiam molestia extrajudiciales.*
23 *Quando dicatur sequi interruptio per litem, & de dif-
ferentia inter morientem, & eum cui movetur lis.*
24 *Quando dicatur cessare, vel extingui lis ad effectum
Regulæ.*
25 *De ratione ob quam raro Regula habet effectum.*
26 *An lis nulliter mota obstet Regulæ.*

D I S C. XCI.

Disponente *Regula 46. Cancellariæ*, ut triennalis pa- 1
cificus beneficii possessor, ab omni molestia tu-
tus remaneat, quodque talis possessio sanet quemcumque
defectum, quem ejus titulus pati posset; Hinc proin-
de nihil forte in hac beneficiali materia magis frequen-
ter per ora vulgi volitat, quam istud remedium, seu
cautela, & tamen quantum diuturnæ vitæ forensis ex-
perientia me docuit, vel nulli, vel nimium rari sunt
casus, in quibus hujus Regulæ effectus ad praxim de-
ducatur, ob tot restrictiones, ac declarationes, unde pro-
pterea defuit hucusque occasio particularis in foro agen-
di principaliter de istius Regulæ præsidio.

Constituta igitur dicta Regula, illa ampliatur, ut pro-
cedat tam in possessorio quam in petitorio, dum in utro-
que impedit ne possit lis excitari, Cassad. *dec. 5. de re- 2
stit. spoliatorum* cum concord. apud Buratt. *dec. 280. n. 1.*
apud Cels. *dec. 392. n. fin. & dec. 408. num.* 5. in Alerien.
Vicariæ 24. Aprilis 1654. cor. Bichio, *dec. 64. num. 6. &
dec. 238. n. 1. part. 12. recent. dec. 264. num. 1. part. 9.*

Ampliatur secundo, ut non solum impediat litem ex-
citari, sed etiam tollat jurisdictionem, adeout dicantur
nulla quæcumque acta, & sententiæ, cum ita dicatur
ligare os, ac manus judici, & parti, Mantic. *dec. 211.* 3
n. 3. Lotter. *lib. 2. quæst. 53. num. 7.*

Ampliatur tertio, ut inducat præsumptivam justifica-
tionem tituli, Lap. *allegat.* 89. *dec. 41. num. 10. part.
10. & d. dec. 64. n. 7. part. 12. recent. dec. 51. num.
12. & dec. 80. num. 9. part. 7.* in Anglonen. Archipres- 4
byteratus 17. Maji 1652. cor. Albergato.

Ampliatur quarto, ut prosit etiam contra provisum
Apostolicum, tamquam de reservato, præterquam ex
reservatione clausa in corpore juris, Cels. *dict. dec.
392. n. 11. & dec. 408. num. fin.* ubi concordantes, *dict.* 5
dec. 264. num. 2. & 3. part. 9.

Ampliatur quinto, ut licet non prosit possidenti ex
titulo infecto ratione simoniæ, vel confidentiæ, quo-
ties crimen commissum sit per ipsum possessorem bene- 6
ficii, ut in corpore ejusdem Regulæ disponitur; Atta-
men secus dicendum sit, ubi commissa est per patrem,
vel conjunctum, eo non consentiente, neque cooperan-
te, Mantic. *dict. dec. 211. num. 3.*

Ampliatur sexto, ut prosit etiam successori, qui ad
hunc effectum juvari potest possessione sui prædecesso- 7
ris, quoties suæ provisionis validitas pendeat ab illa præ-
decessoris, *dict. 51. n. 3. part. 7. recent. ex dec. Mohed.
15. de Caus poss. & propr.* Achill. *dec. 14. de probat.*
cum alibi deductis.

Ampliatur septimo, ut sit locus Regulæ, etiam post
rem judicatam provenientem ex sententia unica lata extra
Rotam, maxime in contumaciam, seu ut in Curia dici- 8
tur, per contradictas *dec. 564. part. 3. divers. lib. 3.* Bu-
ratt. *dec. 585. num. 7. dec. 80. num. 14 part. 7. recent.*

Sive ubi res judicata causata est ex culpa procurato-
ris non appellantis, cum tunc res non videatur carere
fraude, Buratt. *d. dec. 185. num. 4. & seqq.*

E converso, eadem Regula declaratur, seu limitatur,
Primo, ut ad effectum quod suffragetur, ex parte il-
lam allegantis probari debeat possessio tamquam suæ in-
tentionis fundamentum integre usque ad ultimum mo- 9
mentum, ut apud Celsum *decis. 130. num. 9.* Bene ve-
rum quod docto de initio possessionis adeptæ cum effe-
ctu, itaut non sit solum instrumentalis & ineffectuata, 10
tunc continuatio præsumatur, si adest cursus temporis
ad id necessarii non docto de contrario, ut generaliter
ad alium effectum de præsumpta continuatione, Gre-
gor. *dec. 166. n. 9. Add. ad eumdem dec. 307. n. 24.* &
in specie in Beneventana Canonicatus cor. Bich. *decis.
14. part. 10. recent. num.* 12.

Limitatur secundo, ut Regula suffragetur contra priva-
tum agentem ex alia impetratione, & contendentem de
beneficio, secus autem quoad Ordinarium, vel alium
Supe-

Superiorem in visitatione, seu alias inquirentem de ti-
tulo possessoris, hic enim non ligatur a Regula, Mantic.
11 *dict. decis.* 211. *post n.* 3. Mereretur autem ista limitatio
aliquam moderationem per Superiores, circa illas titu-
lorum inquisitiones, quas facere affectant Auditores,
& Commissarji spoliorum pro interesse Cameræ in fru-
ctibus beneficiorum vacantium, quatenus possessores be-
neficiorum non essent legitimi, sed intrusi, quoniam
12 frequentius absque minima Cameræ utilitate iste rema-
net prætextus faciendi extorsiones pene incredibiles,
unde cuperem quod perquisitis Cameræ libris, videre-
tur quænam sit utilitas effective exinde resultans, quo-
niam comperto illam esse nullam, vel nimium modi-
cam, prohiberi deberet usus hujusmodi visitatorum,
vulgo Auditorum cavalcantium, quibus forte grassato-
rum titulus melius conveniret; Idemque quod sequi-
tur in visitationibus titulorum, ex quibus notorie be-
ne provisi de Canonicatibus & parochiis, &c. possi-
deant, practicatur in visitationibus, seu inquisitioni-
bus illicitæ negotiationis, quoniam totum reducitur
ad prætextum extorsionum absque Cameræ utilitate.

Limitatur tertio, ut non solum requiratur pacifica
possessio triennalis, sed etiam sit necessarius titulus sal-
tem coloratus, ut cæteris relatis apud Celsum *dec.* 130.
13 *n.* 10. *dec.* 228. *n.* 8. *part.* 12. *recent.* & in aliis, quare
effectus Regulæ solum consistere videtur in præsum-
ptione justificationis hujus tituli, non autem in ipsius
14 etiam præsumptione, & hoc est quod importat dicta
tertia ampliatio, ne alias detur multiplicatio præsum-
ptionum ac specialitatum, Adinstar eorum quæ habe-
mus in materia præsumptionis beneplaciti Apostolici,
vel alterius solemnitatis resultantis a lapsu longi, vel
longissimi temporis juncti cum observantia; quoniam
requiritur titulus verus, cui hæc fictio seu præsumptio
innitatur, ne alias detur cumulus fictionum, & spe-
cialitatum, ex deductis *dec.* 57. *n.* 15. *& seqq. & de-
cis.* 191. *n.* 14. *part.* 7. *recent.* & frequenter.

Docto autem de titulo colorato, ut intret dicta ter-
tia ampliatio, doceri debet quod ejus vigore posses-
15 sum fuerit, ideoque non suffragatur ille quem posses-
sor forsan habebat, sed ejus vigore possessum non est,
ut *d. decis.* 80. *num.* 11. *part.* 7. *recent.*

Ubi autem de titulo colorato non doceatur, sed con-
currat pacifica possessio decennalis ultra triennalem, ista
inducit præsumptionem tituli, Cassad. *decis.* 8. *n.* 3. *&* 4.
16 *super regulis Cancellariæ, & decis.* 4. *n.* 9. *de causa posses-
sionis & proprietatis*, Pænia *decis.* 1004. *n.* 4. *&* 5. Coc-
cin. *decis.* 475. Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 53. *n.* 31. Vercellen.
præpolituræ 4. Julii 1641. coram Bichio *dec.* 341. *n.* 11.
part. 10. *rec.* & apud Celsum *d. dec.* 130. *n.* 11. *& in aliis.*

Verum quia omnia hæc continent simplicem præsum-
ptionem juris, hinc proinde ista cessat ex contraria pro-
batione, quæ pluribus modis sequi potest, vel scilicet,
ubi beneficium est reservatum, vel affectum, itaut
provisio fieri non posset nisi per Sedem Apostolicam,
ex diligentiis adhibitis in registris Datariæ & Cancel-
lariæ, ex quibus resultat probatio negativæ, quæ præ-
17 valet dictæ præsumptioni, ut in specie apud Celsum
d. decis. 130. *n.* 12. Gregor. *decis.* 242. *num.* 6. *&* 7.

Vel quia de infectione tituli constet in continenti,
adeout dici non valeat coloratus, ut est (ex. gr.) quando
resultaret a provisione inferioris collatoris de beneficio re-
servato per reservationem clausam in corpore juris, vel
per Regulas Cancellariæ habentes decretum irritans, un-
de resultat duplex infectio, una tituli, & altera possessio-
18 nis, quæ juxta receptam satisque vulgarem Beneficialista-
rum propositione, tamquam a dicto decreto infecta, ha-
betur pro omnino vacua; Sive ubi ex eodem titulo
Apostolico resultaret infectio, quia nempe litteræ con-
tinerent in ventre aliquod implementum, vel requisi-
tum sub eodem decreto irritanti, seu annullativo; Aut
quia, ut frequenter contingit, agatur de provisione
facta per Nuntium Hispaniarum de beneficiis exceden-
tibus 24. qualis est casus, de quo in specie *d. dec.* 238.
part. 12. *rec.* in qua receditur ab alia decisione registrata
in eadem part. 12. *decis.* 64. edita ad favorem provisi per
Nuntium, sed in contumaciam alterius partis, quæ
vulgo dicitur *per contradictas*, absque alia oppositio-
ne, quo casu excusabiles sunt judices devenientes in mi-
nus probabiles resolutiones, cum divinare non possint
alterius partis fundamenta, quibus ab eis cognitis, sæ-
19 pius videmus emanare resolutiones contra solum infor-
mantem; Bene verum, quod, ut alias advertitur, per
Judicantes, vel Consulentes, quando pro aliorum ca-
suum resolutione decisiones allegantur, particulariter
reflectendum est ad hanc circumstantiam, an prodierint
utraque parte informante necne, ac perquirere statum
causæ, an fuerint revocatæ, ut frequenter contingit,
non autem sub cœca fide eis deferre, perinde ac si es-
set casus legis generalis.

Atque hinc præsertim resultat, ut nimium rari sint
casus, in quibus beneficii possessor triennalis ex hujus
Regulæ præsidio tantum molestias evitet, quoniam, vel
infectio resultans ab ipsius tituli facie, vel diligentiæ adhi-
bitæ in Dataria & Cancellaria, etiam sine lite, vel mole- 20
stiis cessare faciunt Regulam, quæ in effectu nullum dat
titulum, sed solum inducit quamdam præsumptionem ita
privilegiatam, quam Ego assimilare soleo præscriptioni
statutariæ; in hoc differenti a formali præscriptione lon-
gissima de jure communi legitime inducta, quod ista pe-
rimit actionem alterius partis, ac firmat jus possessoris
tamquam per speciem tituli, illa vero inducit solum præ-
sumptionem solutionis, contraria probatione, quinimo
contrariis præsumptionibus, & adminiculis elidibilem,
ut frequenter in sua materia *sub tit. de credito.*

Limitatur quarto, ubi possessio non sit pacifica, sed in-
terrupta per litem, ut cæteris relatis, Cels. *d. dec.* 130. *n.* 17.
& seqq. dec. 255. *part.* 11. *rec. d. dec.* 238. *part.* 12. in Anglo-
nen. Archipresbyteratus 25. Aprilis, & 28. Junii 1654. Al- 21
bergato, & passim, cum sit principium absolutum.

Et quamvis in materia beneficiali, ad alios effectus
non sufficiat quælibet lis, sed illa debeat esse super ti-
tulo, seu substantia beneficii, ut habetur *disc. seq.* at-
que ad litem legitime inducendam requiratur citatio
bene exequuta, cum aliis, de quibus *eodem disc. seq.*
ad materiam litis in beneficialibus, Attamen omnia
hæc cessant in proposito hujus Regulæ, pro qua im-
pedienda non solum sufficit quæcumque lis talis qua-
lis, sed etiam sufficiunt molestiæ extrajudiciales, ac 22
de facto, itaut cesset qualitas possessoris pacifici, Lot-
ter. *d. q.* 53. *n.* 20. Burat. *dec.* 699. Royas *dec.* 294. *n.* 1.
Cels. *dec.* 130. *in fin.* in d. Anglonen. Archipresbyteratus
coram Albergato, *d. decis.* 238. *part.* 12. *rec. & d. decis.*
274. *num.* 10. *part.* 9. & passim.

Bene verum, quod interruptio non currit a die im-
petrationis factæ per alterum collitigantem, sive a
commissione causæ, ac obtentione expeditionum pro li-
tis introductione, sed a die motæ litis per citationem,
quoties possessor prius fuerit in statu bonæ fidei, nul-
laque habita notitia citationis contra eum demandatæ,
non latitaverit, seu alias impedimenta non præstiterit, 23
cum tunc habeatur pro citato, ex deductis apud Bu-
ratt. *dec.* 280. *&* 585. Cels. *d. dec.* 130. in d. Alerien.
Vicariæ 26. Junii 1654. coram Bichio, & in aliis,
atque *d. dec.* 280. Buratti, bene cæteris relatis habe-
tur, quod scientia commissionis, vel decretæ citatio-
nis, absque exequutione non sufficit.

Respectu vero ipsius impetrantis, lis introducta dicitur
ab ipso initio impetrationis, seu commissionis, ut apud
Buratt. *d. decis.* 280. *n.* 9. quoniam sufficit cessare quali-
tatem pacificæ possessionis, quomodocumque id sequatur;
Regula enim suffragatur ei contra quem ab alio movea-
tur lis, vel detur molestia, cum tunc illa requiratur de
facto, & non sufficiat sola scientia de jure inductiva ma-
læ fidei, ut apud Buratt. *d. dec.* 280. *n.* 8. & advertitur
disc. seqq. Secus autem ei qui movet litem etiam post
completam triennalem, Cæs. de Grass. *decis.* 1. *super Re-
gul. de triennal.* Dunozett. *decis.* 812. *num. fin.*

Est bene verum, quod introducta etiam lite, adhuc da-
ri potest casus Regulæ per ejusdem litis extinctionem, seu
cessationem, quæ dupliciter sequi potest, Primo scilicet
per sententiam legitime transactam in judicatum, unde ex
tempore legitimæ rei judicatæ incipit quis esse denuo pa-
cificus possessor, vel per desertionem ejusdem litis, ut ad- 24
mittitur apud Royas *decis.* 194. *& d. decis* 255. *part.* 11.
ac in aliis. At conferunt quæ a simili habemus in supe-
rius exemplicata præscriptione statutaria, quod licet
interrumpatur, attamen prohibitum non est novum
terminum denuo incipere, juxta *decis.* 124. Merlini.

Rari autem sunt casus, in quibus ista litis cessatio
suffragetur ad effectum hujus Regulæ, quoniam si de-
ducitur ex re judicata, & tunc stante nimium am-
pliata propositione, quod sententia injusta numquam
transit in judicatum, ut quotidie experimur, quæli-
bet injustitia qualis qualis, revolvendo tamquam ex in-
tegro merita causæ, illam negligere facit, ut probat 25
casus, de quo in Nolana sub hac eadem materia in
supplemento; Et si deducitur ex longævo silentio, &
tunc, vel nulli, vel nimium rari sunt casus, in quibus
hæc desertio deducatur ad praxim, quoniam, vel requi-
ritur

ritur formalis sententia super desertione parte audita, vel lapsus longissimi temporis, qui solus non sufficit, nisi etiam concurrat malum jus deferentia, ex tis quæ habentue *disc. seq.* ad mateciam litis in beneficialibus ad alios effectus, ubi etiam de pariter nimium caro peacticabili cessatinne litis ob mortem collitigantis, ex quibus omnibus, ut dictum est, experientia docer, nimium tatos ac pene nullos esse casus, in quibus ista Regula de trieonali sola, & de pee se possessorem beneficii tutum reddat; De plerisque autem aliis ad mateeiam pertinentibus, utpote in foro parum contingibilibus videri possunt ejusdem Regulæ commentatores, aliique Beneficialistæ, cum propositum non sit assumere absolutam ac formalem teactationem, sed solum adnotare ea, quæ magis in foro contingibilia sunt.

Illud autem notabile notatue *in d. dec. 264. part. 9. rec.* quod licet lis etiam nulliter mota ex quacumque nullitate obstet Regulæ, secus tamen ubi nullitas pro-
16 veniret ex defectu jurisdictionis, qui concurrere dicitur in A. C. in beneficialibus, ut ex *n. 12. cum seq.* quoniam ita ista lis eesolvi dicitur in molestiam extrajudicialem, & de facto, quæ licet sufficiat, ut supra, attamen notabilis est effectus, seu ratio differentiæ, quoniam dsta lite tamquam actu judiciali durat ejus effectus Regulæ impeditivus, non obstante quocumque collitigantis silentio, eu quia de jure Canonico instantia est perpetua, solumque inducitue desertio raro practicabilis, dum exigit; vel sententiam declaratoriam, vel longissimum silentium junctum cum malo jure, ex deductis apud Royas, *d. dec. 296. cum aliis disc. seq.* Ubi vero agitur de molestiis extrajudicialibus, illarum prosequutione de facto cessante, ineipit novum triennium, quod si est pacificum, aperit locum Regulæ, *ut d. decis. 264. num. fin. ubi concordant.*

ANNOT. AD DISC. XCI.

AD Regulam de Triennali videri poterunt deducta *in hoc tit. disc. 131.*

De Beneficio litigioso, seu de lite, ejusque effectibus in beneficialibus.

SUMMARIUM.

1 *DE pluribus effectibus ad quos quæritur de lite.*
2 *Quod Auditor Cameræ non habeat jurisdictionem in beneficialibus.*
3 *Neque ejus jurisdictio sit prorogabilis.*
4 *Atque lis coram eo inducta non impedit Regulam de triennali.*
5 *Intellige in causis vere beneficialibus, & quales sint.*
6 *Est executor litterarum Apostolicarum super provisione beneficii, etiamsi in forma* dignum.
7 *Non dicitur causa beneficialis si non est verum beneficium.*
8 *Nullitas sententiæ A. C. in beneficialibus influit etiam in sententias Rotales.*
9 *Procedit A. C. in nuda possessoria.*
10 *Neque dicitur causa beneficialis si est principaliter super jure præsentandi, vel conferendi.*
11 *De lite ad effectum Regulæ de triennali.*
12 *An & quando mala fides obstet dictæ Regulæ.*
13 *Quod requiratur factum positivum, & non sufficiat scientia pro hac mala fide.*
14 *De lite ad effectum Regulæ de subrogandis.*
15 *De lite beneficiali ad effectum remissoriæ.*
16 *De nullitate ob non factam mentionem litis.*
17 *De attentatis coram alio judice lite pendente in Rota.*
18 *De regula text. in cap. 1 & 2. ut lite pendente in sexto, ut mortuo collitigante non fiat collatio.*
19 *Procedit etiam in beneficiis electivis.*
20 *Etiam in illis de jurepatronatus laicali.*
21 *De ratione ob quam frequentius ista materia cadit in beneficiis de jurepatronatus.*
22 *De materia remissive, & quæ lis causet hunc effectum.*
23 *Distinguuntur plures casus in materia.*
24 *De regula, de qua nu. 18. ex cap. 1. ut lite pendente in sexto, etiamsi per mortem civilem, aut alias vacationem sequatur.*
25 *An dicta Regula procedat ubi lis esset inter provisum ab Ordinario & præsentatum, & de ratione dubitandi.*
26 *Dispositio d. cap. 1. inficit etiam possessionem.*
27 *Etiam si vacatio sequatur intra ipsum primum quadrimestre.*
28 *Etiam si patronus sit in possessione præsentandi.*
29 *Fallit si lis principaliter esset super jure præsentandi, vel conferendi, & num. 42.*
30 *Vel ubi lis esset super solo possessorio, etiam si incidenter agatur de titulo.*
31 *Vel ubi lis esset cum simplici appositore non habente titulum.*
32 *Sive ubi lis esset calumniosa & injusta.*
33 *Attenditur Statutum, vel consuetudo.*
34 *Si unus tantum collitigans superest, potest ipse præsentari.*
35 *Seu an Ordinarius possit illi facere collationem.*
36 *Cessat item Regula cessata lite.*
37 *Expressa cessio liti puta, non autem ad favorem facit illam cessare.*
38 *Vel implicita per assequutionem incompatibilis.*
39 *Quando lis dicatur cessata per desertionem.*
40 *De aliis limitationibus remissive.*
41 *Quando dicatur inducta lis ad effectum litigiosi, vel alios effectus.*
42 *Ex lite inter Patronos, vel Collatores super jure conferendi, vel præsentandi non resultat hoc vitium litigiosi.*

DISC. XCII.

AD plures effectus quæri solet de lite super beneficiis, 1
Primo scilicet, ad illum jurisdictionis, seu competentiæ judicis; Secundo, ad illum Regulæ de triennali; Tertio, ad effectum Regulæ de subrogandis collitigantibus; Quarto, ad effectum remissoriæ difficilis in spiritualibus concedendæ; Quinto, ad effectum nullitatis gratiæ ob non factam mentionem litis; Sexto, ad effectum attentatorum coram alio judice; Et septimo, ad effectum affectionis, vel impedimenti inferioris collatoris in conferendo, seu patronorum in præsentando.

Ad primum effectum, de hoc frequenter contigit in Curia dubitari ob causas introduci, & agitari solitas in
Tribunali Auditoris Cameræ, cum iste non habeat ju- 2
risdictionem in causis beneficialibus, in quibus nulliter procedit, ut pluribus relatis, Gregor. *decis. 118. n. 4.* ubi Adden. Cavaler. *decis. 32. & 169. numer. 1. decis. 264. n. 13. part. 9. decis. 99. n. 2. part 10. recent.* Civitatis plebis Cappellaniæ 5. Februarii 1664. Taja, & 9. Decembris 1665. Carpineo, & frequenter.

Adeoque id verum est, ut neque partium consensus in hoc attendendus videatue, eo quia prorogari potest jurisdictio, quæ habitualiter adsit, quamvis recusabi-
lis, non autem illa quæ omnino abest, ut generaliter 3
deducit Rovit. *supee pragm. 2. de jurisd. invicem non turban. num. 22. & num. 29. cum seqq.* Et in his terminis Adden. ad Gregor. *d. decis. 118. n. 7. ubi concordantes.*

Ac etiam quod lis mota super beneficio in isto Tribunali non considetatue tamquam lis ad effectum Regulæ de triennali, sed consideratur tamquam molestia extrajudicialis, ut advertitur *disc. præc.* ex firmatis *d. dec. 264. part. 9. rec.*

Procedunt autem hæc in causis mere beneficialibus;
quales proprie dicuntue illæ, quæ sunt supee titulo, seu 4
substantia beneficii intee duos provisos de pertinentia, seu adjudicatione contendentes; ista enim dicitur proprie causa beneficialis, ut circa ad alios effectus, præsertim ultimum advertitur infra, & apud Coccin. *decis. 169.* Secus autem si agatur de simplici executione litterarum Apostolicarum, vel brevis de capienda pos-
sessione nomine Cameræ, quoniam Auditor Cameræ 5
ex specialibus facultatibus concessis prius per Clementem VIII. de quibus apud Coccin. *dec. 169. n. 5.* & deinde pee Urbanum VIII. ut per Add. ad Burat. *dec. 909. n. 6.* dicitue legitimus executoe, quamvis ipse no-
minatus non esset in litteris, in quibus certi executo- 6
res deputati essent.

Et quamvis dubitatum fuerit, an id procedat solum in brevibus de capienda possessione nomine Cameræ, ac etiam in literis provisionis in forma gratiosa, non autem in illis in forma *Dignum*, ex ea dubitandi ratione, quod ista non dicitur provisio, sed mandatum de providendo, quod frequentius Ordinario dirigi solet tamquam melius informato, an provisus sit dignus necne, contrarium tamen etiam in hac specie literarum decisum fuit apud Royas *dec. 315. num. 4. & 5.*

Prout

Prout si lis esset super beneficio, vel cappellania,
quæ de stricto jure dici non posset beneficium ecclesia-
sticum, quia nempe ex sola privata pia dispositione,
absque Ordinarii auctoritate, erectio, seu fundatio sequu-
ta sit, tunc non dicitur causa beneficialis, sed potius
7 prophana, utpote super legato pio, quod magis quam
beneficium ista capellaniarum species importare dici-
tur, juxta *decis.* 101. Dunozetti repetita *decis.* 238.
part. 5. *rec.* & post Marin. *resol.* 36. *lib.* 1. passim re-
ceptam, ut in his specialibus terminis tamquam cer-
tum admittitur in dict. Civitatis plebis cappellaniæ 9.
Decembris 1665. coram Carpineo, ubi solum negatur
applicatio ad factum, & ex cujus circumstantiis credi-
tur illam cappellaniam habendam esse jure beneficii;
Unde propterea tam in dicta decisione, quam in aliis
8 coram Taja, non solum declaratur nulla sententia Au-
ditoris Cameræ, sed firmatur, quod eadem nullitas
influat etiam in sententias Rotales in gradu appella-
tionis eam confirmantes.

Sive quod agatur inter plures provisos de puro, &
nudo possessorio tamquam nudi facti, absque aliqua
mixtura negotii principalis, quo casu plurium opinio
9 est (licet parum probabilis) etiam judicem laicum
desuper posse se ingerere; Verum quod neque in pos-
sessorio habeat jurisdictionem, ex declaratione Signa-
turæ advertitur per Adden. ad Gregor. *d. decis.* 118.
n. 7. *in fine*; Vel quod lis esset principaliter inter alios,
puta inter patronos super jure præsentandi, quamvis
præsentati pro eorum interesse essent in causa, atque
consequutive ab hujusmodi causæ determinatione pen-
10 deret beneficii pertinentia, quoniam non per hoc di-
citur causa beneficialis, ex iis quæ ad materiam text.
in cap. 1. *&* 2. *ut lite pendente in sexto*, habetur in-
fra in septimo & ultimo effectu, *& sub tit. de jure-
patr. disc.* 67.

Alter ut supra distinctus effectus est, circa interruptio-
nem pacificæ possessionis ad impediendam Regulam de
triennali, & ad hunc effectum non requiritur illa for-
malitas causæ beneficialis super titulo, seu substantia be-
11 neficii, quæ ad alios effectus necessaria est, quoniam ut
ad materiam dictæ Regulæ advertitur, *disc. præced.* spe-
ctatur solus effectus contradictionis tollentis qualitatem
possessionis pacificæ, ideoque sive lis sit super titulo,
sive super possessione, ac sive valide, sive nulliter mo-
ta, sufficit, cum sufficiant etiam molestiæ extrajudicia-
les inducentes malam fidem ex ibi deductis.

Quamvis enim Rota sequatur opinionem, quod sola
12 mala fides in proposito dictæ Regulæ non sufficiat,
juxta *decis. Crescent.* 1. *de præscript.* quam pluries sequu-
ta est, præsertim apud Buratt. *decis.* 280. *nu.* 7. *&* 8.
& in aliis; atque Novar. *in practicis concl. novi jur.
Pontif. conclus.* 111. alias *conclus.* 2. *de Regula de trien-
nali*, *fol.* 249. *juxta impressionem Neapol.* 1628. dispu-
tata ista quæstione, quamvis probabilia deducat argu-
menta ad probandum, quod mala fides obstare debeat,
concludit tamen recedendum non esse ab opinione quam
sequitur Rota; Nihilominus id procedit in ea mala
fide, quæ resultat ex sola scientia juris alieni, quæ non
sufficit sine facto positivo interruptionis resultantis a
lite cum citatione legitime exequuta, seu habenda pro
exequuta in odium latitantis, vel alias impedientis,
13 vel a molestiis extrajudicialibus de facto, atque in hoc
sensu, & cum hoc præsupposito loquuntur, ac intel-
ligendæ sunt plures decisiones simpliciter dicentes, quod
sola mala fides in hoc proposito sufficit, ut præsertim
apud Celsum *dec.* 130. *n.* 17. *& seq. & in d. dec.* 264.
n. 10. *part.* 9. *rec.* & in aliis.

De tertio effectu Regulæ de subrogandis collitigan-
14 tibus quoad ea, quæ frequentius in foro contingibilia
sunt, videtur sufficienter actum supra ad materiam sub-
rogationis collitigantis.

Prout de quarto super concessione remissoriæ, & quan-
do ad hunc effectum causa dicatur spiritualis, necne habe-
15 tur infra, *disc.* 99. ubi particulariter de ista materia re-
missoriæ in beneficialibus, seu spiritualibus, & in quo
differat a materia generali remissoriæ in causis propha-
nis, sub quarum nomine in hoc proposito veniunt omnes
causæ, quæ non sint beneficiales, quamvis super ma-
teriis ecclesiasticis ac spiritualibus, ex ibi deductis.

De quinto ad effectum faciendi mentionem litis habe-
tur in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 66. At-
16 que de sexto ad effectum attentatorum, quod scilicet lite
pendente in Rota cessant omnes alii exequutores, quam-
vis exprese ac specialiter in litteris deputati, qui citra
vitium attentatorum non possunt in hujusmodi causis
se ingerere, habetur etiam actum in præcedentibus. 17

Quare major ac pene tota hujus materiæ inspectio per-
cutere videtur dispositionem textus *in cap.* 1. *ut lite pen-
dente in* 6. juxta septimum ac ultimum effectum supra
distinctum, quod scilicet pendente lite super beneficio,
si contingat mors naturalis, vel civilis unius ex colli-
tigantibus, non potest desuper manus apponere Ordina- 18
rius, vel alter inferior collator, quamvis alias nulla ur-
gente reservatione, vel affectione provisio ad eum spe-
ctaret, quoniam ipsa lis affectionem causat, idque non
solum in beneficiis liberæ collationis, sed etiam in ele-
ctivis, de quibus proprie loquitur text. *in d. cap.* 1.

Quinimo ex communi Beneficialistarum sensu passim
per Rotam canonizato, etiam in beneficiis de jurepatro- 19
natus laicorum, etiam ex fundatione, vel dotatione,
non per viam extensionis, ut aliqui credunt de uno ca-
su ad alium, sed per viam comprehensionis, seu inclu- 20
sionis sub ratione expressa, ut probare videtur textus
in cap. 2. *eodem tit.* Calderin. *cons.* 1. *ut lite pendente*,
(quod reputatur in materia magistrale,) Lapus *alle-
gat.* 22. *n.* 3. ubi Adden. *verbo renunciante*, Cassad. *de-
cis.* 3. *n.* 5. *eodem tit. ut lite pendente*; Coccin. *dec.*
426. Cavaler. *decis.* 125. *&* 280. Buratt. *decis.* 927 *omnes*,
n. 1. Rota *decis.* 599. *n.* 13. *cum seq. part.* 4. *rec. tom.*
3. *decis.* 607. *num.* 3. *& seq. part.* 5. *decis.* 295. *n.* 6.
& 8. *part.* 6. & frequenter, (cum sit propositio, de
qua hodie non videtur amplius dubitandum,) ideoque
data lite, super ejus qualitate, seu existentia omnes
circumferri videntur quæstiones, an scilicet illa indu-
cta videatur eo modo, quo ad hunc effectum requiritur
necne; & quatenus inducta sit, an cessaverit, vel extin-
cta fuerit; Ideoque beneficia libera, ac illa de jurepa-
tronatus in hoc proposito exæquantur, frequentius ve-
ro hujusmodi quæstiones in foro habentur in beneficiis 21
de jurepatronatus potius quam in illis liberæ collatio-
nis, ob frequentiores controversias, quæ cadere solent
inter ipsos patronos super jure patronatus & præsentan-
di, vel eo in omnibus posita, super modo computandi
voces, ac regulandi majorem partem; E converso au-
tem raræ videntur controversiæ inter plures collatores
inferiores, frequentes enim controversiæ in beneficiis
liberæ collationis sunt inter provisos Apostolicos, ac
provisos per Ordinarios, vel inferiores, in quibus præ-
cipuus punctus pendet magis a reservatione, vel affe-
ctione, quamvis etiam beneficia liberæ collationis sub
illa materia quoque cadant.

Super hoc autem, quæ scilicet lis hujusmodi effectum
causet, nimium se diffundunt Rocch. de Curt. ac Lam-
bertinus *in eorum tractat. de jurepatr.* quos refert & 22
carpit Lancellot. *de attentatis*, *part.* 2. *cap.* 4. *in præfa-
tione a num.* 626. *ad* 710. quasi quod nimium evagati
fuerint, ac se involverint, & tamen non immerito
idem defectus sibi quoque objici posset, excusabiliter
tamen, cum revera materia sit involuta, non ob ali-
quam juris antynomiam, seu perplexitatem, sed ob
plurium casuum varietatem; Quare negligendo, (ut
in aliis dictum est) formalem ac absolutam totius ma-
teriæ tractationem, sed adnotando solum aliqua nota-
biliora, habita in reliquis relatione ad ipsos Rocch.
Lambertin. & Lancellott. ad quos in casus occurrentia
recurri potest, pro aliquali notitia tres casus consti-
tuendi videntur.

Primus igitur casus est, ubi agatur de lite super be-
neficio inter plures provisos ab eodem, vel diversis col-
latoribus sive inter plures præsentatos contendentes de 23
institutione, ac respective de adjudicatione ac pertinen
tia beneficii; Alter vero est, ubi agatur de lite inter
plures inferiores collatores contendentes de jure confe-
rendi beneficium, quod non dubitetur esse liberæ col-
lationis, vel e converso agatur de lite inter patronos
contendentes de jurepatronatus ac præsentandi ad be-
neficium, quod non dubitetur esse de jurepatronatus,
itaut nulla cadente quæstione super natura, seu quali-
tate beneficii, illa solum sit super jure conferendi, vel
præsentandi; Et tertius, ubi controversia cadat super
natura, seu qualitate beneficii, inter Ordinarium col-
latorem contendentem illud esse de libera collatione,
& patronos contendentes de servitute, seu qualitate pa-
tronali, seu alias contendentes beneficium esse ad no-
minationem, vel electionem.

Quatenus pertinet ad primum casum, in quo scilicet
contendatur inter duos, vel plures de pertinentia beneficii,
tunc nulla facta distinctione, ut dictum est, an beneficium
sit collativum, vel electivum; sive an liberum, vel de jure- 24
patronatus tam ecclesiastico, quam temporali ex funda-
tione

tione & dotatione, ac sive contendentes jus habeant ex eadem, vel diversa causa; Puta quia ambo provisi Apostolici, seu ambo præsentati; Aut unus provisus tamquam de libero, alter vero præsentatus; Sive unus provisus ab Ordinario, alter a Papa, indefinite procedit Regula deducta ex *d. cap.* 1. ut uno, tam naturaliter, quam civiliter moriente, puta per renunciationem, privationem, ingressum in Religionem, assequutionem beneficii incompatibilis cum similibus, non potest fieri alia præsentatio, vel provisio, præterquam per Sedem Apostolicam, cum expressa mentione litis ejusque derogatione; Lapus *d. alleg.* 22. & cæteri collecti per Lancellott. *ubi supra n.* 582. *& part.* 1. *cap.* 3. *nu.* 103. *cum seq.* Cavaler. *dec.* 126. *&* 559. *n.* 5. Buratt. *dec.* 39. *n.* 4. ubi ad effectum Regulæ *de subrogandis*, Coccin. *d. decis.* 426. *cum aliis supra allegatis*.

Et quamvis in casu quo lis esset inter præsentatum, & provisum ab Ordinario tamquam de libero, cadere posset difficultas, an id recipiendum sit, ex duplici dubitandi ratione; Primo scilicet, quod ita esset in po-
25 testate Ordinariorum impedire effectum jurispatronatus, seu præsentandi, providendo alium tamquam de libero, ita dando collitigantem, Ricc. *resol.* 159. *n.* 5. quem refert ac sequitur Barbos. *de Episcopo*, *alleg.* 72. *n.* 562. *vers. item Ricc.* Et secundo, quia provisus ab Ordinario tamquam de libero dicendus videtur potius oppositor præsentato, quam concurrens, seu collitigans, & in quo oppositore non intrat ista regula, ut infra in secunda limitatione; Attamen Regula indefinite capienda videtur, quoniam, aut provisio tamquam de libero habet aliquod probabile fundamentum, adeout lis dici possit super beneficii assequutione & substantia, aut sine aliquo fundamento ad dictam malitiam, seu fraudem referri possit; Primo casu Regula procedit de plano, cum agatur de lite probabiliter dubia super pertinentia beneficii, nullaque dignosci videatur differentiæ ratio, cur illa isto casu intrare non debeat; In altero autem, in quo vere ita provisus ab Ordinario, simplicis oppositoris titulum mereatur, duplex intrat limitatio, ob quam huic malitiæ occurritur; Primo scilicet jam dicta de simplici oppositore; Et secundo de lite injusta, ac mere calumniosa, de qua etiam infra in tertia limitatione.

Constituta igitur dicta Regula; Ampliatur primo, ut quicumque actus in contrarium gestus tamquam attentatus dicatur infectus etiam in possessione ejus vigore adepta habenda pro vacua, ob decretum irritans in eodem canone contentum, cujus virtus, & operatio est infi-
26 cere, nedum titulum, sed etiam possessionem, ut ultra generalia, quæ passim in ista beneficiali materia habentur super hujus decreti operatione, in reservationibus contentis in Regulis Cancellariæ habentibus hoc decretum; In his specialibus terminis Cavaler. *d. decis.* 126. *num* 3. ac supponitur apud alios allegatos.

Ampliatur secundo, quatenus agatur de beneficio inter præsentatos, etiamsi mors naturalis, vel civilis collitigantis contigisset intra quatrimestre, in quo ipsi col-
27 litigantes præsentati fuerunt, quoniam licet infra talem terminum patronis laicis concedatur variatio accumulativa, ex deductis in sua materia *sub tit. de jurepatronatus* præsertim in Compostellana parochialis, *disc.* 43. attamen id non procedit data lite, Garz. *part.* 5. *cap.* 9. *n.* 217. Lancellott. *ubi supra*, *n.* 668. *cum seq.* plene Barbos. *de Episcopo*, *d. alleg.* 72. *n.* 561. Lotter. *lib.* 2. *q.* 20. *n.* 2. Adden. ad Buratt. *dec.* 942. *n.* 7. Quod extenditur etiam ad accumulativam præsentationem, quæ fieret de uno ex collitigantibus si sunt plures, itaut non superfit unus tantum, Lancellot. *ubi supra*, *n.* 684. cum aliis in dicta Compostellana coram Celso inter suas *dec.* 364. *&* 369. super quo tamen videnda sunt quæ habentur in dicta causa *sub tit. de jurepatronatus*, *disc.* 43. & infra in limitationibus.

Ampliatur tertio, quatenus lis esset inter præsentatum
28 ac provisum tamquam de libero, etiamsi patronus, qui præsentavit, esset in quasi possessione præsentandi, quoniam ubi lis est talis, quod ut supra intret regula, talis quasi possessio non suffragatur, ut cæteris relatis habetur *dicta decis.* 599. *n.* 19. *part.* 4. *rec. tom.* 3. ac supponitur in aliis, de quibus supra, quoties non agatur de casu, in quo intret potius aliqua ex limitationibus.

E converso Regula limitatur; Primo, ut procedat, quoties lis est principaliter inter ipsos præsentatos, vel provisos contendentes de beneficio, secus autem, ubi principaliter esset inter contendentes de jure præsentandi, vel de
29 jure conferendi, quamvis accessorie pro eorum interesse, causæ assisterent ipsi præsentati, vel respectiva provisi, quoniam ad regulandam causæ naturam, attendendum est id quod principaliter est in lite, non autem id quod veniat in consequentiam, seu incidenter, Seraph. *dec.* 990. *nu.* 3. *&* 4. Lotter. *d lib.* 2. *qu.* 20. *nu.* 7. Lancellott. *de attentat. part.* 1. *cap.* 3. *nu.* 127. Buratt. *dec.* 59 *num.* 12. Rot. *dec.* 599 *num.* 17. *part.* 4. *recent. tom.* 3. Ex ea clara ratione, quod ad effectum, ut intret ista Regula, debet esse lis talis, quæ faciat beneficium litigiosum, quod sequi non dicitur, nisi ubi illa est principaliter inter duos contendentes super titulo, ac pertinentia beneficii, ut pluries habetur supra ad materiam Regulæ *de subrogandis*, ac etiam apud allegatos.

Hinc propterea, ut ex eisdem allegatis patet, ubi lis esset in possessorio tantum, vel super impedimento executionis litterarum Apostolicarum, seu brevis de capienda possessione nomine Cameræ, non per hoc beneficium, tam 30
ad istos, quam ad alios effectus etiam illum jurisdictionis & competentiæ Auditoris Cameræ, dici posset lis super beneficio ex supra deductis; Idque verum, etiamsi occasione possessorii contingat tractari quoque de titulo, seu bono jure, incidenter tamen, & ad dictum solum effectum possessorii, ut in his specialibus terminis pro absoluto haberi videtur apud Caval *dec.* 200. Et generaliter ad aliud propositum bene apud Gregor. *dec.* 335. Quamvis dubitari possit, an ista limitatio procedat necne in beneficiis de jurepatronatus juxta motivata *dec.* 607. *num.* 10. *part.* 5. *rec.* super quo in casu occurrentiæ cogitandum.

Limitatur secundo illative, ubi lis esset cum simplici oppositore, qui intrusus in possessione beneficii, seu alias titulum irrelevantem habens, illum non deducat, neque de ejus canonizatione contendat, sed fisus regu- 31
læ, ut in beneficialibus sufficiat vincere per non jus actoris; Sive etiam non possidendo, putet sibi expedire, quod institutio ad præsentationem, vel provisio in persona alterius effectum non sortiatur, ac propterea gerat solum partes oppositoris, dando de non jure, vel de non justificatione &c. cum tunc dici non possit collitigans, neque beneficium effici litigiosum, Lancellott. *dicta part.* 2. *cap* 4 *in præf. nu.* 685. *& seqq.* Garz. *part.* 11. *cap.* 3. *n* 75. Rot. *dec.* 167. *part* 4. *recent. tom* 2. *num* 13. Et faciunt ad rem deducta per Adden. ad Gregor. *dec.* 305. ac etiam ea quæ habentur supra de lite in solo possessorio, vel super sola executione litterarum.

Tertio limitatur, ubi lis esset notorie injusta, & calumniosa, seu quod alias constaret illam motam esse in fraudem, Cassad. *dec.* 7. *de dolo & contumacia*, *n.* 1. ad aliud propositum, Lancellott. *d. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 113. *cum seqq.* Gregor. & Add. *dec.* 25. & in his 32
terminis specialibus Cavaler. *dec.* 126. *num.* 4. Buratt. *dec* 927. *num.* 10. ubi Adden. *nu.* 15. & conferunt quæ habentur supra ad materiam Regulæ *de subrogandis* circa litem calumniosam, vel notorie injustam, ubi habetur, quando sit talis necne, ex deductis apud Gregor. & Adden. *dec.* 27. 125. *&* 126. Buratt. & Adden. *dec.* 374. & in his terminis idem Buratt. *d. dec.* 927. Cavaler. *d. dec.* 126. *decis.* 607 *num.* 17. *part.* 5. *recent.* & in aliis, quod scilicet quælibet causa probabilis, & colorata excludit calumniam.

Tribuitur etiam quarta limitatio, ubi Statutum, seu legitima consuetudo accederet, ex deductis per Lancellott. *dicta cap.* 4. *part.* 1. *num.* 693. *cum seqq.* sed ni- 33
mium rarum videtur, ac difficile, hujusmodi limitationem ad praxim deducere.

Quinto, in beneficiis de jurepatronatus, seu alias ad nominationem, vel electionem conferendis, limitatur quando lis esset inter duos tantum, quorum uno naturaliter, vel civiliter mortuo, fieret præsentatio, vel nominatio de superstite, cum tunc cesset ratio prohi- 34
bitionis, atque resultet & facilior modus extinguendi litem, qui est finis principalis desideratus per text. *in d. cap.* 1. *&* 2. *ut lite pend. in sexto*, ut cæteris relatis Lancellott. *d. cap.* 4. *n.* 688. Rot. apud Merlin. *dec.* 443. *n.* 3. repetit. apud Barbos. *de Episcopo*, *alleg.* 72. *n.* 162. Adden. ad Buratt. *dec.* 942. *num.* 8. atque admitti videtur in decisionibus, ac auctoritatibus agentibus de supra deducta ampliatione procedente, ubi sunt plures collitigantes, unde præsentare alium, esset illorum numerum augere.

Dubitatio autem cadit, an id quod dicitur de patronis circa jus præsentandi collitigantem superstitem, procedat in Ordinario, seu alio inferiori collatore, ut superstitem 35
collitigantem de beneficio providere possit, super quo scribentes variant, aliquibus volentibus idem dicendum esse ex rationis identitate, aliis vero negantibus, quasi quod

per

per Regulam de subrogandis id sit de reservatis Papæ, ex deductis per Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 51. *n.* 113. Garz. *de beneficiis, part.* 5. *cap.* 9. *n.* 220. *& seq.* ac forte in praxi hæc secunda opinio recepta videtur.

Sexto limitatur, ubi lis jam cessasset, ac extincta es-
36 set, & in hac propositione in genere nulla cadit quæstio, percutiens solum applicationem, quando scilicet talis cessatio, vel extinctio sequi dicatur necne.

In hoc autem, Aut accedit expressa renunciatio, seu cessio, & tunc intrare videtur regula text. *in leg. ille aut ille, ff. de legatis tertio*, quod in claris, & expres-
37 sis non intrant argumenta, dummodo agatur de cessione pura & libera, non autem ad favorem alterius, ex deductis per Buratt. & Adden. *decis.* 307. *dicta decis.* 599. *n.* 20. 23. *&* 27. *part.* 4. *recent. tom.* 3.

Sive quod cessio implicita resultet per assequutionem
38 pacificam ac perfectam alterius beneficii incompatibilis, ex deductis per Adden. ad Buratt. *dicta decis.* 307. *n.* 9. *&* 927. *num.* 34. *dict. decis.* 599. *num.* 23. ubi quod etiam tacita, vel implicita cessio sufficiat.

Major autem difficultas circa hujusmodi limitationem (quod etiam influit ad materiam Regulæ de triennali, de qua *disc. præc.*) versatur circa eam litis cessationem, quæ resultare prætendatur ex desertione per longum, vel longissimum tempus, seu quod ex aliis circumstantiis
39 constet habitam esse pro derelicta, juxta *decis.* 5. Cassad. *ut lit. pendent.* Put. *decis. finali lib.* 2. cum aliis per Lancellot. *d. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 128. Burat. & Adden. *d. dec.* 307. & in aliis, de quibus infra; Nimium vero difficile ac rarum videtur id ad praxim deducere; Primo quia, ubi etiam adminiculative constet de animo prosequendi litem etiam per actus extrajudiciales, seu alias invalidos, tunc lapsus longi, vel longissimi temporis non attenditur, ex deductis ad aliud propositum per Rotam, *dec.* 94. *n.* 35. *& seq. part.* 7. *rec.* Et secundo, quia ex iis quæ habemus firmata pluries per Rotam in proposito Regulæ de triennali, præsertim cæteris relatis apud Royas *decis.* 294. *& decis.* 255. *part.* 11. *rec.* in Vercellen. præpositurae 5. Julii 1649. coram Bichio, in Anglonen. Archipresbyteratus, ac in aliis, de quibus *disc. præced.* non sufficit solus lapsus temporis, nisi concurrant alia indicia, vel malum jus deserentis, ideoque nimium difficile, ac rarum est hanc limitationem ad praxim deducere.

Plures alias limitationes, seu casus colligit Lancellott. *decis. cap.* 3. *part.* 1. quando Ordinarius non ob-
40 stante lite conferre possit, quos tamen de facili forus non audit, ideoque ibi videndum, atque in casus occurrentia cogitandum.

Hinc resultat, ut congruum sit, quod ob litem de facili derogetur juripatronatus, sive privilegio optandi, vel similibus, juxta ea quæ super derogatione juris optandi habentur supra in Gatanien. *disc.* 33.

Ad alios autem effectus ex lite generaliter resultantes, illum præsertim Regulæ de triennali, agendo de introductione litis quæri solet, quando adesse dicatur, atque distinguendo inter actorem & reum, quan-
41 do requiratur legitima citatio, illiusque prosequutio necne, ex deductis apud Buratt. *dec.* 280. Lotter. *lib.* 2. *q.* 52. cum aliis, de quibus *disc. præced.* & generaliter *sub tit. de Judiciis*, ubi tam ad effectum præventionis, quam ad alterum attentatorum quæritur, quando lis introducta dicatur.

Ad istum vero effectum requiritur, nedum legitima executio citationis, sed etiam reproductio habens quamdam speciem contestationis litis, vel ubi non facta reproductione citatus comparuerit, itaut litis contestatio resultasse dicatur, sine qua vitium litigiosi non contrahitur, juxta *dec.* Gregorii 94. *dec.* 187. *n.* 21. *part.* 6. *rec.* Burat. *dec.* 927. cum aliis per Lancellot. *dict. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 128. *cum seq.* Lotter. *lib.* 2 *quæst.* 20. *num* 114. *cum seq.* Ideoque magna differentia est agere de inductione litis ad istum effectum, ac ad alium Regulæ *de triennali*, pro quo, nedum qualis qualis introductio, sed etiam extrajudiciales molestiæ sufficiunt; Sive etiam ad effectum præventionis, vel attentatorum &c. cum in actore sufficiat sola commissio, seu oblatio libelli, aut obtentio citationis, cum similibus, quæ ad rem applicari non possunt, cum agatur de imprimendo vitium litigiosi.

Quo vero ad secundum casum litis inter duos, vel plures contendentes de jurepatronatus, vel præsentandi, sive inter duos inferiores collatores contendentes de jure conferendi, non immutata natura beneficii, quod non controvertatur esse de jurepatronatus, vel respective liberæ collationis, unde sola lis esset super pertinentia juris conferendi, vel præsentandi respective; Ac etiam quoad ter- 42
tium casum litis super natura beneficii, an sit liberum, vel de jurepatronatus; Quamvis Lancellott. *d. cap.* 4. *in præfat. n.* 636. *cum seq. & n.* 679. ex rationibus, ac auctoritatibus ibi videndis, eamdem regulam statuere videatur in præcedenti casu constitutam; Contrarium tamen est verius, magisque receptum in utroque casu promiscue per DD. tractari solito, absque notabili differentia inter unum & alterum, quod super natura, seu qualitate beneficii, puta inter patronos contendentes de servitute, ac jure præsentandi, & Ordinarium contendentem de libertate; quoniam utroque casu, juxta sensum Rotæ, verius magisque receptum videtur, ut non exinde in beneficio contrahatur vitium litigiosi, neque intret dicta Regula text. *in cap.* 1. *ut lite pendente in* 6. quoniam cum præsertim post Concil. Tridentinum, in dies excitentur lites, quæ non omnino injustæ, & calumniosæ dici possunt, inter Ordinarios & patronos, præsertim potentes, rigorosæ formæ per Concilium inductæ subjectos, frequentius vero & quotidie inter contendentes de jurepatronatus, hinc proinde esset eludere omnes istas lites eorumque effectus, ideoque sive illa sit in petitorio, sive etiam in solo possessorio, verius est, eam non inducere istud vitium litigiosi, neque hunc effectum parere, juxta allegationem 136. Lapi cum concord. bene deductis per Lotter. *d. q.* 20. *lib.* 2. Rota *d. dec.* 599. *n.* 17. *part.* 4. *tom.* 3. *rec. & decis.* 417. *part.* 1. Burat. *d. dec.* 59. *n.* 12. & frequenter; Idque etiamsi præsentatis, vel provisis assisteret causa pro eorum jure, vel interesse, quoniam, ut advertitur supra in casu converso, in quo lis principaliter esset inter provisos & præsentatos super pertinentia, vel adjudicatione beneficii, cui assistorent patroni, vel collatores, attenditur id quod principaliter est in lite, non quod accessorie, vel in consequentiam.

De aliis autem ad materiam videri potest apud Lancellot. & Lotter. *ubi supra*, & in allegatis decisionibus, ita hæc solum adnotando, utpote in foro magis contingibilia, non autem ad omnimodam tractationem.

ANNOT. AD DISC. XCII.

De lite, & vitio litigiosi actum est *sub tit. de Judic. disc.* 40.

De alternativa, quando de illius acceptatione constet. Et quando suffragetur, vel potius acceptanti effectus præjudiciales causet, cum aliis ad materiam.

S U M M A R I U M.

1 *Quid disponat Regula octava circa alternativam.*
2 *Acceptatio probatur ex libro Datariæ.*
3 *Continet contractum permutationis cum Papa, ideoque cum solo consensu Episcopi non dissolvitur.*
4 *Suffragatur pro solis beneficiis liberæ collationis.*
5 *Dicuntur ad hunc effectum liberæ collationis, etiamsi conferri debeant certo generi personarum.*
6 *Sed non veniunt ea, in quibus cadit optio.*
7 *Non requiritur scientia Episcopi, quod fuerit acceptata in Dataria, & de ratione.*
8 *Quomodo perficiatur contractus, & conjungatur consensus inter absentes.*
9 *Mensis Apostolicus semper Apostolicus etiam si eo incæpto acceptetur alternativa.*
10 *Secus e contra quia mensis ordinarius etiam incæptus illico fit Apostolicus.*
11 *De ratione differentiæ, & quando intret claudicatio, seu inæqualitas.*
12 *Conceditur solum Episcopis, & Archiepiscopis, non autem Capitulis, & Prælatis inferioribus.*
13 *Si Episcopus, qui gaudet alternativa, non residet, quos menses amittat de suis ordinariis, & de materia.*
14 *Si Papa confert etiam in illis mensibus, qui remanent Episcopo, bene confert.*
15 *Etiamsi non resideat ex causa licita, adhuc amittit.*
16 *Imo etiam si ex causa publica, & pro servitio Sedis Apostolicæ.*
17 *Qualis residentia requiratur ad hunc effectum.*
18 *Si ob non residentiam mensis efficitur Apostolicus, non desinit esse talis, si Episcopus eo incæpto redeat ad residentiam.*

19 Cui

19 *Cui incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam residentiæ.*
20 *Episcopus duarum Cathedralium acceptanda alternativam an censeatur acceptare pro utraque.*
21 *Cessat alternativa per mortem Episcopi, vel Papæ.*
22 *Desinit per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam.*
23 *Amittitur etiam si Episcopus se ingerat in providendo in mensibus Papæ.*

D I S C. XCIII.

1 Ut Papa Episcopos ad residentiam allicetet, per eamdem Regulam octavam, seu nonam, per quam sibi reservat provisionem beneficiorum vacantium in octo mensibus, quatuor solum Ordinariorum provisioni reservatis, eis per eamdem Regulam concedit alternativam, ob quam Ordinarius sex menses assequitur, illaque nemini denegatur, unde propterea ad illius effectum sufficit sola acceptatio adnotata in libro Datariæ, quæ sola probatio aliis neglectis attenditur, dum
2 dicta descriptio fieri non solet nisi post exhibitionem litterarum Episcopi in forma consueta super dicta acceptatione, ut cæteris relatis apud Buratt. dec. 888 Royas *dec.* 373. *&* 423. *&* *dec.* 108. *part.* 11. *recent.* quæ sunt editæ in Marianen. & Accien. beneficii *de qua supra disc.* 19.

Licet enim iste dicatur quidam permutationis contractus initus ex simultaneo Papæ & Ordinarii consensu, unde propterea resultat, quod sola declaratio Ordinarii, nolle amplius uti alternativa jam acceptata, non
3 sufficiat sine scientia & consensu Papæ, cum distractus exigat eumdem simultaneum consensum, qui in contractu requiritur, Mandos. *cons.* 18. *num.* 8. Put. *dec.* 88. *lib.* 3. Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 58. *n.* 14. cum aliis, de quibus infra super puncto cessationis ob non residentiam, & in specie advertitur in Sulmonen. alternativæ 14. Maji 1610. coram Lancellot. *&* *in d. dec.* 108. *n.* 15. *&* *seqq. part.* 11. *recent.* Attamen eo ipso quod Ordinario præsentante alternativam in Dataria, fit ejus descriptio in libro, resultare dicitur Papæ consensus perficiens contractum, ita explicatum per Datarium, qui dicitur Papæ organum, sive ad hunc effectum legitimus procurator.

Suffragatur autem alternativa pro solis beneficiis liberæ collationis, non autem pro iis in quibus alterius
4 mixtura concurrat, puta quia essent ad aliorum præsentationem, electionem, vel nominationem, sive essent simultaneæ collationis inter Episcopum & Capitulum, aut alias omnimoda libertas cessaret, Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 44. Greg. & Adden. *dec.* 95. *&* 314. *dec.* 41. *part.* 10. *rec.* edita in casu, de quo supra in Nuscana Canonicatus *disc.* 17. & passim.

Non tollit autem libertatem conferendi ad hunc effectum alternativæ, qualitas, seu natura beneficiorum, quod debita essent certo generi personarum, puta civibus,
5 seu patrimonialibus &c. ut in specie cæteris relatis advertitur *dec.* 299. *n.* 18. *part.* 10. *rec.* *ubi concordantes.*

E converso autem, quamvis per Regulas Cancellariæ, præsertim hanc octavam, seu nonam, sublata sit consuetudo optandi, adhuc tamen illa attenditur ad
6 hunc effectum alternativæ, & ne beneficium dici valeat liberæ collationis, ut advertitur in Urgellen. Sacristiæ 3. Junii 1624. coram Manzanedo.

Neque ad effectum, quod illa intret, necessaria est scientia ipsius Ordinarii, quod per Papam acceptata fuerit, quoniam eo ipso quod ipse transmisit ad Cu-
7 riam litteras, seu fidem acceptationis, illaque præsentatur in Dataria, ac describitur in libro, statim currit ab ipso momento; Et rationabiliter quidem, quoniam ubi absens dat mandatum ad contrahendum cum altero in diverso loco existente, eo ipso quod alterius consensus sequitur, ita fieri dicitur consensuum conjunctio perficiens contractum, ut bene præsertim advertitur *dec.*
8 *395. part. 5. recent.* ubi de transmittente litteras cambii corresponsali absenti, qui eas acceptat, quoniam in ipso actu acceptationis resultare dicitur conjunctio consensuum, ac perfectio contractus in loco acceptationis, in quo dicta conjunctio sequatur, & de quo habetur actum *sub titul. de jurisdict. disc.* 71.

Iste autem effectus instantaneæ operationis potius damnosus est quam proficuus Ordinariis, quorum procuratores, vel agentes in hoc debent esse cauti, adeout quædam claudicatio ad favorem Papæ dignosci videatur; Si enim acceptatio fiat in mense Apostolico jam incœpto, quidquid alias apud seniores dubitatum fuerit, hodie receptum est, quod ille durat in eo statu jam im- 9
presso in sui initio, seu ingressu, & sic quod semel Apostolicus semper est Apostolicus; Aut vero sequitur in mense ordinario jam incœpto, & non procedit argumentum a contrario, sed iste statim efficitur Apostolicus, ex ea differentiæ ratione, quod actus ex parte Episcopi non est necessarius, sed mere voluntarius ac facultativus, & sic adest claudicatio inter ipsum & Papam, ideoque non incongruit, ut circa effectum 10
exinde resultantem adsit quoque claudicatio, dum Episcopo replicari potest, quod sibi imputet, cur acceptationem non fecerit tempore magis congruo, ut cæteris relatis firmatur *decis.* 49. 117. *&* 199. *part.* 10. *recent.*

Ex dicta enim inæqualitate inter partes, quod scilicet in una actus sit necessarius, in altera vero mere facultativus, & voluntarius, plura ex quadam æquitate recepta sunt, quæ alias de stricto jure, ejusque generalibus principiis attentis repugnare videntur; Ut præ- 11
sertim habemus in materia retractus legalis, vel conventionalis, seu juris offerendi, cum similibus, quod augmentum intrinsecum medii temporis cedit commodo possessoris, quamvis de jure retractus resolvat actum ab initio, atque possessor prætendere non possit nisi pretium tunc taxatum, seu conventum, idque ex ista æquitativa ratione, quod habens jus retrahendi, ad id cogi non potest, sed actus ex sui parte est mere voluntarius ac facultativus; E converso autem possessor cogi potest, sed non cogere, unde alias resultaret absurdum, quod ille in cujus facultate est exercere ac non exercere, semper esset in lucro, nunquam autem in damno, dum exerceret in casu augmenti, non autem in casu decrementi, ut in sua materia *sub tit. de servit. ad materiam retractus*, ac etiam *sub tit. de emptione & venditione, & alibi*; Sic a pari, quoniam ita de facili fraus fieri posset Sedi Apostolicæ; acceptando alternativam in mense Apostolico jam incœpto, in quo ex facti qualitate dignoscatur probabiliter aliquas pingues vacationes contingere posse, atque ut vulgo in foro dici solet, in materia societatum Officiorum, vel similium, *stare a cavallo al fosso.*

Conceditur hæc alternativa solum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, non autem Prælatis inferioribus, vel aliis ordinariis collatoribus etiamsi sint Capitula Ca- 12
thedralium, ut advertunt Garz. *part.* 5. *cap.* 1. *num.* 683. *&* *seqq.* Ricc. *in praxi part.* 3. *resol.* 4. *&* 5. Coccin. *decis.* 51. *&* *passim*, non solum quia littera Regulæ de dictis tantum loquitur, sed etiam ex ratione, quæ fuit ejus causa, invitandi scilicet Episcopos ad residentiam, quæ ratio non adeo in Prælatis inferioribus desideratur, neque Capitulis congruit.

Ex hac autem ratione resultat, quod ea cessante, quia scilicet non resideant, non solum alternativæ jam acceptatæ beneficio non gaudent, sed, vel in pœnam juxta unam opinionem, vel ex quadam implicita conventione super hac futura alea, juxta alteram, amittunt omnes menses proprios; Sive, & verius, amittunt solum duos ex eorum quatuor, nempe Martium & Septembrem, 13
unde volitat per ora Beneficialistarum illud dicterium, quod Junius & December sunt menses ordinarii fixi numquam alterabiles; Apud antiquos enim Beneficialistas non levis quæstio fuit, an Episcopus qui citra fraudem ac militiam non resideat amittendo alternativam, redeat ad suum primævum statum recuperando suos menses, vel potius omnes amittat ob ambigua verba Regulæ capacia utriusque intellectus, atque in hoc tres habeantur opiniones; Una quod in pœnam totum amittat, stante quod in Regula simpliciter dicitur illis mensibus gaudere debere quandiu resederit; Altera quod istud sit beneficium, quod solum non residendo aufertur; non inde tamen aliqua irrogatur pœna, sed tamquam ex cessante causa privilegii, res deducitur ad suum primævum statum, & consequenter suos habeat quatuor menses ordinarios, atque ista opinio de facto magis usu recepta videbatur, ut advertitur *in decis.* 608. *part.* 2. *rec.* Et tertia, quod cum alternativa contineat contractum permutationis inter Papam, & Episcopum, per quem Papa dat Episcopo duos ex ejus mensibus, ita e converso Episcopus in casu quo non resideat, dat duos ex suis, ita faciendo lucrum duorum mensium ratione periculi, cui se exponit amittendi totidem, quatenus non resideat; Hanc tamen ultimam opinionem, formiter disputato articulo, firmavit Rot. in d. Sulmonen. alternativæ 14. Maji 1610. coram Lancellotto; quæ decisio reputatur in materia magistralis, passimque recepta est, atque hoc jure hodie vivitur, quod scilicet in casu residentiæ

dentiæ sibi remanent solum Junius & December tamquam ordinarii fixi, ut admittitur etiam *d. decis.* 608. *part.* 2. *recent.* ubi late quoque discurrendo de hoc puncto, sustinetur provisio facta per Episcopum citra fraudem non residentem de mense Septembris, ex eo fundamento, quod tempore provisionis adhuc edita non esset dicta decisio, quæ articulum determinat, atque communis consuetudo, vel usus potius Episcopis assisteret; Hodie vero, ut dictum est, hic punctus remanere videtur extra controversiam, ut remaneant Episcopo dicti duo fixi menses Junii & Decembris.

Verum, si contingente vacatione in his mensibus Ju-
14 nii & Decembris de tempore, quo Episcopus, qui alternativa gaudet, non residet, esset quis diligens in impetrando beneficium a Sede Apostolica, si id concedatur, dicebam in quadam casus occurrentia, quod dubitandum non esset de hujusmodi provisionis validitate, quamvis illa facta esset in forma ordinaria, non autem in ea, quæ adhiberi solet, quando Papa uti vult ejus suprema, sed insolita potestate concurrendi cum ordinario collatore, eumque præveniendi, juxta distinstionem, de qua supra in Cæsaraugustana Canonicatus, *disc.* 23. Cum enim expresse cautum non sit in jure, an isti duo menses per Episcopum non residentem amittantur necne, idque nullam habeat quæstionem facti, quod Papæ ignotum esse possit, sed sit solum juris; Hinc de consequenti sequitur, quod eo ipso quod narratur vacatio in hujusmodi mensibus, atque Papa concedit, unum de duobus resultat, Vel quod ita clare probetur ejus voluntas præveniendi, Vel quod ita declaret, Episcopum istos quoque menses non residendo amisisse: Ideoque in dicta facti contingentia consultus, dicebam punctum, seu difficultatem esse in voluntate, ut scilicet Papa concedere velit provisionem, qua sequuta non dubitarem de validitate, sed negata fuit, quia stylus est in contrarium.

Adeoque stricte ac rigorose desideratur residentia; quod etiamsi Episcopus non resideat ex causa licita & honesta, puta in tribus mensibus a Concilio Tridenti-
15 no concessis, sive cum licentia Papæ & Sacræ Congregationis, neque gaudet, Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 43. *n.* 41. Rot. *decis.* 98. *n.* 9. *part.* 7. *rec.* *&* *in aliis*, *de quibus proxime.*

Quinimo, (quod magis) ut etiamsi absit pro servitio Sedis Apostolicæ, puta in aliqua Nuntiatura, seu Lega-
16 tione, aut occasione alterius publici muneris, adhuc idem resultat effectus, ut apud Greg. *decis.* 70. 160. *&* 239 ubi habetur quod residentia requiritur, nedum corpore, & prout facti est, quod solum attenditur, non curata causa ob quam non sequatur ut supra, sed etiam requiritur in animo, quod scilicet de tempore quo vacatio contingit, Episcopus resideat animo residendi, atque ut suum munus impleat, secus autem si solitus non residere, (quamvis ex justa causa publici muneris ut supra) casualiter in propria diœcesi reperiatur cito recessurus.

Fortius vero, ubi residentia esset affectata, quia nempe Episcopus de eo tempore residere non solitus, sed in alia Civitate moram trahens, videns vacationis imminentiam ad diœcesim accedat, ut cæteris relatis firmatur in Calven. parochialis 23. Junii 1642. coram Peutingerio, in cujus casu de tempore ingressus in diœcesim jam vacatio sequuta erat, unde res erat magis plana; Verum si non esset sequuta, ex facti tamen qualitate, ac probabilibus argumentis constaret id affectate sequutum esse, idem dicendum esset, ad quod bene confert de-
17 cis. 213. Manticæ; Reducendo enim rem ad praxim (ex. gr.) Ille Episcopus Calven. cum esset Neapolitanus, germanus frater Cardinalis Filamarini tunc Archiepiscopi Neapolitani, in patria pro majori parte anni morari solebat, potissimum vero in tempore æstivo, ac autumnali ob aliquam formidatam aeris insalubritatem, ac loci infelicitatem, sed ob vicinitatem, quando aliquid contingeret, facile erat cum brevi temporis intervallo in diœcesi reperiri. At clarum erat id sequi affectate ob vacationis imminentiam; Unde propterea illi Episcopi, qui vel ob infelicitatem loci, vel ob aliam circumstantiam non solent continuo residere, abstinere solent ab acceptatione alternativæ, sine qua retinent suos quatuor menses, quamvis eis extra residentiam existentibus vacationes contingant.

Atque si acceptata alternativa, contingat quod non resideat initio mensis alias Apostolici, qui proinde ad
18 suam natutam pro eo tempore revertatur, illam retinet, donec durat, quamvis Episcopus, non affectate, sed sincere ad residentiam redeat animo residendi, ex eadem propositione, de qua supra, quod mensis semel Apostolicus semper est talis, Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 40. *num.* 87. Rot. apud Martin. Andr. *dec.* 110. *num.* 1. 17. *&* 18. ubi late materia discutitur, & in d. Caven. parochialis coram Peutingerio.

Dubitari etiam consuevit, an dicta residentia præsumatur necne, & cui respective incumbat onus probandi, an scilicet proviso Apostolico probandi negativam, vel proviso ab Ordinario probandi affirmativam residentiæ; Atque in hoc habentur opiniones hinc inde ex deductis per Adden. ad Gregor. *decis.* 94. Probabilius au- 19
tem videtur onus esse provisi ab Ordinario in mense qui alias esset Apostolicus, atque per alternativam effectus est ordinarius, probare affirmativam, ex ea probabili ratione, quod provisus Apostolicus ratione vacationis in mense de sui regulari natura Apostolico habet intentionem fundatam in regula, quam allegare sufficit, provisus autem ab Ordinario innititur limitationi, quæ in dubio non præsumitur, sed est probanda, & quoties limitatio resultat ex aliqua qualitate, seu conditione, ista quoque probanda est, ut cæteris relatis Fontanell. *de pactis*, *claus.* 5. *gloss.* 1. *par.* 2. *n.* 19. *&* *seqq.* Rot. *decis.* 357. *n.* 24. *part.* 10. *rec.* Non enim sola acceptatio alternativæ facit, ut mensis Apostolicus efficiatur ordinarius, sed requiritur qualitas, seu conditio residentiæ; Igitur ista quoque probanda est per eum, qui se fundat in limitatione ita qualificata.

Ubi vero contingat aliquem esse Episcopum duarum Cathedralium æque principaliter unitarum, fuit alias, me scribente, disputatum, an se intitulando sub nomine unius tantum diœcesis, alternativa deserviat pro utraque, vel potius pro ea tantum, & de hoc habetur particulariter actum supra in Marianen. & Accien. 20
disc. 19.

Cessat item alternativa non solum per mortem ipsius Episcopi, vel respective Papæ, itaut non transeat ad successorem; Sed etiam per translationem ad aliam Ecclesiam, pro qua sibi non suffragatur, quoniam copulative intelligitur in ea persona & pro ea Ecclesia, pro qua acceptata est, Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 58. 21
n. 18. Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 484. Prout etiam amittitur cum amissione suorum mensium, quoties se inge- 22
rat in provisione beneficiorum vacantium in aliis sex mensibus, qui remanent Apostolici, ut in eadem Re- 23
gula disponitur, ac advertunt Gonzal. *ad eamdem gloss.* 56. *&* *omnes*.

ANNOT. AD DISC. XCIII.

De Alternativa notatum est supra *ad discurs.* 15. *&* *seqq.*

De Constitutione Gregorii XIII. de publicandis resignationibus.

SUMMARIUM.

1 *De Constitutione Gregorii XIII. de publicandis, & qui de illa agant.*
2 *Procedit etiam in beneficiis regularibus.*
3 *Publicanda etiam est impetratio, quæ fiat ad formam Constitutionis ob non publicationem.*
4 *Vicarius regulatur ex persona resignatarii, non resignantis.*
5 *Est vacatio habens reservationem, seu affectionem Apostolicam.*
6 *Venit tamen sub indulto conferendi reservata.*
7 *Constitutio continet decretum irritans, ideo inficit etiam possessionem.*
8 *Quod impetranti data sit manutentio, de quo dubitatur.*
9 *Justum impedimentum excusat a publicatione, & num. 15.*
10 *Pendente discussione, an decretum irritans intret, datur manutentio possessori.*
11 *Cuinam incumbat probare negativam, vel affirmativam publicationis, distinguitur.*
12 *De modo probandi negativam, vel affirmativam.*
13 *Quando producens scripturam censeatur ad eam restringere ejus titulum.*
14 *Non potest fieri publicatio sine litteris, sed an earum tenor sit inserendus.*
15 *Impedimentum quando non excuset.*
16 *De materia gratiæ restitutoriæ, vel prorogatoriæ termini remissive.*

DISC.

D I S C. XCIV.

1 DIsponente Constitutione 85. Gregorii XIII. regi-
strata etiam apud Paris. *de resign. lib.*15. *in princ.* ut
quæcumque beneficiorum resignationes publicari debeant
juxta formam ibi præscriptam, infra sex menses intra
montes, & intra novem ultra, computandos a die datæ
gratiæ, sub pœna vacationis beneficii; Hinc proinde fre-
quentes resultare solent impetrationes ob non publica-
tionem, pluresque cadunt in materia quæstiones, de
quibus Paris. *d. lib.* 11. *per tot.* & Garz. *part.* 11. *cap.*
9. §. 4. *ex n.*273. *cum seq.* ac in decisionibus infra al-
legandis, & habetur etiam supra in Toletana Archi-
presbyteratus *disc.* 36. & alibi; Dictaque Constitutio
procedit non solum in beneficiis sæcularibus, sed et-
iam in Regularibus, Mantic. *dec.* 68. *num.* 7.

Quinimmo non solum publicanda est ipsa gratia re-
2 signationis, sed etiam eodem modo, vel sub eadem pœ-
na, altera gratia impetrationis beneficii ad formam hu-
3 jus Constitutionis ob non factam publicationem; ut dis-
ponitur in eadem Constitutione, *vers. illorum vero*, ac
advertunt Paris. *d. lib.* 11. *q.* 7. *n.* 53. & Garz. *d. cap.*
30. *part.* 11. *n.* 30. Seraphin. *dec.* 1064. *in fine*; Quod
tamen in praxi raro servari videtur, adeout cum de-
super oretenus consultus essem ex parte primi provisi
ex causa resignationis, an ad repellendum piscatorium
imperratorem sui beneficii ex ista causa opportunum
esset facere novam impetrationem contra dictum impe-
trantem ex eodem defectu; id primo aspectu visum fuit
novum, non solum mihi circa initia professionis, sed
etiam pluribus antiquis Curialibus in beneficiali mate-
ria versatis, præsertim insignis beneficialistæ Andosil-
læ, sed visa Constitutione, ac perquisitis dictis aucto-
ritatibus motivum judicatum fuit relevans, ac facta
fuit impetratio, quæ de facto impedivit effectum di-
ctæ alterius impetrationis, & sic fuit, ut vulgo dici
solet, curare malum veneni cum eodem veneno.

Stante autem propositione beneficiali, de qua pluries
in præcedentibus ad materiam resignationis, quod re-
signatio ad favorem non abdicat jus, neque possessio-
nem a resignante, nisi illa effectum sortiatur in resi-
gnatario, eo quia dicitur conditionalis, & concepta sub
conditione adimente alias consensum ab actu, hinc pro-
4 inde apud antiquiores dubitari etiam consuevit, An
annullata gratia ad favorem resignatarii ex isto defe-
ctu publicationis, beneficium resideat in resignante, ex
cujus persona regulari debeat vacatio, sed hoc pari-
ter hodie remanet extra quæstionem; quoniam ista non
est nullitas impeditiva perfectionis ac executionis gra-
tiæ, itaut inficiat actum in radice, in quibus termi-
nis procedit dicta propositio limitanda, quoties nulli-
tas esset culposa etiam ex parte resignantis, ex iis quæ
habentur in Hispalen. beneficii, & in aliis ibi proxi-
mis ad hanc resignationis materiam, sed gratia jam
perfecta, & executa id præcipitur per viam modi, seu
implementi a parte postea sub pœna adjecta resignata-
rio. absque aliqua mixtura resignantis, cujus jus ob
perfectionem gratiæ jam evanuit, & sic non impedit jus
quærendum, sed resolvit jus quæsitum, ac tamquam per
privationem ex delicto, Lotter. *lib.* 3. *q.* 21. *num.* 28.
Rota *dec.* 539. *n.* 15. *part.* 4. *rec. tom.* 3. apud Cellum *dec.*
172. & 191. *dec.* 14. 85. & 140. *part.* 10. *rec. dec.* 256. *par.*
12. & *frequenter*, ac etiam habetur supra in d. Toletana
Archipresbyteratus, & confert distinctio inter disposi-
tionem conditionalem & modalem, de qua *sub tit. de fidei-
commissis*, *disc.* 154. & in quibus decisionibus firmatur,
5 hanc speciem vacationis inducere reservationem, seu af-
fectionem ob appositionem manuum Papæ, & conse-
quenter quod ordinarii collatores non possint in ea se
ingerere, ut est hodie pariter extra controversiam.

Nisi Ordinarius habeat indultum conferendi etiam re-
servata, cum ista species vacationis veniat etiam sub in-
6 dulto, ut firmatur *in dec.* 539. *part.* 4. *rec. tom.* 3. *in
fine*, ac admittitur *in dec.* 256. & 357. *part.* 12. editis
in dicta Toletana Archipresbyteratus, in quibus declara-
tur id procedere, dummodo indultarius ex ista specie va-
cationis conferat, secus autem si ex alia, non obstante
clausula, *sive præmisso &c.* ut latius advertitur in eadem
Toletana, *disc.* 36.

7 Cumque dicta Constitutio contineat decretum irritans,
hinc proinde intrat eadem recepta beneficialis propositio,
quam habemus in reservationibus resultantibus a Regula
octava mensium, aliis Regulis Cancellariæ, ut nedum
per dictum decretum infectus remaneat quicumque con-
trarius titulus, sed etiam infecta sit possessio, quæ ha-
beri debeat pro vacua, ut advertitur *d. decis.* 14. *part.*
10. *rec.* & *in d. dec.* 172. & 191. coram Celso, ubi
concessa fuit manutentio impetranti, seu noviter pro-
viso ex ista specie vacationis, quod mihi durum visum 8
fuit, quoniam dari potest casus justi impedimenti,
quod excuset ab hujusmodi pœnæ incursu, ut adverti-
tur in Legionen beneficii 14. Martii, & 4. Junii 1640. 9
coram Ghislerio *dec.* 252. & 300. *part.* 8. *rec.* Sive
quod possessor in progressu causæ habere valeat melio-
res justificationes publicationis, quas tunc promptas
non habeat, & consequenter videtur, quod exequutor
tamquam in provisione certo modo dicatur potius mix-
tus quam merus, assumere debens partes judicis in ju-
dicio ordinario, ex iis quæ ad materiam legitimi con-
tradictoris habentur supra in Montis Alti *disc.* 73. &
in aliis.

Ac etiam quia, ut in his specialibus terminis adver.
titur *in d. disc.* 252. & 300. *part.*8. *rec.* coram Ghis-
lerio, atque ad aliud propositum habetur pluries in
præcedentibus, quamvis decretum irritans dictam ope-
rationem faciat, id intelligitur, quando certum est il-
lud intrare, secus autem, ubi id probabiliter sit du- 10
bium, quoniam tunc hujusmodi discussione pendente
possessor est manutenendus, dum non est impugnare
virtutem, seu operationem dicti decreti, sed allegare
non comprehensionem casus sub eo, quod non impor-
tat impugnationem, quoniam negare, vel impugnare
non dicitur, seu contravenire qui non comprehensio-
nem allegat, seu prætendit.

Major autem quæstio in hac materia esset solet potius
facti quam juris, super probatione scilicet hujusmodi
negativæ, vel affirmativæ respective, cuinam incum- 11
bat, an scilicet proviso ex causa resignationis probare
publicationem, vel impetranti ad formam hujus Con-
stitutionis probare non publicationem; Recepta vero
distinctio est, quod, Aut agitur de executione novæ
impetrationis, & tunc negativa concludenter proban-
da est per impetrantem, per quem allegatur tamquam
fundamentum suæ intentionis, Gregor. *dec.* 13. *n.* 9.
dec. 210. *n.* 1. ubi Adden. & *decis.* 288. *pariter num.*
1. cum aliis, de quibus proxime infra.

Aut vero quis se fundat in resignatione, ex qua suum
jus deducat, & tunc ipse probare tenetur affirmativam,
ex ea ratione, quod deducens resignationem tamquam
fundamentum sui juris, illam probare tenetur, nedum
veram, sed etiam validam, Cavaler. *dec.* 214. Burrat.
dec. 830. *d. dec.* 539. *part.* 4. *recent. tom.* 3. & *d. de-
cis.* 85. & 140. *part.* 10. *ac in aliis*, quoniam est di-
stinctio vera ac recepta.

Item super modo probandi hujusmodi negativam,
pariter cadere solet difficultas, non enim ex eo quod
per instrumentum, vel aliam speciem probationis do-
ceatur per impetrantem, quod publicatio facta sit ex-
tra tempus, vel modum in constitutione præfinitum,
exinde resultat concludens probatio, ob contrariam pos- 12
sibilitatem alterius publicationis factæ in termino, ut
advertitur apud Gregor. *dict. decis.* 210. *num.* 3. Buratt.
decis. 948. *num.* 5. & 6. Cadente in idem recepto axio-
mate, quod non datur perfecta probatio, quoties adest
contraria possibilitas; Nisi ipsemet resignatarius hujus-
modi instrumentum non bene factæ publicationis pro-
duxerit pro justificatione sui tituli, cum tunc ita se
restrinxisse videatur ad illum tamquam meliorem, ut
in specie advertitur in Tridentina parochialis 5. De-
cembris 1646. coram Cerro; Quod tamen recipiendum 13
venit, quoties productio est talis, quod hujusmodi ef-
fectum causet, secus autem ubi incidenter, ac alium
finem facta sit, seu aliæ accedant circumstantiæ istum
effectum excludentes, ex iis quæ super ista conclusio-
ne, ejusque declaratione generaliter habentur in Sa-
binen. exemptionis *sub tit. de Regalibus*, *disc.* 47. ac plu-
ries *sub tit. de judiciis*.

Recte autem negativa concludenter probata esset, si jux-
ta casum, de quo supra in d. Toletana Archipresbyteratus 14
disc. 16. doceretur de non expeditione literarum infra ter-
minum, quoniam tunc impossibile est publicationem fieri
potuisse, dum illa facienda est cum literis, adeout in ali-
quorum sensu earum tenor in instrumento publicationis
registrari debeat, quod tamen non est receptum, quoniam
sufficit, quod in instrumento dicatur, illam factam esse
juxta formam Constitutionis Gregorii, Buratt. *dec.* 594.
n. 7. *d. decis.* 140. *n.* 11. *part.* 10. *rec.*

Quamvis autem, ut supra dictum est, legitima impedi- 15
menta excusent, ex regula, ut non legitime impedito non
cur-

currat tempus; Attamen id intelligitur, quatenus impedimentum superveniat de tali tempore, quod nisi supervenisset, publicatio fieri potuisset, secus autem si in fine, ut advertitur in dicta Tridentina parochialis 5. Decembris 1646. coram Cerro, & apud Celsum *d. dec.* 172. *&* 191. ac advertitur supra in dicta Toletana Archipresbyteratus *disc.* 36. ubi de hoc dubitatum fuit occasione prorogationis dicti termini ad publicandum.

De ejusdem vero prorogationis materia, & quando illa suffragetur necne, habetur actum in dicta Toletana Archipresbyteratus *disc.* 36. ubi præsertim, an suffragetur post mortem resignantis; Et an in hujusmodi gratia prorogatoria, vel in restitutoria facienda sit men-
16 tio litis; Et de differentia inter gratiam restitutoriam post lapsum terminum, vel prorogatoriam ejusdem termini ipso durante, habetur in eadem Toletana, ac bene actum per Rotam *d. dec.* 14. *part.* 10. *recent.* Et de aliis ad materiam consuli possent Paris. & Garz. supra initio allegati, ita solum adnotando hæc utpote notabiliora, & foro magis adaptata.

ANNOT. AD DISC. XCIV.

De materia resignationis actum est supra *ad disc.* 34. *cum seqq.*

De ætate in beneficiis, ac Dignitatibus requisita.

SUMMARIUM.

1 *In cappellaniis non fundatis cum auctoritate superioris non cadit necessitas ætatis, nam etiam infantibus conferri possunt.*
2 *Quando in eis etiam requiratur ætas:*
3 *Quid in pensionibus.*
4 *De Episcopatu, vel Cardinalatu.*
5 *In beneficiis non qualificatis de jure communi sufficit ætas septem annorum.*
6 *Attento Concilio Tridentino requiritur ætas annorum quatuordecim, qui sufficiunt incœpti.*
7 *De dispensatione cum clausula,* dummodo *sit habilis ad recitationem officii.*
8 *Procedit dicta Conciliaris dispositio etiam in beneficiis de jurepatronatus, nisi obstet voluntas fundatoris, quæ attendi debet.*
9 *Quid ubi voluntas non est expressa, sed dicitur debere præsentari clericum primæ tonsuræ.*
10 *Declaratur, dummodo voluntas sit in limine fundationis.*
11 *Distinguuntur species beneficiorum qualificatorum.*
12 *In beneficiis curatis requiritur ætas viginti quinque annorum.*
13 *Declaratur ubi cura est annexa principaliter, secus si accessorie.*
14 *Quando dicatur esse annexa, uno, vel altero modo.*
15 *Quid in Canonicatibus Cathedralis, distinguitur.*
16 *Et quid in dignitatibus in Cathedrali.*
17 *De dignitate principali in Collegiata.*
18 *De aliis dignitatibus & canonicatibus in Collegiata.*
19 *Quid de Abbatiis distinguitur.*
20 *Quæ sint veræ Abbatiæ.*
21 *De Canonicatibus in Cathedrali, vel Collegiata de jurepatronatus.*
22 *In commendis procedit idem quod in beneficiis.*

DISC. XCV.

1 Procedit hæc inspectio cum præsupposito, quod agatur de veris beneficiis cadentibus sub regulis beneficialibus, ideoque non cadit in illis cappellaniis aliisque dispositionibus, etiam sub beneficiorum nomine fundatis, vel nuncupatis, quæ ordinarii, vel alterius Superioris potestatem non habeant, cum potius jure legatorum piorum censenda sint; Et consequenter etiam laici, mulieres, ac infantes sunt capaces, ex deductis per Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. ubi in specie *n.* 27. refert circa ætatem ita per Sacr. Congregationem declaratum fuisse, Rota *dec.* 482. *in fine part.* 1. *divers.* Ventriglia *in annot. rerum Ecclesiasticarum, annot.* 6. *de ætate benef. n.* 9. Et generaliter quod etiam mulieres, ac laici quamvis infantes sint capaces, Buratt. *dec.* 1. *&* 224. Quodque non cadant sub regulis beneficialibus, apud Dunozett. *dec.* 101. *repet. dec.* 238. *part.* 5. *rec.* & post Marin. *resol.* 36. *lib.* 1. & in aliis, ac generaliter infra, *disc.* 97. ubi de manualibus.

2 Eatenus autem ætas in istis quandoque requiritur, quatenus ad hujusmodi legatum obtinendum adjiciatur talis qualitas, quæ sine certa ætate obtineri non possit, quoniam tunc necessaria videtur ætas, non tamquam principale requisitum ipsius cappellaniæ, vel improprii beneficii, sed tamquam antecedens ad aliam qualitatem, sine qua neque ætas sufficeret, puta quia testator ad hujusmodi cappellaniam, seu legatum vocaret clericos de agnatione, vel descendentia juxta casum *dec.* 270. coram Otthob. *& dec.* 159. *&* 183. & coram Celso, quoniam tunc requiritur etiam ætas, sine qua clericatus non obtinetur, sed id est per accidens, seu tamquam dictæ alterius qualitatis requisitum, & ita pariter si ex disponentis judicio qualitas sacerdotalis requisita esset.

Minusque percutit pensiones, quoniam licet pensio, 3
ubi est Ecclesiastica, reservata ad favorem clerici, & cum necessario requisito clericatus, ad plerosque effectus jure beneficii censeatur, ut in sua materia *sub tit. de pensionibus*; attamen ut ibi pluries advertitur, substantialiter ac de per se est quid mere temporale, cujus etiam laici, immo infantes capaces esse possunt, ex deductis apud Buratt. *dec.* 53. *n.* 5. ubi Adden. *litt.* C. sed quia de consuetudine Romanæ Curiæ conferri non solent nisi clericis, atque clericatus non obtinetur ante ætatem septem annorum, idcirco solent nostri dicere dictam ætatem sufficere, ex deductis per Gigan. *de pension. q.* 13. Gratian. *discept.* 397. *n.* 17. *cum seq.* Lotter. *lib.* 1. *q.* 4. *n.* 146. *& seq.* & alii relati per Ventrigl. ubi supra, *n.* 3. sed hoc non provenit, eo quia ætas ad pensionem necessaria sit ratione clericatus, qui dictam ætatem supponit, ideoque recipienda non videtur contraria opinio Campanilis & aliorum relata per Ventrigl. *d. n.* 3. & per Barbos. qui Campanili adhærere videtur *de Episcopo, alleg.* 60. *n.* 69.

Prout sub beneficiorum, vel dignitatum nomine non ve- 4
niunt in hoc proposito majores dignitates, vel officia, ut respective sunt Cardinalatus & Episcopatus, in quibus hodie præter omnem quæstionem statuta est ætas 30. annorum, exceptis Diaconiis Cardinalitiis, in quibus ex Constitutione Sixti V. sufficit ætas apta ad suscipiendos sacros ordines, ex collectis per Ventrigl. ubi supra *n.* 26. *&* 28.

Quatenus igitur pertinet ad beneficia simplicia non
habentia certam qualitatem particularem, cujus ratione certa ætas, vel principaliter, vel consequutive necessaria sit, attenta dispositione juris communis, cer-
tum est, quod ætas septem annorum, in qua obtineri 5
potest clericatus pro beneficio necessarius, sufficit, ad texr. *in cap si eo tempore, de rescriptis in sexto, ubi gloss. & alii*, Abb. *in cap. præterea n.* 6. *&* 7. *de ætate & qualitate*, Barbos. *d. alleg* 60. *num.* 72. Ventrigl. ubi supra, *n.* 4. Buratt. *dec.* 605. *n.* 4. Duran. *dec.* 228. Rota *dec.* 403. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *cum aliis de quibus infra.*

Ex dispositione autem Sacr. Concil. Trident. *sess.* 23. *de*
reform. cap. 6. id correctum est, atque omnis ætas ante 6
annum 14. illegitima est ad beneficia assequenda, adeout Episcopus non possit desuper dispensare, ut apud allegatos, concorditer tamen firmantes annum 14. sufficere incœptum, ideoque praxis docet, excepta limitatione, de qua infra, beneficia non obtineri ante dictam ætatem sine Apostolica dispensatione, super qua cadere solent quæ-
stiones, quoties contineat clausulam, *dummodo officium* 7
divinum recitare valeat, an scilicet requiratur formalis justificatio hujusmodi habilitatis, vel sufficiat sola informatio extrajudicialis exequutoris, cui litteræ directæ sunt, ex deductis in Aquilana jurispatronatus 12. Junii 1651. coram Meltio *impress. dec.* 62. *num.* 11. *par.* 11. *recent.* ubi quod sufficit informatio.

Dictaque Conciliaris dispositio indefinite procedit
in omnibus beneficiis etiam jurispatronatus laicorum ex relatis per supra allegatos, & est pariter extra controversiam, quoties ex lege fundationis dispositum non sit beneficium conferri posse etiam constitutis in mino-
ri ætate, cum tunc etiam post dictum Conciliare de- 8
cretum attendi debeat intentio fundatoris, ex relatis præsertim per Barbos. *d. alleg.* 60. *nu.* 77. Rota apud Duran. *dec.* 228. *num.* 7. *dec.* 482. *part.* 1. *divers. in fine, dec.* 194. *part.* 2. *rec. d. dec.* 403. *part.* 4. *tom.* 2. Adden. ad Buratt. *dec.* 755. in fine.

Unde cum ista sit questio potius facti & voluntatis quam
juris, difficultates desuper cadere solent circa hujusmodi voluntatem, quoties illa non est expressa, sed prætenditur implicita, seu conjecturalis, quam non dubitatur suffice-
re, puta quia fundator dicat simpliciter presentari clericum 9
primæ tonsuræ, quoniam cum ad hujusmodi clericatum obtinendum, etiam hodie attento Concilio Tridentino sufficiat dicta ætas 7. annorum, exinde inferri videtur, fundatorem dicta ætate contentum fuisse, ex deductis *d. dec.* 403. *par.* 4. *recent. tom.* 2. Distinctio autem in hoc recepta

videtur, an agatur de fundationie ante Concilium, vel postea, ut primo casu id recte procedat, secus autem in secundo, ut colligi videtur *ex eadem decis.* 403. & clarius firmatur apud Duran. *d. dec.* 228. *num.* 8. *&* 9. cum aliis per Adden. ad Buratt. *decis.* 755. per Barbos.
10 *d. alleg.* 60. *n.* 77. Ventrigl. ubi supra, *num.* 6. ubi advertitur, & bene, in fundationibus post Concil. voluntatem fundatoris attendendam esse, quoties adjecta est in ipso limine fundationis, ita ut innotescat Superiori ipsam fundationem auctorizanti, ex regula generali quæ habetur in beneficiis de jurepatronatus super facultate patroni, seu fundatoris adjiciendi leges & conditiones etiam juri contrarias, in ipso limine, non autem ex intervallo.

11 Procedunt hæc in simplicibus beneficiis, non autem in qualificatis, quæ in plures species distingui solent; Primo scilicet in beneficiis curatis; Secundo, in Canonicatibus & Dignitatibus in Cathedrali; Tertio, in Dignitatibus principalibus in Collegiatis; Quarto, in Canonicatibus, aliisque Dignitatibus præter principale in Collegiata, vel portionibus, seu cappellaniis, & beneficiis etiam in Cathedrali; Et quinto, in Abbatiis.

Quatenus pertinet ad primam speciem beneficii curati, extra quæstionem est, requiri ætatem 25. annorum, etiam de jure communi ad text. *in cap. cum in cunctis* §.
12 *interiora, de electione*, ubi communiter DD. de quibus Barbos. ubi supra *num.* 81. cum aliis, de quibus proxime infra, clarius vero attenta dispositione Sac. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12.

Quod tamen procedit in beneficiis vere ac principaliter curatis; secus autem in iis, in quibus cura anima-
13 rum est accessorie annexa, quoniam tunc sufficit illa ætas, quæ pro ipso beneficio necessaria est, eodem modo quo receptum quoque est circa necessitatem concursus ad præscriptum Concil. Trident. requisiti in parochialibus, ac etiam circa necessitatem residentiæ, vel illam ordinum, cum similibus, ex deductis per supra allegatos, & per eumdem Barbos. *de parocho, capit.* 2. *num.* 7. *& in Summa Apostolicarum decisionum, verbo, ætas, num.* 17. Ventrigl. ubi supra *num.* 25. plene Fagnan. *in cap.* 1. *de Cappellis Monachorum*, Rota *decis.* 21. *par.* 10. *recent.* & habentur pluries in præcedentibus occasione ætatis, vel residentiæ; Unde propterea quæstiones in hac materia esse solent potius facti & applicationis, quando scilicet cura animarum beneficio incumbere dicatur principaliter, vel accessorie, quod pendet ex facti qualitate, & circumstantiis, ubi
14 habetur titulus annexionis, qui principaliter attendendus est, qui sit clarus; eo autem cessante, vel dubio existente, recurritur ad conjecturas, illam præsertim deductam ab observantia, an scilicet beneficium conferri consueverit per concursum, vel sine, & an consueverit esse residentiale, cum similibus, de quibus, Fagnan. *in d. cap.* 1. *de Cappellis Monachorum*, ubi concordantes.

In secunda vero specie beneficiorum qualificatorum re-
15 stricta ad Canonicatus in Cathedrali inspiciendum principaliter est, an in eis concurrat aliqua peculiaris qualitas, quæ ab aliis beneficiis hujusmodi diversificare faciat, quia nempe illi principaliter incumbat cura animarum, vel actu & habitu, vel etiam actu tantum, sed in titulum, ut in plerisque Ecclesiis solet esse ille Canonicus, qui nuncupatur curatus, quia nempe illi Canonicatui fixe, ac perpetuo in titulum annexa sit vicaria, seu exercitium curæ habitualiter incumbentis Capitulo, & tunc non dubitatur requiri illam ætatem, quæ necessaria est in beneficiis curatis; Ventrigl. ubi supra, *n.* 21. *& seqq.* Sive quia agatur de Canonicatu Pœnitentiario, in quo statuta est ætas annorum 40. cum similibus.

Ita vero peculiari qualitate seclusa; Aut in ea Ecclesia facta est distributio ordinum demandata per S. C. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. & tunc extra controversiam est requiri ætatem necessariam ad ordinem Canonicatui annexum, vel saltem quod infra annum ad illum promoveri possit, ut expresse disponitur in dicto Conciliari decreto; Sed ubi nulla ordinum distributio facta est, tunc, licet de stricto jure, substentabile videatur quod Concil. Trident. nihil desuper innovaverit, seu particulariter statuerit, & consequenter, quod hujusmodi Canonicatus veniant sub genere beneficiorum, pro quibus sufficit ætas 14. annorum, ut discurrit Rota in Monasterien Canonicatus 28. Novembris 1646. coram Ghislerio; Attamen ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis, & ex observantia Datariæ, receptum est, in Canonicatibus Cathedralis, quamvis nulla ordinis annexio facta sit, requiri saltem ætatem, quod infra annum promoveri possit provisus ad primum ordinem sacrum, ut maturius examinata materia declarando primam resolutionem, late habetur in dicta Monasterien. Canonicatus 10. Junii 1648. coram eodem Ghislerio *dec.* 205. *par.* 10. *recent.* quæ videtur in materia magistralis; Ibique advertitur, quod licet in Germania, etiam sine dispensatione, vel derogatione Concilii hujusmodi Canonicatus conferri soleant constitutis in ætate 14. annorum, attamen id provenit ex quadam particulari consuetudine, quæ ita Concilium in hac parte in ea regione interpretata est, ex voluntate Papæ deducta ex stylo Datariæ, quæ dicitur ejus organum.

In dignitatibus vero Cathedralis, res est extra contro- 16
versiam ob Conciliare decretum *d. sess.* 24. *de reform. cap.* 12. ut ad minus requiratur ætas 22. annorum, solumque intrat difficultas excitata per Garz. *par.* 7. *cap.* 4. *num.* 73. an id procedat in Præpositura, seu Decanatu cum præsupposito, quod sit prima Dignitas.

In tertia specie primæ Dignitatis in Collegiata, distin- 17
guendum videtur; Aut habet curam animarum in foro interiori, vel exteriori saltem habitualiter, seu jurisdictionaliter, ut est de regulari natura hujusmodi Dignitatum, & tunc requiritur ætas 25. annorum eodem modo, quo in beneficiis curatis, ex deductis per supra allegatos, præsertim per Barbos. *dicta allegat.* 60. *num.* 64. & per Garz. *dicto cap.* 4. *part.* 3. *n.* 65. Fortius vero, ubi sint de illis Dignitatibus, quæ habeant ordinariam jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato, itaut exceptis iis quæ sunt Ordinis Episcopalis, in reliquis omnibus Ordinariorum, seu Episcoporum partes gerere, seu explicare videantur, juxta ea, quæ de hujusmodi Prælatis inferioribus habentur pluries *sub tit. de jurisdict.* cum tunc ob administrationem tali dignitati incumbentem id videatur extra omne dubium; Immo forte non incongruum esset, ut etiam ætas requisita in Episcopatibus præscribi deberet cum aliis requisitis, dum in effectu Episcoporum partes implent, quibusdam paucis exceptis, quæ Episcopis vicinioribus delegari solent, ut advertitur *sub d. tit. de jurisdict.* præsertim in Mutinen. seu Carpen. collationis Ordinum *disc.* 16.

In quarta specie Canonicatuum aliarumque Dignitatum 18
in Collegiata, cessante Statuto Ecclesiæ, seu legitima consuetudine, aut lege fundationis, pariter extra controversiam est in eis procedere regulam generalem, ut supra in beneficiis quamvis non qualificatis constitutam, ut sufficiat ætas 14. annorum, idque verum, etiamsi ipsi Collegio annexa sit cura animarum, quoniam hæc esse non dicitur penes singulos Canonicos, ut per Barbos. Garz. Ventrigl. & alios supra allegatos, & firmatur per Rotam *dec.* 31. *par.* 10. *recent.* edita in Nuscana Canonicatus, de qua supra, *disc.* 17. nisi, ut supra dictum est, agatur de illo Canonicatu, cui fixe ac perpetuo in titulum annexa est vicaria pro exercitio curæ animarum, incumbentis Ecclesiæ, seu Collegio.

Demum quoad quintam & ultimam speciem Abbatiarum, quicquid deducant forsan cum aliqua confusione Garz. *dict. cap.* 4. *num.* 74. Campanil. *in divers. juris Canonici rubr.* 7. *cap.* 6. *n.* 87. 90. *&* 101. Majol. *de irregularitate, cap.* 30. *n.* 13. & similes, decisio pendere videtur a qualitate Abbatiæ, an scilicet illa sit vere ac proprie talis, cum signis ac requisitis ad id necessariis, vel potius dicatur talis abusive ac improprie; primo enim casu ratione sibi incumbentis administrationis requiritur matura ætas 25. annorum juxta doctrinam Abb. *in c. super inordinata. n.* 7. *de præbendis*; In
altero autem tales Abbatiæ actualis Conventu, & admini- 19
stratione carentes, dicuntur improprie & abusive in sola nuncupatione, seu quamdam ventosam dignitatem repræsentantes, ideoque ab aliis beneficiis non differunt, ex deductis per Fagn. *in c. cum in cunctis, de elect. n.* 108. *cum seq.*

Signa vero, seu requisita vere Abbatiæ sunt, prærogativa 20
tam in Choro quam in Capitulo, administratio cum jurisdictione, & quod de consuetudine Ecclesiæ habetur pro dignitate, & sine quibus ut dictum est remanet dignitas abusiva, & ventosa, ut bene Rota apud Pæniam *d.* 597. *&* 603.

In Canonicatibus vero Cathedralis, vel Collegiatæ 21
de jurepatronatus laicali, an necessaria sit dicta ætas habilis ad Sacros ordines, ubi lex fundationis alias statuere videtur, vel in plus, vel minus, & quæ dispensatio suffragatur, habetur actum in Lauretana Canonicatus infra, *sub tit. de Canonicis*, *&c.*

In commendis procedit idem, quod dictum est de benefi- 22
ciis eorumque qualitate respective, cum in hac materia ætatis receptum sit Commendas regulari eodem jure beneficiorum, quoties agatur de Commendis Ecclesiasticis, & ali-

qua

qua lex particularis non obstet, ut habetur in Pisana Commendæ *sub tit. de jurepatr.* & in Romana commendæ *sub tit. de fideicommissis*, *disc.* 8. ubi concordantes.

ANNOT. AD DISC. XCV.

DE ætate in Beneficiis, ac Dignitatibus requisita, habetur in Annot. Ad S. C. T. *disc.* 24.

An & quando beneficium sit sacerdotale.

S U M M A R I U M.

1 *Beneficium curatum est sacerdotale.*
2 *De impedimentis excusantibus a susceptione Ordinum remissive.*
3 *Sunt sacerdotales Canonicatus, quibus est annexus ordo presbyteralis.*
4 *Beneficia generaliter non sunt sacerdotalia etiamsi habeant onus missarum.*
5 *Fallit ex contraria voluntate fundatoris, & quomodo in hac voluntate procedendum sit.*
6 *Ubi voluntas est clara, an attendatur observantia contraria.*
7 *Ordinarii, vel patroni non possunt alterare legem fundationis.*
8 *Quod observantiæ interpretativæ in dubio sit deferendum.*
9 *Observantia contra Concilium Tridentinum non attenditur ob decretum irritans.*
10 *In casu voluntatis ambiguæ deducendæ ex verbis, vel conjecturis quomodo sit procedendum.*
11 *Expenduntur plura verba, præsertim, quod eligatur idoneus, an faciant beneficium sacerdotale.*
12 *De verbo* presbyter, *an id inducat.*
13 *De distinctione, an in latino, vel vulgari sermone.*
14 *Quomodo in hujus vocabuli operatione sit procedendum.*
15 *Improbatur usus, quod Notarii extendant testamenta latino sermone.*
16 *De vocabulo* sacerdotis, *an conveniat necne clericis in minoribus.*
17 *Non ex eo, quod primo beneficiatus vocatus sit sacerdos, infertur ad alios in futurum.*
18 *Ubi qualitas requiritur a lege, sufficit, quod adsit habitualiter.*
19 *Quid, ubi requiritur ab homine, distinguuntur tempora & actus.*

D I S C. XCVI.

1 IN ista materia nullæ videntur cadere quæstiones juris, sed omnes esse potius facti & applicationis, cum juris theoricæ in suis respective casibus videantur planæ; Siquidem de jure non dubitatur beneficia curata esse sacerdotalia, & non posse obtineri nisi per Sacerdotem actualem, vel saltem, qui ad Sacerdotium possit intra annum promoveri, ac de facto promoveatur, ad tex. *in cap. cum in cunctis, §. inferiora, de electione*. Lap. *alleg.* 35. & cæteris collectis per Garz. *par.* 7. *c.* 4. *n.* 41. Barbos. *de Episcopo*, *allegat.* 60. *n.* 81. *cum seq. & de officio parochi*, *c.* 5. cum aliis de quibus *disc. præcedenti* occasione ætatis. Bene tamen cadunt quæstiones facti super qualitate beneficii curati, an scilicet & quando illud, & ad hunc, ac similes effectus dicatur tale necne, non enim ex eo quod Ecclesiæ incumbat, seu annexa sit cura animarum, exinde resultat, quod beneficium sit curatum, dum illa potest esse annexa accessorie, quod hujusmodi effectum non operatur, ut *eod. disc. præced.* & in aliis pluries.

2 Ac etiam non dubitatur de jure, justa impedimenta excusare provisum de beneficio curato a susceptione sacerdotii infra annum, ex collectis per Barbos. *de paroch. d. c.* 5. eo modo quo habemus de impedimentis excusantibus a susceptione gradus Doctoratus, vel ab expeditione litterarum cum similibus, sed pariter punctus est in facto, an impedimentum sit justum, beneque probatum necne.

3 Prout non dubitatur, quod ubi Canonicatibus in Cathedrali, vel etiam in Collegiata annexus est ordo sacerdotalis, seu etiam cura actualis fixa & in titulum, requiritur sacerdotium actu, vel habitu, eodem modo, quo supra de curatis dictum est, juxta claram dispositionem Sac. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 12. & habetur etiam *disc. præced.* occasione ætatis, sed pariter quæstio est facti & applicationis, an constet de hujusmodi annexione necne.

Et e converso generaliter in aliis beneficiis simplicibus, vel non qualificatis, ut eodem *disc præced.* habetur, de jure communi sufficit ætas septem annorum, ex dispositione vero Sacr. Conc. Trid. necessaria est illa annorum 14. atque hinc resultat regula, quod non sint sacerdotalia, quamvis annexum habeant onus celebrationis missarum, cum illi recte satisfieri valeat per alium, juxta dictam *alleg. Lapi* 35. *nu.* 3. & 4. communiter receptam ex deductis per Gonzalez *ad reg.* 8. *glos.* 5. *nu.* 74. *cum seq.* Garz. *p.* 7. *c.* 1. *nu.* 85. *cum seqq.* & hanc tenet sine dubio Rota, ut cæteris relatis Greg. *dec.* 108. *nu.* 5. late Merlin. *dec.* 825. quæ reputatur in materia magistralis, & frequenter in aliis collectis per Add. *ad dec.* 21. *p.* 3. *rec. ex nu.* 26. *dec.* 184. & 345. *p.* 12. *rec.* & habetur pluries in præcedentibus occasione residentiæ, vel incompatibilitatis, dum in omnibus decisionibus, in quibus ex facti qualitate firmatur beneficium esse sacerdotale, vel respective residentiale, & incompatibile, supponitur dicta regula tamquam absoluta, sed constituitur fundamentum in limitatione resultante a fundatoris voluntate, vel a consuetudine, &c. 4

Igitur est etiam quæstio facti, an scilicet constet necne de hujusmodi voluntate inducente limitationem hujus regulæ, seu theoricæ juris, adeout materia potius regulanda videatur cum terminis generalibus, morientium, vel contrahentium ambiguæ voluntatis, quam cum terminis, seu regulis beneficialibus, dum etiam illæ cappellaniæ, quæ nullam habent formalem fundationem, cum auctoritate superioris, & consequenter non dicuntur vere beneficia, sed potius censentur legata pia, non cum regulis beneficialibus, sed cum terminis generalibus ultimarum voluntatum metienda, adhuc tamen si de fundatoris voluntate constet, quod sint sacerdotales, illa attendenda est, atque sacerdotium requiritur quamvis voluntas non sit expressa, & clara, sed etiam tacita & conjecturalis. 5

Quando autem est expressa, nulla cadit quæstio ex vulgari regula textus *in l. ille aut ille*, *ff. de legat.* 3. quod in claris & expressis non intrant præsumptiones & argumenta, nisi concurreret talis observantia, quæ dici valeat legitime præscriptiva, & apta immutare statum beneficii, ut in specie advertit Vivian. *de jurepatr. p.* 2. *l.* 6. *c.* 6. *nu.* 61. Mantic. *dec.* 129. Quod tamen in casu dispositionis claræ, nimium rarum, ac difficile est ad praxim deducere, quoniam ex dispositione Sac. Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap* 5. non possunt patroni, nec Ordinarius alterare legem fundationis, ut ex originali decisione in Alexandrina Decanatus 12. Junii 1598. coram Orano, Garz. *d. p.* 7. *c.* 1. *num.* 111. *cum seq.* Rot. *dec.* 496. *nu.* 9. *par.* 1. *recent. dec.* 216. *nu.* 4 *part.* 2. apud Buratt. *dec.* 680. *num* 3. & in aliis. 6 7

Observantiæ siquidem in hac materia nimium defertur in casu voluntatis ambiguæ, quæ sit capax interpretationis, unde observantia attendatur tamquam interpretativa, quæ longe differt a præscriptiva; Atque in eodem sensu capiendam esse *d.* 129. Mantic. adverti videtur per Garz. *d. c.* 1. *num.* 69. & 70. Et de observantia in hac materia Gabr. *cons.* 196. *l.* 2. Campanil. *divers. juris Canonici*, *rubr.* 7. *c.* 6. *num.* 11. Rot. *dec* 14. *p.* 7. *rec. & d. dec.* 184. *num.* 15. *p.* 12. Et de dicta distinctione observantiæ interpretativæ, vel præscriptivæ super lege fundationis, seu voluntate fundatoris habetur pluries in sua materia *sub tit. de jurepatronatus*. 8

Stante siquidem dicto Conciliari decreto prohibente Ordinario, ac patronis alterare legem fundationis, cum Concilium, vel Constitutio Pii IV. ejus confirmatoria contineat decretum irritans, cujus virtus & operatio est inficere quamcumque contrariam possessionem, hinc resultat, infectam remanere talem observantiam præscriptivam, seu verius impediri, ne illa unquam incipiat, seu adsit, ex plene deductis *dec.* 400. *p.* 9. *rec.* & *dec.* 199. *part.* 12. ac pluries in præcedentibus ad aliud propositum, & infra, *sub tit. de parochis* in proposito concursus adhibendi, vel respective non adhibendi in parochialibus & Vicariis, ob idem decretum irritans contentum in Concilio, vel in Constitutione Pii IV. cum similibus. 9

Omnes ergo quæstiones cadere videntur in casu voluntatis ambiguæ super interpretatione verborum, quæ dici valeant æquivoca, & non concludentia per necesse; Aut super efficacia conjecturarum & adminiculorum, atque super his aliqua varietas inter scribentes, ac etiam in Rotæ decisionibus dignosci videtur; Verum in hoc pro meo sensu certa & determinata regula dari non potest, sed procedendum est cum illis principiis, quæ frequenter in materia conjecturarum & adminiculorum habentur *sub tit. de fideicommissis*, ut scilicet singulorum casuum de- 10

decisio, ex eorum qualitate, ac particularibus circumstantiis pendeat, pro judicis prudenti arbitrio; Non enim ex eo quod aliqua conjectura, seu aliquod verbum, ad unam, vel alteram qualitatem inducendam, efficax, vel respective inefficax reputatum est, ergo pernecasse resultat, quod in omni casu idem dicendum sit juxta frequentiores pragmaticorum errores ac æquivoca, attendendo auctoritates, ac decisiones in verbis, aliud non inquitendo, quoniam stant bene simul, aliquas conjecturas in uno casu approbari, ac efficaces reputari, in altero autem easdem, ac etiam majores esse insufficientes, vel e contra, ut pluries in dicta materia fideicommissaria advertitur; Ideoque auctoritates ac decisiones, quæ invicem pugnare videntur, ita potius diversæ, quam contrariæ censendæ sunt, juxta diversas casuum qualitates, ac circumstantias, inspecta scilicet qualitate personarum, an sint litteratæ, vel idiotæ, inspectoque usu loquendi regionis, cum similibus.

Ac propterea, ea quæ habemus, vel super significatione verborum, vel super aliis adminiculis, attendi debent pro quadam norma, seu pro illuminatione intellectus, non autem quod præcise ita judicandum sit in omni casu, ad quod principaliter judicantes & consulentes advertere debent; Advertentes etiam ad alium verum, ac omnino præ oculis habendum principium, de quo plures *dict. tit. & fideicomm.* & alibi, ut non cortex & figura verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat.

11 His itaque prænotatis quæri solet, an disponente fundatore, quod eligatur cappellanus, qui celebrare debeat tot missas, ita ut ad ipsum celebratio directa sit, exinde inferatur ad qualitatem sacerdotalem, & nisi alia appareant adminicula, adhuc firma remanet regula, ut per Gonzal. & Garz. ubi supra, qui referunt aliquas declarationes Sacr. Congregationis, Adden. ad Greg. *d. dec.* 108. apud Merlin. *d. dec.* 825. & in aliis.

Idemque, si dicatur quod eligatur idoneus, nam non inde infertur ad sacerdotium, ut in specie, cæteris relatis *dec.* 635. *n.* 3. *&* *dec* 719 *n* 2. *p.* 2. *rec.* nisi subjungatur quod eligatur idoneus ad celebrandum, ut advertitur apud Buratt. *dec.* 680 *n.* 2.

Super verbo autem, *presbyteri*, vel super alio *sacerdotii*, non levis esse solet controversia, quia nempe fundator dixerit eligi debere presbyterum, vel sacerdo-
12 tem, itaque vocabula distinguendo; Quatenus pertinet ad illud *presbyteri*, magis communiter dicitur, id non importare qualitatem sacerdotalem, quoniam *presbyteri* appellatione venit etiam clericus in minoribus, Gona. ubi supra, *n.* 86. Mantic. *d. dec.* 129. *n.* 2. Rota *dec.* 14 *p.* 7. *rec.* & coram Rojas *dec.* 1. Merlin. *d. dec.* 825. *n.* 12. *&* 13. & in aliis, eo quia nomen *presbyteri* adjici solet potius ad distinguendum a laicis, quam quod importet qualitatem sacerdotalem; Quodque nomen *presbyteri* conveniat etiam clerico in minoribus ad aliud propositum firmatur in Pisaurien. primogenituræ 26. Januarii 1651. coram Cerro.

Alii vero distinguunt, an dictum vocabulum explicatum sit latino, vel potius vulgari, seu mateeno ser-
13 mone, ut hoc secundo casu bene procedat, id quod supra dicitur, presbyteros scilicet dici omnes, qui non sint sæculares, secus autem in primo, quoniam ordo præsbyteratus distinguitur ab aliis ordinibus, solumque sacerdotium significat, ut in specie advertitur *dec.* 216. *n.* 3 *p.* 2. *rec* Et quamvis *in d dec.* 1. coram Rojas *& in d. dec.* 14. *p.* 7. *rec.* istud vocabulum latino sermone explicatum esset, & tamen illi hæc operatio non tribuatur, attamen id provenit ratione observantiæ, in qua magnum fundamentum constituitur eodem modo, quo apud Mant. *d. dec.* 129.

14 Mihi vero videtur, quod ubi deficiat observantia, (qua concurrente, de alio quærendum non est,) spectari debeat qualitas testatoris, an sit litteratus, bene calleos hujusmodi vocabulorum significationes ac distinctiones necne, & an dispositio per ipsummet ordinata sit, vel potius, ut frequentius contingit, sive litteratus, sive idiota, per Notarium, cujus stylus sit, ubi communicatam testatoris quamvis idiotæ voluntatem extendere latino sermone, ut est stylus Notariorum Urbis, ac Status Ecclesiastici; Quod tamen pro sen-
15 su nedum meo, sed plurium ac forte majoris partis litteratorum, continet errorem, ac abusum manifestum, cum ex diversa phrase, seu modo loquendi notariorum, disponentis voluntas notabilem alterationem recipere soleat, vel detur ansa Consulentium & Advocatorum subtilitatibus ex verborum grammaticalibus significationibus ad plura inferendi, quæ testatores neque somniarunt.

Quo vero ad vocabulum *Sacerdotis*, illud regulariter includit qualitatem sacerdotalem, ut apud Buratt. *di-* 16
cta decis. 690. *num.* 5. *&* *dec.* 496. *p.* 1. *rec.* Verum & hoc neque est extra dubium, quoniam *sacerdotis* nomen, clericis quoque in minoribus convenire posset, text. & glos. *in cap. si quisquam, de cohabitatione clericorum*, advertitur per Fab. de Ann. *cons.* 22. *num.* 13. & Rot *dec.* 59. *num.* 22. *p.* 7. *recent.* apud Merlin. *dec.* 685. *num.* 22. *& seqq.* *&* *dicta dec.* 184 *num.* 14. *d.* 12. *rec.* unde propterea *in dicta dec.* 496. adhibetur eadem distinctio sermonis, an esset latinus, vel vulgaris, seu maternus, ut primo casu vocabulum aptum sit convenire etiam
clericis, secus autem in secundo, stante communi usu 17
loquendi, ut etiam advertitur *dec.* 719. *p.* 2. *num.* 3. ubi tamen *num.* 4. advertitur, quod reflectendum est, an tale vocabulum directum sit ad omnes præsentandos, seu diligendos pro regula generali, vel potius ad primum ex aliqua peculiari ratione, vel circumstantia, quoniam exinde ad alios inferri non potest.

Et in summa, ut dictum est, omnia præmissa, non singulariter ac distincte consideranda sunt sed cum aliis juncta, & cum regula, *ut singula, quæ non prosunt &c.* ad instar eorum, quæ in generali materia ultimarum voluntatum habemus, absque eo quod certa & determinata Regula generalis cuicumque casui applicabilis desuper statui valeat.

Posita vero qualitate sacerdotali; Alia cadit difficultas, 18
an illa requiratur actualis, vel sufficiat habitualis, super quo intrat distinctio, an ea requisita sit a lege, vel ab homine; Ubi enim est a lege, tunc sufficit qualitas habitualis, dummodo reducatur ad actum statuto tempore, ut in specie de ordine annexo alicui beneficio. Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 5 *nu.* 77. Garz. ubi supra, *d dec.* 496. *p.* 1. *rec.* apud Buratt *dec.* 463 *nu* 3. & in aliis, de quibus infra.

Ubi vero requiritur ab homine, tunc distinguuntur tria 19
tempora; Unum vacationis; Alterum præsentationis, seu electionis; Et tertium institutionis, seu collationis; In hoc ultimo tempore regulariter non concurrentibus conjecturis, vel facti circumstantiis diversimode suadentibus, requiri videtur qualitas actu, & non sufficit habitu; In aliis vero aliqua discrepantia adesse videtur, probabilius tamen est, quod habilitas requiratur de tempore præsentationis, vel electionis, quamvis non adsit de tempore vacationis, ex deductis per Garz. *d. cap.* 1. *par.* 7 *nu.* 58. *d dec.* 216 *part.* 2. *recent.* *&* 496. *part.* 1. Buratt. *dec.* 680. Cavaler. *dec.* 231. & faciunt ad rem deducta Add. ad Buratt. *dec.* 682. *& sub tit. de fideicomm.* ad materiam proximitatis in dispositionibus conceptis ad favorem proximiorum; Ac etiam *sub tit. de jurepatr.* in proposito jurispatronatus passivi debiti certo generi personarum.

Concludendo idem, quod supra circa ipsam qualitatem dictum est, ut quæstio sit potius facti, quam juris pro facti oualitate decidenda, absque eo quod certa regula cuicumque casui applicabilis dari valeat.

ANNOT. AD DISC. XCVI.

AN, & quando beneficium sit Sacerdotale, habetur supra *in disc. particulari, dist.* 61. *& seqq.*

De manualibus, seu ad nutum amovibilibus.

SUMMARIUM.

1 *Sub hac inspectione non cadunt cappellaniæ, erectæ privata auctoritate, quia sunt potius legata pia.*
2 *Minusque de cappellanis, vel officiis servitoriis.*
3 *Beneficia sæcularia præsumuntur perpetua.*
4 *E contra Regularia præsumuntur manualia.*
5 *Intelligitur in dubio, sed potest dari diversa natura.*
6 *De regula, ut in manualibus detur amotio ad nutum etiam sine causa.*
7 *Ejecto non competunt remedia possessoria.*
8 *Quod quoque detur manutentio, & de ratione.*
9 *Quare sit magis in usu possessorium retinendæ quam reintegrandæ.*
10 *Quando facilius intret conclusio, de qua n. 7.*
11 *Regula, de qua n. 6. fallit, si fiat ex odio.*
12 *Item si resultet dedecus, vel grave præjudicium.*
13 *Procedit regula, de qua n. 6. etiam si non esset solitum amovere.*
14 *Quod intret recursus, vel querela ad Superiorem.*
15 *De differentia inter non admittere, & ejicere admissum.*

16 No-

16 *Novitii an possint expelli sine causa.*
17 *Quod etiam in Regularibus amotis detur recursus.*
18 *In manualibus non datur vacatio, neque collatio.*
19 *Datur vacatio improprie.*
20 *Quod in eis non intrent Regulæ Cancellariæ, præsertim Regula de annali.*
21 *In resignationibus & unionibus manualium requiritur mentio specialis.*
22 *Quid de beneficiis Religionis Hierosolymitanæ.*
23 *De manualibus ut dari possint in perpetuum.*
24 *De potestate Papæ tollendi beneficia remissive.*
25 *Non cessat facultas amovendi ob promotionem ad ordinem ad illum titulum.*

D I S C. XCVII.

1 Agitur de illis manualibus, quæ beneficiorum ecclesiasticorum naturam, & qualitatem habeant, quia nempe cum Superioris auctoritate fundata, seu alias in hoc statu constituta sint; Ubi enim agitur de illis cappellaniis manualibus, quæ absque dicta formali erectione cum auctoritate superioris proveniunt ex privata pie disponentium ordinatione, tunc non intrant regulæ beneficiales, eum jure piorum legatorum habeantur, ut habetur *disc. præced.* occasione ætatis, ac pluries in *præced.* & consequenter in præsenti de eis non agitur.

2 Minusque de illis cappellaniis servitoriis, quæ satis frequenter usu habentur etiam in Cathedralibus, & Collegiatis, frequentius autem in parochialibus matricibus, seu receptitiis, in quibus ex statuto, vel consuetudine admittuntur sacerdotes & Clerici naturales, seu patrimoniales ad serviendum, ac participandum de massa, de quibus infra *sub tit. de Canonicis & Capitulo*, ac etiam *in præced.* præsertim in Romana juris amovendi *disc.* 80. quoniam, & istæ beneficiorum naturam non habent, neque earum jure censentur, sed diversam habent rationem ac juris dispositionem, ut in locis supra indicatis, præsertim *d. disc.* 80

3 Præsupposito igitur, quod agatur de beneficiis ecclesiasticis, in quibus de ista manualium, seu amovibilium natura contendatur, seu ea posita, quomodo amovendi facultas exerceri debeat; Generalis distinctio est, inter sæcularia & Regularia; Prima enim species sæcularium habet pro se præsumptionem perpetuitatis in exclusionem manualitatis; Lap. *allegat.* 9 *n.* 3. Cassad. *dec.* 4. *de. præben.* Cavaler. *dec.* 72. *n.* 3. *dec.* 13 *n.* 10. *& fin. part.* 6. *rec.* Et e contra secunda species Regularium habet præsumptionem manualitatis propter
4 votum obedientiæ, quod Regulares profitentur erga superiorem, Greg. & Adden. *dec.* 109. Buratt. & Add. *dec.* 346. 382. *&* 929. Cavaler. *dec.* 389.

Utraque autem regula, utpote juris præsumptioni innixa, cessat ex diversa particulari qualitate indu-
5 cente limitationem, quoniam sicuti in beneficiis Regularibus non implicat ea esse perpetua, præsertim vero ubi sunt curata, seu alias ita dispositum est, ut plene colligunt Adden. ad Buratt. *d. dec.* 346. & non negatur apud Cavaler. *d. dec.* 389. & patet ex *dec.* 473. *p.* 12. *rec.* ac habetur infra, ita non implicat beneficia sæcularia esse manualia & ad nutum amovibilia, & contra.

6 His ita generaliter constitutis, atque sive in una, sive in altera specie, posita manualitate, Regula est illa posse auferri possessoribus per Superiorem ad ejus nutum & arbitrium etiam sine causa, juxta opinionem Card. *in Clem.* 1. *§. præmissa, de supplenda negligentia Prælatorum, n.* 4 quæ (rejecta contraria sententia) est magis communiter recepta, præsertim in Rota *juxta dec.* 1. *de restitut. spoliat. in antiquis*, *dec.* 778. *p.* 1. *divers.* cum aliis per Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 5. 46. Posth. *de manut. observ.* 52. *n.* 24. Add. *ad dec.* 2. *n.* 222. *& seq. p.* 3. *rec.* Buratt. *dec.* 346 & plene firmatur in Hispalen. juris amovendi curatos 20. Aprilis 1640 21. Junii 1641. & 23 Junii 1642. coram Peutingerio, quæ circumferuntur in materia magistrales, sæpius receptæ præsertim in Pisaurien. beneficii 11. Octobris 1647. cor. Melrio, *dec.* 133. *p.* 10. *rec.* Pampilonen. Vicariæ 28. Martii 1659. *cor.* Albergato & in aliis, ac habetur supra in d. Romana juris amovendi *disc.* 80.

7 Ideoque ita ejectis denegantur remedia possessoria reintegrandæ, vel retinendæ contra amoventem, juxta *d. dec* 1. *de restitut. spoliat in antiquis*, ut firmant superius allegati, præsertim Posth. *de manut.* Quod tamen, ubi agitur de beneficiis, seu de illis cappellaniis, in quibus admissus habet aliquod jus ut supra, non de facili est practicabile, quoniam cum dicta regula plures patiatur
limitationes, ut infra, hinc proinde, ubi adest ali- 8
quod dubium, an versemur in casu regulæ vel limitationis, intrat reintegratio, seu manutentio, cujus remedium hodie magis practicatur; Illud etenim reintegrationis videtur quasi recessisse ab aula, & merito, quoniam tendunt ad eumdem finem, sed unum est ma-
gis proficuum quam alterum; Siquidem receptum est, 9
attenta dispositione juris canonici, possessorium, sive reintegrandæ, quinimo etiam retinendæ plenarium concessum per sententiam deffinitivam, esse appellabile ad utrumque effectum, ac requirere tres conformes; ita ut a judicio petitorii quodammodo nihil differre videatur; E converso autem istud remedium manutenendæ, quoties tamquam summarium decernitur per decretum interlocutorium, a quo judex reponere potest, non admittit appellationem suspensivam, sed est executivum juxta distinctionem, de qua *dec.* 20. *p.* 10. *rec. & passim*, cum nil in Curia frequentius, ideoque expedit istud exercere.

Et de manutentione data cappellano, qui prætendebatur manualis, habetur apud Cavaler. *d. dec* 72 atque Ego pluries practicavi in ejectionibus, quæ per Capitula quandoque fieri solent de illis cappellanis, seu presbyteris, qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, tamquam nationales, habentes requisita, admittuntur ad massam ex quodam jure, quod sibi tribuit civica qualitas, præsertim in una Matheranen. quod expellente Capitulo illius Metropolis quemdam Cappellanum, huic per A. C. decreta fuit manutentio canonizata per Signaturam Justitiæ cum clausula, *sine præjudicio*, ex rationibus, de quibus in Neritonen. Statuti, & in Rhegien consortii infra, *sub tit. de Canonicis & Capitulo*, *disc.* 19. *&* 21.

Dicta vero conclusio super denegatione manutentionis 10
hujusmodi ejectis, illaque potius concedenda Superiori amoventi, juxta decisiones in dicta Hispalen. juris amovendi curatos, cum aliis, de quibus supra in d. Romana juris amovendi *disc.* 80 potius procedit in officiis, & cappellaniis mere servitoriis regulandis jure cujusdam famulatus, quam in veris beneficiis, quamvis eorum natura in hoc alterata sit circa manualitatem, ob plures limitationes desuper cadentes.

Quarum prima est ubi amotio fieret odio, vel calu- 11
mnia, ut *d. dec.* 778. *p* 1. *divers.* & admittitur *d. dec.* 72. Cavaler. *n* 5 & in allegatis Hispalen. coram Peutingerio, in quibus tamen firmatur, quod odium, vel calumnia in dubio non præsumitur, sed probari debet.

Secundo limitatur, ubi ex amotione, dedecus vel 12
infamia, seu aliud magnum præjudicium ejecto causaretur, juxta *dec.* 6. *de restitut. spoliat. in antiquis* & conferunt deducta ad aliud propositum apud Merlin. *decis* 882. *num* 20. *cum seq.*

Tertio, licet de stricto jure, non probato odio, vel 13
calumnia, dicta facultas competat, non curato quod Superior non esset solitus amovere, dum hic actus dicitur facultativus, in quo non usus non præjudicat, ut advertitur *dicta dec.* 778. *p* 1. *divers. in fin.* & in dicta Hispalen. ac etiam in d. Sulmonen juris amovendi Cappellanos 10 Januarii 1659. coram Priolo; Attamen ex quadam non scripta æquitate, competere videtur recursus, vel querela ad Superiorem pro interpositione sui partis super aliqua saltem summaria cognitione causæ ob quam hujusmodi ejectio fiat, cum non soleat dari casus, absque aliquo odio, vel absque dicto præjudicio in fama, seu alias resultante, ut ad aliud propositum ad-
vertitur *in dicta dec.* 882. Merlini, a qua licet fuerit 14
recessum in alia instantia coram Ghislerio, ut patet ex *dec.* 180. *p.* 9 *rec.* attamen ibi agetur de non admittendo aliquem ad Collegium, secus autem ubi agatur de expellendo admissum, ob notabilem differentiam inter unum casum & alterum, ex axiomate, quod *turpius ejicitur &c.* ut de d. distinctione inter non admittere, &
admissum expellere, habetur actum *sub tit. de præem* 15
in Forolivien. admissionis ad Concilium, & in Fanen. *disc.* 31. *&* 38 & habetur in dicta Rhegien. consortii *disc.* 21. ac in aliis *sub tit de Canonicis, & Capitulo*

Unde propterea licet admissi ad habitum alicujus Re-
ligionis ante professionem, atque in statu novitiatus nullum 16
habeant titulum, atque excepto privilegio fori, tam circa facultatem testandi & disponendi, quam circa successionem, habeantur pro sæcularibus, attamen si sine causa expellantur, eis conceditur jus recurrendi ad Superiorem, ex deductis *in d. dec.* 882 Merlini.

Atque de facto docet praxis quotidiana, non solum 17

in illis Abbatiis & Prælaturis regularibus monachorum, quæ beneficia in jure dicuntur, sed etiam in Prioratibus, vel aliis Prælaturis Religionum mendicantium, quibus, officiorum potius, quam beneficiorum terminus congruit, quoniam si ex Statutis Religionis, vel ex usu sint ad vitam, vel ad certum terminatum tempus, Superior tamen amoveat, quamvis de jure sint mere manualia & obedientiaria, attamen passim datur recursus ad Superiores, præsertim ad Sacram Congregationem Regularium, quæ cognoscit de causis, quibus legitime non concurrentibus, reintegrat, ob præjudicium, quod in fama resultat amotis contra stylum & infra terminum consuetum; Ad quod conferunt ea, quæ de remotione officialium habentur *sub tit. de Regalibus* ad materiam potestatis tollendi jus tertii *disc.* 148. Ideoque dicta regula frequenter ac de facili remanet practicabilis in officiis, seu ministeriis servitoriis, jure famulatus regulandis, non autem in iis, quibus terminus beneficii, licet manualis congruat, cum illæ cappellaniæ, quarum frequenter usum habemus de jurepatronatus, ita moderno tempore usitatæ ad evitandam subjectionem derogationum, vel reservationum Apostolicarum, vere ac proprie non sint beneficia, sed simplicia legata pia, ut supra initio advertitur, ac etiam *disc. praced.* & alibi pluries.

18 In his igitur manualibus, cum non detur verus titulus, exinde sequitur, quod non datur vacatio, neque collatio, ex deductis apud Greg. *dec.* 48. *n* 5. *&* *dec.* 142. *n.* 6. Rot. *dec.* 245. *n.* 3. *& seq. p.* 6. *rec. & in aliis.*

19 Quod tamen intelligitur de vacatione vera & propria ad effectus juris, illum præsertim reservationis, vel affectionis, improprie autem ac largo modo de facto vacare dicuntur per mortem naturalem, vel civilem per remotionem, Gonz. *ad reg.* 8 *glos.* 15. §. 2. *n.* 24. Caval. *dicta dec.* 389. *n.* 4. Coccin. *dec.* 296. *n* 8. Perusina Beneficii 10. Februarii 1648. coram Bichio *dec* 152. *p* 10. *rec.*

20 Et consequenter in eis non habent locum reservationes ac Regulæ Cancellariæ, Greg. *d. dec.* 48. *&* 142. Buratt. *dec.* 114 155. *&* 926. Ea regula de annali in his non intrante, Gonz *glos.* 5. *n.* 64. Buratt. *dec.* 1. *n.* 7.

21 In resignationibus autem, vel unionibus, aliisque provisionibus, seu dispositionibus facienda est expressa mentio manualitatis, alias actus corruit, Paris. *de resignat. l.* 2. *q.* 11. *n.* 7. Cavaler. *dec.* 350. *n.* 1. *& dec.* 389. *n.* 5. Buratt. & Add. *dec.* 929. *in fine*, Rota *dec.* 86. *p.* 7. *rec. & in aliis.*

In Religione autem Hierosolymitana, vel similibus
22 militaribus, in quibus Commendæ ac Prioratus & Dignitates non sunt ex mera gratia, sed potius ex justitia ratione antianitatis, vel benemerentiæ, atque dantur in titulum regulariter ad vitam, hinc proinde quamvis ratione obedientiæ, dicantur manualia, attamen id procedit large, ac improprie ob compatibilitatem cum obedientia, sed sine causa non datur remotio atque alias appellatur, vel habetur recursus ad Superiores, quoniam de facto regulari videntur magis jure beneficiorum sæcularium, ut advertitur præsertim *dec.* 473. *n.* 10 *& seq. p* 5. *rec. & in aliis ibidem*. Atque si a denegatione beneficii assequendi, seu a gratificatione alterius concurrentis datur formalis appellatio cum examine gravaminis, & an uni, vel alteri ex concurrentibus beneficium sit de justitia debitum, ut patet ex iis, quæ habentur supra in duplici Melevitana, *disc.* 68. *&* 69. multo magis & absque dubio, ubi agatur de amotione, quæ in ista Religione ac similibus non est practicabilis sine injuria, ac dedecore.

23 Demum observandum, quod manualia sæcularia prohibitum non est conferri perpetuo, Gonz. *d. glos.* 5. §. 6. *n.* 36. Buratt. *dec.* 296. *n. ult. & dec.* 929. *n.* 3. & de aliis ad materiam videri potest apud allegatos.

De manualitate vero quoad Papam, ut omnia be-
24 neficia quamvis in titulum, ac de sui natura perpetua, quoad cum sint manualia, & amoveri possint a possessoribus, habetur aliqualiter actum *d. disc.* 148 *sub tit. de regal.* ad materiam potestatis tollendi jus tertii.

Quodque manualitati, seu facultati amovendi non
25 obstet, quod possessor ad ejus titulum fuerit promotus ad ordines, quia factum Episcopi promoventis præjudicare non debet illi, cui competit jus amovendi, Garz. *part.* 1. *c.* 2. *num.* 91. *in addit.* nisi factum esset de consensu habentis tale jus.

ANNOT. AD DISC. XCVII.

DE manualibus habetur pariter actum supra, *disc.* 80. *& sub tit. de regul. disc.* 15. *&* 36.

De sequestro beneficii, quando intret, & quales effectus producat.

S U M M A R I U M.

1 *DIstinguuntur species sequestrorum.*
2 *Regulariter est prohibitum sequestrum.*
3 *Etiam in beneficialibus.*
4 *Fallit, ubi possessio est attentata.*
5 *Vel ubi possessio est vacua.*
6 *Vel ubi duo contendant de possessione.*
7 *Vel si possessio est nulla.*
8 *De dilemmate in hac materia.*
9 *Intrat sequestrum ob recursum ad laicos.*
10 *Item ubi petatur remissoria.*
11 *Vel ubi adest periculum, aut justa causa.*
12 *De sequestro ratione reservationis.*
13 *Istud sequestrum non privat possessiant.*
14 *Solet demandari pendente inspectione super bono jure.*
15 *Quod non possit dari in hac materia regula certa.*
16 *De sequestro in vim Clementina ratione sententia.*
17 *Sive sit sententia in petitorio, sive in possessorio.*
18 *Declaratur de quo possessorio intelligatur.*
19 *Procedit in quocumque beneficio, ac etiam in commendis & dignitatibus Religionis Hierosolymitanæ.*
20 *In vim sententiæ in petitorio intrat sequestrum, etiamsi possessor obtinuisset sententiam in possessorio.*
21 *Etiamsi a sententia fuerit appellatum & judex appellationis potest apponere.*
22 *Quid ubi dictum sit de nullitate sententia,*
23 *Istud sequestrum non apponitur sine sententia, secus autem alterum provisionale.*
24 *Sequestrum in vim Clementinæ non apponitur nisi in Rota.*
25 *An & quando in una, vel altera specie admittatur cautio.*
26 *Quomodo unum, vel alterum sequestrum tollatur, seu cesset.*
27 *Ubi injuste sit appositum.*
28 *Istud sequestrum in vim Clementinæ tollit possessionem, & alios effectus operatur.*
29 *De pœnis violationis unius, vel alterius sequestri.*
30 *Sola decretatio sequestri sine effectuatione non tollit possessionem.*
31 *Quando tollatur sequestrum de consensu partis.*
32 *Apponitur in vim unicæ sententiæ, secus autem ubi duæ latæ essent, & quando dicatur unica, vel dicantur duæ.*
33 *Denegatur ubi possessor prius obtinuisset sententiam favorabilem, quod declaratur.*
34 *Denegatur etiam contra triennalem possessorem cum suis declarationibus.*
35 *In causis in quibus non intrat sequestrum in vim Clementinæ, sed intret alterum sequestrum provisionale, an sit decernenda pars fructuum pro alimentis & sumptibus litis.*
36 *Etiam in vim sententiæ judicis inferioris apponi solet sequestrum provisionale.*
37 *Quis debeat esse sequester, & an deputari possit unus ex ipsismet collitigantibus.*

D I S C. XCVII.

DUplicem habemus speciem sequestri beneficiorum, 1
unam ante sententiam ex dispositione, vel ratione generali juris communis; Alteram vero post sententiam ex particulari dispositione *Clementina unica*, *de sequestratione possessionis & fructuum*; Nimirumque inter se hujusmodi sequestra differunt, tam circa ordinem super appositione, quam circa effectus ex una, vel altera sequestri specie resultantes; quare de illis distincte agendo,

Quatenus pertinet ad primam speciem magis gene- 2
ralem, sub qua cadit omnia casus sequestri, extra dictum particularem in vim Clementinæ; Regula est, quod illud est prohibitum, quoniam incipiendum non est a sequestro, ad text. *in cap.* 1. *de sequestratione possessiones, & fructuum. & l. unica, Cod. de prohibita sequestratione &c.* idque ex regula generali, de qua in aliis materiis indifferentibus, ejusque limitationibus habetur pluries actum *sub tit. de judiciis*, at- 3
que

que cadunt etiam beneficia, quoniam, cum in hac mate-
4 ria non reperiantur in jure excepta, idcirco prohibi-
tum non est stare sub regula, ut in specie Lotter. *lib.*
3. quaest. 11. *n.* 162. *& seq.*

Limitatur autem regula praedicta, Primo ubi posses-
sio esset attentata, Lotter. *dicta quaest.* 11. *n.* 172. *& seq.*
Gonz. *ad reg.* 8. §. 7. *proœmiali*, *n.* 37. Greg. *dec.* 10. *&*
91. Caval. *dec.* 593. *& frequenter*, cum sit receptum &
quotidianum.

5 Limitatur secundo, ubi possessio beneficii sit vacua, cum
tunc nemini praejudicium inferri dicatur *cap. cum vos*, *de*
off. Ordinarii cum concord. per Gonzal. *d.* §. 7. *proœmiali*, *n.*
24. Buratt. *dec.* 900. *n.* 1. *dec.* 185. *n.* 1. *&* 586. *n.* 2. *p.* 2.
rec. cum aliis supra occasione possessionis attentatae.

6 Istaque limitatio extenditur etiam ad casum, in quo
possessio vere ac de facto non sit vacua, sed plures con-
tendant possidere, atque utriusque possessio sit turbida,
itaut incertum sit, quis vere sit possessor; nam tunc ap-
ponitur sequestrum tamquam in possessione vacua, Se-
raph. *dec.* 732. *n.* 5. *dec.* 701. *par.* 2. *rec.* Buratt. *dec.* 527.
n. fin. Duran. *dec.* 143. *n.* 1.

7 Prout si possessio non esset attentata, sed nulla, quoniam
tunc habetur etiam pro vacua, cum non entis nullae sint
partes, ut advertitur apud Greg. *dec.* 251. *in fine*.

8 Ideoque ubi petitur sequestrum contra eum, qui nul-
liter vel attentate de facto se intruserit in possessione,
quam ipse neget, proceditur cum dilemmate, Aut pos-
sessio est vacua, Aut plena; Si est plena, consequen-
ter nulla, vel attentata, ideo sequestranda, & si est
vacua, multo magis, ut de hoc dilemmate in specie
habetur *dec.* 94. *n.* 1. *&* 2. *p.* 10. *rec.* atque ita cum eo
evitantur omnes disputationes.

9 Limitatur tertio dicta regula, contra recurrentes ad
judices laicos, atque ita impedimenta praestantes exe-
cutioni litterarum Apostolicarum, seu prosecutioni cau-
sae beneficialis, quoniam inter alias poenas statutas con-
tra recurrentes videtur ista appositionis sequestri, Gonz.
dicto, §. 7. *proemiali n.* 36.

10 Quarto limitatur, ubi ex parte possessoris petatur
remissoria, vel compulsoria specialis, per quam impe-
diatur cursus causae, & ne procedatur ad sententiam,
seu expeditionem, tunc enim ob praesumptam malitiam
occasione concedendi remissoriam, beneficium ponitur
sub sequestro, juxta *dec.* 152. Caputaq. *p.* 3. *n.* 2. Gonz.
d. §. 7. *proem.* 35 Lott. *dicta quaest.* 11. *n.* 174. *dec.* 43. 473.
& 585. *p.* 5. *rec.* & habetur *disc. seq.* in materia remis-
soriae in beneficialibus.

11 Quinto limitatur, ubi generaliter concurrat justa causa,
ob quam intret judicis arbitrium, puta ob periculum ani-
marum, vel utilitatem Ecclesiae, sive ubi adest timor dissi-
pationis, ne judicium reddatur elusorium, cum similibus
judicis prudenti arbitrio pensandis, Gonz. *d.* §. 7. *proœm.*
n. 27. Lotter. *d. q.* 11. *n.* 175. *dec.* 469. *p.* 3. *divers. lib.* 3.
dec. 215. *n.* 5. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *& sub tit. de judiciis*.

12 Sexto limitatur, ubi summarie constet de reservatio-
ne, juxta Constitutionem 7. Pii V. Gonzal. *dicto* §. 7.
Marescott. *lib.* 2. *variar. cap.* 77. *n.* 44. *& seqq.* Lotter.
lib. 3. *q.* 11. *num.* 168. Rota in Nicien. Prioratus 5. De-
cembris 1653. coram Zaratta.

13 Ista vero species sequestri, tamquam provisionalis,
& ex judicis officio, magis percutere dicitur fructus,
seu nudam detentionem, quam substantiam, seu pos-
sessionem beneficii; Et consequenter quidquid dicatur
per Adden. ad Buratt. *dec.* 186. *n.* 17. verius ac rece-
ptum est, quod non privat possessione, ut *dec.* 569. *n.*
10. *& seq. p.* 6. *rec.* plene in Messanen. Decanatus 6. No-
14 vembris 1645. coram Ghislerio, in Faventina parochia-
lis 4. Julii 1663. coram Ninot, de qua causa habetur
actum infra, *sub tit. de parochiis*. Unde propterea quan-
do plures contendunt possidere, stylus est apponendi
sequestrum, ac mandandi videri de bono jure etiam
ad effectum manutentionis pro ista concedenda ei, cui
15 dignoscitur bonum jus assistere; Cumque materia istius
sequestri provisionalis sit mere arbitraria, hinc proin-
de certam ac determinatam regulam generalem non re-
cipit, sed determinatio pendet a singulorum casuum
particulari qualitate, & circumstantiis.

16 Quo vero ad alteram speciem sequestri resultantis *a*
dicta Clementina unica de sequestratione possessionis, &
fructuum, Regula est, quod lata sententia ad favorem
petitoris contra possessorem, apponitur sequestrum super
beneficio juxta claram dispositionem dictae Clementinae,
ibique Bonifacius & Cardinalis ac alii, de quibus Vestr.
in praxi l. 7. *c.* 2. Gonzalez *d.* §. 7. *proœmiali*, *& cate-*
ri de quibus infra.

Ampliatur primo dicta Regula, sive sententia sit in
petitorio, sive in possessorio, ut litteraliter probat idem 17
text. ac advertunt allegati, & habetur per Rotam in
Cassanen. parochialis 26. Junii 1652. Bichio *impress.*
post Tondut. *de pension. dec.* 30. Quod tamen intelli-
gitur, ubi sententia lata sit in possessorio principaliter &
de per se intentato, quod ordinarium, seu plenarium
dicitur, unde propterea attenta juris canonici disposi- 18
tione sit appellabile, ac terminandum per tres confor-
mes, secus autem in illo possessorio summario & exe-
cutivo adipiscendae, quod intentatum esset pro executio-
ne litterarum Apostolicarum, vel brevis de capienda
possessione nomine Camerae, aut de illo summario reti-
nendae, quod suspenso petitorio, vulgo manutentionis
dicimus, juxta *dec.* 2. Cassad. *de sequestrat.* Vestr. ubi
supra *n.* 7. Lotter. *d. lib.* 3. *quaest.* 11. *n.* 168. *&*
seq.

Ampliatur secundo, ut procedat in quocumque be-
neficio tam curato, quam non curato, ac etiam si aga-
tur de Dignitate, vel Praesulatu, sive de commendis 19
Religionum militarium cum similibus & quomodocum-
que lis pendeat, sive ratione reservationis, sive non,
ex deductis per Gonz. ubi supra *n.* 44. *&* 69. id d.
Cassanen. parochialis 26. Junii coram Bichio, & in spe-
cie de Commendis, & Prioratibus Religionis Hieroso-
lymitanae *dec.* 473. *n.* 8. *p.* 5 *rec.*

Ampliatur tertio, quamvis possessor per rem judi-
catam, vel per tres conformes prius obtinuisset in pos- 20
sessorio, quoniam haec dicuntur judicia separata, atque
unum nihil commune habet cum altero, & consequen-
ter lata unica sententia in petitorio, intrat sequestrum,
Cassad. *d. dec.* 2. *de sequestro*, Put. *dec.* 305. *n.* 5. *l.*
1. *& dec.* 347. *n.* 1. *l.* 3. Vestr. ubi supra, *n.* 6.

Ampliatur quarto, licet a sententia fuisset appella- 21
tum, quoniam appellatio non impedit sequestri apposi-
tionem, quinimo illa fuit causa ejus introductionis,
Cassad. *dec.* 5. *eodem tit. de sequestro*, Vestr. *loco ci-*
tato n. 5. Gonz. ubi supra *n.* 82. in dicta Cassanen.
parochialis coram Bichio, ubi quod si judex appella-
tionis inhibuit, idem apponit sequestrum.

Quinimo etiamsi fuerit dictum de nullitate senten-
tiae, ut expresse disponitur in *eadem Clementina*, *ubi*
Repetentes, Vestr. *d. n.* 5. Caputaq. *dec.* 156. *n.* 5. 22
p. 3. Gonz. *n.* 77. Nisi nullitas proveniat ex defectu
jurisdictionis, quoties tamen iste defectus est clarus,
secus autem si dubius ac altioris indaginis, Caputaq.
d. dec. 156. *n.* 3. Vestr. *d. n.* 5. *&* 6. *in fine*, Vel nul-
litas proveniret ex defectu actorum, quia lata non es-
set cum actis judicialibus, Gonz. *n.* 55.

In pluribus autem, istud sequestrum in vim Clementi-
nae differt ab alio generali, de quo supra; Primo scilicet, 23
quod pro illius appositione non oportet expectare ali-
quam sententiam, pro isto autem ea omnino necessaria
est in forma deffinitiva in petitorio, vel possessorio or-
dinario ut supra, ac sine sententia non apponitur, Gon-
zal. *n.* 31. qui alios refert.

Secundo, quoniam primum sequestrum generale appo-
nere potest in suis casibus quicumque judex, coram 24
quo causa pendeat, istud vero, vel de stylo, vel ex
ipsius Clementinae dispositione non apponitur nisi per
Rotam, ejusque sententia lata, Gonz. *n.* 31. *&* 38. *cum*
seq. Vestr. *n.* 1. Rota *dec.* 293. *n. fin. p.* 1. *rec.* ac docet quo-
tidiana praxis.

Tertio, quod illud sequestrum tollitur per cautio- 25
nem, quae dicitur ejus medicina, (licet istud reme-
dium recessisse ab aula advertat Lott. *d. q.* 11. *n.* 178.)
Istud vero non tollitur per cautionem, ut post Car-
dinalem *ead. Clem. n.* 29. Vestr. ubi supra, *n.* 9. Gon-
zal. *n.* 95.

Quarto, quia primum sequestrum provisionale tolli-
tur, cessante causa ejus appositionis in quacumque par- 26
te judicii, vel in quacumque instantia, pro eodem ar-
bitrio, pro quo appositum fuit, Duran. *dec.* 243. *n. fi-*
nali, istud vero non tollitur nisi in fine litis, ac du-
rat usque ad totalem causae exitum, quamvis possessor
deinde unam, vel plures sententias favorabiles repor-
taret, Put. *dec.* 77. *l.* 1. *&* 256. *l.* 2. Seraph. *dec.* 1335. *n.*
4. *dec.* 136. *p.* 2. *rec.*

Quod intelligitur, ubi sequestrum juste ac rite appo- 27
situm est, secus si injuste, ut *in eadem dec.* Seraph. *n.* 5.
dec. 333. *n.* 21. *p.* 4. *rec. tom.* 2. nisi possessor appositioni
sequestri consenserit, quoniam tunc praetendi non pot-
est revocatio sub praetextu, quod injuste appositum sit,
ut dec. 40. *n.* 23. *p.* 4. *rec. tom.* 2.

Quinto differunt, quoniam primum sequestrum provi-
siona-

sionale non percutit substantiam beneficii, neque tollit possessionem, unde appositum solum videtur super fructibus, atque tollit nudam detentionem de facto ut supra; Istud vero privat possessione, ac percutit ipsius beneficii substantiam, adeout, non solum possessor non possit se intromittere in perceptione fructuum, aliisque temporalibus, sed neque in administratione sacramento-
27 rum, in prædicatione, ac aliis, etiam honorificis, & præeminentialibus, Vestr. n.2. Gonz. n.41. Add. ad Greg. *dec. 9 n. 13.* Duran. *dec. 408. n. 1. dec. 511. 2 p. 3. rec.*

Sexto, ut istud sequestrum speciale in vim Clemen-
28 tinæ contineat pœnas majores in casu violationis, illam præsertim, quod percipiendo fructus, privatur beneficio, sed istæ pœnæ non trahuntur ad dictam aliam
29 speciem sequestri, Gonz. *ubi supra, n. 46.* Seraph. *d. dec. 1335. in fine*, plene Rot. *in Messanen. Decanatus 6. Novembris* 1645. coram Ghislerio.

Procedunt autem hæc, tam circa privationem possessionis, ac inhibitionem percipiendi fructus, & se in-
30 gerendi in aliis beneficii juribus sub pœnis in eadem Clementina contentis, postquam sequestrum jam effectuatum est, secus autem, ubi simpliciter decretum, ut cæteris relatis in *d. Messanen. Decanatus*, & est regula generalis, quod sententia sine executione non privat possessione, neque alios effectus operatur.

Tolli potest etiam istud sequestrum in vim Clementinæ de consensu partium, nisi tamen medio tempore
31 tertius veniat ad causam, quoniam iste non potest impedire sequestrum, Gonz. *ubi sup. n.* 100. & e converso illud jam appositum in ejus postmodum ad causam admissi præjudicium per consensum collitigantis tolli non potest, Gonz. *n.* 101. *& seq.* Caputaq. *dec.* 101, *& 160. p. 3 d. dec. 136. n. 3. p. 2. rec.*

Cum autem Clementina loquatur in casu sententiæ
32 latæ pro petitore contra possessorem, & sic supponat unicam sententiam Rotalem, ad quam saltem ex recepto stylo ut supra, Clementinæ dispositio restricta est, hinc proinde si lata prima, petitor negligat petere appositionem sequestri, atque procedatur ad secundam, tunc sequestrum non intrat, Put. *d. dec. 256. l. 2.* ubi tamen, quod si post duas sententias de facto apponatur, erit quidem injustum, sed non nullum.

Id autem intelligitur de duabus sententiis Rotalibus, unde si post latas unam, vel plures sententias, vel per alios judices in secunda, vel ulteriori instantia, proferatur sententia Rotalis, ista ad hunc effectum dicitur unica, quamvis ad alios effectus esset secunda, vel tertia, ut per Vestr. *ubi sup. n. 6.*

Denegatur item sequestrum contra illum possessorem qui prius obtinuisset sententiam favorabilem in petito-
33 rio, vel in possessorio ordinario, deinde vero, ea revocata succubuisset, quoniam in vim illius secundæ sententiæ, quæ unica est favore petitoris, non apponitur sequestrum in vim Clementinæ, Put. *dec. 146 n. 1. & 469 n. 10. l. 2.* Cassad. *dec. 1. de sequestratione*, Vestr. *ubi sup n. 7.* Rot. *dec 585. n. 12. par. 5. rec.* ubi firmatur videtur id procedere, quando etiam prima sententia favore possessoris esset Rotalis, secus autem si alterius judicis inferioris, ex eadem ratione de qua supra, quia ad effectum, an sententia sit unica, vel bina, attenduntur solum sententiæ Rotales.

Prout denegatur quoque contra triennalem possessorem
34 in hoc privilegiorum, ut clare disponitur *in eadem Clementina*, ubi scribentes, de quibus Vestr. *n.* 8. Gonz. *n.* 72. Cassad. *dec. 4 de sequestrat.* Put. *dec. 347. l. 3.* Rota *in Gerunden. Prioratus 9. Decembr.* 1644 Bichio.

Quod ampliatur etiamsi possessor non curasset apponere de sua possessione ante sententiam, & quamvis petitor prætenderet, quod ex justo impedimento, vel ex aliis causis regula de triennali non faceret suam operationem circa negotium principale, quoniam excepto casu triennalis possessoris simoniaci, vel non habentis neque titulum coloratum, quibus ista restrictio non suffragatur, ut per Cassad. *dec. 3. & 4. de restit spoliatorum*, in reliquis procedit, sive sit possessor triennalis immediatus, sive mediatus, ut per Caputaqu. *dec. 354 p. 2. & dec. 159. p. 3.*

In prædictis autem casibus, vel aliis, in quibus non
35 intret istud sequestrum speciale in vim Clementinæ, non per hoc præclusum est judicis arbitrium pro appositione dicti alterius sequestri provisionalis ex causis, de quibus supra; Bene verum quod isto casu, ultra alias differentias superius consideratas, dimitti solet possessori tanta fructuum quantitas, quæ sufficiat pro alimentis, ac sumptibus litis, Lotter. *d. q. 11. n. 178.* Gratian. *discept. 114. n. 5.* Quod tamen neque videtur ita generaliter statuendum, sed pro facti qualitate, ac possessoris indigentia, bonique vel mali juris gustu, ex eodem judicis arbitrio, in quo totum repositum est.

Hinc proinde in pluribus causis beneficialibus non Rotalibus ob fructuum exiguitatem obtenta sententia ad favorem petitoris a Prælato, vel alio judice, ubi præsertim agitur contra possidentem cum manifesto 36
vitio attentatorum, ut frequenter contingit in impetrantibus certo modo beneficium plenum; Sive in illis, qui in concursu alterius præsentati obtinet sententiam super institutione, atque post appellationem, vel pendente ejus termino de facto se intrudunt, cum similibus, obtinui per plenam Signaturam demandari appositionem sequestri, quod solet esse optima medicina ad terminandas hujusmodi exiguas lites ac resecandi calumnias, non tamquam per sequestrum *Clementinæ*, sed tamquam provisionale, attendendo dispositionem, vel rationem *Clementinæ*, pro justo motivo, non autem quod ita obiter practicetur sequestrum *Clementinæ*, quod requirit causæ cognitionem ut supra.

Sequestratarius debet esse de gremio Ecclesiæ, in qua est beneficium, ut firmatur in *Narnien. Cappellaniæ 8. Februarii* 1649. cor. Bichio, *dec. 286. p. 10. rec. in fin.* ubi habetur posse in sequestratarium deputari etiam 37
unum ex collitigantibus, quod quandoque ego obtinui practicari ad favorem illius, cui constabat bonum jus satis assistere; Non potest tamen desuper statui, regula cum agatur de materia mere arbitraria pro facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda.

ANNOT. AD DISC. XCVIII.

De materia sequestri actum est *sub tit. de Judic. disc. 13.*

De remissoria in beneficialibus, seu spiritualibus, quomodo, & quando concedenda sit, & in quo differat a remissoria concedenda, vel deneganda in aliis causis. 1

SUMMARIUM.

1 *Quæ dicantur causæ spirituales in genere ad alios effectus.*
2 *Ad effectum remissoriæ causæ spirituales dicuntur solum beneficiales, & omnes aliæ sunt prophanæ.*
3 *Et debent esse vere beneficiales super titulo beneficii principaliter.*
4 *Quando etiam in beneficialibus causa non sit beneficialis.*
5 *Causæ decimales, vel matrimoniales, & similes sunt prophanæ.*
6 *Dicitur beneficialis si agatur de commenda regulari.*
7 *De regressu ad beneficium.*
8 *De ratione, ob quam formiter disputari solet in Rota super concessione, vel denegatione remissoriæ.*
9 *In spiritualibus remissoria non datur sine fumo.*
10 *Item non datur nisi in tertia instantia.*
11 *Datur in prima, quando causa est, appellatione remota, vel petens se obligat stare unicæ.*
12 *Item apposito sequestro, & quando non.*
13 *Compulsoria specialis, & remissoria procedunt a pari.*
14 *Ubi remissoria denegari debet in prophanis, multo magis deneganda est in spiritualibus.*
15 *De aliquibus inconvenientibus resultantibus ab hujusmodi disputationibus super remissoria.*

DISC. XCIX.

Quamvis sub nomine causarum spiritualium ad alios 1
effectus veniant omnes causæ ecclesiasticæ forum spiritualem concernentes, ut sunt causæ matrimoniales, decimarum, ac similes, venientes præsertim sub dispositione Sac. Conc. Trident. *sess. 24. de reformat. cap.* 20. ad effectum integræ transportationis actorum etiam irrelevantium de forma, ad differentiam causarum prophanarum, juxta distinctionem, de qua præsertim *dec. 35. p. 12. rec.* sive ad effectum jurisdictionis, & incompetentiæ judicis laici, cum similibus:

Attamen ad istum effectum remissoriæ sub nomine causarum spiritualium, non veniunt nisi causæ vere beneficiales, omnes vero aliæ etiam matrimoniales, & similes sunt 2
prophanæ, imo debent esse vere beneficiales, in quibus agatur de titulo beneficii juxta ea quæ habentur supra *disc.*

disc. 92. in proposito beneficii litigiosi, ex deductis per
3 Gonz. *ad regul. 8. §. 2. proœmiali, n. 65.* Add. ad Greg.
dec. 174. Unde propterea si agatur de solo possessorio,
4 non dicitur talis, Gonz. *ubi sup.* Sive agatur de unio-
ne beneficiorum, aut de jure conferendi, seu præsen-
tandi, sive de pensione, vel alio onere beneficii, quo-
ties de his agitur principaliter, quamvis prætendentes
jus in beneficio pro eorum interesse assisterent in cau-
sa, ex deductis per Add. ad Greg. *d. dec. 174.* idem Greg.
dec. 562. n. 2. cum aliis *in d. disc. 92.* cum omnia ibi de-
ducta in proposito beneficii litigiosi, ad rem adapten-
5 tur; Ideoque, ut dictum est, causæ decimarum, vel
matrimonii, & similes, dicuntur in hoc proposito pro-
phanæ, ut plene *dec. 101. n. 1. p. 10. rec.* ubi de decimis,
de quibus etiam apud Cel. *dec. 32. n. 1. & seqq.* & de
matrimoniali *dec. 233. p. 10. rec.*

Si vero agatur, non de Beneficio, sed de commen-
da, vel præceptoria Regulari, dicitur ad hunc effe-
6 ctum causa spiritualis, *ut dec. 475. par. 5. rec. n. 14. &*
seq. dec. 137. in fine par. 4. & in aliis.

Ac etiam talis dicitur, si agatur de regressu ad bene-
ficium, Vel jure conditionis resolutivæ juxta formu-
7 lam modernam, Vel ratione contumaciæ, & proter-
viæ, tamquam in pœnam, juxta formulam antiquam,
Achil. *dec. 6. de donationibus*, Dunoz. *dec. 852.*

His ita prænotatis, quando scilicet agi dicatur de
causa spirituali, vel prophana; In hac secunda specie
8 nimium frequentes, & quotidianæ sunt in Rota dispu-
tationes super concessione, vel denegatione remissoriæ
cum dubio particulari, ac editione decisionis, cujus
revisio etiam quandoque concedi solet, ob notabile præ-
judicium dilationis, quod præsertim in causis ultra
montes actoribus resultat, dum interim pendente exe-
cutione remissoriæ (exceptis causis executivis, in qui-
bus licet rescribi soleat *cum retardatione, vel sine ar-*
bitrio, adhuc frequentius de facto idem est effectus)
interim causa silet, ut habetur pluries in sua materia
sub tit. de judiciis.

Cumque istud præjudicium magis grave & considera-
bile sit in causis beneficialibus, in quibus dilatio causat
damnum irreparabile, dum agitur de jure mere persona-
li, seu vitalitio; Hinc proinde hujusmodi causæ spiri-
tuales, seu beneficiales in hac materia remissoriæ ab
omnibus aliis contradistinguuntur, atque cum aliquo
majori rigore diversoque stylo regulantur.

Siquidem in aliis causis prophanis, ubi non urget
suspicio calumniæ (data relevantia) non desideratur
fumus, qui tamen in spiritualibus est omnino necessa-
rius, & sine eo, ex inconcusso Rotæ stylo, remisso-
9 ria non datur, Buratt. *dec. 23. n. 4.* Coccin. *dec. 165. n.*
6. dec. 491. & 503. utrobique *n. 3. p. 2. rec.* apud Duno-
zett. *dict. dec. 852.* & quotidie.

Item in prophanis non fit distinctio instantiarum, quo-
niam, tam in prima, quam in secunda, vel tertia, quo-
ties obstacula generalia non concurrunt, data relevan-
10 tia, non negatur; In spiritualibus vero non datur in
prima, nec in secunda, sed tantum in tertia instan-
tia, in qua non negatur, Buratt. *d. dec. 28.* Coccin. *dec.*
246 n. 3. dec. 43. n. 4. & 585. n. 5. p. 5. rec.

Nisi ageretur de causa commissa, appellatione remota,
sive quod petens remissoriam se constituat in casu unicæ,
11 quia nempe faciat obligationem de stando unicæ, cum
tunc habeatur, ac si esset tertia instantia, & per unicam
sententiam terminanda, Cavaler. *dec. 59. n. 1. & dec. 271.*
dec. 36. n. 4. p. 4. rec. d. dec. 473. n. 6. p. 5. Add. ad Greg.
dec. 562. in fin. dec. 207. n. 16. p. 12. rec. & quotidie.

Tertio, quod in prophanis non intrat sequestrum, in
spiritualibus autem si petens remissoriam possidet, de-
bet consentire sequestro, alias illa non conceditur, Pæ-
nia *dec. 344. juxta Lugdunen.* alias *dec. 265. juxta Vene-*
12 *tam*, Seraph. *dec. 555.* bene Rota *dec. 873. p. 3. divers. l.*
3. d. dec. 473. n. 4. & 585. n. 9. p. 5. rec. & pluries; Si
vero non possidet, requiritur quod renunciet futuro
sequestro, quoties detur cum retardatione, vel etiam
cum dicta clausula, *cum retardatione, vel sine arbitrio*,
secus autem si detur simpliciter sine retardatione, ut
d. d. c. 43. n. 7. & d. dec. 585. n. 8. & 10. p. 5. rec. &
in aliis.

Omnia vero quæ dicuntur de remissoria, procedunt
etiam in compulsoria speciali, quoniam cum ista causet
13 eamdem dilationem, eademque præjudicia, idcirco in
omnibus regulatur cum terminis remissoriæ, ut in spe-
cie compulsoriæ in spiritualibus apud Dunoz. *d. dec. 852.*
in Elnen. Canonicatus 17. Februar. 1631. coram Ubaldo,
& habetur *d. tit. de judiciis*.

In reliquis autem omnibus, procedit generaliter ar-
gumentum negativum tamquam a fortiori super dene- 14
gatione remissoriæ in prophanis, multo magis denegan-
dæ in spiritualibus; Puta ratione suspicatæ calumniæ,
Aut ratione irrelevantiæ (super qua frequentiores esse
solent disputationes;) aut ratione improbabilitatis, seu
facilitatis probandi per scripturas. Vel quia remissoria
alias concessa fuerit, Sive quod deducta fuerint testifi-
cata, cum similibus, de quibus habetur actum in dicta
sua materia *sub tit de judic.* atque plena sunt decisio-
num Rotalium volumina, dum, ut dictum est, in Rota
hujusmodi disputationes sunt quotidianæ, atque in cau-
sis præsertim ultra montes acerrimæ habentur disputa-
tiones ob grave præjudicium nimiæ dilationis; Et qua
ratione cessante, pro meo sensu, imprudens consilium
censui ex parte actorum se opponere, talesque disputa-
tiones assumere super dubio formali secum ferentes per 15
necesse decisionis editionem; sed magis expedit dare ma-
nus concessioni, eo quia occasione agendi de relevantia,
vel irrelevantia materiæ articulatæ, frequentius in de-
cisionibus (licet parum laudabiliter) canonizari solent
ita incidenter merita negotii principalis, in cujus deinde
disputatione tales decisiones maximum præstant obsta-
culum. Cumque receptum sit istam esse materiam me-
re arbitrariam non recipientem certam ac determinatam
regulam, sed pro facti qualitate judicis arbitrio regu-
landam; Hinc proinde desiderarem, ut laudabilis quidem
stylus edendi decisiones super determinatione negotii
principalis, ut ita victus videat rationes, quibus judi-
ces moventur, aboleretur, in ista materia remissoriæ,
vel compulsoriæ; Sive quod incontinenti brevis edere-
tur decisio, in qua solum enuncietur, quod Dominis ex
deductis visum est materiam esse relevantem, vel re-
spective irrelevantem, stante recepta propositione, quod
de relevantia ad hunc effectum, non oportet, ut con-
stet clare & concludenter, sed taliter qualiter, ejusque
sola possibilitas sufficit, ideoque non videtur, ad quid
occasione concessionis remissoriæ edendæ sint plenæ de-
cisiones, adeo se diffundentes super meritis, illaque ita
incidenter decidendo, ut præsertim patet *ex d. dec. 101.*
p. 10. rec. & ex tot aliis, cum non oporteat, ut di-
ctum est, relevantiam concludenter justificare, sed suf-
ficiat irrelevantiam non esse omnino claram, potissi-
me ubi non urgeant vehementia adminicula calumniæ,
ut plenius in sua peculiari materia *sub tit. de judiciis*,
ubi de aliis ad hanc materiam, cujus ibi est propria
sedes.

ANNOT. AD DISC. XCIX.

De Remissoria habetur *eodem titul. de Judic. disc.*
31.

De divisione fructuum beneficii, ac onerum eisdem fructibus incumbentium, inter prædecessorem, & successorem, vel Ecclesiam, seu Cameram respective; Et de eorumdem fructuum transmissione &c.

S U M M A R I U M.

1 *Distinguuntur casus cadentes sub inspectione.*
2 *De divisione oneris pensionum inter prædecesso-*
rem, & successorem, vel Cameram respective.
3 *De consil.* Caldetini, *& distinctione casuum super*
fructibus recollectis.
4 *Recollecti remanent penes prædecessorem.*
5 *Sed quare cadant sub spolio.*
6 *Distinguuntur plures species fructuum.*
7 *De pensione pro affictu bonorum Ecclesiæ quomodo*
reguletur, distinguitur.
8 *Quare pensiones inexactæ cadant sub spolio.*
9 *In Hispania de consuetudine fructus inexacti trans-*
mittuntur ad hæredes.
10 *Ubi beneficium vacat per dimissionem, seu alias benefi-*
ciato vivente, ad ipsum pertinent pensiones inexactæ.
11 *Fructus naturales, qui sint, & qui pertineant ad*
prædecessorem si sunt collecti.
12 *Quid de pendentibus, vel non separatis, distingui-*
tur inter curata, & non curata, & an dicta di-
stinctio attendatur.
13 *Distributiones quotidianæ transmittuntur.*
14 *Quod non servetur distinctio, de qua n. 12. & de*
subdistinctione.
15 *An dentur fructus mere industriales, & qui sint.*
16 *An lucrum negotiationis dicatur fructus.*

17 *Quæ*

17 *Quæ industria sit licita clericis.*
18 *An in ista industria intret repartitio.*
19 *Quid de fructibus partim naturalibus, & partim industrialibus.*
20 *An clericus detrahat expensas pro istis fructibus.*
21 *Quid de fructibus civilibus.*
22 *Illos fructus, qui spectant ad Ecclesiam, an successor faciat suos.*
23 *In quo differant casus successionis Ecclesiæ, & ille successionis Cameræ.*
24 *De repartitione inter Cameram pro tempore vacationis, & successorem.*

D I S C. C.

1 AD plures effectus de hujusmodi quæstionibus agi solet, pluresque sunt diversi casus, diversas habentes determinationes; Ideoque pro aliquali materiæ gustu, potius quam pro formali ac absoluta tractatione, plures casus distinguendi veniunt, quorum Primus est, ubi quæstio sit inter prædecessorem, & successorem, seu prædecessorem, & Cameram, vel Ecclesiam super contributione pensionum, aliorumque onerum, quia nempe, Beneficiato, seu Episcopo infra annum mortuo naturaliter, vel civiliter, sive translato, illius anni recollecta, partim ab ipso percepta fuerit, partim vero a Camera durante vacatione, ac etiam partim a successore, itaut quandoque triangularem disputaverim quæstionem, quomodo scilicet contribuere debeant ad onera pensionum, ac expensas culturæ, cum similibus.

Alter casus est, ubi possessor beneficii, vel Ecclesiæ, vel ejus hæres post beneficii vacationem, habet solam controversiam cum successore, vel cum Ecclesiæ interim vacantis œconomo, super repartitione fructuum pendentium illius anni, absque eo quod Camera Apostolica sit in causa, nullumque habeat interesse, tam in fructibus per prædecessorem recollectis, quia non adsit spolium, vel ille habeat indultum, quam in fructibus pendentibus durante vacatione, quia nempe non intret Constitutio Julii III. sed ad limites juris communis pertineant ad Ecclesiam; Tertius est, ubi contentio sit inter ipsum prædecessorem, vel ejus hæredem & Cameram; Et quartus inter Cameram, & successorem noviter provisum infra annum, itaut ambo concurrant in participatione novæ recollectæ illius anni.

2 De primo casu habetur actum *sub tit. de pensionibus in Neritonen. in Ferrarien. & in Anglonen. disc. 24. cum seqq.* ideoque ibi videndum.

3 Quatenus igitur pertinet ad secundum, in quo (seclusu quocumque jure Cameræ,) contentio sit cum Ecclesia, vel successore, procedendum est de plano, cum *cons.* 2. Calderin. *de pecul. clericorum*, ubi distinguuntur plures casus, qui bene reassumuntur per Rotam apud Coccinum *dec.* 476. quando scilicet fructus extantes dicantur potius pendentes quam collecti, vel e contra, & sic effecti de dominio temporali ipsius Beneficiati, vel potius continuent in eodem dominio Ecclesiæ, tamquam pars fundorum, seu effectus a sua causa non separati.

Ubi enim veniunt sub nomine collectorum, ac separatorum, receptum est eos remanere penes prædeces-
4 sorem; atque ad ejus hæredes transmitti, ut in *d. cons.* Calderini canonizato per Rotam apud Coccin. *d. dec.* 475. cum aliis ad sufficientiam deductis supra *in Bononen. disc.* 81. Remanente solum alia quæstione quoad eos qui non habeant indultum testandi, super jure Ecclesiæ, potius successorio, seu hæreditario, quam super concursu in participatione, dum Ecclesia est de jure hæres, ac legitima succeditrix clerici in bonis ipsius Ecclesiæ intuitu quæsitis, & cujus loco succedit Camera, ut infra casu sequenti; Verum rari sunt isti casus in foro,
5 præsertim in Italia, quoniam; Vel intrat spolium ad favorem Cameræ, ubi adsunt collectores Apostolici juxta Constitutionem Julii III. Vel si Camera non participat de fructibus vacantibus, adhuc intrat spolium in bonis clerici, ut docet praxis Ecclesiarum, quæ in Regno Neapolitano sunt ad Regiam præsentationem; Vel neque habetur usus spoliorum, ut de consuetudine supponitur in Statu Mediolani, cum similibus; Sed isti termini sunt diversi; nam aliud est agere de jure successorio, seu hæreditario Ecclesiæ in bonis jam effectis de dominio clerici, utpote quæsiti ipsius Ecclesiæ intuitu; Aliud vero agere de participatione fructuum adhuc pendentium, & non collectorum jure proprio, ac ratione dominii, quod proprie cadit sub hoc themate.

Super hoc igitur secundo puncto, concursus, seu participationis fructuum pendentia; vel qui pro pendentibus habendi veniat, utpote quamvis maturi & collecti, non tamen a solo separati, itaut intret ratio, de qua *d. disc.* 81. *cum seqq.* super non sequuta abdicatione dominii ab Ecclesia, & translatione, in privatum, ac temporale dominium beneficiati, plures species distinguendæ veniunt, quarum Prima est pecuniariæ pensio-
nis debitæ, vel debendæ per conductores, seu arrenda- 6
tarios bonorum Ecclesiæ; Altera fructuum mere naturalium; Tertia mere industrialium; Quarta mixtorum, idest partim naturalium, & partim industrialium; Et quinta civilium.

Quoad primam speciem pensionis debitæ per condu- 7
ctores, seu arrendatarios bonorum Ecclesiæ, inspiciendum non est, an illa exacta sit necne per prædecessorem, sive an cesserit, vel non cesserit dies solutionis, sed attenditur, an per conductorem percepti fuerint fructus, cum omnimoda separatione a solo, itaut verificetur dictum requisitum abdicationis dominii ab Ecclesia, & translationis in privatum dominium ipsius conductoris de tempore prædecessoris; tunc enim eidem debetur dicta pensio, quamvis dies solutionis cesserit tempore successoris; Et e converso nil refert, quod dies solutionis cesserit tempore prædecessoris, qui de facto pensionem anticipatam exegerit, si fructus de ejus tempore collecti non sunt, sed tempore successoris, vel beneficio vacante, quoniam pensio regulatur a fructibus, ut ita distinguendo veriorem rejecta contraria late probant Honded. *cons.* 85. *l.* 2. *n.* 13. *&* 23. Pacif. de Salviano *inspect.* 4. *c.* 1. *n.* 212. Lotter. *l.* 1. *c.* 44. *n.* 24. *cum seq.* Rota apud Cavaler. *dec.* 104. *n.* 6. *dec.* 278. *p.* 2. *rec.* repetit. post Cenc. *de cens. dec.* 177. & post Pacif. *dec.* 225. apud Buratt. *dec.* 364. *n.* 1. *& seqq.* ubi firmatur *n.* 4. quod in dubio præsumptio est, quod fructuum perceptio præcesserit diem maturatæ solutionis pensionis, cujus anticipatio non præsumitur; Et conferunt quæ circa pensiones debitas per conductores bonorum dotalium habentur *sub tit. de dote*, *disc.* 160. cum ab illis terminis, vel in toto, vel in magna parte, per Beneficialistas id reguletur.

Et quamvis aliqui credant, pensiones inexactas spe-
ctare ad successorem, vel Ecclesiam, quamvis fructus, 8
ut supra collecti, ac separati sint, ex auctoritate Cardinalis *consil.* 110. *& glos. in cap. præsenti, de offic. Ordinarii in sexto*; Attamen id continere videtur supradictam confusionem casuum, seu terminorum, illum scilicet pertinentiæ fructuum, & alterum successionis Ecclesiæ in bonis, & juribus per beneficiatum ejus intuitu quæsitis, & quam successionem vulgo *spolium* dicimus; In
dicta enim pensione inexacta succedit quidem Ecclesia, 9
quæ nomine Beneficiati succedit dicto jure hæreditario, quatenus ille non habeat indultum testandi, seu alias ex consuetudine non transmittat ad hæredes, ut in Italia supponitur esse in Statu Mediolani, & esse in Hispania cæteris relatis firmatur per Rot. *in Barchinon. fructuum Vicariæ* 14. *Febr.* 1648. coram Corrado *dec.* 153. *n.* 5. *& seqq. p.* 10. *rec.* ubi declaratur, quando & quomodo procedat; Sive ubi Clerus se composuit cum Camera, juxta deducta *supra disc.* 87. Ideoque si contentio sit cum prædecessore adhuc vivente, qui per dimissionem, vel translationem desierit esse possessor, tunc secus di-
cendum est, quoniam ad ipsum pertinet, dum non 10
intrat dictus alter titulus successoris, ut rejecto *dicto cons.* 110. Cardinal. Lotter, *lib.* 1. *quæst.* 12. *n.* 25. *cum seq.* apud Rot. *dec.* 104. *n.* 9. apud Buratt. *dec.* 445. *n.* 1. apud quos concordantes.

In secunda vero specie fructuum mere naturalium,
qui per naturam producuntur, absque aliqua industria, 11
vel facto hominis, ut sunt (ex. gr.) herbæ silvestres ad usum pasculorum, glandes, castaneæ, nuces, poma cum similibus; Et tunc si concurrit idem requisitum abdicationis eorum dominii ab Ecclesia, cum omnimoda separatione a sua causa productiva, & translatione in privatum dominium beneficiati, juxta distinctionem, de qua supra *ex d. cons.* 2. Calderini, *de pecul. clericorum*, nulla cadit difficultas, ut pertineant ad ipsum prædecessorem, qui percepit, quamvis de tempore vacationis beneficii extent, quoties agitur de vacatione per mortem civilem, ipso beneficiato supervivente, juxta proxime supra allegatas auctoritates, cum solum difficultas cadat in casu vacationis per mortem naturalem non jure participationis, vel pertinentiæ fructuum, sed jure successionis, vel spolii, ut supra.

Ubi vero tales fructus adhuc dici possunt pendentes,
vel quia adhuc non maturati, vel quia maturati, non ta- 12

men separati a solo, & tunc Covar. *lib. 3. var. c. 15. n.* 12. quem sequitur Parif. *de resignat. l. 1. q. 6. in fin.* distinguit inter beneficia simplicia, onus curæ animarum, vel alterius administrationis non habentia, & illa quæ tale onus habeant; ut primo casu beneficiatus, post vacatum beneficium, vel ejus hæres nihil prætendere valeat, secus autem secundo, quasi quod isto secundo casu fructus dicantur merx oneris, & laboris, ideoque non bene procedatur cum terminis usufructuarii, sed potius procedendum videatur cum terminis mariti, quoties matrimonii dissolutio sequatur fructibus pendentibus, ex deductis *sub d. tit. de dote, disc.* 160. Et quam distinctionem etiam in usufructuario, cum onere, vel sine, cæteris relatis, comprobat plene Hodiern. *controvers.* 4.

Ad quod etiam conferre videntur ea, quæ habemus de transmissione ad hæredes, distributionum quotidianarum massæ grossæ, quæ in fine anni, vel statutis
13 temporibus distribui solent, quoniam in effectu non sunt fructus, neque emolumenta beneficii, sed purum salarium, seu merx laboris, quoties sint de illis, quæ debentur ratione servitii, ac interessentiæ per punctaturas, secus autem ubi sola ratione canoniæ, & præsentiæ, utpote subrogatæ loco præbendæ, ut ad nimiam satietatem colligit additionator *ad dec. 576. p. 4. rec. tom. 3. n. 22. & seqq.* Rot. *dec.* 117. *n.* 2. *& seqq. & dec.* 418. *n.* 22. *p.* 9. *rec. dec.* 135. *p.* 10. & sæpius, ideoque dicta distinctio in puncto juris magnam probabilitatem habere videatur. Verum de facto praxis docet eam non esse receptam, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, ac Metropolitanis, in quibus certum est quod Episcopus habet onus residentiæ & curæ pastoralis, & tamen Camera, vel respective Ecclesia percepit fructus pendentes, seu maturos & non collectos, juxta superius deducta *disc.* 81. *& seqq.* Nisi dicamus dictam praxim referri posse ad utrumque titulum, in Cameram, vel Ecclesiam consolidatum, successionis scilicet, ac pertinentiæ fructuum, quod neque dici potest, dum etiam
14 in casu facultatis testandi ex indulto per *Constitutionem* 80. *Urbani VIII.* declaratum est hujusmodi fructus non transmitti, ex deductis *d. disc.* 81. *& seq.*

Occasione autem congressus habiti in quadam casus contingentia super hujusmodi quæstione ad forum non deducta, utpote per compositionem sopita (juxta frequentiorem finem hujusmodi controversiarum,) Ego in Episcopatibus, vel beneficiis curatis, in quibus dicta distinctio cadat, reflectebam ad quandam subdistinctionem, inter congruam juxta taxam 1000. vel respective 100. quam hodie ex Concil. Tridentino habemus, & inter reliquos fructus exuberantes, ut quoad congruam omnino verior videatur dicta opinio Covar. & Parisii, quodque vere intrent dicti termini mariti, seu alii distributionum quotidianarum; Secus autem in aliis: Adhuc tamen occasio non dedit id in foro disputare.

Tertia species fructuum mere industrialium non videtur ad praxim deducibilis, quoniam, ut distinguendo istas fructuum species advertitur *sub tit. de dote,*
15 *disc.* 168. occasione fructuum bonorum extradotalium, Aliqui adhibent istum terminum fructuum mere industrialium in pensionibus domorum, ac fructibus censuum, seu locorum montium, in quibus nihil natura cooperatur, sed totum provenit ab hominis industria, ita negando alium terminum fructuum civilium, sub quo isti fructus ficti frequentius explicari solent, unde retento isto magis communi usu loquendi in foro, non videtur dari casus hujusmodi fructuum mere industrialium.

Quamvis enim aliqui credant, istum terminum ada-
16 ptari posse negotiationum, ac industriarum lucris, attamen, ut advertitur eodem *disc.* 168. *de dote*, ac etiam *disc.* 191. *sub tit. de fideic.* & alibi, id continent æquivocum, quoniam lucra negotiationis dici non debent fructus, qualis est ille, qui percipitur statutis temporibus, salva rei substantia, sed potius dicitur pars sortis ita adauctæ ex beneficio incertæ alea, ex cujus maleficio minui, vel in totum destrui poterat, juxta exemplum ibi deductum augmenti resultantis prædio adjacenti flumini ex beneficio alluvionis, dum ex ejusdem fluminis impetu, maleficium devastationis, vel diminutionis pati poterat.

Unde propterea hujusmodi lucra percipi magis dicuntur per Cameram, non tamquam subrogatam loco Ecclesiæ, sed tamquam per fiscum capientem illicitas acquisitiones ob mercaturam clericis prohibitam, Nisi dicatur quod iste terminus fructuum mere industrialium, (sub quo improprie tamen, ac abusive per quemdam usum loquendi explicari solent dicta lucra negotiationis, ac industriæ,) citra delictum in clerico beneficiato verificari possit in illis industriis, quæ juxta declarationes Sacr. Congregationis registratas apud Barbos. *de jur. Eccles. l.* 1. *c.* 40. *n.* 127. licite fieri possunt, etiam per clericos 17
beneficiatos pro meliori cultura prædiorum Ecclesiæ, vel patrimonialium, seu pro faciliori, ac meliori perceptione fructuum ex eis; Puta emendo sues aliaque animalia, ut sumant pascua, & saginata carius vendantur; Vel introducendo oves, tam pro pascuis, quam pro stercoratione agri; Aut faciendo industriam bombicum, vel serici, ut ita percipiatur melior fructus ex 18
foliis arborum, cum similibus; Ista enim dicitur mera industria, sed licita & honesta, ideoque per Ecclesiam, vel successorem nihil prætendi posse videtur jure participationis, nisi pro ea rata temporis, quod ad industriam perficiendam sumerentur pascua, vel folia arborum, postquam auctor industriæ desiit esse possessor Ecclesiæ; Industria vero perfecta tempore suo adhuc extante, Ecclesia, vel ejus successor prætendere posset illam ratam, quæ dici posset quæsita per clericum bonorum Ecclesiæ intuitu, sed jure successorio, non autem jure dominii, ac participationis fructuum, quatenus dictum jus successorium intret, ut supra.

In quarta specie fructuum mixtorum, quæ sub industrialium nomine, ad differentiam pure naturalium, magis communiter explicari solent, ut sunt triticum, aliæque fruges, nec non vinum, oleum, & similia, procedere videtur idem, quod supra de pure naturali- 19
bus dictum est, cum in hoc DD. inter unam & alteram speciem notabilem differentiam constituere non videantur; Et quamvis in hac specie Beneficiatus erogare dicatur de proprio expensas necessarias pro semine, cultura, custodia, & aliis, adeout juxta distinctionem, de qua *d. disc.* 168. *sub tit. de dote*, domino fundi referenda non videatur nisi sola portio dominicalis, vel responsio, ex loci qualitate, vel consuetudine competere solita, reliquum autem vere non dicitur fructus, sed portio colonica, quæ sumptibus, ac laboribus coloni referenda est, adeout fundi dominus nullum jus habeat hujusmodi fructus faciendi suos.

Attamen in clerico beneficiato diversimode dicendum venit, eo quia tales sumptus fecisse censetur de fructibus anni præcedentis, ita suum munus implendo, suæque obligationi satisfaciendo, ex deductis supra *in Ferrarien. disc.* 84. Nisi essemus in casu expensarum primi 20
anni, itaut non intret dicta consideratio, quod semen, aliæque expensæ factæ fuerint ex fructibus recollectæ præcedentis, unde cessante alia ratione præsumptæ donationis occasione animalium immissorum in fundos Ecclesiæ, de qua in mox allegata *Ferrar.* non videatur subesse congrua ratio, cur hujusmodi impensam 21
de bonis patrimonialibus factam supervivens percipere non debeat, atque moriens ad hæredem non transmittere.

Demum circa quintam speciem fructuum civilium sub istorum vocabulo, ut supra, juxta magis receptum forensem loquendi usum, veniunt pensiones domorum aliorumque prædiorum urbanorum, ac fructus censuum, vel locorum Montium, aliaque similia emolumenta, quibus fructuum fictorum magis vocabulum convenit, cum singulis diebus, imo horis & momentis percipi dicantur, atque in his receptum videtur, 22
ut pro rata temporis transmittantur per morientem, solaque difficultas cadit in casu vacationis per dimissionem, vel translationem, ex iis, quæ habentur *in d. Ferrarien. disc.* 84. ad quem in hoc proposito relatio sufficere videtur.

Retentis autem istis terminis participationis, vel respective successoris Ecclesiæ absque mixtura Cameræ; Cum DD. materiam tractando præsupponant hujusmodi fructuum pertinentiam ad successorem; Hinc frequentior opinatio est, non solum ignari, ac inferioris vulgi, sed etiam forte litteratorum, ac virorum superioris ordinis, quod hujusmodi fructus, uno, vel altero modo ad Ecclesiam, vel successorem pertinentes, sint ipsius successoris, cujus fortunæ referri solet invenire notabilem cumulum fructuum decursorum tempore vacationis (Quod tamen raro, exceptis quibusdam nimium divitibus Ecclesiis, praxis docet, dum salarium œconomi, ac mala administratio pene totum absorbere solent.)

Verum quatenus casus id præbeat, videtur æquivocum clarum præterquam in fructibus, pendentibus illis recollectæ; Siquidem quoad alios annorum præcedentium,

tium, exigere quidem poterit successor, & administrare, sed ad commodum Ecclesiæ in augmentum ejus dotis, ac bonorum, cum ira speciem sortis principalis habere videantur, eodem modo, quo hæreditatem, vel fideicommissum augent fructus, qui decurrunt intermedio tempore, quo successio ob non existentiam personæ vocatæ, seu ob non purificatam conditionem vacat, sive eamdem hæreditatem augent fructus maturati de tempore mortis testatoris, cum similibus; Adhuc tamen occasio non dedit in foro disputare hunc punctum.

Quoad tertium casum contentionis inter prædecessorem, vel ejus hæredem & Cameram succedentem loco Ecclesiæ, videtur dicendum idem, quod in casu præce-
23 denti respective dictum est, cum ea sola differentia de jure, quod ubi agitur cum Ecclesia, quæ ob indultum testandi non habeat jus successorium, Beneficiatus transmittit fructus extantes, a solo tamen separatos, ac de suo dominio effectos, quod non sequitur, ubi intrat spolium ad commodum Cameræ, stante *d. Constitutione* 80. *Urbani VIII.* declarante indulta etiam Cardinalitia in hoc non suffragari, ut supra *in Bononien. & Senogall. disc.* 81. *&* 82. Et secundo, differunt circa effectum facti; quod alio modo res se habent, ubi contentio est cum Ecclesia, vel successore, & alio modo cum Cameralibus.

Demum quoad quintum, & ultimum casum repartitionis fructuum inter Cameram pro tempore vacationis illius anni, ac successorem noviter provisum; Quidquid scribentes desuper variaverint, in praxi res vide-
24 tur extra controversiam, quod scilicet desumendo regulam, quæ habetur inter virum & uxorem, juxta deducta *d. tit. de dote, d.* 106. ac etiam *sub tit. de pension. in Neritonen. & Anglonen. disc.* 24. *& seq.* ac in aliis, regulatur annus ab initio, quo facta recollecta incipit terra concipere, seu præparare fructus anni venturi, seu novæ recollectæ, atque ita fit repartitio inter Cameram, & successorem pro rata temporis & mensium, ex ibi deductis præsertim *in Neritonen. disc.* 24. ubi enunciatur quomodo regulentur tempora, sive initia annorum juxta diversas fructuum qualitates; De aliis vero ad hanc materiam pertinentibus habetur supra *in dicto disc.* 81. *& seqq.*

ANNOT. AD DISC. C.

DE fructibus beneficiorum notatum est supra *d. disc.* 81. *& sequentibus.*

FIRMANA PAROCHIALIS, PRO PETRO ANTONIO AGLIATA, CUM CAROLO CRISIO.

Casus disputatus in Tribunali Auditoris Cameræ, resolutus pro Petro Antonio.

An, & quando indultum Cardinalium conferendi reservata capiat illa beneficia, quorum collatio spectet alteri inferiori ad eamdem materiam, de qua disc. 1. Et in dubio an sit exequendum Breve de capienda possessione nomine Cameræ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An in dubio sit exequendum Breve de capienda possessione nomine Cameræ.*
3 *An indultum capiat beneficia ad alterius collationem.*
4 *De differentia in hoc proposito inter Ecclesias parochiales, & alia beneficia.*
5 *An indultarius conferat reservata jure ordinario, vel delegato.*
6 *De erroribus circa applicationem doctrinarum, & conclusionum.*
7 *Quale jus habeat Ordinarius in provisione Vicariæ Ecclesiæ parochialis unitæ, & quid referat intrare concursum necne.*

D I S C. CI.

1 PArochialem Montis Georgii sub invocatione S. Michaelis vacantem de mense Augusti, Cardinalis Gualterius indultarius contulit Dominico Bonuccio, quo altera parochiam obtinente, Petrus Antonius obtinuit a Sede Apostolica in ejus loco subrogari, eamdem vero Ecclesiam tamquam reservatam a dicta Sede impetravit Carolus, qui expedito solito Brevi de capienda possessione nomine Cameræ coram uno ex Locumtenentibus A. C. cui illud de more est directum, judicium instituit pro exequutione, quæ tamen denegata fuit, concedendo Petro possessori absolutoriam, & a qua pendet causa appellationis in Rota.

In disputationibus autem desuper habitis, cum punctus resideret in justificatione reservationis quæ erat fundamentum gratiæ, quæ tamen sola non sufficiebat ob indultum Cardinalis collatoris, nisi etiam doceretur quod ista species vacationis non caderet sub indulto, Scribentes pro actore ad excludendam dictam comprehensionem, deducebant ea, de quibus infra, & tamen dicebant sufficere id esse dubium, ut in dubio 2
pro exequutione Brevis esset respondendum juxta firmata *in Romana Beneficiatus S. Jo. 11. Februarii 1669.* coram Bevilaqua.

Quatenus itaque pertinet ad hunc punctum, an scilicet in dubio respondendum esset de exequutione Brevis necne, dicebam scribens pro reo convento, etiam cum sensu veritatis, quod id contineret fallaciam, quoniam licet in dicta decisione firmatum sit hoc assumptum; Attamen contrarium esse verius firmatur *sup. disc.* 5. quem jam editum insinuabam, ne frustra repeterentur ea quæ jam alibi dicta sint, ibique habetur quod a dicta decisione postmodum recessum fuit cum subsequuto effectu; in hoc etenim advertebam, magnam dignosci differentiam inter simplicem Ordinarium collatorem, & indultarium, quoniam primo casu eo ipso quod constat de vacatione in mense reservato, vel de alia qualitate, quæ inducat reservationem realem, vel personalem, aut localem, tunc fundata dicitur intentio provisi Apostolici habentis Breve, ideoque si provisus ab Ordinario prætendit excludere reservationem per aliquam exceptionem, puta jurispatronatus laicalis de justitia juxta frequentiorem contingentiam, vel ex consimili motivo, quod sit dubium, & altioris indaginis, tunc intrat propositio, de qua *d.* 2. *&* 42. *de judic.* quod actio est clara, exceptio autem est turbida; In altero autem casu secus est dicendum, quoniam indultarius habet pro se regulam generalem conferendi omnia beneficia illius diœcesis, quacumque reservatione, vel affectione non obstante, perinde, ac si essemus in terminis juris communis ante reservationum introductionem, de qua *disc.* 9. *in Relatione Curiæ*, ac propterea si quis prætendat excludere indultum ob aliquam exceptionem, ob quam inducatur ejus limitatio, tunc intrat idem assumptum, sed in oppositum, quod actio clara, & exceptio dubia, sive quod in dubio judicandum est pro regula contra limitationem non præsumendam.

Quo vero ad merita negotii principalis, prætendebatur ex parte actoris, quod ista Ecclesia esset ad collationem capituli, ad quod probandum dabatur quædam collatio anni 1537. ac etiam allegabatur *dec* 257. *p* 3. *rec.* per quam resolutum fuit, capitulo dandam esse manutentionem in possessione juris conferendi hanc 3
Ecclesiam, exindeque inferebatur ad quæstionem disputatam *supra, disc.* 1. ut indultum non capiat hæc beneficia ad alterius collationem, deducendo in idem, ea quæ habentur apud Add. ad Greg. *dec.* 99. *in fin.* ut hæc indulta non intrent in iis beneficiis, in quibus adsit mixtura alterius collatoris.

Verum, etiam cum sensu veritatis, dicebam istud esse debile fundamentum; Primo quia negabatur per Archiepiscopum, qui pro ejus jure huic parti assistebat, istud prætensum jus conferendi, stante contraria observantia annorum 64. a tempore dictæ decisionis, quæ prodiit de anno 1610. atque non docebatur effectuata, cum tamen potuerit ab ea recedi, ut in dies praxis docet; Et secundo, quia ubi etiam justificaretur, non suffragaretur.

Ad id autem ostendendum tres præsupponebam, seu distinguebam casus, unum nempe, quod dictum jus capituli vere non subsisteret, adeout Ecclesia esset ad liberam collationem Episcopi juxta regulam generalem, seu juris assistentiam. Alterum e converso quod certum, & incontrovertibile esset jus capituli; & Tertium medium quod scilicet esset dubium, & sub lite. Primo casu res erat plana pro hac parte, ut iidem scribentes in contrarium admittebant, cum alia non dignosceretur reservatio nisi illa ratione mensis, quæ sine dubio cadebat sub indulto, dum Cardinalis indultarius non erat amplius Episcopus, quoniam si esset talis, non indigeret indulto, sed conferret ex dispositione juris communis, perinde ac si non adesset regula mensium, stante exceptuatione Cardina-

dinalium in eadem regula, adeout inter hanc speciem reservationis, & alias dignoscatur aliqua differentia. In tertio autem medio dupliciter dicebam, non esse locum petitæ exequutioni Brevis; Primo nempe quia si in secundo casu adhuc verius est intrare indultum ut infra, multo magis in isto, ducto argumento a vulgari *auth. multo magis*: Et secundo quod tali casu certum videretur, quod prævisus ab indultario esset legitimus contradictor ad impediendum hunc processum exequutivum Brevis de capienda possessione nomine Cameræ, dum istud exigit pro ejus fundamento reservationem claram, & certam, atque non sufficiunt dubia incerta, & litigiosa.

In secundo autem advertebam quod tunc intrarent rationes dubitandi contra indultum, de quibus *sup. d. disc. 1.* quando ageretur de Canonicatibus in Cathedrali, vel aliis beneficiis talis naturæ, & qualitatis, quod inferior collator, absque aliquo facto, vel participatione Ordinarii collationem facere, & exequutioni de-
4 mandare jure suo posset, qualis erat casus disputatus *in eod. disc. 1.* Et nihilominus etiam in eo casu probabiliores videntur partes indultarii, pro quo prodiit resolutio, quamvis non publicata, ex fundamentis ibidem deductis; Non erat autem opus in hac facti specie istam quæstionem assumere, dum agebatur de Ecclesia parochiali, in qua certa est mixtura, & participatio Ordinarii a Conc. Tr. citra; Quinimo ut pœne omnimodum Jus sit potius Ordinarii, illud vero inferioris collatoris sit quodammodo cæremoniale, quoniam ut advertitur in sua sede *sub tit. de paroch.* pluries, etiam in illis parochialibus, quæ sint ad alterius collationem, quamvis iste esset Prælatus exemptus, imo nullius, quoties non esset in possessione celebrandi Synodum, multo magis ubi esset subditus, ut in præsenti, concursus ad formam Concilii fieri debet coram Ordinario, suisque examinatoribus synodalibus, atque ad ipsum pertinet præeligere inter plures approbatos, adeout partes inferioris collatoris sint solum in faciendo actum collationis personæ ab Ordinario præelectæ, quod in substantia redolet quamdam cæremonialem formalitatem, & per consequens extra controversiam est quod indultum intret ex Constitutione 59. Urbani VIII. *ut eod. disc. 1.*

Atque hinc advertebam, nullam esse habendam rationem de collatione, quæ exhibebatur facta de anno 1537. quoniam ubi etiam doceretur effectuata, quodque plures aliæ exhiberentur ejusdem farinæ, ante scilicet publicationem Concil. Trident. sequutam de anno 1564. nil relevarent ob intermediam mutationem naturæ beneficii Curati ut supra.

Ad ea vero quæ habentur apud Add. ad Greg. *dec. 99.* dicebam procedi cum æquivoco; quoniam iste au-
5 ctor doctus quidem, & commendabilis Curiæ Advocatus, beneque in materia beneficiali versatus, ac propterea ejus adnotationes nimia existimatione dignæ sunt, scripsit sub eodem Gregorio, quando non prodierat dicta Constit. 59. Urbani VIII. ejus successoris, ideoque cum diversis regulis, & terminis procedebatur, quod scilicet indultarius conferre dicebatur jure suo primævo, & ordinario, tamquam per remotionem obstaculi, & per consequens salvum in omnibus erat jus inferioris Collatoris, vel qui haberet cum eodem Ordinario simultaneam, vel aliam participationem juxta firmata *in duabus Ferrarien. & Cremonen.* eadem die proditis decisionibus, quæ præfatæ Constitutionis editioni ansam dederunt *ut eodem disc. 1.* & alibi advertitur; A dicta vero constitutione citra res mutavit naturam, quoniam Cardinalis indultarius reputatur delegatus, & Vicarius Papæ, cujus jure conferre dicitur,
6 & per consequens omnes decisiones, & auctoritates, quæ dictam Constitutionem præcedunt, hodie in hac materia ponendæ sunt ad partes; Isteque tam in hoc proposito quam in omnibus pœne aliis quæstionibus, & materiis, est communis error pragmaticorum, & collectorum tot æquivocorum productivus, quod attendendo auctoritates in littera, nullatenus advertitur ad hujusmodi considerationes, distinguendo scilicet tempora aliasque circumstantias, ex quibus pendet doctrinarum, & conclusionum applicatio, seu cognitio, an faciant ad propositum necne.

Recurrebant demum Scribentes pro actore ad motivum unionis istius Ecclesiæ capitulo, ac propterea inferebant quod ad præscriptum Constitutionis Pianæ non intraret forma concursus juxta decisiones *in Reatina Parochialis* coram Cerro, quæ in hac materia circumferuntur tamquam magistrales, & sæpius in aliis, de quibus in dicta sua sede *sub tit. de Paroch.* sed pariter cum eodem sensu veritatis dicebam, quod id nullatenus obstaret; Tum 7
quia de unione effectuata non docebatur, quinimo excludebatur ex eadem superius insinuata *dec. 257. p. 3. rec.* jam per eosdem deducta pro fundamento præcipuo, dum in illa conceditur mandatum de manutenendo in quasi possessione conferendi, quod excludit unionem, dum unita non vacant, neque datur verus collator. Tum etiam quoniam advertebam intrare dilemma, quod aut ista dicenda erat Vicaria manualis, & non collativa in titulum, quod utique dici non poterat, dum antiquissimus, & continuatus status certus erat in contrarium; Et tunc neque intrant reservationes, & per consequens actor veniebat repellendus ex non jure, atque nullatenus prætendi poterat exequutio Brevis, quod præsupponebat beneficium perpetuum, & collativum; Aut vero dicendum erat, quod esset Vicaria perpetua solita conferri in titulum, adeout intrarent reservationes, & affectiones Apostolicæ juxta casus, de quibus in duplici Barchinonen. *sub tit. de Paroch. disc. 10. & 39.* cum similibus, adeout alia non dignosceretur differentia nisi quod non intraret forma concursus, sed provisio facienda esset ad nominationem Prælati, vel Rectoris Ecclesiæ, vel corporis, cui facta est unio; Et tunc pariter intrat eadem mixtura, & participatio Juris ordinarii, sine quo fieri non potest collatio, quinimmo ista ab eo fieri dicitur, cum alter cui facta est unio, ad præscriptum ejusdem Pianæ Constitutionis, habeat solum nominationem.

Et nihilominus quando etiam non intrante forma concursus haberet quoque inferior Prælatus collationem, vel deputationem directe, & immediate, adhuc hodie post Concilium, & eamdem Pianam Constitutionem intrat eadem mixtura, & participatio Ordinarii in hujusmodi beneficiis, & Vicariis annexam habentibus curam animarum, dum adhuc præcedere debet approbatio Ordinarii prævio examine habendo coram eisdem examinatoribus synodalibus, coram quibus fieri debet concursus, adeout ab ejusdem Ordinarii arbitrio pendeat admittere, & non admittere, dum aliquando etiam ubi examinatores personam nominatam denuntient idoneam circa litteraturam, potest Ordinarius illam respuere, & non admittere ob alios defectus circa vitam, & mores, vel prudentiam, dum sola litteratura non sufficit, ut in dicta sua sede advertitur. Quamvis etenim istud arbitrium non sit liberum, & effrænatum, sed regulatum esse debeat a justa causa, atque alias ab eo appellari possit; Attamen certum est, quod ita ipse est judex, & per consequens particeps in perfectione, & exequutione provisionis, ut etiam habetur *sub tit. de jurisd. disc. 14. & 15.* Et sic alia non dignoscitur differentia inter casum, in quo intret concursus, & alterum, in quo non intret, nisi quod in primo datur liber aditus quibuscumque concurrendi, ut qui magis idoneus compareretur, etiam invito collatore obtineat beneficium, in altero autem casu sufficit quod nominetur dignus, & idoneus ad placitum ejus cui competit jus nominandi, vel præsentandi, excludendo dictum liberum aditum aliorum, ac propterea quomodocumque diceretur semper firma remanebat mixtura, & participatio, qua concurrente per eosdem officiales Datariæ in quæstione, *de qua disc. 1.* non dubitabatur quin intraret indultum.

NEAPOLITANA BENEFICII, PRO CARDINALI CARACCIOLO ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO,

CUM DATARIA.

Casus disputatus coram Datario, resolutus pro Cardinali.

De eadem materia duplicis reservationis facientis cessare indultum, *de qua sup. disc. 3.* an adesse dicatur, si Prothonotarius de numero participantium, dimisso prothonotariatu, retineat Prælaturam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De reservatione oriente ex Prothonotariatu, & de differentia inter Prothonotarios de numero participantium, & alios inferiores.*
3 *Qualis sit illa familiaritas Papæ, quæ excipitur in indultis.*
4 *De constitutione Alexandri VIII. super duplici reservatione*

tione oriente ex duobus officiis possessis per eamdem personam.

5 *De ineptia cumulandi allegationes in iis quæ sunt certa, & recepta.*

6 *De eodem, de quo num. 4. & quomodo hæc duplicitas procedat.*

7 *De prælatura annexa prothonotariatui de numero.*

8 *Per cessationem Prothonotariatus non cessat prælatura tamquam character, vel reliquiæ officii.*

9 *Retentio non importat novum titulum, & novam assequutionem.*

10 *De argumento excludente duplicitatem resultantem ab eodem officio.*

D I S C. CII.

1 EXtra Curiam in Civitate Neapolitana patria defuncto Josepho Pepe, alias Prothonotario Apostolico de numero participantium, qui vendito jam Prothonotariatu, Prælaturam illi annexam Referendarii utriusque Signaturæ retinuerat, cum Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus beneficium S. Annæ ab eo possessum in vim indulti contulisset Metello Talpæ ejus Vicario Generali, & antiquo familiari annorum pœne triginta, in munere prius ejus Auditoris in Curia, dum esset Cameræ Clericus, deindeque Auditor; Oporteret autem, stante Beneficii valore, ex ejusdem indulti præscripto Apostolicam capere provisionem a Dataria; Istius officiales prætensionem excitarunt duplicis reservationis cessare facientis indultum, potissime ob jam editam Constitutionem Alexandri VII. decidentem quæstionem, de qua supra, *disc.3.* Unam deducendo reservationem a Prothonotariatu ad terminos *extravagantis Ad regimen*, non obstante dimissione, cum illo durante beneficium possederit; Et alteram ex prælatura continente familiaritatem Papæ ad præscriptum Constitutionis Pauli III. juxta deducta *eod. disc. 3. & 4. & alibi*; Quare desuper ex parte Cardinalis indultarii consultus ad formam responsi pro veritate, editi etiam pro informatione Datarii, qui veritate agnita provisionem concessit cum subsequuto effectu, dicebam improbabilem esse hanc prætensionem officialium, & illis adhærentis, qui beneficium a Dataria sperabat.

2 Non negabam etenim, quod Prothonotariatus inducat reservationem contentam *in extrav. Ad regim.* quæ vere, & proprie loquitur de Prothonotariis de numero participantium, Prælatitium constituentibus Collegium cum antiqua, & qualificata prælatura, ob eorum introductionem usque a primis temporibus nascentis Ecclesiæ per S. Clementem ad scribendum acta Martyrum juxta seriem, de qua *disc. 44. in relat. Cur.* cum alii Prothonotarii extra illud Collegium, qui per litteras Papæ in forma Brevis, vel per Legatos, & nuntios Apostolicos creari solent, pluries in præcedentibus enunciati improprie, ac abusive in sola nuncupatione, & pro aliquibus honorificis prærogativis tales dicantur, adeout apud antiquos beneficialistas sub quæstione fuerit, an eorum beneficia cadant, necne sub dicta *Extravag. Ad regimen*, & quamvis hodie extra controversiam recepta sit opinio affirmativa, ex insinuatis pluries *hoc eod. tit.* id provenire dicitur potius ex interpretatione, magisque recepto sensu eorumdem beneficialistarum, & Curiæ, quam ex littera dictæ *Extravagantis*, quæ enumerando Curiæ officiales, inter quos istos Notarios collocat, vere, & proprie de istis de Collegio loqui videtur.

Prout etiam non negabam, quod Prælatura etiam simplicium Referendariorum ob sibi annexam Papæ fa-
3 miliaritatem per Constitutionem Pauli III. inducat reservationem; Dicebam tamen, quod non esset illa vere, & proprie familiaritas, quæ in indultis excipitur, & de qua agitur *supra, disc. 5.* cum exceptio intelligatur de familiaritate vera, & actuali in Papæ domestico servitio, dum in indultis expresse conceditur facultas conferendi beneficia vacantia per obitum Auditorum Rotæ, & Abbreviatorum, aliorumque in eis expressorum officialium, qui sunt absque dubio Prælati, ac familiares, accipientes etiam a Palatio partem panis, ac respective vini, sed non sunt de vera, & actuali familia Papæ, quæ in eisdem indultis excipitur, quoniam alias id contineret implicantiam manifestam.

Ac etiam stante dicta Constitutione Alexandri deci-
4 dente quæstionem, de qua *d. disc. 3.* atque tollente rationes dubitandi ibidem enunciatas, admittebam verificationem duplicis reservationis ex duobus officiis, vel muneribus habentibus annexum Prothonotariatum, seu familiaritatem Papæ, deducendo ex uno reservationem ratione officii, vel Prothonotariatus, & ex altero aliam reservationem ratione familiaritatis, quia sic Papæ placuit decernere, quamvis alias in discursiva ratione contrarium videretur probabilius.

His autem omnibus non negatis, sed admissis, ac præsuppositis, ac propterea pro consuetudine, opportuna quidem forteque necessaria inculcando solitam ineptiam aliquorum Scribentium pro Dataria super magno superfluo cumulo allegationum, & evagationum in præmissorum comprobatione, multas desuper chartas 5
inutiliter implendo; Negabam applicationem, in qua pro consueto, adeoque frequenti stylo modernorum, consistebat fallacia.

Prædicta etenim duplicitas canonizata per Constitutionem Alexandri procedit, ubi deducatur ex duobus officiis ejusdem, vel similis naturæ, quæ ab eadem persona ex diversis titulis obtineantur, uno unam, & altero alteram faciente operationem, & sic quando vere, & naturaliter adsunt duæ species distinctæ juxta casum, de quo *eodem disc. 3.* adeout ille officialis, quamvis materialiter sit unus, formaliter tamen, seu 6
intellectualiter, consideretur duplex, vel multiplex homo, juxta illam personarum formalium multiplicitatem in una, eademque persona materiali, quæ consideratur nimium frequenter sub diversis materiis, & præsertim *disc. 2. in rel. Cur. & disc. 90. de jurisd. & alibi*; Secus autem in hac facti specie, quoniam Prælatura Referendariatus utriusque Signaturæ non ha- 7
bebatur, per hunc beneficiatum de per se tamquam contradistincta a Prothonotariatu cum titulis, & concessionibus diversis, adeout intraret dicta fictio duarum diversarum personarum, sed illa est effectus annexus, & consequutivus ipsius Prothonotariatus de numero participantium, qui annexam habet hanc prælaturam, *ut disc. 44. in relat. Curiæ, & disc. 2. de Regal.* Unde quamvis vendito Prothonotariatu, illa 8
adhuc retineatur, attamen id provenit ratione effectus jam consummati, qui non cessat per cessationem causæ productivæ, sive tamquam per speciem characteris jam impressi, qui retinetur quamvis cesset illud munus, quod fuit ejus causa productiva, ut docet praxis quotidiana in promotis ad Episcopatum, qui ratione Episcopatus obtinent etiam in Curia statum Prælaturæ cum jure deferendi habitum Prælatitium, & interveniendi in Cappella Pontificia, aliisque Prælatorum tractamentis, & dimisso Episcopatu adhuc retinent prælaturam cum dictis, aliisque similibus juribus, & tractamentis; Et habetur etiam in Baronibus, & feudatariis, aliisque Magistratibus, & officialibus, qui vendito, vel refutato, seu alias amisso feudo, vel alio officio, & Magistratu, adhuc retinent aliquas prærogativas illi annexas, tamquam per speciem characteris jam impressi, ex deductis *disc. 84. de feud.* ubi concordantes, cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

In idem faciente propositione insinuata *disc. 1. & 44. de pens.* ac etiam pluries *hoc tit. & alibi*, super retentione, vel continuatione alicujus beneficii, vel pensionis, aut alterius juris, non obstante mutatione 9
status, ob quem id obtentum sit, ut non importet novum, ac diversum titulum, sed continuationem ejusdem tituli antiqui.

Atque ad evidentiam id comprobari observabam ex indulto concesso huic Cardinali, per eumdem Alexandrum ejus promotorem circa finem Pontificatus, & postquam jam ediderat dictam Constitutionem, quo- 10
niam expresse conceditur facultas conferendi beneficia vacantia per obitum Prothonotariorum, & Abbreviatorum, ac Auditorum Rotæ, aliorumque similium officialium, quibus annexa est dicta prælatura Referendariatus Signaturæ: Si etenim ista duplicaret, atque importaret titulum diversum, utique indultum contineret facultatem, & implicantiam manifestam, quod non est dicendum, si consideraret quis deberet tamquam duplex homo, nempe tamquam Prothonotarius, & tamquam Prælatus, ideoque manifesta resultat probatio, quod per ejus Constitutionem non intellexit de ista duplicitate resultante ex uno, eodemque titulo, sed ubi concurrant duo tituli penitus distincti, in quibus verificetur dicta duplicitas personarum, quodque unus unum, & alter alterum producat effectum.

FER.

FERRARIEN. PRIORATUS

AD

PETITIONEM CARDINALIS CERRI EPISCOPI FERRARIENSIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua *sup. disc.* 4. an indultum Cardinalium capiat Monasteria regularia data in Commendam; & an in Commendis intrent affectiones & reservationes; Et quomodo in eis vacatio sequi dicatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An in commendis intrent reservationes, & affectiones.*
3 *Quando Monasterium dicatur consistoriale.*
4 *De reservationibus, & affectionibus cadentibus in casu.*
5 *Quod nullum indultum salvet reservationem ob vacationem in Curia.*
6 *Quod in commendis intrent reservationes, & affectiones.*
7 *Declaratur propositio, de qua num. 2. quod commendæ vacent ut antea, ad quem effectum procedat.*
8 *Conclusio consilio dato.*

DISC. CIII.

1 PRioratum, seu Monasterium regulare nuncupatum de Cassato, in Diœcesi Ferrarien. Conventu actuali destitutum, ab antiquo tempore in perpetuam Commendam, Cardinalibus, vel aliis Clericis sæcularibus concedi solitum, valoris ducatorum Cameræ septingentum, per Cardinalem Barberinum obtentum, atque dimissum in manibus Urbani VIII. iste commendavit Cardinali Virginio Ursino, quo defuncto in Curia de mense Augusti 1676. Sede Papali vacante per obitum Clementis Decimi, orta dubitatione, an Cardinalis Cerrus Episc. Ferrarien. in vim Indulti Cardinalitii, expresse loquentis etiam de beneficiis regularibus, illum conferre posset, aliqui erant in sensu affirmativo, non obstante vacatione in Curia, & per obitum Cardinalis, ac propterea plures resultarent reservationes clausulæ in corpore juris, quæ per mortem Papæ non cessant, illi innixi fundamento, quod in Commendis non datur vacatio de jure, &
2 de facto, ut nunc, ac propterea intrent reservationes, vel affectiones, sed dicuntur vacare ex tunc, sive ut prius juxta *dec.* 4. Mohed. *de Præb.* & *dec.* 23. Putei *l.* 1 *in correctis* alias 25. Caputaq. *dec.* 144. *p.* 1. cum aliis copiose deductis per Gonz. *ad reg.* 8. *gl* 5. §. 8. *n.* 48 & *seq.* ubi firmant, quod in hujusmodi commendis non intrat regula mensium, cumque idem Cardinalis, qui per triginta & ultra annos sederat in Rota, cujus etiam, per notabile tempus Decanus fuit, reclusus esset in Conclavi, ac propterea, per se ipsum materiam videre non posset atque dubitaret, hinc meum expetiit votum pro veritate, eodem adamussim modo, quo in consimili casu fecit Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus Neapolitanus, de quo *sup. disc.* 4.

Diversa itaque fuit mea sententia, reputando opus desperatum ex pluribus motivis, de quibus infra, etiam ubi singulariter, & de per se consideranda venirent, multo igitur magis eis omnibus simul junctis.

Primo nempe, & principaliter, quod stante dicto valore ducatorum 700. istud dicendum veniret Monasterium Consistoriale, quamvis non esset taxatum in libris Cameræ, quodque solitum esset provideri extra consistorium, juxta auctoritates deductas *eodem disc.* 4. *n.* 4.
3 & *seqq.* ubi allegantur *dec. in Palutina Abbatia* cor. Coccino *quæ sunt postmodum impressæ inter suas dec.* 1023. & 1039. Quamvis enim per his...ntes dictum diversum ... motivaretur, quod non esset descriptum in libris Cameræ, neque provideri solitum esset in consistorio, attamen advertebam idem, quod ibi, quod scilicet qualitas Monasterialis juncta cum reditu adeo notabili, ex quo resultat præsumptio, quod illud habeat annexam aliquam administrationem, causare dicitur ad hunc effectum consistorialitatem, Observando, quod indultum, in quo continetur exceptio descriptorum in libris Cameræ & Consistorialium, loquitur disjunctive, non autem conjunctive, ut una istarum qualitatum sufficiat, & per consequens advertebam inanem laborem esse quærere de reservationibus, vel affectionibus, quoties intret casus expresse exceptuatus, in quo propterea dicitur non adesse indultum, perinde, ac si illud non esset in rerum natura.

Verum ubi etiam istud motivum cessaret, adhuc in eodem persistebam sensu pro exclusione indulti ob plures reservationes, vel respective affectiones, non cadentes sub indultu *in eadem disc.* 4. contentas, unam 4
nempe, quod ageretur de vacatione per obitum Cardinalis, unde fortius advertebam intrare *Constitutionem* 38. *Pauli V.* moderatoriam indultorum, etiam ubi agatur de familiaribus Cardinalium; Tum etiam propter appositionem manuum Papæ in concessione commendæ, quibus observabam addi duas alias in dicto casu non concurrentes, ac propterea iste casus videbatur longe magis planus pro exclusione indulti, dum aderant duæ aliæ affectiones, una nempe appositionis manuum Papæ per dictam resignationem in ejus manibus factam per Cardinalem Barberinum; Et altera major, quod agebatur de vacatione in Curia, in cujus casu etiam indulta extraordinaria, & ampliora, qualia esse so- 5
lent illa nepotum Pontificum, non suffragantur præsertim in beneficiis extra Urbem, ut in specie indulti amplissimi præfati Cardinalis Barberini Nepotis ejusdem Urbani VIII. habetur *disc.* 14. & 174. *p.* 2. *rec.* & *in aliis*, adeout si ageretur de beneficio sæculari collativo, nulla caderet ratio dubitandi, quæ solum restringi videbatur ad præfatum motivum sententium contrarium ob naturam Commendæ.

Verum dicebam motivum non intrare; Tum quia etiam in terminis minoris reservationis regulæ mensium, 6
quæ in præsenti nullatenus intrabat, rejecto nominatim Gonz. *ubi sup.* ex authoritate Rotæ *in decision.* inferius allegandis habetur apud Lotter. *l.* 3. *q.* 8. *num.* 125. & merito, quoniam ubi præsertim agitur de hujusmodi Monasteriis absque capitulo, vel Conventu actuali, adeout intrare non valeat jus electivum, revera, & de facto, nulla dignosci videtur differentia inter vacationem beneficiorum, quæ conferuntur in Titulum, & hujusmodi Commendas, ac propterea circa requisitum ætatis, & alia exæquantur ut supra *disc.* 95. & alibi.

Tum clarius, quoniam illud assumptum potius retorquetur, & facit in contrarium, ideoque fortius intrat affectio, atque excluduntur indulta, & sic in gratiam Papæ contra indultarios, & ad quem effectum loquuntur *dec* 5. Cassad. *de priv.* & *d. dec.* 23. Put. *in correct.* cum aliis per Lotr. *d. l.* 3. *q.* 8. *n.* 123 & *seqq.* & *in dec.* 1311. & 1451. Pianæ, quæ reputantur in materia magistrales, quarum prima est 141 *part.* 1. *rec.* allegat. per Lotter. *ubi sup.* & *in disc.* 4. Et quæ pluries sunt canonizatæ apud Burrat. & Add. & Caval. *de quibus eod. disc.* 4. *n.* 11. & latius apud Cocc. *dec.* 1004. & 1051. & in aliis quod si Papa videtur ponere hujusmodi Monasteria in ejus manibus, a quibus non tolluntur, neque Papa dicitur dimittere, quando alicui Cardinali, vel alteri Clerico sæculari commendat, sed adhuc retinere, ut propterea adinstar Commendæ datæ ad tempus juxta usum antiquum, sequuto cessu, vel decessu Commendatarii, non dicatur sequi nova vacatio, sed continuare dicta retentio in manibus Papæ, quo posito longe magis exclusum remanet indultum. Et licet *in Salisburg.* 1. Aprilis 1672. coram Emerix d. conclusio consideretur favore indultarii, Attamen incidenter id dicitur, non gustata difficultate, & de quo indulto agitur in alia *Salisburg. hoc eod. tit. disc.* 110

Potissime quia in casu, de quo *md. Salisburg.* agebatur de quadam Commenda accidentali, & personali, ac insolita, quia nempe agebatur de Præpositura sæculari solita provideri in titulum, quam obtinebat ille, qui promotus fuit ad Ecclesiam Cathedralem, ideoque eidem data fuit retentio, cum hoc titulo commendationis personalis, qua cessante beneficium redit ad suam naturam, quam reassumit ut tunc; Secus autem in hujusmodi Monasteriis, quæ ab antiquo ad instar beneficiorum semper commendantur, tamquam per speciem provisionis in titulum, adeout sit differentia mere verbalis.

Hinc concludendo, consulebam, ut potius recurreret ad motivum prudentiale eodem modo quo eventus docuit in casu, de quo *eod. disc.* 4. ut ita a novo Pontifice pro se ipso, vel pro persona sibi grata obtineretur, dum petitio ita nimium honesta videtur ..., quam per reductionem rei ad antiquum statum, quando adhuc hujusmodi reservationum, & affectionum usus non invaluerat.

ME-

MEDIOLANEN. BENEFICIORUM,

PRO CARDINALI LITTA ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI,

CUM DATARIA.

Casus decisus per Rotam pro Cardinali.

An & quando indultum Cardinalitium capiat beneficia vacantia per obitum extra curiam promoti ad Episcopatum, cui retentio illorum ex dispensatione concessa fuit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De certa reservatione resultante ab Episcopatu possessoris, & qualis esset punctus controversiæ.*
3 *De errore immorantium super iis, quæ non sunt in quæstione, ac desuper facientium allegationum cumulos.*
4 *Quod reservatio oriens ab* Extravag. *ad regimen cadat sub indulto.*
5 *Examinantur auctoritates agentes de hac specie vacationis.*
6 *De ratione, ex qua resultat vacatio beneficiorum per Episcopatum.*
7 *Quod non sequatur per Episcopatum in partibus infidelium.*
8 *De effectu quem operatur dispensatio super retentione, non obstante diverso statu incompatibili.*
9 *Quando non sit dispensatio præservativa, sed nova provisio.*
10 *Quod observantiæ Datariæ sit deferendum, & qualis illa esset in casu.*

DISC. CIV.

1 Extra curiam defuncto N. Vicecomite Episcopo Viglevanen. possessore controversorum beneficiorum, quorum retentio in promotione ad Episcopatum cum decreto reservationis ex Apostolica dispensatione sibi concessa fuerat, atque volente Cardinali Litta Archiepiscopo Mediolanen. in cujus Diœcesi sita erant in vim indulti Cardinalitii tollentis obstaculum reservationum illa conferre, cum id sequi non posset directe, & cum sola propria auctoritate ob necessitatem ad ejusdem indulti præscriptum ratione illorum valoris incumbentem obtinendi provisionem Apostolicam, istaque per Datariam denegata sub prætextu, quod hæc species vacationis in Curia, vel apud Sedem censenda esset, ideoque non caderet sub indulto; Hinc juxta stylum remisso puncto examinando in Rota coram Alberg. Decano post plures acerrimas disputationes sub die 13. Martii 1673. prodiit resolutio Archiepiscopo indultario favorabilis, neque quod sciam ulterior disputationis progressus hucusque sequutus est.

In disputationibus itaque desuper habitis nullum cadebat dubium super reservatione in genere; Tum ob decre-
2 tum in ipsa dispensatione retentionis contentum; Tum etiam quia ob qualitatem Episcopalem intrat generaliter reservatio contenta *in Extrav. Ad regimen*, ut advertitur supra, *disc.4.* Adeout nisi adesset indultum, extra controversiam esset, quod ordinarius non posset se ingerere quamvis in ejus mense ordinario vacatio sequuta esset, ut etiam agendo de hac individuali specie reservationis advertitur *in Augustana dec.109. & in Saltsburg. disc.*110 ubi quod superfluum laborem, inanemque repletionem chartarum continere dicatur magnus apparatus in decisione in
3 eo casu edita super hujusmodi reservationis probatione, dum secluso indulto, admittebatur tamquam certa, ideoque nulla videtur excogitabilis ratio, ob quam in iis, super quibus nulla est inter partes quæstio, sed tamquam certa admittuntur, & præsupponuntur, hujusmodi inepti, ac superflui allegationum cumuli fieri debeant.

Prout e converso per Scribentes pro Dataria non negabatur, sed præsupponebatur, quod ubi ista species vacationis vere & proprie dicenda non esset in Curia, vel apud Sedem, non autem improprie, ac remote, adeout reservatio oriretur solum a *d. Extrav. ad regimen*, ob dignitatem pos-
4 sessoris, vel ob appositionem manuum Papæ, illa caderet sub indulto Cardinalitio, quod litteraliter, ac in verbis hanc speciem exprimat; Ideoque restringebatur quæstio ad punctum; An de una, vel de altera specie vacationis ista censenda esset; Ac propterea illa remanebat potius applicationis ad factum, quam super theorica juris in abstracto, quæ juxta dictam distinctionem hodie præsupponi meretur.

In hoc autem puncto; Quamvis Scribentes pro Dataria præcipuam vim facerent in auctoritate Simon. *de reserv. q.* 27. *n.* 5. cum qua pertransit Rota apud Dunoz. *dec.*219. & apud Manzan. *dec.*775. & 809. & aliæ, quæ desuper cumulabantur; Nihilominus dicebam istas auctoritates non percutere punctum quæstionis, cum solum Simonetta, & 5
sequaces firment reservationem, vel affectionem in genere, ac propterea secluso indulto, an possit ordinarius Collator se ingerere, sed non descendunt ad hanc distinctionem, an reservatio sit de una, vel de altera specie.

Prout extra punctum quæstionis erant pleræque aliæ auctoritates, quæ deducebantur, & præsertim Garz. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 32. *& seq.* & Barb. *vot.*43. *n.* 4. ubi de more est relator verborum Garz. quoniam loquitur de vacatione resultante ab ipsa assequutione Episcopatus, cum præsupposito quod non esset concessa retentio, cum isto casu Ego, & alii pro indultario scribentes admitteremus, quod vacatio vere sequi diceretur in curia, ac propterea non intraret indultum, cum tunc in ipsa curia, ipsoque Papæ Consistorio sequi dicatur vacatio per mortem civilem resultantem a promotione ad Episcopatum, & sic extra punctum præcisum quæstionis, qui erat quando proviso concessa fuerit dispensatio super retentione incompatibilium, quæ propterea retinuerit usque ad obitum sequutum extra curiam, an exinde dici valeat, quod fiat retrotractio ad tempus, vel actum promotionis, ut propterea isto casu congruat idem quod habetur in præcedenti, in quo denegata retentione sequitur vacatio per ipsam promotionem.

Atque reflectendo ad solam veritatem, de qua etiam responderam ante hujusmodi disputationes ab eodem Cardinali indultario consultus, cum revera nullæ haberentur decisiones, & auctoritates, quæ percuterent istum casum præcisum, mihi videbatur quod prætensio officialium Datariæ probabili destituta esset fundamento, quoties agatur 6
de pura, & simplici dispensatione super retentione, adeout non intraret illa ratio dubitandi, de qua *in Augustana, d. disc.* 109. Siquidem nisi lex Canonica *c. de multa, de præbend. cum concord.* introduxisset istam incompatibilitatem Episcopatus actualis, cum aliis beneficiis etiam simplicibus, quinimo & cum pensionibus, eodem modo, quo de Cardinalitia dignitate habetur *disc.* 75. *de pension. & alibi*, utique per promotionem possessoris ad Episcopalem dignitatem, nulla sequuta esset vacatio, quæ sequi diceretur per ejus obitum, ideoque solum superventa dignitas de per se considerata induceret reservationem resultantem *a d. Extrav. ad regimen*, eodem modo quo resultat per assequutionem aliarum dignitatum, vel officiorum, & prout etiam in ipsamet Episcopali dignitate sequitur, quando illa non sit cum actuali administratione, sed solum 7
in titulo honorifico alicujus Ecclesiæ in partibus Infidelium, quod ex recepto curiæ stylo per hujusmodi Episcopatus non vacant beneficia, neque cessant pensiones, ut advertitur *disc.* 43. *de pension. & alibi plures.*

Concessio itaque dispensationis super hac retentione nullum tribuit novum titulum, sed solum tamquam per speciem præservativæ potius, quam curativæ occurrit futuræ vacationi, quæ alias ratione dictæ incom- 8
patibilitatis sequeretur, impediendo, ne illa sequatur; Et per consequens possessor beneficiorum dicitur in illorum possessione continuare jure proprio, ac primævo tamquam per remotionem obstaculi, ut in his terminis specialibus bene advertitur per Rot. apud Pæn. *dec.* 1177. & generaliter occasione frequentioris dispensationis super retentione pensionum Ecclesiasticarum, non obstante statu conjugali, & bigamia, seu militia, late apud Cels. *dec.* 355. *&* 395. *& dec.* 55. post Zuff. *de legit. proc.* & advertitur frequenter *in d. tit. de pension.* occasione agendi de indultis super pensione, non obstante statu incompatibili conjugali, vel militari, aut regulari, cum sit punctus ibidem frequenter peractus; Si etenim ille, qui alias ex vi morbi naturaliter moriturus, a Deo per intercessionem alicujus Sancti, vel ad preces alicujus Servi Dei gratiosam obtineat restitutionem sanitatis, vel quod ab aliquo excellenti Medico cum ignoto, ac singulari antidoto curetur; Aut quod condemnato ad pœnam capitis Princeps concedat gratiam, ac propterea liberetur ab imminenti periculo mortis, non tamen dici potest, quod ille censendus veniat novus homo obtinens novam vitam a priori diversam, sed dicitur continuare in priori vita cum impedimento mortis, ne ista sequatur.

Tunc etenim intrat quæstio potius idealis per Feudistas præsertim disputari solita, an Lazarus resuscitatus recuperet feudum, magis vero disputari solita per Theologos, qui 9
quan-

quandoque nimium immorari solet pro exercendo ingenio in hujusmodi quæstionibus idealibus, quarum nulla sit praxis, an mortuus resuscitatus retineat, vel reassumat antiquos characteres, necne, quando vere, ac naturaliter sequuta esset mors, deindeque miraculose concessa esset vita juxta casum Lazari, ut in hoc puncto sequi diceretur, quando denegata dispensatione præventiva super retentione per promotionem ad Episcopatum, vere sequuta, & consumpta esset vacatio, postmodum vero tamquam per speciem novæ provisionis ex integro eidem jam constituto in statu Episcopali, denuo Papa beneficium conferat; Secus autem ubi id sequatur per viam præventivæ dispensationis, per quam occurratur futuræ vacationi ne sequatur perinde, ac si non adesset lex Canonica inductiva istius incompatibilitatis, vel quod ageretur de Episcopatu in partibus.

Magna quoque altercatio, potius inter factistas, quam inter Juristas, utpote in puncto potius facti, quam juris fuit circa observantiam Datariæ, cui nimium deferendum venit, cum illa dicatur organum Papæ, ut frequenter sub diversis materiis advertitur occasione agendi de vitio subreptionis, vel obreptionis, vel defectus intentionis, ac etiam *disc. 9. in relat. Cur.* Siquidem Scribentes pro Dataria deducebant quamplures provisiones Apostolicas beneficiorum possessorum per Episcopos in illis Dioecesibus, in quibus adessent Cardinales indultarii; E converso autem Scribentes pro hac parte dicebant, quod exempla non concluderent, utpote percutientia primum casum vacationis sequutæ per ipsam promotionem ad Episcopatum sine retentione, præsupponendo, quod nullum daretur exemplum in casu præciso vacationis per obitum extra curiam illius Episcopi, cui concessa fuerit retentio; Quinimo retorquebant argumentum ratione discretivæ, seu diversæ formæ providendi in una, ac altera specie, idque mihi videbatur magnum, nimiumque convincens argumentum huic parti favorabile quod scilicet quando Papa denegat retentionem, adeout provisio fiat per promotionem, tunc adhibetur diversa forma provisionum, quam per vacationem in Curia, & apud Sedem, quando vero sequitur vacatio per obitum extra Curiam illius Episcopi, cui concessa fuit retentio, fit provisio sub diversa forma tamquam de reservato; Ista namque discretiva subsistente, dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod casus remanere videbatur planus pro hac parte.

ROMANA BENEFICIATUS S. PETRI, PRO CAPITULO, SEU CANONICO HEBDOMADARIO.

Responsum pro veritate.

De familiaritate Papæ, ad effectum reservationis Apostolicæ; An probetur per assertionem ejusdem Papæ in provisione illius, per cujus obitum beneficium vacat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Familiaritas ficta, & in verbis tantum non inducit reservationem.*
3 *De differentia inter præjudicium officialium Datariæ pro expeditione gratis, & præjudicium ordinarii collatoris.*
4 *Quid referat, provisionem cum narrativa familiaritatis esse motu proprio, vel ad supplicationem.*
5 *An rotulus probet familiaritatem, & quid operetur.*
6 *Quod istæ sint quæstiones facti potius, quam juris, & de erroribus pragmaticorum in hujusmodi quæstionibus.*

D I S C. CV.

1 PRæsupposito in facto, quod ille, per cujus obitum de mense Martii *1676.* vacaverat Beneficiatus Basilicæ Vaticanæ, ante illius assequutionem sub Alexandro Septimo, dum esset Secretarius Status Cardinalis Julius Rospigliosus, fuisset unus ex ejusdem Secretariæ operariis nuncupatus *Minutante*, sub eodem tamen Pontifice a servitio dimissus, quodque idem Cardinalis ad Pontificatum immediate evectus sub nomine Clementis Noni, noluisset quidem ad munus illum reintegrare, sed eum providisset de dicto Beneficiatu, in cujus provisione enunciaretur ejus familiaris, & continuus commensalis; Hinc prætendente Dataria, quod collatio ad se spectaret ob reservationem a familiaritate Apostolica resultantem; Ex parte Canonici Balleonii hebdomadarii, ad quem ratione pluries enunciati, & commendati Turni, collatio pertinebat, desuper consultus fui; An dicta assertio contenta in Apostolica provisione defuncti facta motu proprio, probaret familiaritatem, quamvis de illa, neque ex rotulo, neque aliunde post adeptum beneficium constaret, communicatis aliorum responsis, in quorum aliquibus ad favorem Capituli, & Canonici simpliciter fundamentum constituebatur *in dec.691. part. 4 div. in fin.* 2
ubi quod familiaritas ficta, vel privilegiativa non sufficit, utpote asseri solita ad diversum effectum obtinendi expeditionem gratis; Alii vero dubitarent ex eo, quod in dicta decisione fundamentum præcipuum constituatur in eo, quod provisio esset ad Partis supplicationem; Secus autem ubi motu proprio, cum tunc non requiratur justificatio aliunde.

Respondi quod bene motivaretur difficultas super incongrua dictæ decisionis applicatione, sed non per hoc cessaret jus ordinarii collatoris, quatenus inspecta veritate, ut supponebatur, vera familiaritas non adesset, cum suis pluries superius recensitis notoriis requisitis mentis, & dentis, ut præsertim *disc. 6. & 11. & alibi*, quoniam ad effectum reservationis ex isto capite, vel alio simili non attenduntur verba, vel fictiones, sed attenduntur facta cum mente, & dente, ideoque sola narrativa Papæ, vel alterius non sufficit, juxta *cons.* Gemin. 128. *n.* 1. quoniam hujusmodi narrativæ fieri solent, morem gerendo provisis ad prædictum favorabilem effectum 3
obtinendi litterarum expeditionem gratis; Quoniam licet etiam iste actus dicatur præjudicialis officialibus Cancellariæ Apostolicæ, attamen ob eorum magnum numerum, præjudicium respectu singulorum dicitur exiguum, & non multum considerabile comparatione favoris provisi, cui talis gratia fiat; Secus autem ad alium effectum considerabilis præjudicii directi, quod ita fiat ordinario collatori.

Assertionem autem fieri motu proprio, non autem ad supplicationem partis, illum operatur effectum, & quidem considerabilem, quod proviso tamquam de reser- 4
vato non incumbit onus justificandi narrativam, quæ sola sufficit, donec probetur contrarium; utpote provisum ab Ordinario collatore, in quem onus probandi veritatem transfunditur ob solitam virtutem, vel operationem præsumptionis, sed non tollit substantiam veritatis ubi ista sit in contrarium, ex iis, quæ generaliter de gratiis, & provisionibus motu proprio habentur late collecta apud Gabr. *de claus. concl.* 2. *n* 32. & Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 32. *n.* 5. Add. *dec.* 621. *& passim*; Et in terminis specialibus bene *dec* 832. *part.* 3. *divers. dec.* 202. *num. fin. part.* 4. *rec.* Add. ad Greg. *dec.* 239. *lit. B.* Amayd. *de stylo Datariæ, lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 36. & 37. Atque ubi auctoritates non haberentur, ad id sufficere dicebam prædictam solam regulam generalem, de qua Lotter. *lib.* 2. *q.* 32. *n.* 138. & passim; quod scilicet familiaritas non est res, quæ inducatur, vel firmetur cum verbis, & cum privilegiativis fictionibus, nisi quando ita expresse disponatur, ut est in illa familiaritate, quæ annexa est aliquibus officiis, & Prælaturis, ex insinuatis supra, *disc.* 3. & alibi, sed exigit veritatem facti in mente, & dente.

Quinimo ubi etiam talis narrativa comprobata quoque esset a descriptione in rotulo familiarium, adhuc tamen augetur quidem, ac fortior efficitur dicta præsumptio, quæ ex narrativa Papæ resultat; Ac propterea majoris 5
probationis concludentis onere prematur ille, qui negativam alleget, ut bene illam coarctare teneatur, quod videtur difficile, sed non tollit illius protentiam, ac propterea quando bene concludatur, tunc veritas attendenda venit, quoniam sola descriptio in rotulo apta est inducere unum ex duobus substantialibus requisitis, illum nempe mentis, sed non supplet alterum dentis.

Post datum vero responsum cum dicto presupposito, audivi, quod ex parte officialium Datariæ prætenderetur illius insubsistentia, stante quod defunctus repertus esset descriptus in rotulo, & quod supponeretur, quod habuisset quoque partem dari solitam, ac propterea dicebam, quod hujusmodi quæstiones censendæ non veniant juris, sed facti ex istius qualitate, & circumstantiis decidendæ, cum theorica, de qua supra, sit vera, punctus autem consistat 6
in applicatione regulanda ex singulorum casuum circumstantiis, & justificationibus, adeout intret quoque consuetus pragmaticorum error in omni materia frequenter damnatus, & inculcatus, præsertim in illa ultimarum voluntatum faciendi desuper tam in responsis Consulentium, quam in decisionibus inutiles, ac superfluos cumulos conclusionum,

rum, & allegationum, cum præsupposita theorica, indicando solum breviter unam, vel modicas auctoritates, in quibus concordantes cumulentur, insistendum sit in bona, & congrua applicatione ex circumstantiis facti accurate, & judiciose ad propositum consideratis, sed malum hujusmodi pragmaticorum, qui ut plurimum sunt testes de auditu, atque non sciunt res per causas, in hoc consistere solet, quod nimium abundant in prima parte, deficiunt vero, vel nimium parci sunt in secunda, adeout eis congruat id, quod de prodigis dici solet, quod abundant in superfluis, deficiunt autem in necessariis, dum sæpius magnum, ac improbum adhibendo laborem in dicto cumulo decisionum, & allegationum, ignorant factum, atque ad illud nullatenus reflectunt.

ABULEN. SCHOLASTRIÆ.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

De reservatione ex capite Prothonotariatus, quando intret, illeque dicatur bene probatus, necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod etiam Prothonotariatus inferior inducat reservationem.*
3 *De differentia inter illos, qui sint directe, ac immediate creati a Papa, & illos, qui ab aliis inferioribus.*
4 *Quomodo dicatur constare de implemento conditionum contentarum in litteris deputationis.*

DISC. CVI.

Creatus Prothonotarius Dominicus Valdes per Collegium Prothonotariorum participantium juxta indul-
1 tum Sixti V. enunciatum *disc.44. in relat.Cur.* pro earumdem litterarum observantia obtinuit Dominicus monitorium ab A. C. earum tenore inserto, atque decedens declaravit esse in dicto gradu constitutum, indicando ubinam propriæ domi præfatum monitorium, cum insertione litterarum retineret; Hisque sic stantibus consultus fui pro veritate, forsan ex parte illius, qui scholastriam, aliaque beneficia per dicti Dominici obitum in mense ordinario vacata, atque ab ordinario provisa, obtinuerat a Dataria, vel obtinere intendebat tamquam reservata;

Respondi planam videri affirmativam pro reservatione, dicto facto præsupposito, quoniam licet apud antiquiores sub dubio fuerit, An dispositio *extrav. Ad regimen*, quæ loquitur de notariis, intelligenda veniat solum de illis, qui sint de numero Participantium in statu
2 qualificatæ Prælaturæ constituti, utpote ab antiquo in ipsa primitiva Ecclesia deputati ad conscribenda acta Martyrum, juxta deducta *in d. disc. 44. in rel. Cur.* vel conveniat etiam hujusmodi inferioribus Prothonotariis potius honorariis; Et quatenus sic, an solum illis, qui immediate per Papam creati sunt, vel etiam illis, qui mediate per istud Collegium, sive per Cardinales Legatos, aut Nuncios Apostolicos, & alios, qui in eorum facultatibus talem habeant potestatem; Attamen hodie receptum est, adeout amplius non cadat quæstio, ut etiam isti dicantur tales, eorumque beneficia sint reservata, ex deductis *supra disc. 5. n. 24. & 25. & in summa a n. 64. ad 67. cum ibi relatis*; ac propterea alia dignosci
3 non videtur differentia inter hujusmodi inferiores Prothonotarios, qui directe, & immediate creati sint a Papa per solitas litteras in forma Brevis, & illos, qui mediate per dd. inferiores, quod priori casu stante notabili impensa pro litterarum expeditione, alia non videatur necessaria probatio ejus consensus, & acceptationis, minusque implementi formæ, quorum utrumque requiritur in altera specie; Ideoque facti potius, quam juris dicebam remanere quæstionem in hujusmodi mediatis super dicta justificatione acceptationis, & implementi.

Applicando autem ad rem, quatenus pertinet ad prædictum requisitum acceptationis, videbatur esse indubitabilem, tum quia etiam ista creatio, quæ fiat per dictum Collegium, aliquem exigit sumptum considerabilem, tum et-
4 iam ob alium sumptum erogatum in expeditione monitorii A. C. necnon ob ejusdem monitorii retentionem propriæ domi, dictamque declarationem ab eodem moriente factam in re, in qua nullum habebat interesse, cum nil ejus interesset, an beneficia per ejus obitum vacatura providenda essent per Sedem Apostolicam, vel per ordinarium; Idemque dicebam de alio requisito implementi conditionum contentarum in litteris, quoniam in eisdem disponebatur quod A. C. deberet ei assistere pro observantia privilegiorum, & præeminentiarum, postquam juramentum præstiterit, atque fidei professionem emiserit, ideoque ne admitti debeat delictum in curiæ officiali primario, & adeo qualificato præsumptio est, quod monitorium pro observantia non dederit, nisi prius his adimpletis; Eo etiam adminiculo verisimilitudinis accedente, quod sc. nimium verisimile est, quod ille, qui cupidus hujusmodi præeminentiarum, magis vero a vulgo opinatæ exemptionis a potestate ordinarii, adeo sollicitus fuit cum aliquo sumptu obtinere litteras a dicto Collegio; deindeque monitorium pro observantia, dum erat in Curia ante discessum adimpleverit præmissa, quæ absque sumptu, & incommodo ab ejus facto pendebant.

JUVENACEN. PRÆPOSITURÆ, PRO CAROLO DE CICCO, CUM MICHAELE ANGELO DE ANGELIS.

Discursus pro directione.

De reservatione primæ dignitatis in Collegiata, an & quando intret, & præsertim ubi in limine fundationis cautum sit, ut fieri debeat ad electionem Capituli, vel ad provisionem alterius collatoris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando prima dignitas in Collegiata cadat sub reservatione.*
3 *Quantum importent decem ducati de Camera in moneta Regni Neapolitani.*
4 *Veniunt solum fructus certi.*
5 *Vacante Sede Papali, quæ reservationes cessent, & quæ non.*
6 *An reservationes cessent ex indulto, vel ex lege fundationis.*

DISC. CVII.

Pavo Episcopus Tropiensis familiaris Bonif.IX. de anno 1397. proprio sumptu fundavit in Civitate Juvenac. ejus Patria Ecclesiam Collegiatam seu Canonicorum, & unius Præpositi sub invocatione S. Spiritus exemptam a jurisdictione ordinarii, & subjectam eidem Præposito, cum 1
facultate ordinandi statuta super electione, vel provisione, tam Præpositi, quam Canonicorum; Ac propterea idem Pavo in fundatione statuit, quod Canonici eligerentur ab ipso Collegio absque aliqua institutione, Præpositus autem ad ejusdem Collegii electionem, vel nominationem Apostolica auctoritate provideri deberet per Archiepiscopum Barensem, istaque capitula, vel statuta ab eodem Pontifice confirmata fuerunt in forma specifica in certo tenore; vacante itaque Præpositura per obitum in mense ordinario Ferdinandi Saxi, ad Collegii nominationem a præfato Archiepiscopo provisus fuit Carolus de Cicco possessione subsequuta, sed Michael Angelus illam impetravit tamquam reservatam, ex eo quod esset prima dignitas, unde obtenta per Carolum possessorem commissione, quæ dicitur jactationis, & jactationum in Rota coram Calataju, ab eodem consultus fui tam pro directione causæ, quam etiam de meo sensu pro veritate in meritis ad effectum deliberandi, an litem substinere deberet, necne? Consilio autem habito, decessit, unde capitulum elegit Hieronymum Saracenum pariter provisum a dicto Archiepiscopo, sed Michael Angelus provisus Apostolicus in vim regulæ Cancellariæ petiit subrogationem in jus dicti Caroli collitigantis defuncti, illisque se opponentibus tam Capitulo, quam Hieronymo, punctus remissus fuit Rotæ cum solita clausula arbitrio, datoque dubio, cum scripserim pro denegatione subrogationis ex capite calumniæ, deducendo eadem, quæ in hac materia habentur *supra disc. 50.* non audivi amplius actum de causa, adeout incertum sit, an proposita fuerit, vel alium ulteriorem habuerit progressum.

In discursu itaque ad petitionem Caroli tam pro directione, quam pro consilio, ut supra edito, cum vacatio contigisset in mense ordinario, adeout non caderet sub regula octava, seu nona mensium, restringeretur autem difficultas ad 2
punctum, an intraret reservatio in vim Constitutionis Pauli II.

li II. & reg. 4. *vel* 5. ratione primæ dignitatis; Di-
cebam duplicem desuper cadere inspectionem, unam sci-
licet facti, super valore, quoniam in Cathedrali pri-
2 ma dignitas indefinite absque distinctione valoris est
reservata, in collegiata vero non nisi excedat valo-
rem 10. florenorum, seu ducatorum Cameræ; An sci-
licet adesset, necne ille valor. Et secundo quatenus va-
lor adesset, adeout caderet sub reservatione, an suf-
fragaretur dictum indultum Apostolicum concessum in
limine fundationis.

Prima inspectio erat, ut præmissum est, potius fa-
cti, quam juris, an scilicet adesset, necne valor, qui
excederet dictam summam duc. 10. de Camera, qui
3 valutato minori valore intrinseco monetæ illarum par-
tium, ac etiam factis aliis deductionibus cambii de
loco ad locum, & aggii de moneta ærea ut plurimum
currente, in argenteam, vel auream, valutari possent
in ducatis circiter monetæ Regni; Solumque adverte-
bam, quoad ea, quæ juris sunt, quod in hoc valore
non venirent distributiones quotidianæ, minusque emo-
lumenta provenientia a legatis, aliisque piis disposi-
tionibus cum oneribus missarum, & anniversariorum
juxta frequentiorem illarum regionum praxim, sed so-
lum fructus certi, qui explicari solent sub nomine præ-
bendæ ad differentiam distributionum juxta ea, quæ
4 habentur supra, *disc.* 90. Ubi de hac materia valo-
ris, ac etiam *disc.* 10. *de jurepatr.* & alibi pluries.

Et quamvis aliqui professores de partibus ab eodem
Carolo consulti motivarent, quod vacatio sequuta es-
5 set de tempore, quo sedes papalis vacabat, ideoque
non aderant regulæ Cancellariæ; Attamen dicebam,
quod ubi adesset dictus valor, cujus ratione illa digni-
tas caderet sub dicta reservatione, id nil relevabat,
quoniam cessatio regularum prodest ad effectum evitan-
di vacationem eventualem, seu discontinuam ratione
mensis, non autem realem, vel personalem, & conti-
nuam, quæ semel impressa semper durat, ut in specie
de prima dignitate apud Merlin. *dec.* 192. *& alibi hoc
eod. tit.* advertitur, potissime quia hæc species reser-
vationis est etiam in corpore juris per *Extrav. Pauli II.*

Quo vero ad alium punctum, an scilic. lex adjecta
6 in limine fundationis faciat cessare hanc reservationem,
non multum me diffudi ex eo, quod videretur labor
inanis, quatenus non adesset dictus valor, ut non ad-
esse pro certo præsupponebatur, atque mihi videba-
tur nimium verisimile; Dicebam tamen quod quando
istud indultum esset posterior dictæ reservationi, vel
respective fundatio esset posterior, tunc dici posset,
quod censeretur derogatum *d. Extrav. Pauli II. & re-
gulæ*, ut de indulto posteriori circa primam dignita-
tem supra, *disc.* 13. & supponitur *disc.* 12. ac etiam *in
Augustana præpositura*, *disc.* 109. Et de fundatione et-
iam ubi sit juspatronatus Ecclesiasticum apud Royas *dec.*
274. Verum difficultatem apud me faciebat considera-
tio, quod fundatio cum d. indulto præcedebat, utpo-
te sub Bonif. IX. adhuc durante schismate terminato in
Conc. Constantiensi; Paulus vero secundus auctor istius
reservationis fuit Pontifex per ann. 70. circiter post
Bonifacium, ac propterea dici non posse videtur, quod
fundator habuerit in animo, ut hæc Dignitas, & Ca-
nonicatus non subjacerent, reservationibus adhuc non
existentibus in rerum natura, sed solum illis, quæ tunc
jam inceeperant juxta enarrata *disc.* 9 *in Relatione Cu-
riæ*, sed quod institutio, vel collatio commissa fuerit
Archiepiscopo Barcn. ad exclusionem Ordinarii loci,
ac propterea reservatio istius dignitatis ratione mensis
præsupponitur apud Ubald. *dec.* 58. idtoque dubita-
bam, sed ut præmissum est, maturum judicium desu-
per non efformavi, neque occasio adhuc dedit id for-
mites, & ex professo disputare.

BARCHIONEN. CANONICATUS,

PRO RAPHAELE MONTAUTO, CUM NICOLAO REITS.

Casus disputatus in Tribunali A. C. credo resolutus pro Raphaele.

De eadem materia, de qua supra, disc. 9. an sci-
licet subcollectoria Apostolica ad effectum re-
servationis probetur sine litteris, & quomodo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Reservatio intrat etiam in subcollectoribus in-
ferioribus quando sint unici, & universales.*
3 *Quomodo subcollectoria iustificetur?*
4 *De eodem, & an litteræ deputationis sint præcise
necessariæ.*
5 *An & quando officiali credatur post finitum officium.*
6 *Probata deputatione subcollectoris non est necessaria
probatio exercitii.*

D I S C. CVIII.

VAcato Canonicatu Cathedralis per obitum Jo: Ba- 1
ptistæ Vizæ de mense ordinario capitulum, seu
Canonicus turnarius illum contulit Nicolao, Raphael
autem eum impetravit a Sede Apostolica tamquam
reservatum ob subcollectoriam Apostolicam defuncti,
expedito solito Brevi de capienda possessione nomine
Cameræ, directo A. C. in ejus Tribunali coram uno
ex Locumtenentibus, assumptaque disputatione super exe-
quutione, restringebatur de more difficultas ad justifi-
cationem reservationis, quæ est gratiæ, vel provisio-
nis fundamentum, nulla cadente dubitatione super ar-
ticulo juris, an hujusmodi particulares subcollectoriæ
singularum Diœcesum subordinatæ collectori generali pro-
vinciæ, inducant necne reservationem, de qua *in reg.* 4.
quoniam licet apud antiquiores id fuerit sub quæstione, 2
attamen hodie remanet sopitum, ac extra omnem con-
troversiam, ut supra in præcedentibus pluries adverti-
tur, & per consequens quæstiones desuper cadentes ho-
die sunt potius facti, quam juris, super justificatione sci-
licet hujusmodi collectoriæ, cum suis requisitis necessa-
riis, de quibus *supra disc.* 8. *& seq.* unicitatis scilicet in
Diœcesi cum universitate jurisdictionis, ideoque his præ-
suppositis hinc inde, atque utraque parte allegante præ-
fatos jam editos *disc.* 8 *&* 9. & decisiones ibi recensitas,
& præsertim scribentibus ex parte provisi a capitulo, &
possessoribus constituentibus fundamentum *in Viterbien.
canonicatus* coram Verosp. edita me scribente in casu, de
quo *d. disc.* 8. super necessitate litterarum deputationis;
ex quibus pateat de prædictis requisitis, eo quia probatio-
nes per testes, & ipsamet acta gesta super exercitio hujus-
modi muneris tamquam æquivoca non concludunt utpote 3
referibilia ad deputationem ad negotia particularia, ut
ibi; Idcirco ex parte provisi Apostolici actoris, pro quo
jam, ultra causæ patronum, alii advocati in jure scripse-
rant, evocatus fui, atque munus suscepi ut potius expli-
carem meos sensus pro veritate, dum super deductis a
me quæstio circumferri videbatur.

Dicebam itaque, dicto sensu retento, quod quando
non adesset attestatio collectoris generalis hujus pro-
vinciæ præsentis in curia, qualis erat ille, qui recen-
setur *disc.* 85. *de jurisd.* tunc quamvis ex parte acto-
ris multi testes inducti essent, multaque exhibita acta
super exercitio subcollectoriæ, adhuc tamen magis fun-
data esset intentio rei conventi, ex dicta ratione, & juxta
firmata *d. disc.* 8. contrarium vero concludebam in facti 4
specie ob dictam attestationem officialis deponentis de fa-
cto proprio, nullumque habentis interesse, & qui ratione
Episcopalis dignitatis, in qua constitutus erat, ac etiam
notæ integritatis, videbatur fide dignus, dum ita talia
attestatio æquipollere videretur litteris ad tollendum
præfatum æquivocum, seu contrariam possibilitatem,
dum ex deductis *disc.* 9. litteræ non sunt præcise necessa-
riæ, sed moraliter, & secundum quid, eo quia sine illis
est difficile bene concludere præfatas qualitates unici-
tatis, & universitatis, alias etenim si litteræ essent præ-
cise necessariæ, esset dare inconveniens, quod in li-
bito, & facultate Ordinarii collatoris in partibus re-
positum esset hanc reservationem eludere, procurando
occupare litteras existentes penes defunctum, ut ad-
vertitur in *decis.* 252. *part.* 2. rec. cum aliis *d. disc.* 9.

Replicabatur in contrarium de iis, quæ habentur apud
Buratt. *dec.* 835. super denegata fide illius, qui fuerat
Datarius post finitum officium, quando consideratur 5
tamquam privatus, potius quam tamquam officialis, ut et-
iam a me advertitur *disc.* 14. *de regal.* impugnando deci-
sionem, in qua delatum fuerat attestationi cujusdam fisca-
lis Capitulini post finitum officium, ita curando de more
me convincere cum proprio dicto. Verum id non obstare
dicebam, quamvis retineretur idem sensus super deductis
d. disc. 14. *de regal.* quæ dicebam esse in suo casu vera,
male tamen ad rem applicata; Illa siquidem videtur dif-
ferentia inter attestationem officialis durante officio in
rebus ad idem officium pertinentibus, & alteram fa-
ctam ab eodem post expletum officium, quod priori
casu illi soli attestationi absque aliarum probationum,
vel adminiculorum fomento defertur, ex regula quod
deferendum est officiali attestanti de rebus ad ejus

officium pertinentibus, dum ita dicitur attestatio publica; finito verò officio non consideratur amplius tamquam officialis, sed tamquam testis privatus, cui tamen', ubi sit aliunde adminiculatus, utpote deponenti de facto proprio, in quo nullum habeat interesse, nimium est deferendum; præsertim ubi sit persona qualificata, & probatæ fidei, juxta ea, quæ de teste mediatore habentur *disc. 27. de dote*, & generaliter *disc. 32. de jud.* Potissime quia talis attestatio non percutiebat substantiam subcollectoriæ jam per testes, aliaque acta in genere sufficienter justificatam, sed percutiebat qualitatem, de qua nemo melius loqui poterat, quam ille qui eum deputaverat, & per consequens videbatur quod adesset sufficiens justificatio; Ac propterea credo, quod juxta præmissa resolutio prodierit pro
7 exequutione brevis; Quamvis etenim objiceretur quoque de non bene justificato exercitio, attamen erat leve objectum, quod removebatur tam in facto, quam in Jure, in facto scilicet cum plerisque actibus, ac etiam cum depositione aliquorum testium; Et in jure quia ejus probatio non est necessaria, juxta superius deducta *disc. 10. n. 12. & 13.*

AUGUSTANA
SEU NULLIUS PRÆPOSITURÆ,
PRO CAPITULO ELVACENSI,

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua in Mediolan. disc. 104. in quibus nempe reservationibus locum habeant indulta Apostolica super collatione reservatorum, & præsertim an dispensatio concessa promoto ad Episcopatum, vel aliam dignitatem incompatibilem super retentione incompatibilium, inducat reservationem apud sedem, quæ non cadat sub indultis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quales species reservationum cadant sub indultis.*
3 *De quali specie sit illa beneficiorum, quæ a promoto obtinentur in vim dispensativæ retentionis incompatibilium.*
4 *De applicatione ad casum, circa retentionem ad tempus, & quando etiam retentio ad vitam non tollat vacationem per promotionem.*
5 *Quid amplitudo verborum operetur, etiam quoad ea quæ indigent nota speciali.*
6 *Concordatis difficilius derogari solet.*
7 *Quod non sit immorandum in verbis, sed in factis, ex quibus desumenda est substantia voluntatis.*
8 *Qualis naturæ esset indultum de quo agitur, ut regulandum non sit jure aliorum indultorum.*

DISC. CIX.

1 MOnasterium Ordinis S. Benedicti de an. 1459. Pius II. sæcularizavit, illamque Ecclesiam in collegiatam sæcularem erigendo, loco capituli regularis Abbatiæ monachorum, alterum sæcularem Præpositi, & Canonicorum erexit, ita Præpositum in locum, & jura quæcumque Abbatis in omnibus subrogando; Canonicos autem in loco monachorum, cum ea præsertim lege, ut quemadmodum Abbas a Monachis eligebatur, ita Præpositus eligendus esset a Canonicis, atque ita semper continuatum fuit, Sede Apostolica electionem semper confirmante, & approbante; Cum autem ultimus Præpositus promotus esset ad Ecclesiam Cathedralem Augustanam, obtinuit hujus Præposituræ retentionem ab Alex. VII. capituli consensu accedente, ad annos 8. quibus adhuc durantibus, in sexto circiter, orta est dubitatio in capitulo, an dicto termino expirante, sive ipso etiam durante, contingente morte dicti Episcopi, collatio Præposituræ ad Datariam ratione reservationis pertineret, ac propterea desuper pro veritate consultus fui;

Respondi, quod primo aspectu mihi videbatur subesse aliquam dubitandi rationem contra capitulum ad favorem Datariæ, ex theorica, *de qua in Mediol. beneficiorum, disc. 104.* & forte alibi, quod scilicet hujusmodi indulta conferendi reservata, non obstantibus regulis Cancellariæ, aliisque litteris Aposto-
2 licis suffragentur solum pro illis reservationibus, quæ pendeant a regulis Cancellariæ, vel ab aliis Constitutionibus, inter quas connumerari solent illæ, quæ continentur *in Extrav. ad regimen*, secus autem ubi agatur de aliqua reservatione clausa in corpore Juris, ut ita distinguendo habetur apud Orthob. *dec. 197. per tot.* & præsertim *ex n. 24.* cum aliis, de quibus *eod. disc. 104.* cum videatur theorica recepta, & in curia quotidiana, occasione indultorum Cardinalium, de quibus *supra disc. 1. cum plur. seqq.*

Ista etenim theorica præsupposita; Quatenus pertinet ad applicationem, super qua solent esse quæstiones, illa ad rem cadit, *eod. disc. 104.* peracta, an scilicet vacatio per promotionem possessoris ad Episcopatum, vel aliam 3
dignitatem incompatibilem importet illam reservationem, quæ contineatur *in d. Extrav. Ad regimen*, ut propterea cadat sub indulto, vel potius e converso dicatur clausa in corpore Juris, qualis est illa apud Sedem, ut propterea non cadat; Cumque tunc penderet indecisa *d. causa Mediol.* dicebam quod non poterat dari certum judicium utpote ab illius causæ decisione regulandum, cum esset articulus novus adhuc non formiter decisus; Et nihilominus in hac facti specie major dignosceretur occasio timendi; quoniam ubi etiam canonizaretur distinctio in ea causa tradita, prout postmodum canonizata fuit, quod scilicet, aut denegata promoto retentione incompatibilium, istorum vacatio sequatur per ipsam promotionem; Et tunc vacatio sequi dicatur apud Sedem, & per consequens tamquam clausa in corpore Juris non cadat sub indulto; Aut conceditur retentio, ac propterea sequatur vacatio per mortem Episcopi, extra curiam; Et tunc secus, ut non intret dicta vacatio apud sedem, sed potius intret solum illa reservatio, quæ resultat *a d. Extrav. Ad regimen.*

Adhuc tamen in casu, de quo agitur, advertebam dubitari posse de applicatione ob diversitatem casus, cum ista dispensativa retentio non esset pure, & simplici- 4
ter, ut per cessum, vel decessum ejusdem promoti, sequatur vacatio, sed solum ad tempus, & sub diversa natura, seu qualitate ob injunctum onus erogandi tertiam partem fructuum in certos usus; Notabilem etenim dicebam dignosci differentiam inter unam speciem retentionis, & alteram; Prima namque novum Jus, vel titulum præstat, neque antiquum immutat, sed solum tamquam per speciem medicinæ præservativæ se opponit illi vacationi, quæ alias per imminentem promotionem sequutura esset, impediendo ne sequatur; Ac propterea dispensatus continuat jure suo antiquo, & primævo, perinde ac si aliud beneficium incompatibile non obtinuisset, ut advertitur *eod. disc. & in aliis*, ac etiam *sub tit. de pension.* & alibi quod non videbatur in præsenti dici posse, cum dicta retentio sub diversa natura, & qualitate ad certum tempus, ut supra concessa esset; Ac propterea dici posse videbatur, quod revera sequuta esset vacatio, quod- 5
que tamquam de vacanti concessa esset solum quædam species œconomiæ, & administrationis ad tempus determinatum, cum onere erogandi fructus pro quadam quota in sibi demandatos usus, & pro alia quota applicandi sibi, adeout dici non posset, quod versaremur in eodem casu, de quo *in d. Mediol.* & per consequens quando ageretur de indulto in forma ordinaria, & consueta, cum qua illud conceditur Cardinalibus, & aliquibus qualificatis Prælatis intuitu personæ, tunc esset nimium dubitandum; Si etenim in casu quo etiam ad vitam conceditur retentionis gratia, post tamen decretum vacationis quod jam præcesserit, gratia posterior retentionis non tollit vacationem præcedenter inductam, sed solum suspendit illius effectum usque ad obitum, quo sequuto fit provisio tamquam de vacanti per promotionem, ut prius ut per Mandos. *in reg. 1. cancell. q. 15. dec. 48. n. 3.* post Vivian. *de surrep. ac & firmatur in d. Mediol. beneficiorum 13. Martii 1673.* coram Alberg. Multo magis in præsenti.

His tamen non obstantibus contrarium dixi mihi videri verius, non quidem ex eo quod dicta dubitandi ratio non subsisteret, sed ob qualitatem indulti ex eo quod non se restringat ad Regulas Cancellariæ, & litteras Apostolicas simpliciter, sed in ampliori forma loqueretur de quibusvis constitutionibus cum verbis adeo generalibus, & effrænatis, ut apta essent comprehendere etiam illas reservationes, quæ sunt clausæ in corpore Juris, & quæ de sui natura exigant mentionem specialem; Potissime vero, & fortius ex eo, quod fieret mentio etiam concordatorum, quibus dif- 6
ficilius derogari debet, ac solet, unde claram desumi advertebam voluntatem derogandi quibuscumque aliis obstaculis, juxta ponderationes, de quibus a simili plene apud Orthob. *dec. 257.* occasione agendi de exemptione Cardinalium ab oneribus, & contributionibus, illorum mentione speciali non facta, ut ob amplitudinem verborum etiam absque tali mentione comprehenderentur.

Sed quoniam meus stylus perpetuo fuit nullum, vel modicum constituere fundamentum in formulis verborum, &

clau-

clausularum, vel dictionum, sive in grammaticalibus
7 significationibus, sed principaliter attendendo substantiam veritatis desumendam ex facti qualitate, & circumstantiis, ita attendendo magis facta, quam verba, ut in omnibus fieri deberet; Hinc proinde advertebam
8 magnam esse differentiam inter hanc speciem indulti, & illam, quæ conceditur Cardinalibus, & aliis personis conferendi reservata, potissime hodie quod non procedit amplius regula antiqua, quod indultum removeret solum obstaculum, ideoque indultarius conferet jure suo ordinario, & primævo; sed importat jus delegatum, cum isto casu præsupponatur certa reservatio, ac propterea per indultum fiat certum præjudicium Datariæ, sibi adimendo illam collationem, quam alias haberet, ideoque magis stricte proceditur juxta solitam, ac regularem naturam privilegiorum exorbitantium, ac inducentium quamdam limitationem regulæ. Id autem non videbatur ad rem adaptabile, quoniam nisi ipsius Ecclesiæ, ejusque Prælaturæ antiqua natura regularis immutata non esset, Dataria nullum haberet jus collationis, cum Abbatia non esset collativa, sed electiva sub sola obligatione obtinendi confirmationem juxta generalem naturam electivorum cum distinctione inter monasteria exempta, & non exempta, de qua *disc. 28. de jurisd.* & alibi, ut priori casu confirmatio obtinenda esset a Sede Apostolica, in posteriori autem ab Ordinario; Et per consequens istud indultum aliud in substantia non contineret, nisi legem adjectam in ipso limine sæcularizationis, ac mutationis status de regulari in sæcularem, ut per hanc immutationem non censeretur in hac parte immutatus antiquus, & solitus status electivus, eo modo, quo *disc. 80 de jurisd. & disc. 2 de don.* & alibi dicitur a simili de Ducatibus Ferrariæ, & Urbini, ut non obstante devolutione ob indulta concessa in limine devolutionis, censerentur ad quosdam effectus continuare in priori statu feudali; perinde ac si essent sub propriis Ducibus, cum similibus. Accedente potissimum adeo diuturna observantia continuata duorum sæculorum, quæ dicitur optima interpres ex deductis *disc. 21. de jud.* Potissime vero quia de anno 1613. cum contigisset casus præcisus vacationis per promotionem, Præpositura ad formam indulti provisa fuit ad electionem.

SALISBURGEN. CANONICATUS,

PRO MAXIMILIANO ERNESTO DE LODRON COMITE DE SCHLKELBBERGH,

CUM CARDINALI LANTGRAVIO DE HASSIA.

Discursus pro veritate super casu deciso per Rotam pro Cardinali.

De interpretatione indulti conferendi reservata concessi Prælato, non Cardinali, an sit restrictum ad solam reservationem mensium, vel etiam capiat alias reservationes, & præsertim illam promoti ad Episcopatum, cui incompatibilium retentio ex dispensatione concessa fuit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De reservatione ob retentionem ex Apostolica dispensatione in promoto ad Episcopatum.*
3 *Qualis sit punctus quæstionis.*
4 *De fundamentis hinc inde.*
5 *De decisionibus quæ circumferuntur super his indultis.*
6 *Quo stylo istæ quæstiones examinari, & decidi debent.*
7 *De voto, seu judicio Auctoris.*
8 *De argumento verisimilitudinis, & inverisimilitudinis.*
9 *In dubio pro restrictione privilegiorum.*
10 *De observantia omnium attendenda, & quando id procedat.*
11 *An hoc indultum differat ab illis aliorum Prælatorum.*
12 *De præeminentiis singularibus aliquorum Prælatorum Germaniæ.*
13 *De qualitate istius reservationis magis considerabili.*
14 *Conclusio discursus.*
15 *De aliquibus rationibus dubitandi de reservatione.*

Card. de Luca, Lib. XII.

D I S C. CX.

Venceslaus de Thum Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburg. assumptus ex electione Capituli per Sedem Apostolicam confirmata ad Ecclesiam Cathedralem Passav. obtinuit Apostolicam dispensationem super retentione canonicatus incompatibilis, eademque dispensatio sibi concessa fuit, quando a dicta Ecclesia transitum fecit ad illam Gurgen. ad provisionem hujus Archiepiscopi Salisburg. eo autem defuncto de mense Januarii 1673. idem Archiepiscopus vigore indulti sibi concessi per Clem. IX. conferendi reservata, canonicatum contulit Comiti Maximiliano de Lodron, sed Cardinalis Lantgravius de Hassia eundem tamquam reservatum, & non comprehensum sub indulto obtinuit a Sede Apostolica, directisque litteris Rondinino Rotæ Auditori, sub die 16. Martii 1676. pro earum executione prodiit resolutio, atque decisione pro stylo edita, in causa non scribens pro veritate ex parte provisi ab Archiepiscopo, & possessoris consultus fui ad effectum deliberandi, an expediret causam prosequi, vel potius se concordare. 1

Præsupposita itaque tamquam certa, & incontrovertibili reservatione resultante ex isto capite, adeout cessante indulto, ac etiam cessante regula mensium, clarum esset, quod jure ordinario Archiepiscopus illum canonicatum providere non potuisset, juxta deducta *supra disc. 4. & in Mediol. disc. 104.* quodque ista species reservationis non cadat sub concordatis Germaniæ; Ac propterea superfluum laborem, superfluamque chartarum repletionem redolere videatur magnus apparatus decisionis desuper editæ ad probandam reservationem; Atque restricta difficultate ad indultum; Cum in isto diceretur concedi facultatem conferendi beneficia *ratione mensium tantum specialiter, vel alias generaliter reservata extra Romanam Curiam vacantia*; Hinc decisio pendebat a puncto, an illa verba magis ampla, *vel alias generaliter reservata* starent dependenter, & consequutive ad dictam restrictionem mensium, vel potius starent de per se, & independenter, adeout ampliative omnes alias species vacationis complecterentur. 2 3

In hoc autem scribentes hinc inde pro currenti inepto stylo, cum magno ac superfluo allegationum cumulo, gerendo potius munus, vel partes grammaticorum, principaliter immorabantur super verborum, & clausularum, vel dictionum significatione, vel operatione, aut super orationis constructione, multa deducendo ex iis, quæ per Barbos. & alios hujusmodi collectores congeruntur *in eor. tract. de claus. & diction. de verb. signific.* ponderando etiam, an aliqua verba starent otiosa, quoties hunc non operentur effectum extensionis indulti ad alias species reservationum, vel e converso quod retento intellectu restrictivo ad eamdem speciem mensium, essent in aliquo operativa, adeo ut tolleretur otiositas, & præsertim ad effectum tollendi quæstionem alias apud antiquos beneficialistas vertentem, an hujusmodi indulta restricta ad reservationem mensium, [illegible] in reservatione generali, vel potius intelligantur venirent de reservationibus specialibus, Ac etiam cum mere pragmatico stylo immorando in eo quod super isto individuali indulto concedi solito Archiepiscopo Salisburg. & super [illegible] consimilibus concedi solitis tribus Electoribus Ecclesiasticis, aliisque qualificatis Germaniæ Prælatis, [illegible] decisum fuerit, præsertim in [illegible] *Canonicatus* [illegible] *Januarii 1665. 17. Martii, & 27 Junii 1666.* coram [illegible] *impress. dec. 146 part. 14 rec.* [illegible] *1. April.* 1672. coram Emerix, [illegible] ex copiose deductis in hujus [illegible]. 4 5

[illegible] itaque stylo adeo frequenter in materia [illegible], pleneque in omnibus aliis ma[illegible] hujusmodi formalitates verborum [illegible] grammaticorum, sed principaliter insistendo, ut decet, more, Jurisconsultorum, in substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis, cujus, ac facti potius, quam juris censenda est præsens quæstio, quid scilicet Papa in animo habuerit concedendi, inspecto toto contextu, totaque massa sermonis, aliisque circumstantiis facti. Ex istis potius, quam ex generalitatibus deductis per scribentes pro Actore proviso Apostolico, & in decisione, pro eodem Actore, & consequenter pro resolutionis probabilitate visum est respondere, consulendo requirenti, ut honestæ concordiæ potius, quam causæ judiciali prosequutioni studeret, Tum quia inspecto toto contextu indulti, omnibusque ejus partibus, una parte alteram 6

declarante, clarum pro meo judicio videbatur, ut verior
esset sensus restrictivus ad dictam solam speciem reserva-
tionis ratione mensium, de quibus solum pluries in toto
contextu agitur cum discretiva inter illa beneficia, quæ
essent ad liberam collationem ipsius Archiepiscopi in o-
mnibus mensibus, & illa, quæ essent ad collationem in-
feriorum cum eorum mixtura, ut esset in illis mensibus,
in quibus inferioribus obstaret reservatio, & ad instar eo-
rum, quæ ad præscriptum Constit. 68. Urb. VIII. statuta
sunt in Indultis Cardinalium, non suffragaretur statutum
inferioribus, ex deductis *supra disc. 1. cum plur. aliis*.

Tum clarius, atque pro meo judicio convincenter a
verisimilitudine, vel respective inverisimilitudine ex eo
resultante, quod in isto indulto, prout in aliis simili-
bus ut supra Germaniæ Prælatis concedi solitis quam-
vis Cardinalitia dignitate non pollentibus, non conti-
nerentur illæ exceptuationes, quæ etiam juxta antiquam
8 ampliorem formulam registratam per Germon. *de in-
dultis* continentur in indultis Cardinalium, primarum
scilicet dignitatum Cathedralium, & Collegiatarum,
necnon Monasteriorum Concistorialium, vel descripto-
rum in libris Cameræ, & electivorum, ac etiam va-
cantium in Curia, sive apud Sedem, aut vacantium per
obitum familiarium Papæ juxta quæstionem, de qua su-
pra *disc.* 105. addita in modernioribus indultis ad præ-
scriptum in Constit. 58. Pauli V. alia restrictione bene-
ficiorum vacantium per obitum Cardinalium cum simi-
libus; Ac etiam reputando necessariam expressionem ali-
quarum reservationum, ratione scilicet Prothonotaria-
tus, vel collectoriæ, aliorumque expressorum officio-
rum. Si enim verus esset intellectus ex parte provisi ab
Ordinario prætensus, quod dicta verba, *vel alias ge-
neraliter* &c. in grammaticali significatione sumpta, o-
mnes, & quascumque reservationes generaliter comple-
cterentur, ita esset dare rem omnino inverisimilem, ut
longe ampliora essent hujusmodi indulta Prælatorum,
quam sint illa Cardinalium, cum tamen ex eorumdem
Prælatitiorum indultorum tenore constet, quod illa sint
longe magis restricta, utpote ad breve tempus quin-
quennii cum necessitate renovationis; Cardinalitiis au-
tem existentibus perpetuis ad vitam, ac circa eum re-
strictione ad solam Eccl. Metropolitanam, cum tamen
Cardinalitia sint generalia pro omnibus Ecclesiis, tam
Metropolitanis, & Cathedralibus, quam Abbatialibus,
& in aliis quibuscumque, & quomodocumque per eos
possessis; Ac propterea cum in hujusmodi quæstionibus
ambiguæ voluntatis principatum obtineat verisimilitu-
do, vel respective inverisimilitudo, ita ad evidentiam
convinci observabam veritatem intellectus restrictivi ad
præfatam solam speciem reservationis ratione mentium,
cum alias omnino verisimiliter aliarum specierum ex-
pressa mentio facta esset, eo modo quo in indultis Cardi-
nalium, quodque fortius continerentur quæ in eisdem
indultis continentur. In idem suffragante axiomate ge-
nerali, quod in hac materia privilegiorum, & indulto-
rum habemus, ut stricte, & rigorose intelligi debeant,
9 quodque in dubio pro restrictione potius, ut minus læ-
datur regula generalis contraria, quam pro ampliatione
interpretatio facienda veniat, juxta satis vulgata, &
præsupponenda axiomata super quibus ineptia, vel pue-
rilitas est auctoritates cumulare.

Magni quoque faciendum esse dicebam motivum ob-
servantiæ in fine decisionis ponderatum, & altero pari-
ter nimium vulgato, & recepto, ideoque præsuppo-
10 nendo axiomate, quod observantia sit optima interpres,
& quæ prævalere debet cuicumque grammaticali, seu
legali verborum sensui; Et quamvis Scribentes pro hac
parte provisi ab Indultario insisterent in propositione,
quæ in suis casibus vera est, quod observantia debet
esse præcisa in casu, de quo agitur, quodque non suf-
ficit in aliis casibus licet similibus, & per consequens,
quod attendi non deberet, quid sequutum sit in aliis
Indultariis, præsertim in tribus Electoribus, Colonien.
Treviren. & Moguntin. ob possibilitatem, quod isto-
rum, & similium Prælatorum indulta, vel ratione ver-
borum, vel ratione styli majorem paterentur restrictio-
11 nem; Advertebam tamen quod nisi in facto constaret
de aliqua peculiari ratione, ob quam istius Prælati
indultum ampliorem formam haberet, vel ampliorem
reciperet interpretationem, prædictæ observantiæ nimium
deferri deberet ob identitatem rationis concessionis hujus-
modi indultorum Prælatis non Cardinalibus Germaniæ,
aliarumque partium septentrionalium, quam Prælatis li-
cet nimium qualificatis Italiæ, & Hispaniæ, aliarum-
que regionum, quodque licet iste Archiepiscopus Sa-
lisburgensis ob quamdam primatialem prærogativam sibi
competentem, vel ab eo prætensam, magnam in hac
regione figuram faciat, atque aliquibus prærogativis
Cardinalitiis in habitu potiatur; Attamen magnam,
forteque majorem facere videntur figuram dicti tres Ar-
chiepiscopi Electores, qui ac etiam Magnus Magister
Hierosolymitanæ Religionis, singulariter, ac privative 12
ad quoscumque alios Prælatos per Constitutionem Urb.
VIII. decorantur Cardinalitio titulo Eminentiæ, ideo-
que improbabile est, quod per Sedem Apostolicam in
hac specie prærogativæ minus non tractentur.

Difficultatem quoque non modicam mihi inferebat
qualitas, vel species reservationis, in qua non impro-
babilis dubitandi ratio cadit, an suffragetur, necne in- 13
dultum Cardinalitium, juxta deducta *in d. Mediol. eod.
tit. disc.* 104. argumento ducto *ab authent. multo ma-
gis &c.* Ideoque ex his & aliis, quæ in decisione pon-
derantur, illa famulative, seu corroborative potius,
quam de per se ponderando, respondi, quod probabi-
lis videbatur resolutio; Quamvis non omnino placerent 14
rationes fundatæ in solis generalitatibus, vel in signifi-
cationibus grammaticalibus verborum, cum potius in
hoc proposito substantia veritatis, ac verisimilis vo-
luntatis, ut supra attendenda videatur.

Motivabant Scribentes pro hac parte adversus reser-
vationem ex eo, quod possessor Canonicatus promotus
non esset ad d. Episcopatum per Sedem Apostolicam, 15
cum primum obtinuerit ex electione capituli, & alte-
rum ex provisione ejusdem Archiepiscopi Salisburg. Ve-
rum neglectum fuit motivum, & merito; Tum quia
capitulum, ac respective inferior Prælatus sunt orga-
num, seu medium provisionis, quæ potius fieri dicitur
per Sedem Apostolicam; Tum clarius, quoniam pun-
ctus non est in assequutione Episcopatus, sed in re-
tentione canonicatus incompatibilis, quæ ex Apostoli-
ca dispensatione obtenta fuit, ideoque adest appositio
manuum Papæ, & per consequens motivum videbatur
omni probabili fundamento destitutum.

ROMANA BENEFICIATUS,
INTER
CARDINALES OTTHOBONUM, ET CARPINEAM.

Discursus pro veritate post resolutionem.

De concursu Cardinalis Titularis, & Cardina-
lia Patroni in consensu præstando provisio-
ni beneficii reservati per obitum familiaris
Cardinalis faciendæ per Datariam de bene-
ficio, cujus provisio alias pertineat ad Car-
dinalem Titularem.

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *Quod in hac materia procedi debeat cum di-
stinctione casuum, & quales sint.*
3 *In Ecclesiis Cathedralibus, vel Abbatialibus, quæ
obtinentur alias, quam ratione tituli Cardinali-
tii, quomodo Cardinales considerentur.*
4 *Quid operentur indulta conferendi reservata.*
5 *Quare Cardinalis Patronus vincat collatorem in ca-
su, de quo n. 3.*
6 *De ratione differentiæ inter dictum casum, & al-
terum, in quo conferatur ratione tituli Cardina-
litii.*
7 *Declaratur, quid disponant Constitutiones Gregor.
XIV. & Pauli V. super moderatione indultorum.*
8 *An regula 32. favore Cardinalis Patroni per di-
ctas Constitutiones effecta sit perpetua, necne.*

D I S C. CXI.

VAcato beneficio sub invocatione S. Andreæ in Ec- 1
clesia S. Marci per obitum familiaris Cardinalis
Carpineæ senioris Episcopi Portuensis, ortaque proinde
controversia de cujus consensu ad præscriptum *regulæ 32.
& 33.* illud per Datariam providendum esset, an Cardi-
nalis Carpineæ Patroni, vel Cardinalis Otthoboni Ti-
tularis, ideoque ordinarii collatoris; Atque deputata
desuper particulari aliquorum Prælatorum Congrega-
tione, prodiit resolutio ad favorem Cardinalis Pa-
troni, eaque prodita, Cardinalis Collator non qui-
dem animo prosequendi causam, sed resolutioni ac-
quie-

quiescendo; cùm parum sua interesset, ad quamdam ejus satisfactionem, meum pro veritate expetiit sensum, eo quia ipsius intellectus resolutioni non acquiescebat, cum præsupposito, quod resolutio prodiisset insequendo votum Lancellot. & Cocc. cum quo etiam deinde processum fuit in *Ferrar. canonicatus* apud eumdem Cocc. *dec.* 1632. *repet. dec.* 654. *part.* 4. *rec. tom.* 3. ob Const. 19. Greg. XIV. & 56. Pauli V. An scilicet & in quo istæ moderentur ad *reg.* 33. editam favore Cardinalis Collatoris, & an aliquid de novo tribuant Cardinali Patrono, ultra id quod ei tribuit *reg.* 32.

Cumque in aliquibus scripturis desuper pendente disputatione editis, pro moderno damnabili quidem stylo plura cumularentur inter se diversa, ideoque in suis respective casibus vera, sed male illius diversis casibus applicata, hinc pro stylo advertebam reflectendum esse ad diversorum casuum distinctionem tamquam ad pluries enunciatam sacram anchoram; Ideoque plures casus distinguendo advertebam, quod

Primus casus est, ubi cessante Apostolica reservatione
2 vel affectione, collatio Beneficii vacati per obitum familiaris alterius Cardinalis pertineret ad Cardinalem Titularem collatorem directe, ac jure suo absque mixtura Datariæ, puta ob latitudinem indulti, quod capiat etiam illam speciem vacationis. Secundo, ubi beneficium tamquam reservatum ratione dictæ familiaritatis Cardinalis sit ad provisionem Papæ, vel Datariæ absque mixtura Cardinalis collatoris, quia nempe sit sub Prælato, nullum habente indultum, vivat autem, atque sit præsens Cardinalis Patronus. Tertius est casus ubi agatur de beneficio, quod regulariter de sui natura sit ad collationem Cardinalis Titularis, provisio autem pertineat ad Datariam ratione dictæ reservationis, sed Cardinalis Patronus sit mortuus vel absens. Quartus est ubi vivat, atque sit præsens Cardinalis Patronus, beneficium autem de sui natura, & seclusa dicta reservatione pertineat ad Cardinalem alias quam ratione tituli Cardinalitii, puta ratione Ecclesiæ Cathedralis, vel Abbatialis, quam ipse possideat, vel quod in ea habeat indultum; Et demum quintus, ubi idem sit casus, ac præcedens, quia nempe Cardinalis patronus vivat, & sit præsens, beneficium autem de sui natura, & seclusa ista reservatione pertineat ad alterum Cardinalem ratione Tituli Cardinalitii, qualis erat casus præcisus controversiæ.

In primo casu, in quo præsupponitur non intrare hanc reservationem ratione familiaritatis Cardinalis, eaque non obstante beneficium esse ad liberam collationem Cardinalis Titularis, absque aliqua mixtura Datariæ, qui casus licet sit rarus, attamen est possibilis; Dicebam certum videri, quod nullum jus desuper haberet Cardinalis Patronus, dum regula 32. quæ sibi assistit, istum casum nullatenus percutit, quod considerandum est ad effectum, de quo infra in quinto, & ultimo casu; In secundo autem advertebam non cadere quæstionem ad rem; Quoniam cum nullum alterius Cardinalis consideretur præjudicium, sed istud sit solum ipsius Papæ, cui per dictam regulam 32. placet sibi manus ligare, atque per quamdam gratificationem desiderare consensum Cardinalis Patroni, quando aliqua ejusdem regulæ 32. limitatio non intret, idcirco omnia quæ istum casum percutiunt, quia nempe non adesset concursus alterius Cardinalis, advertebam esse extranea a casu quæstionis.

Idemque advertebam dicendum esse in tertio ob cessantem eamdem rationem concursus duorum Cardinalium, dum Patronus non est in scena; Unde contentio est solum inter Datariam, & Cardinalem Collatorem; Istumque casum proprie percutiunt dictum votum Lancellotti, & Coccini, ac etiam *d. decis.* 1632. Coccini *repetita decis.* 654. *part.* 4. *rec. tom.* 3. quod scilicet Patronus esset mortuus, vel absens; Ac propterea, tam votum, quam decisio fundatur in eo, quod ita disponant dictæ Constitutiones Gregorii, & Pauli, vel quia sit casus omissus, & non consideratus per regulam 33, editam favore Cardinalis Collatoris, dum ea præsupponit concursum utriusque Cardinalis, & per consequens advertebam dici non posse quod dictum votum, & decisio percuterent casum quæstionis.

De quarto autem vere, ac proprie agunt dd. Constitu-
3 tiones moderatoriæ, de quibus pluries agitur supra *disc.* 1. *& seqq.* quod scilicet concurrente Cardinali Patrono adesset concursus alterius Cardinalis Collatoris indultarii, non tamen ratione tituli Cardinalitii, sed accidentaliter, atque jure extraordinario, & diverso a Cardinalitia dignitate ratione scilicet Ecclesiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ, seu Abbatialis, vel similis sibi commendatæ, vel aliter ab eo possessæ; Ac propterea quidquid sit de isto casu, in quo admittebam ob dictas Constitutiones, probabiliores esse partes Cardinalis Patroni, atque illius potius, quam Cardinalis Collatoris consensum attendi debere, non erat iste casus quæstionis.

In hujusmodi enim Ecclesiis, ex frequentiori usu, earumque natura attenta possideri solitis in titulum per Episcopos, aliosque Prælatos, quando contingit, quod ex Apostolica dispensatione illæ obtineantur per Cardinales in commendam, vel in administrationem, sive etiam, quod, ipsis possessis per Prælatos, Cardinales habeant indultum conferendi omnia earum beneficia, vel saltem reservata, & affecta, juxta casus, de quibus supra, *disc.* 1. *cum pluribus seqq.* Tunc dignitas Cardinalitia consideratur accidentaliter, tamquam occasio, ob quam competat etiam in reservatis, & affectis jus conferendi ex indulto, quod etiam aliquibus Prælatis concedi solet, sed facilius, ac frequentius conceduntur Cardinalibus, ac propterea actus collationis non fit ratione ipsius Cardinalitiæ dignitatis, sed potius fieri dicitur tamquam ab Episcopo, vel Archiepiscopo, vel Abbate, seu Administratore illius Ecclesiæ, pœnes quam habituale jus conferendi residet, eo modo quo sequebatur antiquiori tempore, antequam introduceretur usus reservationum, & affectionum, qui non est multum antiquus, juxta seriem, de qua *disc.* 9. *in relatione Curiæ, & alibi*, Adeout sit tollere solum obstaculum.

Quamvis etenim hodie procedatur cum opinione, quod hujusmodi indulta non tollant solum obstaculum, sed 4
concedunt aliquid plus, adeout Indultarii non dicantur amplius conferre jure ordinario, & primævo, juxta opinionem antiquam, antequam emanaret constitutio 68. Urbani VIII. sed potius jure delegato, ex deductis *supra*, *disc.* 1. *cum plerisque seqq.* Attamen id sequitur ad certos effectus ibidem explicatos, illum præsertim, ne indulta suffragentur capitulis, & aliis inferioribus aliquam participationem in collatione habentibus, sed in reliquis, spectata rei substantia, & naturali veritate, est restituere statum pristinum; E converso autem prærogativa, quæ per regulam 32. conceditur Cardinali Patrono, est substantialiter annexa Cardinalitiæ dignitati, atque competit, quia est Cardinalis, non quia Administrator, vel possessor alicujus Ecclesiæ; Ideoque merito in concursu juris principalis, ac essentialis, & 5
juris accidentalis, primum potentius reputari debet, atque alteri prævalere.

In quinto autem, & ultimo casu præciso controver-
siæ, res est in oppositum; Quoniam ubi agitur de benefi- 6
ciis, quorum collatio pertineat ratione tituli Cardinalitii, tunc dicitur jus essentialiter competens Cardinalitiæ dignitati jure proprio, & nativo competente de jure communi, & antequam introducerentur reservationes, & affectiones Apostolicæ, & consequentes per multa sæcula antequam emanarent dictæ regulæ 32. & 33. eodem modo quo in Episcopis, & Archiepiscopis aliisque Prælatis, quorum figuram gerunt Cardinales in titulis Cardinalitiis redolentibus quamdam (licet impropriam) speciem Ecclesiarum Cathedralium, vel Diœcesum, juxta ea, quæ habentur *sub tit. de jurisdict. disc.* 34. & latius in ibidem recensitis, ac registratis disceptationibus Cardinalis de Albiciis super hujusmodi titulis Cardinalitiis.

Jus autem Cardinalis Patroni, quamvis comparative ad jus Cardinalis Episcopi, vel Abbatis, juxta casum præcedentem, dicatur essentialiter competere Cardinalitiæ dignitati, Attamen comparative ad hoc aliud jus ratione tituli Cardinalitii, dicitur novum, & accidentale postquam inolevit dictus usus reservationum, & affectionum; Et per consequens retorquetur argumentum, de quo in casu præcedenti, atque omnino improbabile videtur, ut istud jus novum, ac dativum, & accidentale tollere debeat jus nativum, ac proprium, antiquum, & essentiale.

Ad istum itaque effectum præmittendum, vel supponendum censui primum casum, de quo supra, quamvis hodie, 7
quodammodo idealem, ut scilicet ita comprobatum remaneret hoc argumentum; Exindeque convinci advertebam æquivocum procedentium cum voto, & decisione, de quibus supra, aliisque similibus decisionibus, & auctoritatibus, utpote percutientibus dictos diversos casus, atque se fundantibus in dictis constitutionibus Gregorii, & Pauli, quę non solum in sensu, sed in littera clare probant, quod moderatio regulæ 33, percutit in Cardinalibus Collatoribus dictum jus accidentale, de quo in casu præcedenti; Et quod regula 32. favore Cardinalis Patroni in eisdem con-

constitutionibus procedit per viam præservativæ, seu conservationis illius juris, quod jam competat ex ipsa regula, eaque præsupposita in suis casibus, & terminis, non autem, ut aliquid tribuat de novo, ultra id quod jam competeret; Isteque mihi videbatur verus, ac germanus dictarum constitutionum sensus, vel intellectus, quamvis absque formalis disputationis trutina judicium omnino maturum desuper non efformaverim, ita præmissa insinuando in simplici discursu, dum alia occasio non dedit id formiter, & maturius disputare, vel examinare.

Præsupponebatur etiam quod resolutio prædicta, pro ingeniorum connaturali varietate, partim prodierit ex dicto motivo Constitutionum moderatoriarum, procedendo cum adeo dominante inepto stylo pragmatico in cæca fide decisionum, vel doctrinarum, & partim ex eo quod sequuta vacatione Sede Papali vacante cessasset regula 33. favore Cardinalis Collatoris; Et quamvis idem procederet in regula 32. attamen præsupponebatur constitui aliquam differentiam ex eo quod ista effecta sit perpetua per dictas Constitutiones Gregorii, & Pauli, quas receptum est esse perpetuas, & non cessasse per mortem Pontificum legislatorum, ut *in d. decis. 1632.* Coccin. *repetita d. decis. 654. part. 4. recent. tom. 3. num. 64. & seqq.*

Verum, & id mihi videbatur continere æquivocum plarum, quoniam perpetuitas consistit in eo, quod ipsæ Constitutiones principaliter continent, & disponunt circa moderationem indultorum, & ne illa capiant beneficia vacantia per mortem familiarium Cardinalium; in reliquis autem regula 32. stat solum relative, seu præservative, retentis suis terminis habilibus, & cum præsupposito, quod illa intret; ideoque non agnoscebam hujus motivi probabile fundamentum; Potissime quia dicta inspectio cessationis regularum Cancellariæ per mortem Papæ, ac durante vacatione Sedis, percutit effectum, ut ille qui aliud de jure communi, seclusis reservationibus, & affectionibus, haberet jus conferendi, posset illud exercere tamquam per remotionem obstaculi, faciendo collationem perfectam, cum subsequuto effectu, juxta deducta *supra, disc. 1. & 4. & in aliis*; Sed nullatenus adaptabile erat ad rem, dum reservatio semel impressa ratione familiaritatis per mortem Papæ non cessat, quia saltem resolvitur in affectionem, ut pluries in præcedentibus advertitur, atque de facto incontroversum erat, quod collatio facienda esset per Datariam, solumque controvertebatur, cui Cardinali potius gratificandum esset in dicto consensu, qui in antiquo ordinario Collatore habere videtur quamdam speciem justitiæ potius, quam gratiæ, seu reversionem ad jus commune proprium; respectu autem Cardinalis Patroni continet meram gratiam, atque novum, ac dativum jus accidentale; Ideoque ex his resolutio non placuit.

PATAVINA PRÆBENDÆ THEOLOGALIS, PRO EPISCOPO, CUM CAPITULO.

Responsum pro veritate.

An ubi collatio Canonicatuum in Cathedrali pertineat ad solum Capitulum sine Episcopo, præbendæ Theologalis collatio, vel electio pertineat ad Episcopum.

SUMMARIUM.

Facti series.

1 *Quare ista quæstio parum tractetur per DD.*
De distinctione cum qua in ea procedatur.

4 *De ratione, ob quam electio detur Episcopo, etiamsi collatio ad alium pertineat.*

5 *An eadem electio competat, ubi adsit reservatio Apostolica.*

6 *De electione Canonici pœnitentiarii.*

7 *De Canonicatibus theologali, & doctorali in Hispania.*

8 *De distinctione inter præbendam Theologalem erectam ante Concilium Trident. vel postea.*

9 *Conclusio quæstionis.*

10 *De devolutione ob male factam provisionem.*

DISC. CXII.

Recento præsupposito, de quo supra, *disc. 1.* quod Capitulum hujus Ecclesiæ Patavinæ, cessantibus Apostolicis reservationibus, vel affectionibus habeant collationem Canonicatuum absque simultanea, vel alia participatione Episcopi; Cum de mense ordinario quacumque reservatione, vel affectione cessante, vacasset Canonicatus Theologalis, atque Cardinalis Barbadicus Episcopus ex decreto Sacr. Concil. Trident. *sess. 5. de reform. c. 1.* elegisset personam idoneam, quæ se præsentavit Capitulo cum litteris testimonialibus electionis pro collatione obtinenda, Capitulum autem eo rejecto, contulisset Canonicatum alteri, possessione quoque de facto ei tradita; Hinc ex parte Episcopi desuper consultus; 1

Respondi quod quæstio non de facili habetur apud modernos, qui post Concilium scripserunt formiter, & ex professo more Doctorum potius, quam Collectorum peracta, ex ratione insinuata *disc. 2. n. 17.* in adnotat. ad Conc. Trident. quod scilicet in Italia nimium rari sunt isti casus, quod jus conferendi Canonicatus Cathedralis pertineat ad solum capitulum, ut etiam advertitur *d. disc. 1.* Et in Hispaniis, aliisque adjacentibus Provinciis, in quibus receptum est Concilium Trident. atque frequentiores, quam alibi sunt causæ beneficiales, proceditur cum specialibus Constitution. Sixti IV. & Leonis X. enunciatis supra *disc. 28. in princ.* In Gallia vero non est receptum Concilium, neque videtur quod illius Regni causæ multum connectant cum communi commercio Curiæ Romanæ; Unde si quis facilius contingere potest casus, est in illis Germaniæ partibus, in quibus etiam Concilium est receptum; neque habetur illud lumen, quod & quidem magnum haberi solet in ambiguis ex observantia, cum in hac facti specie supponatur, quod per sæculum continuum illa præbenda transitum fecerit de uno in alium possessorem per resignationem. 2

Pro eo tamen lumine, quod haberi potest a decisionibus Rotæ, & declarationibus S. Congregationis collectis per Garz. *de Benefic. part. 5. cap. 4. n. 162. & seqq.* Gonzal. *ad reg. 8. gloss. 9. §. 2. n. 82. & seqq.* Barbos. *de Episc. alleg. 56. n. 4. & in annot. ad Concil. dict. cap. 1. sess. 5. n. 23. & seqq.* procedendum videtur cum distinctione, quod aut agitur de collatione, sic de expeditione litterarum, quæ præstant titulum, cujus vigore provisus obtinere dicatur, & pro conservatione juris collatoris. Aut vero agitur de electione personæ, cui collatio facienda sit, ad effectum dignoscendi, an illa sit ad munus apta, & idonea, necne, ut eam collator provideat; Ad primum effectum respondendum esse dixi pro Capitulo, dum agitur de præbenda antiqua ante Concilium juxta distinctionem, de qua apud allegatos, qui referunt declarationem S. Congregationis, dum in hoc Concilium nihil innovare videtur, sed solum injungitur Episcopis, ut cogant eos, qui talem præbendam tunc obtinent, ut per se ipsos compellantur ad suum munus exercendum, sin minus per substitutum idoneum ab ipsis eligendum, & quod in posterum non conferatur nisi personis idoneis, quæ per se ipsos id agere valeant, sub decreto annullativa collationis, circa quam nihil statui, vel innovari videtur. 3

Aut vero agitur de electione personæ, cui collatio facienda sit, & tunc probabilius pro Episcopo juxta *decis. relat.* per Barbos. ubi supra *n. 25.* in Aretina 31. Junii 1627. non distinguendo, an sit decisio Congregationis, vel Rotæ, quod scilicet electio personæ pertinet ad Episcopum, collatio vero ad eum, ad quem alias de jure competat.

Et merito quidem, quoniam cum in iis, quæ concernunt reformationem, præcipuum intentum Concilii fuerit providere abusibus, qui irrepserant in provisionibus beneficiorum habentium annexum munus actuale, quod influat ad curam animarum, ita noluit præjudicare inferioribus collatoribus, sed injungere voluit Episcopis, & Archiepiscopis, aliisque Ordinariis electionem personæ idoneæ. 4

Ac propterea Zerola *in praxi Episcopali, part. 1. Verbo Beneficium, §. 3. dub. 4 & Verb. Præbenda Theologalis, §. 4.* relatus per Garz. & alios, & præsertim per Barbos. *de Episc. allegat. 56. n. 4.* ita credit, & quidem non sine probabilitate, ad instar eorum, quæ habemus in parochialibus, quod etiam quando collatio spectet ad Sedem Apostolicam ratione reservationis, vel affectionis, adhuc electio personæ spectare debeat ad Episcopum, quamvis collatio specta- 5

spectaret ad Datariam; Quidquid enim sit an ista doctrina in casu, de quo loquitur, subsistat, necne, & an sit in usu, cum negativa potius magis recepta videatur; attamen in caso, de quo agitur, magnifacienda videtur ob diversitatem rationis, de qua supra, quoniam ex mente, immo ex expressa dispositione Concilii stant bene simul, quod Collator inferior suum jus retineat, atque ad ipsum pertineat facere collationem, & tamen, quod Episcopus juxta formam eodem Concilio præscriptam eligee, ex relatis pluries *sub tit. de Paroch. disc.* 12. *& disc.* 37. *numer.* 52. *&* 54. *& tit. de jurisd. disc.* 14. *&* 15.

6 Clare dicebam id quoque comprobari ex altero Decreto ejusdem Concilii super Canonico Pœnitentiario, cujus electio demandata est Episcopo cum eadem distinctione inter electionem, & collationem, juxta *decis.* 1218. Seraph. *in princ.* cum aliis relatis per Barbos. *de Episcop. d. alleg.* 55. *num.* 11. *&* 12. *& in adnot. ad idem cap.* 8. Concilii *num.* 15. Mantic. *decis.* 56. *num.* 1. cum aliis per Rot. *decis.* 140. *num.* 1. *&* 2. *part.* 14. *recent.*

7 Nimium quoque in idem conferre observabam superius insinuatas Constitutiones Apostolicas Sixti IV. & Leonis X. ante Concilium, non tamen multum remote proditas super provisionibus Canonicatus Magistralis, quod vult dicere idem ac Theologalis, & doctoralis, quod quamvis ibi frequentius provisiones, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, pertineant ad solum Capitulum, attamen demandatur, quod provideantur per concursum habendum coram Episcopo, & cum interventu etiam Capituli; Ac propterea istæ Constitutiones, quæ jam aderant pro ea Provincia, nimium probabile est, quod magnum impulsum dederint ad ita generaliter providendum, ubique conservando scilicet jus collatorum, quibus non præjudicaretur in jure, ac jurisdictione conferendi, sed providando, quod electio-
8 nes bene fierent de personis idoneis ab Episcopis eodem modo, quo postmodum in parochialibus quoque provisum fuit, istumque dixi, quod mihi videretur verus, ac germanus sensus Decreti Conciliaris; Quodque distinctio an erectio sit ante, vel post Concilium percutiat collationem, ut in illis, quæ fiant postea in vim istius Decreti per ipsum Episcopum, ad illum omnimoda collatio pertineat: In aliis autem anterioribus, salvum sit jus collatorum, sed in personis idoneis ab Episcopo eligendis.

9 Hinc descendendo ad praxim, retento præsupposito notulæ datæ collationis etiam factæ ab Episcopo, concludebam, quod ambo male egissent, atque uterque actus invalidus censendus est; quoniam Episcopus solum debebat eligere, sed ad eum non spectabat conferre; & e converso Capitulum non poterat eligere, sed solum ad eum spectabat conferre in persona electa ab Episcopo; Sed quoniam postmodum detectum est, quod notula erat male concepta, resque se habebat juxta præmissam facti seriem, idcirco concludebam, quod collatio facta per Capitulum esset invalida, firma, & valida remanente electione Episcopi, qui propterea jure illius devolutionis, de qua ad terminos generales juris communis habetur *eod. disc.* 1. posset collationem facere eidem personæ electæ, dum ita in ipso utrumque jus consolidabatur, non obstante quod lapsum non esset tempus sex mensium a jure concessum ad conferendum, & post quod, & non alias sit locus devolutioni, quoniam id recte procedere dicebam in casu negligentiæ, adeout nullus fieret collationis actus, vel si fieret invalidus, esset tamen invaliditas excusabilis; Secus autem ubi invalide fiat scienter sive sit scientia vera, ut est illa facti, sive sit illa scientia, quæ præsupponenda sit, adeout ignorantia non excuset, ut est illa juris; quoniam tunc illico consumi dicitur fa-
10 cultas, & per consequens locus est devolutioni, ut pluries *sub titul. de jurepatr. & sub altero de Canonic. & Capitul.* in proposito electionis, vel præsentationis advertitur, ac etiam forte *hoc tit.* cum sit principium certum, ac præsupponendum. Sed quoniam cadere posset dubium insinuatum quoque *d. disc.* 1. An scilicet illa consuetudo, quæ substulit Episcopo simultaneam, substulerit etiam hoc jus in casu devolutionis; Hinc dixi, quod tutius esset facere impetrationem Apostolicam cum litteris testimonialibus dictæ electionis, eo modo, quo in parochialibus frequens praxis docet in Italia, in qua, ut præmissum est, nimium rari, neque nulli sunt isti casus, qui tamen in Canonicatibus Cathedralium doctoralibus, & Theologalibus, ac pœnitentiariis Hispaniarum, & annexorum audiuntur, quando non servetur forma dictarum litterarum Sixti IV. & Leonis XV, ut supra, *disc.* 28. *&* 29.

BONONIEN. CANONICATUS, PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ.

Responsum pro veritate.

An & quando Capitulum sit legitimus contradictor, ut propterea cesset processus exequutivus, atque exequutor fiat mixtus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An, & quando Capitulum sit legitimus contradictor.*
3 *Posito quod sit Contradictor, an impediatur processus exequutivus, itaut procedi debeat in judicio ordinario.*
4 *Clausula translativa exequutionis in commissione appellationis non tollunt naturam judicii exequutivi.*

D I S C. CXIII.

INter quamplura privilegia, quæ Julius II. concessit 1
Civitati Bononiæ, quando expulso Joanne Bentivolo redit ad obedientiam Sedis Apostolicæ, fuit illud, ut illa beneficia non nisi civibus conferri possent, idemque privilegium confirmatum fuit per duos Pontifices Bononienses Gregor. XIII. & Gregor. XV. quorum ultimus addidit, ut civilitas ex privilegio non suffragaretur; Cumque de Canonicatu Ecclesiæ Metropolitanæ provisus esset Joannes Baptista cum narrativa quod esset nobilis Bononiensis, a Capitulo autem prætenderetur, quod non esset civis; Hinc ex ejusdem Capituli parte consultus fui an ipsum dici deberet legitimus contradictor exequutioni litterarum Apostolicarum desuper expeditarum, ut propterea Ordinarius, qui in eisdem litteris exequutor deputatus erat, assumere deberet partes Judicis ac censendus esset exequutor mixtus, necne.

Pro Capitulo respondendum censui, quoniam licet regula sit in contrarium, ut Capitulum non dicatur legitimus contradictor proviso de Canonicatu; Attamen id procedit in iis, quæ respiciant validitatem, vel invaliditatem gratiæ in particulari, an scilicet constaret 2
necne de modo narrato vacationis, vel de narrato valore, & aliis similibus defectibus, ex quibus alter provisus de eodem beneficio prætendat illius gratiæ nullitatem, vel non justificationem, ut propterea non esset exequenda, ex ea ratione, quod Capituli interest an ad unum, vel alterum spectare debeat Canonicatus, qui pernecesse ab uno est obtinendus, illeque locus occupandus est, atque in his terminis procedunt ea, quæ habentur supra, *disc.* 55. *& in decis.* 58. Otthob. in eo casu edita; Solumque, etiam ubi non adsit contradictor videtur, quod Capitulum facere valet partes simplicis oppositoris, potius quam veri, ac formalis contradictoris, quando nempe infectio gratiæ, cujus exequutio petatur, esset patens, adeout exequutio redoleret injustitiam intrusionis; quoniam tunc etiam Capitulum videtur, quod possit de hoc opponere coram exequutore ne in ejus gremio, & corpore admittatur intrusus, & injustus occupator illius Canonicatus, etiam ob aliquod licet modicum, & indirectum aliorum Canonicorum interesse ratione juris accrescendi, vel non decrescendi distributionum, aliorumque emolumentorum; quod tamen non facit legitimum contradictorem.

Secus autem, quando provisio esset præjudicialis directe Capitulo, ejusque juribus, & privilegiis ob deficientem aliquam qualitatem ab ejus statutis, vel privilegiis desideratam, puta civilitatis, vel nobilitatis, aut puritatis sanguinis cum similibus, ut ita distinguendo habetur apud Dunozett. *cons.* 202. *circa fin.* Merlin. *decis.* 541. *in fin.* Carill. *decis.* 101. *num.* 9. habetur supra *eod. disc.* 55. *n.* 8. *& in seq.* atque exemplificari potest in caso, de quo in Juvenacen. Præpositturæ *hoc eod. tit. disc.* 107. *ac etiam supra, disc.* 1. quod scilicet Capitulum prætendat habere jus conferendi, vel eligendi, & hic erat casus.

Cum itaque isto casu exequutor cognoscere, ac judicare debeat, an qualitas necessaria in proviso adesset nec- 3
ne, & an illa bene justificaretur juxta casus, de quibus in supra allegatis decisionibus, & frequenter in aliis, præsertim in Hispania super puritate sanguinis, & in Germania super nobilitate generosa, & in Italia super civilitate. Hinc sequi dicebam, quod exequutor assumere debeat partes exequutoris mixti, quod sonat in idem, ac parte Judicis, qui formiter, atq; in figura judicii debeat desuper pronunciare;

Cre-

Credebam autem, ut credo, quod hæc recte procederent ad effectum, ut exequutor non possit, nec debeat procedere more exequutoris meri, etiam per extrajudiciales informationes, repellendo de facto Capituli oppositiones, quæ respiciant gratiam in particulari absque ejus directo ac proximo interesse, ut supra, ut frequens praxis docet quod in hujusmodi beneficiis Collegialibus, in quibus possessio capienda est capitulariter, ut *discurs. 4. de Canon.* si Capitulum interpellatum non curat se congregare, conceditur possessio, & datur exequutio gratiæ in forma exequutoris meri, quo non procedit, quando habeat legitimum titulum se opponendi, & contradicendi, cum tunc debeat audiri tamquam habens interesse, atque procedi judicialiter servatis servandis. Difficultas vero est; An in ista specie contradictoris procedat idem effectus, qui procedit in legitimo contradictore particulari contendente de pertinentia beneficii, ut scilicet procedi debeat in judicio ordinario petitorii, terminando per rem judicatam, vel tres conformes, vel potius competat processus exequutivus, qui est compatibilis cum processu judiciali, & sic ut Capitulum dicatur contradictor ad effectum, ut audiatur, non autem ad prædictum alium effectum, juxta distinctionem, de qua *disc. 43. de judic. & hoc tit. pluries*.

4 De hoc autem puncto non dedit occasio formiter, & ex professo disputare, quantum tamen docuit praxis, vel modus de facto tentus, hujusmodi casus non procedunt pari passu, quoniam quando adest contradictor particularis, qui ex coæquali jure contendat de pertinentia beneficii, tunc dari solet dubium judicio ordinario petitorii proportionatum super beneficii adjudicatione, an scilicet, & cui beneficium sit adjudicandum, ut patet ex tot decisionibus Rotæ, quas in hac materia habemus super hujus dubii disputatione, cum processu trium instantiarum, & præsertim supra in Cæsaraugustana Canonicatus *disc. 23.* & in aliis; quando vero cessante oppositore pariter proviso, adest solum oppositio Capituli, tunc proceditur sub dubio, an litteræ sint exequendæ, atque ubi oppositio sit considerabilis, adeout adsit formale judicatum super articulo dubio de jure, vel de facto, id cautare solet, ut Signatura transferendo exequutionem rescribat de appellatione cum clausula *parito litteris arbitrio*, quæ non immutat naturam judicii executivi, neque illud reddit ordinarium, sed solum suspendit exequutionem, donec judex appellationis cognoscat, an id, quod gessit exequutor judex [illegible] appellatæ, mereatur exequutionem necne, eodem [illegible] in processu executivo obligationis Cameralis, vel similis, [illegible] solet cum clausula, *Si quid exequendum*, vel *alteri, qui ad legitimam*, cum similibus, de quibus *disc. 37. & 42. de judic. & discurs. 31. in rel. Cur. & alibi*.

Et quamvis ex plerisque decisionibus pateat, quod Capitulo se opponente, & existente in causa, quinimo principaliter litem substinente, processum sit in judicio ordinario adjudicationis beneficii, ut præsertim patet ex *decis.* editis in celebri Toletana Canonicatus pœnitentiarii, quarum aliquæ habentur *part. 9. recent. dec. 14. 210. & 279.* & apud Otthob. *dec. 29. & 37.* cum plerisque similibus; Attamen id provenit ex eo, quod adesset etiam alter provisus contradictor particularis, cui contenderet de pertinentia, eique Capitulum adhæreret pro conservatione sui juris, & ne effectum sortiretur provisio alterius, quem habebat justum motivum respuendi; Præsertim vero ubi punctus, in quo consistat disputatio, sit valde dubius, & altioris indaginis, adeout exigat formalem discussionem, & decisionem in petitorio, ut sequebatur in dicta Toletana Canonicatus pœnitentiarii, quoniam non solum aderat oppositio impuritatis sanguinis contra capituli statuta, & privilegia, sed principaliter disputatio cadebat super validitate, ac perfectione electionis, ut ex eisdem decisionibus patet; sed ubi oppositio sit ex sola ratione alicujus qualitatis deficientis tunc sufficere videretur capitulo, ut in ejus oppositione judicialiter, atque servatis servandis audiatur, adeout exequutor non procedat tamquam omnino merus, sed aliqualiter assumat partes mixti; Durum autem videtur, ut debeat reputari talis contradictor, quod oporteat procedere per tres conformes, quæ consumere solent vitam provisi, ac etiam ejus patrimonium dissipare, adeout beneficium converteretur in maleficium; Ideoque sufficere videtur capitulo quando ejus oppositio aliquam habeat probabilitatis imaginem, quod audiatur in duabus instantiis modo, quo supra.

MELEVITANA PRIORATUS.

Responsum pro veritate.

An, & quando dimissio beneficii importet ejus vacationem, necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod aliud sit beneficium, & aliud sint fructus, & emolumenta beneficii.*
3 *De argumentis, ut non censeatur dimissum beneficium.*
4 *De resignatione cum reservatione fructuum, quid operetur.*
5 *Resignatio non attenditur nisi per superiorem admittatur.*
6 *De Constitutione Apostolica super admissione resignationum, in Religione Hierosolymitana.*

D I S C. CXIV.

A. Legitimus possessor prioratus B. ex motivo malæ valetudinis, ob quam negotiis, & administratio- 1
ni prioratus vacare non posset, preces porrexit M. Magistro, ejusque consilio, ut admitterent dimissionem penes ipsam Religionem gubernii, jurisdictionis, & omnium fructuum prioratus, sibi reservando titulum, ac dignitatem magnæ Crucis, & votum activum, & passivum, ac stallum in choro, omnique alio loco, & tribunali, necnon annuam pensionem scutorum 1200. Sed M. Magister cum Consilio precibus annuit sub ea tamen lege per ipsum scilicet acceptata, quod si detractis oneribus, & impensis fructus non ascenderent ad dictam summam scutorum 1200. teneretur solum Religio præstare id quod superesset, ne remaneret de proprio damnificata; Ad aliquos vero menses subsequentes alias preces porrexit, in quibus declarat velle dimittere, & acquirere etiam titulum particularem dicti prioratus in genere, necnon magna Cruce, voto activo, & passivo, ac stallo in Consilio, aliisque tribunalibus, & locis, dictaque annua pensione, sed huic supplicationi nulla accessit declaratio.

Cum autem C. antequam sequeretur, obtinuisset a Ma- 2
gno Magistro, & consilio juxta stylum litteras antianitatis, & expectativæ ad primam dignitatem vacaturam, quod pro eodem stylo dicitur jus quæsitum; Hinc ex parte ejusdem C. pro veritate de pluribus quæritur.

Primo nempe, an per dictam dimissionem jam admissam apertus ei sit locus assumendi, & obtinendi dictum prioratum tamquam vacantem; Secundo, quid operetur secunda dimissio, quamvis non admissa; Tertio, an alia fieri possit dimissio consimilis posteriori, quæ sit compatibilis; Quarto, quænam incompatibilitas dignoscatur; Et quinto, an obstet Constitutio S. M. Alexan. VII. ut in admissione hujusmodi resignationum accedere debeant quatuor ex quinque partibus eorum, qui in Consilio interveniant, adeout dicta Constitutio comprehendat hanc dimissionem, necne.

Ad primum negative respondendum videtur, quamvis etenim non dubitetur de potestate Magni Magistri ejusque concilii admittendi hujusmodi resignationes, ac etiam non dubitetur, quod dicta expectativa, vel declarata antianitas prosit etiam in casu vacationis per resignationem, tamquam per mortem civilem, cum in litteris expresse dicatur per cessum, vel decessum, Attamen difficultas est in defectu ipsius resignationis, quæ percutiat titulum, & substantiam prioratus, cum ista non adsit ob restrictionem ad solum regimen, jurisdictionem, & perceptionem fructuum, quæ sunt quid diversum ab ipso titulo, vel jure illorum productivo in substantia, cum aliud sit ipsum beneficium, aliud vero sint fructus, commoditas, & administratio beneficii, dum hæc retento beneficio licite ceduntur, cum proea jus in titulo, vel substantia beneficii non transferatur, quod etiam habemus in feudis, & similibus, quod aliud est cedere, vel alienare feudum, aliud vero cedere fructus, jurisdictionem, administrationem, 3
regimen, & emolumenta ex iis, quæ habentur apud Rojas *decis. 311. & 364. concordant. sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc. 1. num. 141. late sub tit. de feud. disc. 61. & 62.* frequenter.

Clarius vero dum non solum obstant verba dimissionis restricta ad solum gubernium, jurisdictionem, & fructus, sed obstant plures facti circumstantiæ ad oculum convin-

vincentes, quod intellectum non sit de dimissione tituli.

Primo nempe ob incapacitatem ejus, ad cujus favorem fact. est dimissio, ipsius scilicet Religionis, quoniam licet a tali dominio habitualis omnium Prioratuum, commendarum, & beneficiorum, attamen ea actu non retinet in exercitio, & cum titulo particulari, sed distribuit ejus militibus benemeritis, ac propterea regulando voluntatem a potestate, dicendum est actum gestum esse eo modo, quo validus, & compatibilis esse poterat.

Secundo, ob legem a M. Magistro, & consilio in ejusdem dimissionis admissione adjecta, quod si detractis oneribus, expensis, & casibus fructus non ascenderent ad quantitatem reservatam, teneretur Religio dare solum id, quod superesset absque suppletione de proprio; igitur ad evidentiam patet quod totum fuit in ratione simplicis administrationis, & institoriæ, quam Religio ex justo motivo charitatis, & providentiæ suscepit ob infirmitatem possessoris prioratus, & ne alias crescerent illa præjudicia, & inconvenientia perpetua, quæ in Prioratibus & commendis a possessure neglectis oriri solent.

Et tertio, observationem voti activi, & passivi, & juris sedendi in Concilio, & in aliis tribunalibus, & Concessibus ratione dignitatis; Quamvis enim nuncupatio Prioralis, ac etiam gestatio magnæ Crucis, utpote jus honorificum redolentes retineri videantur etiam post dimissum prioratum ad instar eorum quæ in Episcopis vel in Regibus, & Baronibus dimittentibus Episcopatum, vel Regnum, seu baroniam habemus ex relatis a me *disc. 84 de feud.* Attamen non retinentur dictæ aliæ prærogativæ sedendi in consilio, & Tribunalibus, atque in eis habendi votum decisivum, cum illæ sint prærogativæ dignitatis possessæ, & per consequens patet quod, vel Prior noluit dimittere titulum, vel quod id gestum sit in fraudem, dimittendo verbis, & retinendo factis juxta illas ponderationes, quas facere solent feudistæ in materia refutationis feudi ex relatis a me, *disc. 76. de feud.*

Quando etenim resignatur beneficium cum reservatione
4 fructuum juxta frequentem Romanæ Curiæ praxim attestatam per Paris. & alios allegatos in voto, sive scriptura litt. B. tunc resignatio est perfecta, atque resignans nullum jus retinet in beneficio, vel in Ecclesia, sed solum habet quandam speciem usus fructus bonorum Ecclesiæ, vel beneficii, præscindendo de ejus titulo, adeout nullum jus spiritualitatis retineat, nullasque exerceat præeminentias, & jurisdictiones, dum hæc omnia pertinent ad noviter provisum *ut decis. 763. part. 2. recent. dec. 1 part. 9. & in aliis* pluries, in quibus agitur de ista materia reservationis fructuum, de qua præsertim me agitur, *disc. 63. de pension* & alibi, sed hoc in præsenti ex præmissis sequutum non fuit.

Secundum quæsitum est omnino planum, ut sola supplicatio possessoris prioratus in nulla penitus consideratione
5 habenda sit, dum per Religionem, vel M. Magistrum, & Consilium admissa non fuit, quoniam etiam in clericis sæcularibus beneficiatus non potest resignare beneficium sine auctoritate superioris, a quo resignatio admittatur ob quasi contractum, qui acceptando beneficium initi dicitur ex pluries a me relatis *sub tit. de benef.* cum sit in jure absolutum, & notorium. Multo magis in regularibus, qui sunt mere obedientiarii, eorumque voluntas pendet a nutu, & voluntate Superiorum.

Ad tertium spectandum non esset quid facere velit
6 possessor prioratus, sed quid facere velit Religio, seu Consilium, & an velit admittere dimissionem: Verum ubi possessor illam facere velit similem secundæ, illa nullatenus suffragari videtur ob incompatibilitatem retinendi votum activum, & passivum, ac stando in consilio & aliis Tribunalibus, & Concessibus, dum id competit solum Prioribus actualibus ratione dignitatis, quam possideant, non autem illis qui non sint amplius tales, indeque magna differentia est inter functiones mere honorificas, quales sunt nuncupatio prioralis, & gestatio magnæ crucis, & habere votum activum, & passivum, ac sedere in Tribunalibus, dum in istis compatibilitas videtur clara, quod instat in quartum quæsitum.

Ad quod demum pro obstantia constitutionis respondendum videtur, cum illa sit expensa, & litteralis, ideoque non intrent interpretationes, & argumenta ad vulgarem regulam text. *in l. ille aut ille ff. de legat. 3.* de qua late Rot. *dec. 44 n. 14 p. 11 rec.* Nil obstante quod illa dimissio dici non valeat mere voluntaria, cui proinde, adaptentur rationes in eadem Apostolica constitutione desideratæ ob necessitatem infirmitatis, quoniam huic impedimento jam remanet consultum cum prima dimissione administrationis, & gubernii penes religionem, ideoque ista nova dimissio remanet evidenter voluntaria, eique recte congruunt rationes, & considerationes ejusdem constitutionis.

PISTORIEN. CANONICATUS, PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM N.

Casus disputatus in Sacra Congregat. Episcoporum, & regularium, credo resolutus pro Capitulo.

An Canonici Regulares sint capaces beneficiorum sæcularium, & qualium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De agentibus de ista quæstione.*
3 *Quod Canonici regulares censeantur de clero sæculari, & ad quem effectum.*
4 *De statu modernorum Canonicorum regularium diverso a Canonicis antiquis.*
5 *De differentia inter beneficia Curata, & Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata.*
6 *De ratione ob quam unum & idem corpus non debet constitui ex sæcularibus, & regularibus.*

D I S C. CXV.

Cum quidam Canonicus Regularis, nescio an Congr.
Lateranensis, vel S. Salvatoris, impetraverit Ca- 1
nonicatum in Ecclesia Cathedrali, sive quod ad illum de jurepatronatus laicorum fuerit præsentatus, dum tacti notulam non habeo, se opponente autem Capitulum, atque forte per Papam remissum esset negotium consultationi S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, scribens pro Capitulo, dicebam quod licet super hoc puncto capacitatis Canonicorum regularium assequendi beneficia sæcularia dignoscatur non modica opinionum discordantia, ex relatis per Pignat. *consult. 44. l. 5.* & Capon. *contr. 15* & insinuatur supra *disc. 64 n. 3. & disc. 75. n. 20. & disc. 25 de donat. n. 6.* ac etiam *disc. 36. de regul.* Nihilominus probabilius est, ut indefi- 2
nite obstet incapacitas ex regula, quod tam de jure communi, quam clarius de jure moderno Concilii Trid. regulares sunt incapaces beneficiorum sæcularium, ideoque apud Beneficialistas recepta est propositio, quod sæcularia sæcularibus, regularia regularibus congruunt, adeout non solum regulares sint incapaces novæ assequutionis beneficiorum sæcularium, vel pensionum super eis, quando jam in hoc statu constituti sunt, sed etiam retinendi jam obtenta in statu sæculari, ut per professionem regularem vacent, vel respective amittantur, Apostolica dispensatione non accedente, ut habetur *disc. 44. de pension. & alibi pluries.*

Et quamvis isti Canonici inter Clerum sæcularem po- 3
tius quam regularem recensendi videantur ex iis, quæ habentur *disc. 44. de præmin.* Nihilominus id procedit ad effectus cæremoniales, seu præeminentiales in processionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis, in quibus servari debet ordo simetricus, & hierarchicus, ex ea ratione quod istorum habitus ecclesiasticus cum bireto, & rocchetto redolet speciem potius clericorum, quam monachorum, ac propterea ad prædictum effectum id decisum fuit in Lateranensibus, & in illis S. Salvatoris, quamvis etiam sint æque Canonici regulares idem non procedit, quia cessat ratio habitus, *ut eod. disc. 14.* In reliquis autem absque dubio recensentur sub Clero regulari, utpote adstricti tribus essentialibus votis regularibus, quod magis est, more aliorum regularium viventes in Claustris, & sub clausura, ac se gubernantes ad instar aliarum religionum, juxta modernam introductionem in forma universitatis, vel Reipublicæ, ut ab aliis regularibus in nihilo differant, ex iis quæ habentur *disc. 28. de jurisdict.* & alibi.

Atque ob hanc ultimam præsertim circumstantiam redu-
ctionis hujusmodi Canonicorum ad Congregationem, seu 4
religionem claustralem, quod sequutum est moderno tempore juxta seriem recensitam in opere italici sermonis nuncupato *il Dottor Volgare, lib. 14. sub tit. de regular.* convincitur æquivocum eorum, qui desuper fundamentum constituunt in antiquis canonibus, & pontificiis constitutionibus loquentibus de hujusmodi canonicis regularibus, & recensitis apud Pignatel. & Capon. ubi supra, quoniam de eo tempore faciebant de facto figuram Clericorum sæcularium utpote adscripti singulariter, & independenter servitio aliquarum Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum, & Parochialium, eo modo quo etiam hodierna pra-

xis do-

xis docet in plerifque regionibus ultra montes, & præsertim antequam de anno 1676. sequeretur prudens provisio a me recensita, *disc. 5. de præem.* docebat praxis in canonicis regularib. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Pilar Cæsaraugustanæ Civitatis cum similibus, Quoniam cum viverent more sæcularium in propriis domibus; atque deferrent habitum uniformem cum clericis sæcularibus, hinc sequebatur quod nullum exinde resultaret inconveniens, neque conciperetur scandalum apud populum, nullaque sequeretur confusio hujusmodi ordinum; seu hierarchiarum; Secus autem hodie in Italia quod hujusmodi canonici regulares antiquam nuncupationem solum retinentes, tam de facto, quam de jure, in omnibus, præterquam in dictis functionibus, sunt de ordine hierarchico regulari non solum vivendo in claustris sub obedientia superiorum Religionis, & cum mutationibus domicilii de uno monasterio in alterum ad instar aliorum regularium, sed etiam in habitu extrinseco, qui juxta modernum usum omnino diversus est ab illo Clericorum sæcularium, quoniam isti adhibent usum antiquæ togæ nigri coloris juxta ea, quæ habentur, *disc. 93. de jurisd.* hujusmodi vero canonici regularem adhibent vestem albam, & super eam etiam in viis, & plateis, vel propriæ domi adhibent rocchettum, vel cottam: quod in Clericis sæcularibus non practicatur nisi in functionibus Ecclesiasticis, vel prælatitiis, adeout Constitutio Greg. XIII. enunciata *supra disc. 64 & 75.* & alibi, non sit correctiva juris antiqui, vel antiquorum privilegiorum, sed potius declarativa, ut id quod præsupponitur de antiquis canonicis regularibus non congruat istis modernis redactis ad
5 formam formalis religionis, & adhibentibus habitum de facto potius monasticum, & regularem, quam clericalem, & per consequens etiam in Ecclesiis parochialibus eadem incapacitas, quæ dignoscitur in aliis regularibus, in istis quoque procedere debeat, dum vivunt in claustris, & sub clausura, unde scandalosum esset, quod more clericorum sæcularium viverent in privatis domibus intra parochiarum fines, eo modo quo parochi vivere debent, & solent. Verum ubi etiam hujusmodi canonici gratificandum esset, quodque admittenda veniret diversa opinio, quam ipsi de facto habent, & quandoque practicant, occurrendo dicto inconvenienti vivendi cum habitu regulari extra claustra in proprio habitu, cum istius dimissione, & cum assumptione habitus clericorum sæcularium juxta casum, in quo *d. disc. 36. de regul.* Adhuc tamen id solum procederet pro capacitate assequendi beneficia curata, ad quæ constitutiones, vel auctoritates, quibus hæc opinio innititur recensitæ per Capon. & Pignatell. ubi supra restringi videntur, ut advertitur *supra ind. disc. 64. & 75.* & in aliis locis ibi relatis; Non tamen inferri posse dicebam ad capacitatem obtinendi canonicatus, vel dignitates in Cathedrali, vel Collegiata ob diversitatem rationis, quoniam ubi agitur de unica rectoria Ecclesiæ, nullum dignoscitur inconveniens, ut regularis professus, cujus præcipuum munus est præ-
6 dicationis verbi Dei, & administrationis divinorum, illam Ecclesiam solus administret; Secus autem ubi agitur de hujusmodi beneficiis collegiativis constituentibus unum, & idem corpus ejusdem naturæ, quoniam tunc ex divino oraculo prohibente arare in bove, & asino, quodque idem jugum per boves tantum, vel asinos tantum complecti debeat, clare implicat in adjecto, ut unum, & idem corpus unius naturæ sæcularis, vel regularis respective constituatur ex diversis membris, immo contrariis, quoniam ita esset dare illum hircocervum, quem dialectici fingunt.

Ideoque merito in casu relato per Pignatell. *d. consult.* 44. ad effectum, ut quidam ex illis Canonicis de valde nobili, & primaria familia obtinere posset Canonicatum in valde exigua, & miserabili Cathedrali Capritana, ubi utpote in Insula parum practicata dictum inconveniens adeo non elucet, adhuc necessaria fuerit Apostolica dispensatio, ipsaque Sedis Apostolicæ Curia demum idem inconveniens agnovit a me exageratum in casu de quo *d. disc. 5. de præem.* quod unum & idem Capitulum Ecclesiæ Cæsaraugustanæ efformandum esset a sæcularibus, & regularibus & tamen in eo casu duæ accedebant circumstantiæ, ob quas inconveniens de facto, & in aspectu, seu apparentia non aderat; Primo nempe quod Canonici Sanctæ Mariæ de Pilar, quamvis essent regulares ob professionem, quam emittebant cum votis regularibus, attamen utebantur eodem habitu extrinseco Canonicorum, & Clericorum sæcularium alterius Ecclesiæ S. Salvatoris; Et secundo, quod licet ex fictione juris, vel ex quadam formalitate intellectuali, istæ duæ Ecclesiæ materiales constituerent unam Cathedram formalem, ac duo Capitula unum, & idem tantum constituerent Capitulum formale, attamen naturaliter, & de facto erant duo Capitula omnino diversa, immo æmula, & contraria constituentia duo corpora omnino distincta; Multo igitur magis in hac facti specie quod agebatur de uno eodemque corpore, ac una eademque Ecclesia tam formaliter, quam materialiter, seu naturaliter; Et per consequens casus videbatur omnino planus dubitandi ratione indignus, quatenus non accederet dispensatio Apostolica, quæ omnia hujusmodi impedimenta, utpote a jure Ecclesiastico positivo provenientia dirimit, atque ut nostri dicere solent, æquat quadrata rotundis.

ARIMINEN. CAPPELLANIÆ, PRO JO: BAPTISTA PALMERIO, CUM CONSTANTIO.

Casus disputatus in Tribunali A. C. incertus est exitus.

An scilicet & quando Cappellania sit incompatibilis cum altero beneficio, & quomodo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur species incompatibilitatis, quod alia est quæ oritur a jure, & alia quæ a voluntate fundatoris.*
3 *An & quando sufficiat conditionem, vel qualitatem semel extitisse absque perseverantia, vel potius ista requiratur.*

D I S C. CXVI.

FUndatis Cappellaniis sub lege per fundatorem adjecta, ut earum possessores alias Cappellas, vel Cap- 1
pellanias nullatenus habeant cum enixo, & effrenato verbo *absolute*, incertum est quomodo inter dictas partes orta est controversia, an Constantius qui unam ex eis obtinuerat, posset eam retinere stante quod postmodum aliud beneficium servitorium, & residentiale obtinuerat; Atque Scribentes pro Constantio fundamentum constituebant in meo jam edito, quinimo per me oretenus eis insinuato *disc. 57.* Quare ex parte Palmerini evocatus dicebam in hoc proposito distinguendum esse, quod scilicet, aliud est agere de illa incompatibilitate quæ ex dispositione juris resultat a natura, vel qualitate beneficii ad terminos text. *in c. de multa, de præben.* & aliud agere de incompatibilitate resultante a judicio, & voluntate fundatoris; Ad primum itaque effectum recte procedunt ea quæ habentur *d. disc. 57. & seq.* etiam ubi fundator desideravit servitium per se ipsum, cum tunc dicatur esse quidem residentiale, sed ex residentia causativa, & secundum quid, ut locis citatis; Secus vero ad alterum quoniam cum quilibet possit rei suæ adjicere sibi benevisam legem, quæ non adversetur bonis moribus, neque sit a jure reprobata juxta distinctiones, de quibus *discurs. 73. de testam.* & alibi; Hinc proinde nulla cadit quæstio juris, sed ea est nudi facti, & voluntatis, 2
cum non quæratur, sed quid testator, vel alter disponens voluerit, *ut disc. 30. de fideicomm.* & alibi, & per consequens cum voluntas esset expressa, & litteralis, non esset de alio quærendum ad vulgarem regulam text. *in leg. ille aut ille, ff. de leg. 3.*

Dicebatur per scribentes in contrarium, quod de tempore adeptæ cappellaniæ non haberet aliud beneficium, ideoque impleta esset conditio, quam sufficit momento temporis extitisse, quamvis postea non perseveraret, allegando *decis. 717. part. 4. rec. tom. 3.* ubi concordantes. Verum istud videbatur debile fundamentum; Id etenim consideratione dignum esse advertebam quando esset lex adjecta solum assequutioni, pro qualitate necessaria in electo, vel nominato ad effectum annullandi electionem, vel nominationem, secus autem quando agitur de re, quæ habeat tractum successivum, quodque conditio respiciat potius progressum quam ingressum spectato fine, vel effectu per fundatorem desiderato juxta deducta *decis. 7. & 13. & 44. num. 14. & 16. de fideicomm.* & alibi pluries; ita enim patere dicebam quod fundator voluit providere illos presbyteros, qui non essent provisi,
& qui absque alia diversione toti essent addicti huic ser- 3
vitio. Et per consequens non videbatur quod conclusio adaptaretur ad factum, juxta frequentiorem peneque continuam contingentiam, dum in eadem *decis. 717.* admittitur distinctio, an conditio adjecta sit; ut nostri majores dixerunt per modum fiendi, vel per modum essendi.

M E-

MELEVITANA COMMENDÆ.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An & quæ commendæ sint compatibiles vel respective incompatibiles cum prioratibus, & dignitatibus Herosolymitanæ Religionis.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De incompatibilitate commendarum cum prioratibus.*
3 *Quod aliud sit provisio ex capite privationis, & provisio ex capite resignationis.*
4 *Quare a dispositis in casu privationis inferri possit ad casum resignationis in hac facti specie.*
5 *De rigoroso intellectu hujusmodi statutorum.*

D I S C. CXVII.

1 CUm A. possessor commendæ Casalensis per septennium circiter defecisset a solutione onerum Religionis, ideoque ad præscriptum statuti 19. & 22. de Thesauro privationem incurrisset, & per consequens locus esset ejus tamquam vacantis mutationi. Adhuc tamen M. Magister, & Consilium benigne agendo, ut consuleretur tam famæ, & honori dicti Commendatarii, quam ejus honestæ substentationi, illum admisit ad resignandam eandem commendam ad favorem B. cui ad formam statuti 27. de commendis collata fuit ad titulum gratiæ, ipseque resignatarius ad formam statutorum 6. & 29. *eod. tit. de commend.* in se assumpsit onera erga Religionem, & thesaurum, nec non onus subministrandi 2 resignanti ad vitam menstruos scutos decem; Quia vero dictus resignatarius ita exigentibus antianitate, ac benemerentia speraret quamprimum dignitatem prioralem, atque per statutum 4 *de commendis* provisum sit, ut promoti ad prioralem dignitatem dimittere teneantur commendas, exceptis illis, quæ essent recuperatæ a manibus sæcularium, vel obtentæ ex causa privationis, nec non Cameris magistralibus; Hinc ex parte dicti B resignatarii consultus fui, an per assequutionem dictæ dignitatis ista commenda dimittenda esset, vel vacaret, necne;

Respondi quod procedendo cum littera, sive cum for- 3 malitate verborum, pro incompatibilitate respondendum videretur, *non* obstante, quod statutum exciperet casum privationis, in quo supponebatur in facti notula, quod versaremur; quoniam aliud est id quod fieri poterat, aliud vero id quod factum sit; non enim ex eo, quod quis privari potuisset beneficio, si Papa illum admittat ad resignandum, atque ex isto capite resignationis alterum provideat, dicitur iste obtinere ex capite privationis, cum potius dicenda veniat provisio ex capite resignationis ad effectum Constitut. Gregor XIII. de publicandis, aliosque similes effectus; Potissime quia ad effectum privationis præcedere debuisset formalis cognitio causæ in judicio ordinario terminando per tres conformes, quo pendente multa contingere potuissent, privationem, ejusque effectum impedientia, & per consequens cum non essemus in casu limitato, dicebam obstare regulam generalem firmatam per verbum universale *omnes*, ac etiam per exceptuationem aliquorum casuum, per quos dicitur statui regula generalis in contrarium juxta satis nota axiomata præsupponenda, super quibus tamen ineptum vulgus pragmaticorum magnas allegationum congeries facere solet.

4 E converso autem, attento spiritu, sive attenta ratione vel fine legis, contrarium videbatur dicendum, quoniam ratio, ob quam dicta differentia inter Commendas recuperatas a manibus Sæcularium, vel obtentas per viam hujusmodi privationis, & alias Commendas constituatur, alia subesse non videtur, nisi quia in his casibus exceptuationis, recuperationis, vel privationis, ille, qui Commendam obtinet, eam obtinere dicitur ex causa onerosa, & ex justitia commutativa potius quam distributiva; quoniam in casu recuperationis magnas impensas facere, magnasque labores, & diligentias cum incommodis, & periculis subire oportet; Et in casu hujusmodi privationis assumitur onus satisfaciendi ærario de eo, in quo ille qui privatur, defecerit.

Ista ratio adamussim, ac in omnibus verificabatur in hac specie obtentionis, quinimo fortius; quoniam in casu privationis incumbit solum onus solvendi thesauro decursas præstationes, in quibus defecit ille, qui propterea privatus fuit, in præsenti autem ultra istud onus provisus assumpsit alterum suppeditandi prædecessori prædictam menstruam pensionem, ideoque magis intrat dicta ratio.

Pro meo itaque sensu perpetuo habito, ac adeo fre- 5 quenter insinuato negligendi litteram, seu formalitatem verborum, eorumque grammaticales significationes, atque attendendi substantiam verisimilis voluntatis statuentium, seu rationem, ac finem ab eis consideratum, probabilius videbatur, quod intraret exceptuatio; Ideoque Commenda esset compatibilis cum dignitate: Insinuabam tamen, quod me ancipitem tenebat praxis in plerisque causis tenta per Rotam super intelligentia statutorum istius Religionis in littera potius, quam in spiritu, nimium immorando in formalitate verborum, ut præsertim patet ex casu, de quo super intelligentia statuti 27. & 29. *eod. tit. de Commend.* apud Dunoz. *dec. 997. & dec. 293. part. 2. rec.* & super intelligentia statuti 21. *eod. tit. de commend.* in altera Melevitana Commendæ, *de qua hoc eod. tit. disc. 121.* cum similibus; Ideoque consului, quod dum res erat in fieri, deberet Commendatarius occurrere futuris difficultatibus, obtinendo desuper declarationem, vel ab eodem Consilio juxta stylos Religionis, vel a Papa; Incertum vero est quid sequutum sit.

ROMANA ECCLESIARUM TITULARIUM.

Discursus pro veritate, sive pro consilio.

De incompatibilitate plurium Ecclesiarum Cathedralium, vel Metropolitanarum, seu Patriarchalium, & similium, an procedat in Ecclesiis Titularibus absque administratione in partibus Infidelium; Et incidenter de æquitate practicanda cum fundatore.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Dignitas Episcopalis causat incompatibilitatem cum aliis beneficiis, & dignitatibus.*
3 *Non procedit in Ecclesiis titularibus in partibus.*
4 *Consuetudo attenditur in casu præciso, & non extenditur.*
5 *Qualis in proposito sit observantia.*
6 *Quid in casu practicatum sit, & de gratitudine erga fundatorem.*

D I S C. CXVIII.

PRofessus in Congregatione Cassinensi Ægidius filius 1 secundogenitus Philippi Comestabilis Columnæ, alias in sæculo Dux Marsorum, atque in Belgis Militarium copiarum Præfectus, cupiens e claustralis egredi, atque ad sæculum occasione dignitatis Episcopalis regredi, ut Episcopatum titularem sine administratione obtineret, & gratiam facilitaret, proprio ære Archiepiscopatum Amasiæ dotavit cum 101 locis Montium, quæ redderent fructum scut. bis centum quinquaginta circiter sub Pontificatu Urb. VIII atque sub Pontific. Clem. X. obtinuit provideri de Patriarchatu Hierosolymitano; Ac propterea de præfata Ecclesia Amasien. provisus fuit alter Prælatus, quo postmodum assequente alteram consimilem Ecclesiam titularem in partibus alicujus majoris redditus; Cum ista denuo vacaverit, hinc initio Pontificat. Innoc. XI. prælatus Ægidius prætensionem excitavit, quod per assequutionem dignitatis Patriarchalis nullatenus sequuta esset vacatio dictæ prioris Ecclesiæ, adeout utramque retinere posset, fretus quampluribus exemplis recentis sæculi currentis, & præsertim Archiepiscopi Januen. de Marinis, qui cum esset Gubernator Urbis, creatus fuit Patriarcha, retento Archiepiscopatu, Et Archiepisc. Beneventani de Sangro, ac Archiepiscopi Coniani de Leonissa, qui in munere Nunciorum Apostolicorum creati fuerunt Patriarchæ, dictis Archiepiscopatibus retentis, cum plerisque similibus, quare desuper ab eodem Pontifice consultus;

Respondi, quod de rigore juris indebita esse prætensio, 2 ideoque rejicienda, ex Regula, de qua *disc. 43 de pension.* & alibi, quod scilicet dignitas Episcopalis unius Ecclesiæ de sui natura secum fert incompatibilitatem cum quacumque alia dignitate, vel Prælatura aliarum Ecclesiarum, & generaliter de plurium etiam inferiorum dignitatum, & Prælaturarum incompatibilitate habetur *supr. hoc. eod. tit. disc. 55. & alibi*, Et quamvis *eod. disc. 43. de pens. & alib.* firmetur quod hujusmodi Episcopatus titulares in partibus Infidelium sine administratione, non causant incompatibilitatem cum aliis beneficiis, & dignitatibus vel pensionibus; Attamen ut ibidem advertitur, id non provenit ex disposi-

tione

tione juris, sed quodam stylo Curiæ, qui juxta regularem naturam consuetudinis deductam *supra*, *hoc eod. tit. disc.* 30 *& disc.* 21. *de judic.* & alibi frequenter, non extenditur de casu ad casum, vel de re ad rem, sive de persona ad personam, sed attenditur solum in casu præciso, & individuo, in quo vigeat, quamvis rationis identitas accedat; Ideoque cum ille stylus vigeat solum respectu dignitatum inferiorum, & beneficiorum, ac pensionum, non autem respectu Ecclesiarum Cathedralium, vel Metropolitanarum, seu Patriarchalium, regulariter autem non practicetur hæc retentio absque speciali dispensatione, idcirco trahi non debet; Quinimo advertebam, quod stylus est in contrarium, quod scilicet illi, qui obtineant aliquam Ecclesiam titularem in partibus, assequendo aliam Ecclesiam Cathedralem, vel Metropolitanam actualis administratio, priorem amittunt, retentis solum titulo, & præcedentia, aliisque honorificis præeminentiis, eodem modo quo retinent illi, qui absque assequutione alterius Ecclesiæ jam adeptam, sive actualem, sive titularem dimittunt, quod præsertim inter quamplura exempla de recenti praxis docebat in Archiep. Laodicen. Pignatellio, qui occasione Nunciaturæ Apostolicæ dictum titulum obtinuit, nam ille cessavit, atque alteri concessus fuit per assequutionem Ecclesiæ Liciensis; Et in Archiepiscopo Hadrianopolitano Brancaccio pariter ex eadem occasione Nunciaturæ dictum titulum obtinente, quod ille cessavit per assumptionem Episcopatus Viterbiensis, cum plerisque similibus; Et magis in specie duorum titulorum in partibus praxis docuit in Archiepiscopo Corinthi Bandinellio postmodum effecto Patriarcha, deindeque ad purpuram evecto, quod per assequutionem Patriarchatus cessavit dictus Archiepiscopatus, idemque in ipsomet Archiepiscopatu Corinthi sequutum est in Patriarcha Ugolino, ac etiam in Cardinali Federico Borromæo, qui prius Archiepiscopus in partibus occasione Nunciaturæ creatus, postmodum Patriarcha priorem titulum non retinuit, cum aliis multis similibus casibus, Clariusque dicere advertebam observantiam præcisam, ac individualem, quod nempe ipsomet Ægidio sciente, & per annos patiente, ille Archiepiscopatus collatus fuit alteri, qui redditus pacifice percepit, donec illum retinuit; Neque præfata exempla contraria alicujus considerationis esse dicebam, quinimo quod potius retorquerentur, atque probarent contrarium, dum expressa accedit dispensatio super retentione, dum dispensatio præsupponit, ac probat prohibitionem, talisque dispensatio probabilem habet rationem, quod scilicet habenti juxta dicta exempla Ecclesiam actualis administrationis notabilis redditus conferri solet aliquis Patriarchatus honoris gratia tantum, & tamquam præmium (licet frequenter parum gratum) servitiorum, ac meritorum juxta recensita exempla, ideoque causare non debet vacationem melioris Ecclesiæ, quæ jam obtineatur, ne alias beneficium resolvatur in maleficium, & jacturam ejus, quod jam obtinebatur.

4 rem amittunt

5 lem, quod nempe

6 Consului tamen, quod de æquitate, & ex oratia eidem Ægidio asserenti, quod ob aliqua accidentalia infortunia non esset ita provisus, ut sibi concederetur fruitio dictorum redituum ad vitam tamquam per speciem pensionis ex motivo gratitudinis, quod esset fundator, quem Canones disponunt debere alimentari ex fructibus Ecclesiæ per ipsum fundatæ, & dotatæ, potissime, dum in hac specie Ecclesiæ non urget ratio, quæ militat in Ecclesia actualis administrationis, ut prius ex fructibus detrahi deberet id, quod necessarium est pro congrua substentatione Rectoris, vel Prælati, & pro aliis expensis necessariis ejusdem Ecclesiæ, ponderando etiam gravem ætatem ejusdem fundatoris jam septuagenarii, & ultra, ac propterea modicum esset præjudicium Ecclesiæ, ac illius qui de ea provisus esset, atque ita sequutum fuit.

S. DONINI BENEFICII,

PRO N. BLANCO.

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

De prohibitione pluralitatis beneficiorum, quomodo intelligatur, an capiat etiam beneficia de jurepatronatus, Et an cesset solum in secundo beneficio, ut non permittatur tertium, & quatenus illud non permittatur, an potius corruat provisio istius, vel vacet primum; Et per quantum tempus sit prohibita retentio utriusque; Et de beneficiis sub eodem tecto.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An possit obtineri tertium beneficium, si alia sint tenuia.*
3 *An Episcopus dispenset retentioni duorum beneficiorum sub eodem tecto.*
4 *An prohibitio pluralitatis comprehendat beneficia de jurepatronatus laicorum.*
5 *Prohibita pluralitas percutit retentionem, non autem assequutionem.*
6 *An Ordinarius possit conferre tertium illi, qui jam obtinerat duo.*
7 *An effectum pœnalis amissionis utriusque requiritur temeritas, & malitia.*
8 *Aliud est agere ad effectum nullitatis, & aliud ad effectum pœnæ.*
9 *Quælibet causa etiam opinata excusat a delicto, & pœna.*
10 *Intra quantum tempus fieri debeat dimissio primi incompatibilis.*
11 *Non tenetur quis dimittere primum, si secundum est dubium.*
12 *Ad effectum pœnalem requiritur perceptio fructuum ex utroque.*
13 *De eisdem quæstionibus, de quibus supra, n. 2. & 4.*

D I S C. CXIX.

Obtinens Blanchus duo simplicia beneficia, quorum unum sub invocatione Sanctissimæ Conceptionis erat liberum, alterum vero sub invocatione S. Luciæ de jurepatronatus laicorum, provisus fuit de Parochiali S. Agathæ, post assequutionem monitus, an tria beneficia retinere posset ad quinque menses, dimisit illud S. Luciæ, sed quidam impetravit alterum Conceptionis tamquam vacans ratione incompatibilitatis, vel indebitæ retentionis, ad terminos text. *in cap. de multa, de præbend. & decret. Conc. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 17. introductaque causa cor. Ordinario, vel ejus Vicario generali, atque ex parte Blanchi requisitus ad scribendum more Advocati ad ejus opportunitatem, inhærendo tamen stylo scribendi extra Curiam, ad illam veritatem, quæ mihi videatur; Dicebam improbabilem esse actoris prætensionem, stante dimissione primi, dum quæstio cadit in casu retentionis omnium; Ad satisfaciendum tamen quibusdam motivis desuper editis, & transmissis, cum aliqua evagatione contra stylum, advertebam quod tres desuper cadunt quæstiones; Una nempe ubi duo beneficia non sufficiant ad honestam substentationem, an possit Episcopus conferre tertium cum præsupposito, quod omnia sint compatibilia, adeout obstet solum dictum decretum Conc. Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 17. super prohibita pluralitate. Altera est, proposito quod solum duo conferre possint, an ista possint esse in eadem Ecclesia, & sub eodem tecto, ut Episcopus desuper dispenset: Et tertia an prohibitio Conciliaris *in d. cap.* 17 *sess.* 24. procedat in beneficiis de jurepatronatus laicorum. 1

2 Quoad primam dicebam, quod verius, magisque receptum est, ut tam ex sensu illorum, qui scripserunt post Concilium, quam ex declarationibus S. Congregationis, non possit Episcopus dispensare super tertio, dum Concilium in verbis mandat, ut unum tantum obtineri valeat, & quando istud non sufficiat ad congruam substentationem, & liceat aliud conferre, ideoque videtur, quod expresse, atque in littera duo tantum promittantur, & cum hoc sensu procedunt Barbos. *ad idem cap.* 17. *n.* 3. *&* 4. *& vot.* 107. *n.* 28. Garz. *de benef. part.* 11. *cap.* 5. *n.* 310. *&* 311. Fagn. *in cap. cum jam dudum de Præben. num.* 45. *&* 70. *&* 71. ubi testatur de declaratione Sac. Congregationis, *& in cap. litteras, de concess. præb. num.* 3.

Et licet aliqui in contrarium allegent Paris. *de resign. l.* 3. *q.* 1. *n.* 142. & Barbos. *de Episcopo, alleg.* 61. *n.* 10. ubi alii referuntur: Attamen istud est æquivocum, quoniam Paris. cum quo pertransit Barbos. loquitur de stylo Curiæ; & sic de provisionibus, quæ fiunt per Papam, non autem de illis, quæ fiant per Episcopum, quoniam licet in tertio, quinimo, & aliis uberioribus intret eadem ratio, quæ in secundo, quod scilicet quemadmodum, ubi unum non sufficit, conferri potest secundum, ita ubi non sufficiant duo, conferri possit tertium, quinimo & quartum, si omnia sint modica, & necessaria sint ad congruam substentationem. Attamen cum obstent verba clara Concilii, non videntur intrare glossæ, &, interpretationes ad vulgarem text.

text. *in leg. ille aut ille*, *ff. de leg.* 3. Potissime stantibus declarationibus Sac. Congreg. relatis per Gonz. & Fagn. *ubi supra*.

Quoad secundam quæstionem de illa plene agit idem Fagnan. *in dict. cap. litteras de concess. Præb. n.38. cum plur. seqq. ad finem*, ubi distinguit, quod aut sunt beneficia conformia, puta duo Canonicatus, vel duæ portiones, aut Hebdomadariæ, vel alias ejusdem speciei; Et tunc certum est non posse, quoniam ita esset diminuere numerum taxatum, & consuetum; Aut vero sunt difformia, & diversæ speciei, adeout possit utrisque pro servitiorum, ac officiorum diversitate congrue satisfieri; Et tunc possit, nisi ambo sint præcise residentialia, & essentialiter servitoria, quoniam tunc non posset una persona materialis occupare duo hujusmodi beneficia, ut latius apud eum, ubi referendo diversas opi-
3 niones antiquorum Canonistarum, ita curat conciliare.

Verum id procedit, quando ambo beneficia sint, ut præmissum est, de sui natura, & præcise residentialia, & servitoria, ut ex. gr. sunt Canonicatus, & dignitas vel Canonicatus Hebdomadariæ, vel Portionariæ in Cathedrali, vel Collegiata; Secus autem ubi unum beneficium sit residentiale, & servitorium, alterum vero sit in substantia simplex, residentiale autem, & servitorium per accidens, & secundum quid, ad effectum scilicet lucrandi aliqua emolumenta cum servitio personali, quatenus velit, non autem ut cogi possit, quoniam tunc istud beneficium nullam causat incompatibilitatem ex *deduct. disc.* 57. *&* *disc.* 58. *de beneficiis*, ubi concordantes, ibique exemplificatur, qualis sit ista residentia causativa, vel secundum quid.

Quoad tertium, an prohibitio decreti Conciliaris capiat beneficia de jurepatronatus laicali, quamvis Vivian. *de jurepatr. lib. 6. cap. 10. n. 25. & seqq.* insequendo Lambert. dicentem se fuisse institutum in 37. beneficiis, dicat quod hæc beneficia non comprehenduntur sub dicto decreto, ex eo quod cum illud loquatur de collatione, non comprehendat institutionem, idemque dicat Massobr. *in praxi haben. concursum requisit.* 7. *dub.* 18. *n.* 1. *& seqq.* pene per eadem verba, adeout unus ab altero mutuasse videatur; Nihilominus contrarium videtur verius magisque receptum juxta opinionem Gonz. *part.* 11. *cap.* 5. §. 3. *n.* 280. Barbos. *eodem*
4 *cap.* 17. *n.* 8. *& de jur. Eccl. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 180. *& seq. & d. alleg.* 62. *num.* 10. & insinuatum, *disc.* 13. *n.* 9. *in fine*, ac supponitur in decisionibus editis in eo casu, quoniam ista qualitas non tollit essentiam beneficii, neque cessare facit rationem, cui innixa est prohibitio tam juris communis, quam Concil. Trid. quoties lex fundationis aliter non suadeat ex vera, & recepta conclusione, quod in limine, ubi accedat consensus Ordinarii adjici possunt leges, & conditiones, quamvis juri contrariæ. Ideoque licet aliqui dubitaverint, an ætas 14. annorum a Concil. Trid. præfinita pro beneficiis etiam simpliciter procedat in iis, quæ sint de Jurepatronatus, nihilominus recepta est affirmativa ex relatis *disc.* 95. *de benef. n.* 8. ubi concordantes, idemque in terminis text. *in cap.* 2. *ut lite pend.* ex relatis *disc.* 92. *num.* 20. *eod. tit. de benef.* & alibi pluries, cum eadem sit ratio, quoties, ut præmissum est, lex fundationis aliter non statuat.

Æquivocant autem Vivian. & Massobr. jurando in fide Magistri Lambertini non reflectentes, quod ipse de anno 1513. scripsit ante publicationem Concilii, circa cujus ultima tempora prodiit hoc decretum, dum text. *in cap. de multa* agendo de personatibus, non percutit hæc simplicia beneficia, nullam habentia annexam formalem administrationem, ac etiam quod ipse esset ortundus de Provincia Baren. ubi sunt valde in usu illa legata pia ad nominationem, quæ non sunt vera beneficia enunciata *supra disc.* 15. *n.* 4. & sæpius, in quibus istud decretum non intrat.

5 Discurrebam autem hæc, ut præmissum est, ad exuberantiam, stante dicta dimissione unius, quoniam quæstiones cadunt, quando quis velit retinere, dum incompatibilitas non obstat assequutioni posterioris, sed retentioni prioris, dummodo posterius habeatur pacifice, & certe ex deduct. *supra, disc.* 54. *&* 56.

6 Ista vero certitudo neque aderat stante pretensione, quam habent officiales Dataria, ut Ordinarius Collator ex hoc decreto Conciliari non possit conferre tertium beneficium illi qui jam possideat duo, tamquam inhabili, & incapaci, ut apud Amayd. *de stylo Datariæ cap.* 16. §. 3. & in praxi pluries hanc prætensionem audivi, cujus contrarium tamen habetur apud Barb. *d. alleg.* 62. *n.* 7. & Fagnan. *in d. cap. cum jam dudum n.* 71. *& in d. cap. litteris de concess. præbend.* Itaque posterior opinio omnino probabilior videtur ex insinuata ratione, quod incompatibilitas non inducit inhabilitationem ad assequendum secundum, sed solum ad retinendum primum, ut *d. disc.* 55. *de benef. & alibi*, ideoque non videtur, cui probabili fundamento ista prætensio officialium Datariæ innitatur.

Et quamvis in contrarium replicaretur, quod stante 7
retentione omnium trium per tempus notabile quinque mensium, & sic per tres ultra duos permissos, utrumque amiserit, juxta dispositionem text. *in cap. de multa, de præbend.* Nihilominus cum eodem sensu veritatis dicebam, quod ista esset prætensio omnino vana, quoniam aliud est agere de prædictis quæstionibus ad effectum civilem commodi, & emolumenti, pro retentione, vel vacatione respective, aliud vero ad effectum pœnalem amittendi non solum primum, quod retinere non potest, sed etiam secundum; Quoniam ad hunc posteriorem effectum cum dari non debeat pœna sine delicto positivo, requiritur dolus, & malitia, ut probare videtur idem text. *in cap. de multa*, ubi adhibetur illud verbum *contempserit*, & in fine adhibetur aliud verbum *præsumat*, juxta distinctionem ex celebri ac recepta doctrina Zabarell. *in Clem.* 1. *n.* 22. *de privil.* Et habetur in materia alienationis
bonorum Ecclesiæ quod aliud est agere de nullitate a- 8
ctus, & aliud de incursu censuratum, aliarumque pœnarum contentarum *in extrav. ambitiosæ*, ex deduct. per Vermigl. *cons.* 182. *&* 183. atque advertitur *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 154. *cum seq.* præsertim, *disc.* 157. in materia alienationis bonorum prohibitorum, cum similibus; Ac propterea receptam habemus propositionem sub diversis materiis pluries insinuatam, quod quando agitur ad effectum pœnalem quælibet causa, quamvis de stricto jure non vera, nec
relevans, sed opinata excusat, quoties non constet de 9
ignorantia vere affectata, quæ potius malitiam, & delictum augere videtur.

Applicando autem ad rem plura concurrere videbantur 10
in hac facti specie, malitiam, & dolum omnino excusantia; Primo nempe, quod non est expresse in jure determinatum intra quantum tempus dimissio prioris fieri debeat post assequutum posterius incompatibile, cum opinio quæ circumfertur super duobus mensibus proveniat ex opinione magis communi ad effectum vacationis primi, ut illud possit provideri, non autem ex jure certo ex deduct. *dict. disc.* 54. ideoque ad hunc alium effectum dici non potest adesse temeritatem, dum non adest positiva contraventio expressæ prohibitionis legis.

Secundo, quia ut patet ex *eod. disc.* 54. obligatio dimittendi 11
primum intrat quando certa, & pacifica sit assequutio secundi cum subsequuto effectu, secus ubi adhuc probabile dubium, vel timor vigeat, ut ad rem adaptari advertebam, stante dicta prætensione, vel opinione, quam habent officiales Datariæ super invalida collatione tertii benefici; Ac propterea omnino certa, & pacifica dici non poterat assequutio parochialis.

Tertio, quia ad hunc effectum pœnalem requiritur 12
etiam perceptio fructuum ex utroque ex relatis per Francesc. *de intruso quæst.* 6. *n.* 24. Fagn *in cap. dudum n.* 24. *de elect. & in cap. quidam de præbend.* Royas *de incompat. part.* 3. *cap.* 7. *num.* 2. quod in hac facti specie non verificabatur, sed potius constabat de sinceritate exclusiva temeritatis, & delicti cum præfata spontanea dimissione re integra, & prius quam ista prætensio excitaretur.

Et quarto demum, quoniam ut patet ex supra deductis duplex in proposito cadebat quæstio disputabilis cum opinionum varietate; Una nempe, an licita esset assequutio, & retentio tertii, quando alia duo ad congruam sustentationem non sufficiant; Et altera, an hæc 13
prohibitio capiat simplicia de Jurepatronatus laicorum. Quidquid enim sit de veritate in utraque, quam pro stylo non immorandi in superfluis in hoc responso formiter examinare neglexi; Ubi etiam admittenda sit utraque opinio magis rigorosa, quæ magis recepta videtur ut supra, adhuc dicebam negari non posse; quod dum punctus est in quæstione formiter non decisa, ita, & taliter quod dici valeat omnino sopita, quodque contrarium esset omnino clarum, & certum in jure, id sufficere deberet ad excusationem.

NUL-

NULLIUS BENEFICII.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An substineatur permutatio facta coram Ordinario de primo beneficio per eum, qui obtinuit secundum incompatibile, quod postea non curat, vel non potest de facto assequi.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Non potest coram Ordinario dimitti, vel permutari beneficium vacaturum ob assequutionem alterius reservati.
3 Secus si provisio secundi fiat ab Ordinario uti liberum.
4 Quando intret vacatio primi per assequutionem secundi.
5 De fraudibus, quæ desuper fieri solent, ob quas alias dignior reputari debet minus dignus.

DISC. CXX.

1 Titius possessor Parochialis minoris, atque in concursu ad aliam meliorem Parochiam vacantem in Regno Neapolitano prælectus, cum expeditis litteris Apostolicis earum exequutioni se opponerent tam Regis officiales, ex eo quod prætenderetur de jurepatronatus Regio, quam institutus ad Regiam præsentationem jam possessor, ac propterea decrevit hanc litem non assumere, atque opus deferere, idcirco primam Parochialem coram Ordinario permutavit cum alio beneficio, quare Cajus eamdem impetravit a Sede Apostolica, atque incertum est ex cujus parte desuper con-
2 fultus, contra impetrantem pro validitate permutationis respondendum censui, quoniam dispositio regulæ tertiæ Cancellariæ, ac etiam Constitutiones Pauli V. de quibus apud Ubald. *decis.* 291. super invalida permutatione, vel dimissione coram Ordinario, illum percutit finem, vel effectum, ne fraus fiat Datariæ, illam privando collatione primi incompatibilis, quod per assequutionem secundi ab eadem collati vacare debet, juxta ea quæ habentur *supra*, *disc.* 54. & in aliis, sic
3 propterea quando collatio secundi incompatibilis fiat per Ordinarium, qui primum ita vacaturum conferre posset, ista prohibitio non intrat, quoniam cessat ejus ratio, ut apud Buratt. *decis.* 242. & apud Otthob. *dec.* 297. & præsupponitur *in d. dec.* 251. Ubaldi; ideoque cum in hac facti specie dicta ratio cessaret, quoniam vacatio primi incompatibilis eatenus intrat, quatenus secundum obtineatur pacifice, & cum effectu, ex deductis *eodem disc.* 54. & per consequens cum provisus de secundo ex justo impedimento illud negligere, atque jus, quod competeret, prosequi non curaret, ita ob cessantem rationem prohibitionis censui, quod casus haberet de indubitabili.
4 Potissime quia neque cadere poterat altera ratio, quæ, cessante præjudicio, vel fraude Datariæ considerari potest, & solet cujusdam turpis mercaturæ, quæ desuper fiat, ita obtinendo commodum utriusque, adeout in concursu ad Parochiales, aliaque beneficia, illi qui alias magis digni ob qualitates personales censendi essent, minus digni reputari debent ob istam mer-
5 caturam, quod scilicet alia obtinentes beneficia incompatibilia, ita dimiserint cum pensione, vel permutaverint cum alio compatibili, ut alibi advertitur.

MELEVITANA COMMENDÆ, PRO COM. DE HERBESTAYN, CUM COM. DE VALDESTAYN.

Casus decisus per Rotam pro Valdestayn.

De justificatione melioramentorum primæ Commendæ, ut alia obtineri valeat, quando sit necessaria, & quomodo fieri debeat. Et de altero requisito residentiæ quinquennalis, quando illius necessitas cesset.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Antianitas currit a die solutionis passagii.
3 In Commendis attenditur antianitas, in dignitatibus autem benemerentia.
4 De objectis inducentibus incapacitatem.
5 De resignantia quinquennali, & quod cum causa excuset.
6 De justificatione melioramentorum, de quo tempore adesse debeat.
7 Quomodo in causis hujus Religionis procedi debeat.
8 Declarantur decisiones, & auctoritates requirentes justificationem habilitatis de tempore concursus.
9 De casu mixto, in quo non intraret obligatio meliorandi.

DISC. CXXI.

Vacata Commenda de Gibenix ob promotionem 1 possessoris ad prioratum Bohemiæ, atque ad eam concurrentibus dictis Comitibus de Herbestayn, & de Valdestayn, quamvis prior esset extra controversiam magis Antianus, attamen Concilium Ordinarium Melitæ ad favorem alterius pronunciavit, idemque fecit in altera instantia Concilium Completum, commissaque per Signaturam gratiæ causa in Rota coram Albergato, prædictis sententiis conformes prodierunt resolutiones sub diebus 12. Januarii, & 19. Junii 1671. unde credo quod succumbens acquieverit, ita me ejus Agentibus consulente, dum amplius de causa actum non audivi. Quamvis etenim abstrahendo a præfatis sententiis Religionis, atque considerando solum decisiones Rotales, earumque rationes, & fundamenta, resolutiones viderentur, vel minus probabiles, vel nimium rigorose insistentes in abhorrita formalitate verborum grammaticali, vel judaico more; Attamen dictæ sententiæ mihi difficultatem inferebant, ut infra.

Non controvertebatur itaque in facto major antianitas Comitis de Herbestayn, utpote per annum cir- 2 citer facta computatione a die receptionis post solutionem passagii, ex quo tempore absolutum est antianitatem regulari debere, ut apud Greg. *decis.* 341. & 449. Duran. *dec.* 386. & 439. & Dunoz. *dec.* 540. & 812. & *sæpius*. Prout non controvertebatur, quod in concursu ad commendas posita concurrentium habilitate in aliis requisitis procedatur cum solo ordine antianitatis, dum benemerentia attenditur in dignitatibus, non autem in 3 Commendis, ut apud Dunozett. *sen. dec.* 166. & apud alterum Dunozett. junior. *dec.* 666. & 997. & *habetur supra*, *disc.* 68. & 69. & in decisionibus editis in casu, de quo *eod. disc.* 68. in Venusina bajulivatus; Quare dubitandi ratio consistebat in habitatione habentis majorem antianitatem ex duplici capite; primo nempe ob defectum residentiæ quinquennalis in prima Commenda, quam possidebat, & secundo, quod non bene justifi- 4 casset in Lingua de tempore concursus, vel smutitionis melioramenta primæ Commendæ, ut requiritur ad effectum capacitatis, ex statutis *sub tit. de Commend.* & insinuatur etiam *dict. disc.* 68.

Primum objectum in consideratione habitum non fuit, quoniam, & merito, processum est cum conclusione pariter *dict. disc.* 68. insinuata, quod justa absentia ex causa Reipublicæ Christianæ, & fidei, qualis justificabatur cum maxima benemerentia, eam suppleat, dum aliud est adesse justam causam, ad effectum excusandi a residentia pro præsentia ficta, & aliud est ubi agatur 5 de vera, & personali interessentia pro perceptione distributionum, aliisque similibus effectibus, ut habetur *sub tit. de Canonic. ac etiam hoc tit. & alibi*.

Prodierunt itaque resolutiones ex defectu alterius requisiti super justificatione melioramentorum, non obstante quod ante factum casum concursus ipse institisset deputari commissarios pro illorum recognitione jam sequuta, quodque revera illa adessent postmodum ex relationibus Commissariorum, aliisque legitimis probationibus bene justificata ex eo, quod ad litteram statutorum requireretur eorum justificatio, & approbatio de tempore 6 concursus, & non sufficeret, id quod postea subsequutum sit, juxta decisiones 293. & 303. *part.* 7. *recentior.* & apud Dunozett. *decis.* 376. & in aliis similibus quæ deducuntur in decisionibus desuper editis, & præsertim habetur apud Lotter. *de benef. lib.* 2. *quæst.* 15. *n.* 72. & *seqq.* super conclusione, ut capacitas requiratur de tempore smutitionis, & non sufficiat illa, quæ postea superveniat, allegando etiam in *idem decis.* 422. & 472. Duran. super puncto, quod non sufficiant justificationes coram commissariis, nisi illæ sint examinatæ, & approbatæ per Linguam, vel per alios, ad quos ex stabilimento, & stylis Religionis pertinet.

Difficultatem autem mihi non faciebant istæ, ac aliæ similes auctoritates, sed ut præmissum est mihi eam inferebat

bat judicium Religionis declaratum cum sententiis utriusque Concilii Ordinarii, & Completi, ex eo quod ita Religio hanc tribuerit ejus statutis interpretationem, sive hanc habeat consuetudinem, vel opinionem, idque
7 potius in Religionibus, & præsertim in ista attendendum videtur, quam id, quod de rigore juris communis, vel pro Juristarum subtilitatibus procedat; quoniam si in omnibus Religionibus receptum est, ut in causis Religiosorum procedi debeat cum religiosa simplicitate, & prout ipsi Religiosi intelligunt, ex deductis in sua sede *sub tit. de Regul. & alibi*, multo magis id dicendum est in ista Religione militari, in qua ejus professores militiam, & arma sequuntur potius, quam litteras colant, ideoque involvendi non sunt cum legalibus subtilitatibus & superstitionibus, ita consequendo vestigia juris civilis circa ea, quæ disponit super militibus illorum temporum diversimode ab iis, quæ disponuntur in paginis, ex ista ratione militaris simplicitatis. Ac etiam in idem conferre videntur ea quæ habentur *sub titul. de camb. & sub tit. de cred.* & alibi pluries super modo procedendi in causis mercatorum, & negotiatorum super litteris cambii, aliisque negotiis mercantilibus, ut tractari debeant, ut mercatores intelligunt, non autem ut intelligunt Juristæ, vel Morales, qui, ut plurimum negotia non callent, neque sciunt quid dicant.

Potissime vero, quia iste intellectus quamvis rigorosus, & mere litteralis, probabilem habere videtur rationem resultantem ex eadem militari simplicitate, ut scilicet de ipso tempore concursus, & quando smutitio summarie, ac more militari facienda est, tunc habeantur promptæ, & jam admissæ justificationes requisitorum, & non attendatur illa possibilis justificatio, quæ offeratur, quamvis revera adsit.

Seclusis autem hujusmodi considerationibus, atque examinando rem in puncto jusis tam sententia, quam resolutiones potius probabiles censendæ venirent, quodque præfatæ decisiones, & auctoritates, ac aliæ in decisionibus deductæ essent quidem veræ in suis casibus, male autem ad rem applicatæ. Distinguendo siquidem casus, de quibus dd. decisiones, & autho-
8 ritates loquuntur; Unus casus est quando agitur de probationibus nobilitatis, aliorumque requisitorum pro admissione ad habitum justitiæ juxta deducta, *disc. 32. & seqq. de praem.* & de quo loquuntur dictæ decis. Durani, & tunc bene dicitur, quod non sufficit deputatio Commissariorum ad probationes recipiendas, minusque sufficiunt eorumdem Commissariorum relationes, aliave acta, nisi causa cognita per Linguam, vel alios, ad quos pertinet, examinentur, ac declarentur sufficere, ideoque merito dicitur actus, qui debet præcedere concessionem habitus tamquam requisitum essentiale, sine quo ille, qui petit habitum, non habet jus petendi, nisi præcedat de natura actus, & per consequens videbatur, quod istæ authoritates, utpote diversam rationem habentes, non facerent ad rem.

Alter est casus, de quo loquuntur decisiones 376. Dunozetti 293. & 303. *part. 7. recent. 375. part. 4. tom. 3.* & aliæ, quando concurrens tunc intrinsece, ac vere esset incapax, quia nempe esset debitor ærarii, desineret autem esse debitor postea, quia solveret debitum, vel aliquam gratiosam dilationem haberet, juxta ea, quæ habentur in Melevitana Pensionis *disc. 89. titul. de Pens.* & tunc pariter id bene procedit, quoniam subsequens habilitatio retrotrahitur in præjudicium tertii, cui de tempore concursus, vel smutitionis jus quæsitum fuit ob incapacitatem æmuli, & hoc est quod dicit Lotter. *dict. quæst. 15. lib. 2. n. 72. & seqq.*

Tertius vero est casus noster, quod vere, & intrinsece concurrens sit habilis, quia fecerit melioramenta, eaque etiam probaverit, sed casus præbeat, quod non sint exhibita coram illis officialibus, ad quos pertinet; Et tunc revera inhabilitas adesse non dicitur, cum in effectu adimpletum sit requisitum de meliorationibus, subsequens autem exhibitio non continet actum novum, vel novum implementum remotivum obstaculi, ut est in casu solutionis debiti, quod revera extabat, sed potius est clarior apertura ejus quod jam aderat, & latebat, ad text. *in l. adeo, §. cum enim grana, ff. de acquir. rer. dom.* cum iis, quæ habemus in hac materia beneficiali, circa provisionem in forma *dignum*, quoniam si subsequenti examine detegitur dignus, obtinere dicitur provisionem perfectam ab initio, & si detegitur indignus, nunquam fuit provisus, ideoque non bene huic casui adaptantur ea, quæ habentur de duobus casibus præcedentibus, & præsertim in secundo, in quo vere, & realiter tunc adesse dicitur incapacitas, quæ postea tollitur tamquam per curationem plagæ, quæ jam aderat.

Ac propterea si fiat concursus ad beneficium, pro quo necessarius est clericatus, qui revera non adsit, vel adsit insufficiens, puta quia augeat obstaculum irregularitatis, tunc attenditur tempus concursus, & non suffragatur in præjudicium tertii concurrentis superventa capacitas per assequutionem clericatus, vel dispensationis irregularitatis, sed si revera concurrens sit clericus, & capax, non habeat autem promptas bullas, vel alias justificationes clericatus, qui postea revera justificetur, non exinde inferendum venit ad inhabilitatem, quoniam hæc revera adesse non dicitur, neque illam inducit subsequens justificatio, quæ solum aperit id, quod revera aderat, juxta textus, *in dict. leg. adeo, de acquir. rer. domin.*

Ponderabam propterea, quod non versaremur in casu statutorum, sed potius in casu omisso, vel mixto non cadente sub statutis dupliciter; Primo, quia Commenda non esset ordinis militum justitiæ, sed potius 9
fratrum Cappellanorum, & per consequens cum statuta loquantur de illis, qui cupiunt meliorari de alia Commenda, intelligendi sunt de Commenda simili, juxta operationem verbi *alius*, quod denotat similitudinem, ex collect. per Barbos. *dict. 26. cum vulgaribus*; Ac propterea si Ecclesiæ statutum disponat, ut provisus de Canonicatu non possit optare alium Canonicatum meliorem, nisi primum melioraverit, aliquis autem obtineat in Ecclesia Cappellaniam, vel portionem, deindeque concurrat ad assequutionem Canonicatus, non videtur, quod sibi obstare debeat d. statutum, quod loquitur de transitu ab uno beneficio ad alterum ejusdem generis, vel qualitatis.

Et secundo magis, quia hujusmodi statuta intelligenda videntur de illis Commendis, quæ obtineantur ex prærogativa antianitatis, absque alio onere, adeo ut obtinens fovere dicatur causam lucrativam, secus autem quando obtineatur ex causa onerosa, & correspectiva, ut probari videtur ex iis, quæ habentur in alia Melevitana Commendæ *hoc eod. tit. disc. 117.* occasione agendi de compatibilitate Commendæ cum Dignitate Priorali, dum istam Commendam extra ordinem militum justitiæ, utpote ordinis Cappellanorum obtinuerat ex eo, quod proprio sumptu, & labore cum magnis incommodis, & periculis illam recuperaverat a manibus Hæreticorum; Sed quamvis hæc motiva deducerentur, sub silentio tamen in decisionibus involvuntur, neque per Scribentes in contrarium adæquata responsio dabatur, ac propterea non videbatur, quod mererentur negligi, nisi ex dicto motivo deferendi judicio Religionis.

TUSCULANA FRUCTUUM,

PRO FRANCISCO VIGNATO, CUM ALPHONSO.

Responsum pro veritate.

Quinam fructus, & emolumenta pertineant ad coadjutorem, & qui ad coadjutum.

S U M M A R I U M.

1 Facti series.
2 Quæ sint emolumenta particularia necessaria; & quæ voluntaria.
3 An faculæ, & Candelæ sint voluntariæ, vel necessariæ.
4 Quid de emolumentis Missæ cantatæ.

D I S C. CXXII.

IN Tusculana Civitate nullæ adsunt Parochiæ distinctæ, sed ipsa Cathedralis est unica Parochia universalis, ideoque habitualis cura residet penes ipsum Episcopum, & Capitulum juxta frequentem usum aliarum Italiæ Civitatum, peneque generalem Hispaniarum, exercitium vero curæ residet penes Archipresbyterum, ejusque Vicarium, vel adjutores; Cumque inter jura parochialia præcipuum sit illud funerandi, idcirco cadavera 1

sepeliuntur in Cathedrali, vel in alia Ecclesia, quæ ab ea dependeat cum interventu Capituli, atque pro sepulturæ emolumento, vel jure solvuntur bajoc. 75. exceptis pueris, pro quibus solvitur medietas; Ac etiam solvi solet quoddam emolumentum pro missa solemni, seu cantata super cadavere, super quo juxta Ecclesiasticum Ritum tenentur accensæ faculæ, & candelæ ceree, quarum reliquiæ remanent in ipsa Ecclesia ad commodum Capituli.

Cum autem Franciscus Vignatus Canonicus dictæ Ecclesiæ ratione ejus gravis ætatis obtinuisset a Sanctissimo sibi dari in coadjutorem Alphonsum cum futura successione injuncta coadjutori obligatione absente coadjuto explendi omnia quæ ipsi incumberent, adeout sit ex ejus culpa, vel negligentia, aut omissione coadjutus aliquid amitteret ex fructibus, redditibus ac proventibus certis, ac etiam ex distributionibus quotidianis Canonicatus, & Præbendæ, quos omnes Franciscus sibi ad vitam reservavit; Coadjutus de suo reficere teneretur, cum ejusdem obligatione solvendi onera Seminarii, ac triremium, & spolii ex fructibus incertis dicti Canonicatus, & Præbendæ.

1 Hinc dubitari contigit, ad quem pertineant dicta emolumenta, quæ solvuntur pro jure sepulturæ, ac etiam obveniunt ex Missa cantata præsente cadavere, & ex dictis faculis, & candelis, an scilicet dicenda essent incerta quæ pertinerent ad coadjutorem, vel potius e converso pertinerent ad coadjutum, atque desuper ex parte coadjuti consultus.

Quatenus pertinet ad dictos bajoc. 75. qui solvuntur pro jure sepulturæ pro ipso coadjuto censui sine dubio respondendum, quoniam illud non est emolumentum voluntarium, & incertum, sed necessarium, cum jus sepulturæ sit mere parochiale, ideoque ejus emolumen-
2 ta sint necessaria, dum jus parochiale in ista reciproca necessitate consistit; ex plene deductis in his terminis juris funerandi per Rot. *dec.* 348. *part.* 11. *recent.* & habentur *sub tit. de Paroch. disc.* 23. 27. *&* 28. *&* 38. *ac etiam sub tit. de jurepatr. disc.* 10. ubi quod aliud est agere de fructibus certis ad effectum regulæ de valore pro solutione annatæ, aliud vero ad alios effectus; Potissime quia ad favorem coadjuti reservatæ fuerunt quoque distributiones quotidianæ, quæ dici non possunt fructus certi; Ideoque dicebam, quod sub incertorum nomine venirent solum illæ oblationes, & emolumenta, quæ proveniant ex voluntaria devotione, vel arbitrio, ex auctoritatibus deductis *d. disc.* 10. *de jurepatr.* ubi concordantes.

Quo vero ad faculas, & candelas, dixi quod aut agitur de illis, quæ distribuuntur singulis Canonicis, & Clericis pro honorificentia Partium, ac majori decore funeris, sive pro quadam recognitione laboris personalis eorum, qui in funere interveniunt; Et tunc istæ
3 essent emolumenta omnino incerta, quæ cedere deberent ad commodum Coadjutoris, dum possunt partes nolle adhibere istam majorem honorificentiam, vel istum sumptum facere. Aut vero agitur de illis faculis, quæ pro Ecclesiastico ritu apponuntur circa cadaver, atque de jure remanent penes ipsam Ecclesiam parochialem, & ubi funus fiat in alia Ecclesia, penes quam remaneant, & sic, ex eis debeatur quarta Parocho, ex iis quæ pariter deducta habentur *d. tit. de Paroch. disc.* 12. *&* *disc.* 25. ac etiam ad rem *disc.* 28. ubi de distinctione inter emolumenta jure parochi, & emolumenta mere voluntaria; Ac etiam in his terminis specialibus participationis ceræ cum dicta distinctione *sub tit. de Canon. & Capit. disc.* 18 *præser. num.* 8. *&* 11. *per tot.* Ideoque ex eadem ratione, de qua supra in emolumentis pecuniariis debentur coadjuto potius, quam coadjutori; In Ecclesia enim, de qua agitur, *d. disc.* 28. *de Paroch.* illa beneficia sunt pinguia gravari solita etiam notabilibus pensionibus, & tamen omnia emolumenta consistunt in his juribus parochialibus ratione sepulturæ.

Demum, quoad tertium punctum emolumentorum ra-
4 tione Missæ solemnis, vel cantatæ; dixi, quod resolutio pendebat a natura, seu qualitate functionis; Si enim esset præcise necessaria, adeout Partes invitæ ad hujus emolumenti solutionem teneantur, & tunc intraret idem, quod de aliis emolumentis sepulturæ dictum est; Si vero ad honorificentiam pro majori devotione, adeout possent partes sumptum non facere; Et tunc dixi videri, quod esset emolumentum vere incertum ex sola ratione laboris personalis, non autem ex præcisa ratione Canonicatus, quod cedat commodo coadjutoris, ideoque decisio pendet ex circumstantiis facti.

TUDEN. COADJUTORIÆ, PRO JO. DE HEREDIA.

Responsum pro veritate.

An substineatur gratia coadjutoriæ in vim consensus præstiti per Procuratorem coadjuti, postquam iste mandatum revocaverat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Attenditur tempus gratiæ, ut tunc firmum sit mandatum, & non attenditur consensus præcedenter præstitus.*
3 *De invaliditate actus ob excessos fines mandati.*

DISC. CXXIII.

Alphonsus Moscosius Cantor Ecclesiæ Tuden. de mense Octobris 1670. constituit Procuratorem Petrum in Curia morantem ad consentiendum coadjutoriæ ad favorem Joannis, dummodo iste gravatus remaneret post factum casum successionis annua pensione ducatorum Cameræ triginta duorum ad favorem duorum ejus nepotum. Sub die autem 21. Februarii sequentis mandatum prædictum amplissime revocavit, aliudque dedit ad consentiendum coadjutoriæ ad favorem unius ex dictis nepotibus, atque revocatio intimata fuit Petro in Curia de mense Aprilis, qui eadem die alium substituerat Procuratorem, qui curavit de mense Junii sequentis in vim consensus præstiti in dicto mense Aprilis penes Notarium signari gratiam ad favorem Joannis; ex cujus parte consultus, 2 an gratia esset substentabilis, adeout expediret, necne procedere ad expeditionem litterarum; Respondi non expedire, sed abstinendum fore ex eo quod gratia non videretur substentabilis ex duplici fundamento, Primo nempe revocationis mandati re integra ante signatam supplicationem, de cujus tempore opus est, ut mandatum extet, quamvis revocatio intimata, vel notificata non esset procuratori, cum ista notificatio percutiat diversum effectum refectionis expensarum, non autem substantiam gratiæ, nil obstante consensu præstito in manibus Notarii; Tum quia etiam de eo tempore mandatum revocatum erat juxta præmissam facti seriem. Tum etiam quia hodie non est in usu hæc species consensus, de quo loquuntur Paris. & Lotter. ac alii Beneficialistæ, cum attendatur solum ille consensus formalis, qui præstatur in Cancellaria post signatam supplicationem, & non antea, ut advertitur supra, *disc.* 38. *&* 42. & alibi, multo magis dum etiam notificatio accessit ipsi procuratori, quamvis facta non esset substitutio ab eo, utpote ignoto, potissime ob non modicam suspicionem fraudis, dum substitutio facta erat eadem die notificationis.

Et secundo ob excessos fines mandati circa reservationem pensionis ex nunc, adeout etiam ipse coadjutus illa gravatus remaneret præter ejus intentionem, quæ fuit gravandi coadjutorem, quando sequuta ejus morte ipse 3 obtineret beneficium, quod poterat non sequi ob coadjutoris præmorientiam naturalem, vel civilem, & per consequens defectus erat in parte substantiali, adeout dici non posset suppletus ab illa verisimili voluntate mandantis, quæ hunc defectum sanare solet in iis, quæ sunt necessaria, vel utilia, seu connaturalia, & consequutiva pro exequutione, & implemento mandati, ut in suis sedibus pluries advertitur.

BARCHINONEN. VICARIÆ, PRO BERNARDO MASFERRER, CUM JO. BAPTISTA CORIA.

Casus, credo, resolutus per Rotam pro Bernardo.

An & quando sub mandato generali, quod alicui per absentem datum sit, veniat facultas præsentandi vel nominandi ad beneficia, ut propterea nominationi jam factæ per Procuratorem non obstet præsentatio diversa facta per mandantem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De legitimo contradictore,*

3 Quod

3 *Quod ex mandato dato ad conferendum non inferatur ad præsentandum.*
4 *Procedendum est cum distinctione casuum, & quando dicta conclusio procedat.*
5 *De applicatione ad casum.*
6 *Quod ad hunc effectum attendi debeat substantia voluntatis, & identitas rationis.*

DISC. CXXIV.

PRovisus in Curia Jacobus Clement de Archidiaconatu majori Cathedralis Barchinonæ, amplissimum
1 dedit mandatum fratri Jo. Antonio Clement existenti in partibus ad capiendam possessionem Archidiaconatus, & annexorum, necnon exigendum omnes fructus, & emolumenta, & conferendum omnia beneficia, & Cappellanias, quarum collatio, & præsentatio, & alia quæcumque dispositio ratione dictæ dignitatis competat cum clausula quidquid ipse constitutus facere posset, si esset præsens, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, ac individuam mentionem; Cujus mandati vigore dictus Procurator possessionem dignitatis adeptus est, aliaque pro ejus exequutione opportuna gessit; Cum itaque in mense reservato vacasset Vicaria Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Prato unita dignitatibus Archidiaconatus, & Persentoriæ dictæ Cathedralis, Persentor præsens, & dictus Procurator Archidiaconi absentis coram Ordinario præsentarunt Bernardum, qui approbatus ab examinatoribus Synodalibus cum ejusdem Ordinarii solitis testimonialibus, obtinuit provisionem Apostolicam exequutioni ab eodem Ordinario demandatam, sed Joannes Baptista cum narrativa quod prædicti Archidiaconus, & Persentor essent discordes, obtenta ab Archidiacono adhuc præsente in Curia præsentatione Vicariam impetravit cum derogatione juris alterius habentis jus præsentandi, vel nominandi cum clausula dummodo non sit alteri jus quæsitum, sed Ordinarius, cui litteræ in forma *dignum* erant directæ, exequutionem denegavit, unde interposita per Joannem Baptistam appellatione, & commissa causa in Rota coram Calataju, & dato dubio, an ejus litteræ sint exequendæ, eoque proposito de mense Junii 1675. probabiliter credo, quod negativa prodierit resolutio, dum post unicam informationem, seu responsionem juribus actoris, amplius de causa actum non audivi.

Ita etenim etiam cum sensu veritatis, respondendum fore dicebam ex sola ratione ordinis, absque necessitate assumendi inspectionem in meritis negotii principalis, quoniam cum Bernardus esset etiam provisus Apostolicus ad eamdem præsentationem, vel nominationem, immo pingius, cum haberet illam utriusque, & esset possessor, inspectio autem, an Procurator haberet, necne hanc facultatem, esset altioris indaginis, atque exigeret formalem declarationem, potissime ob clausulam, dummodo alteri non sit jus quæsi-
2 tum, ita citra omne dubium videbatur, quod possessor esset legitimus contradictor ad impediendum processum exequutivum, quod ad effectum resolutionis dubii sufficiebat.

Verum etiam in meritis dicebam justitiam assistere primo proviso, & possessori utpote nominato ab omnibus, ad quos ad præscriptum Bullæ Pianæ spectabat nominatio; Et quoniam Scribentes pro actore fundamentum constituebant in auctoritatibus Castrens. *conf. 361. lib. 1. in nov.* quod laudatur per Felin. *in cap. cum Bertoldus, num. 29. de re jud.* Lambert. *lib. 2. part. 1. quæst. 4 art. 3. num. 9. & 10.* Garz. *part. 1. cap. 6. num. 33. & seqq. & cap. 8. num. 83. & seqq.* Gonzal. *ad reg. 8. gloss. 16. num. 11.* apud quos habetur distinctio in-
3 ter mandatum datum a lege & datum ab homine, ut priori casu latius, in posteriori autem strictius procedatur, Sbrozz. *de off. Vicar. lib. 1. quæst. 65. & lib. 2. quæst. 70. & 111.* quodque propterea dum mandatum loquebatur de collatione, trahi non poterat ad præsentationem, quæ est quid diversum; Hinc repetebam consuetum intercalare, adeo frequenter decantari solitum,
4 quod scilicet ea, quæ apud allegatos habentur, sunt in suis casibus vera, fallacia vero erat in applicatione, pro cujus opportuna regulatione recurrendum esse advertebam ad solam sacram anchoram distinctionis casuum, quorum primus est quando agitur de illo mandato, quod Prælatus habens ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem, tribuat ejus Vicario Generali super cognitione causarum, & exercitio dictæ jurisdictionis etiam quoad collationem beneficiorum, ut Episcopi, aliique Prælati absentes, vel absfuturi facere solent, an scilicet sub hoc mandato veniat ista facultas præsentandi, vel nominandi, atque de isto casu loquuntur Lambert. & Rocch. & alii reassumpti per Sbrozz. *ubi supra*; Idque aliquam habere potuit rationem, quod scilicet Vicario demandata censeantur ea, quæ sunt jurisdictionis, & quodammodo conveniant officio, non autem alia; Et nihilominus etiam isto casu id limitatur, quando adsint illa verba quæ continentur in mandato Procuræ, de quo agitur, ex relatis per Sbrozz. *dict. quæst. 65. lib. 1.* & Garz. *d. part. 5. cap. 8. n. 68. cum plur.* apud quem concordantes.

Alter casus est ubi agatur de appaltu, seu arrendamento fructuum, & emolumentorum beneficii, an scilicet sub eo veniat jus præsentandi, & de isto casu loquitur Castren. ubi supra, cum quo pertranseunt alii supra recensiti, qui in contrarium allegabantur, istoque casu intrat ratio, quod incongruum est, ut sub appaltu, vel arrendamento fructuum veniant hujusmodi jura conferendi, vel præsentandi; Ac propterea idem Castren. *in princ.* advertit, quod facultas conferendi beneficia potius referenda est errori.

Tertius est casus quando provisus de Episcopatu, vel de alia dignitate det mandatum amplum super Episcopatus, vel dignitatis administratione, sibi autem competat aliquod jus præsentandi, vel nominandi ex persona propria independenter ab Episcopatu, vel alia dignitate, puta ex jurepatronatus gentilitio, vel hæreditario, aut consimili jure, quod ipse possideat; Et tunc recte procedere dicebam id quod ex dictis auctoritatibus per Scribentes in contrarium deducebatur, ut sub tali mandato quantumvis amplo hoc jus præsentandi non veniret, quodque a facultate conferendi ad aliam facultatem inferri posset.

In nullo ex his casibus versari dicebam, quoniam mandatum continebat ut supra facultatem conferendi beneficia, quorum collatio, & præsentatio, & qualibet alia dispositio dignitati annexa esset, igitur non 5
erat restrictum ad solam collationem, sed in verbis continebat etiam præsentationem, & quamlibet aliam dispositionem ratione dignitatis, ideoque ubi etiam cum formalitate verborum procedendum esset, adhuc mandatum aderat.

Cæterum repetebam aliud pariter nimium frequenter, sed semper utiliter, & opportune decantari solitum intercalare, quod immorandum non est in corti- 6
ce, ac formalitate verborum more gramaticorum, sed in substantia veritatis desumenda ex circumstantiis facti, ac istius tota massa, dum non agitur de quæstione juris, sed facti, & voluntatis, istaque attenta res videbatur clara, quod scilicet cum ageretur de noviter proviso de dignitate, ignaro quænam jura eidem dignitati annexa essent, stante ejus adeo remota absentia, ita providere voluit, ut procurator ejus vice explicaret omnia ea quæ sibi præsenti incumberent, ne alias ob lapsum temporis amitterentur; Ideoque si dedit id quod magis, nempe facultatem conferendi, multo magis censetur id dedisse quod minus, dum eadem assistit ratio, nullumque dignoscitur discrimen, ac propterea reflectendo ad solam veritatem, credebam quod justitia assisteret Bernardo primo proviso.

ULIXBONEN. BENEFICII, PRO HIERONYMO COSTA BRANDANO.

Responsum pro veritate.

De regula de viginti, sive de infirmis resignantibus, an locum habeat, sive resignans de tempore resignationis esset in statu valido, supervenerit autem obitus inopinate.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod quæstio intrat antiquis temporibus, non autem nunc, & de ratione.*
3 *Quando inspici debeat an verificetur, necne fraus, ob quam lex aliquid statuit.*
4 *An ista regula habeat locum in resignatione officiorum vacabilium, & similibus remissive.*
5 *Quod de æquitate, nova provisio videatur debita resignatario.*

D I S C. CXXV.

1 CUm facta per Franciscum in statu valido existen-
tem dimissione beneficii ad favorem Hieronymi
nepotis, casus dedisset ejus obitum infra viginti dies
ex inopinato morbo retentionis urinæ, consultus fui ex
parte Hieronymi resignatarii, an exinde ejus gratia cor-
ruerit per regulam *de viginti*, sive de infirmis resignan-
tibus, quasi quod illa intrare non deberet tamquam
ex cessante ejus causa, vel ratione fraudis.

Respondi contra requirentem tamquam in re hodie
plana, quoniam antiquæ quæstiones super hac regula
disputatæ per Rebuff. & Gomes. aliosque antiquos Be-
2 neficialistas hodie sublatæ remanent per regulam Clem.
VII. ob additionem illorum verborum *dum esset sanus
signanter &c.* ut apud Paris. *de resignat. lib. 12. quæst.
6. num. 5. & seqq.* cum quo tamquam in re plana pro-
cedit Lotter. *l. 3. q. 15. n. fin.* talisque est praxis, ideo-
que modernus Tondut. *in quæst. benef* qui profitetur
multa colligere in materia istius regulæ, illam dubi-
tandi rationem merito non deducit.

Ut enim sub diversis materiis, præsertim vero *disc.
1. de feud.* advertitur, atque cum pluribusque exemplis
comprobatur, tunc intrat hæc inspectio fraudis, ac re-
spective bonæ fidei, & sinceritatis, quando lex aliquid
disponit limitate ad causam, vel rationem fraudis, in
cujus casu ita disponere voluit, vel quando legis dis-
positio percutiat casum, vel materiam diversam, præ-
3 tendatur autem illam extendi ad alium casum, vel ma-
teriam ob identitatem rationis, puta ad rem, quia hu-
jus regulæ dispositio trahi velit ad resignationem offi-
ciorum juxta casum, de quo *disc 6. de Regal.* cum si-
milibus, quoniam tunc inspici debet, an verificetur ra-
tio, & an adsit fraus consilii; Sed quando lex cujus
4 natura est adaptari ad ea, quæ frequentius accidunt,
edocta ab experientia de fraudibus, illisque occurrere
volens, aliquid generaliter, ac indefinite statuit, cer-
tamque formam præscribit, tunc spectandum non est,
an in quocumque casu verificetur illa ratio, quæ ipsam
movit ad ita statuendum, quoniam talis ratio fuit cau-
sa impulsiva, ut ita generaliter statueretur juxta exem-
plum formæ præscriptæ in testamentis ordinandis. cum
aliis ponderatis *eod. disc. 1. de feud.* ac etiam *disc 87.
hoc eod. tit.* super puncto, an & quando attendi debeat
æquipollentia cum similibus.

Quamvis autem de stricta, & rigorosa juris censura
hæc ita procederent, adeout vacatio reguletur ex per-
sona resignantis perinde ac si vere actus resignationis
nullatenus esset, ut supra, *disc. 34.* & in aliis; Dice-
bam tamen quod ex quadam lege congruentiæ, & ho-
nestatis Dataria deberet hunc resignatarium providere,
5 illumque aliis præferre quoties ut præsupponebatur,
ex facti circumstantiis constaret de bona fide, atque
abesset illa fraus, cujus præsumptioni hæc regula in-
nixa est, ducto argumento a regula *de subrogandis col-
litigantibus*; Ac etiam ab iis quæ *disc 3. & seq. &
disc. 12* & alibi habentur de renovatione debita ex æ-
quitate ratione conjunctionis, vel melioramentorum cum
similibus, habita præsertim consideratione expensarum
a resignatario passarum in expeditione.

LAUDEN. INDULTI,

PRO CARDINALI VIDONIO.

Responsum pro veritate.

An Episcopus possessor Ecclesiæ in qua Cardin. habeat indultum conferendi beneficia reservata, possit acceptare alternativam in præjudicium indultarii.

S U M M A R I U M.

1 *Casus quæstionis.*
2 *Quid importet alternativa.*
3 *Capit solum beneficia ad liberam collationem Episcopi.*
4 *Non capit ea quæ sint divisa inter Episcopum, & alium collatorem.*
5 *Quod a regula excipiantur Cardinales, & quid alternativa aperiat.*

D I S C. CXXVI.

DImissa per Cardinalem Vidonium Ecclesia Lauden. 1
cum retentione indulti Cardinalitii conferendi bene-
ficia reservata, orta est dubitatio, an Episcopus qui de illa
provisus esset, acceptare posset alternativam in præjudi-
cium indultarii, qui loco octo, sex haberet menses, at-
que desuper ex parte ejusdem Cardinalis pro veritate con-
sultus; respondi quod pro mea notitia casus non videbatur
adhuc sub formalis disputationis trutina positus, ne-
que Beneficialistæ ad illum descendebant, crederem ta-
men respondendum esse negative ex pluribus.

Primo, quia alternativa aliud non continet, nisi quem-
dam contractum, qui fiat inter Papam, & Ordinarium
sub futura eventualitate reciproca lucri, & damni, quod
scilicet Papa dat Episcopo residenti duos ex suis octo men-
sibus, & e converso Episcopus non residens admittit duos
ex suis quatuor, quos lucratur Papa, qui ita obtinebit de-
cem menses, Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 43. num. 106. &
seq. cum aliis supra disc. 93.* Et est in materia beneficiali
notorium; Ideoque iste contractus verificari potest in-
ter duos æque Dominos, & possessores ejusdem juris; 2
Et per consequens cum Papa in casu indulti nihil pos-
sideat, non habet de quo disponere.

Secundo, quia alternativa capit solum in beneficiis li-
beræ collationis, adeout non capiat ea beneficia, in
quibus adsit mixtura alterius collatoris, ex relatis *su-
pra discurs. 17. & 93.* ubi allegantur Gonzal. Lotter.
Garz. & alii *Beneficialistæ*, ac Rotæ decisiones. Ideo-
que cum in beneficiis octo mensium adsit alter colla- 3
tor, qui non est in contractu, idcirco hæc beneficia
non possunt cadere sub alternativa.

Tertio in idem quia alternativa non intrat ubi inter
Episcopum, & alium collatorem facta sit *divisio* per
mense vel hebdomadas, vel dies, ex relatis per Gon-
zal. *ad regul. 8. gloss. 45. n 49. & sequ.* & confert ni- 4
mium ad rem id, quod ab eodem dicitur *n. 55* quod
scilicet ad effectum alternativæ, verificari debet liber-
tas conferendi in utroque, nempe in Papa, & in Epi-
scopo; Ideoque cum inter Episcopum & Indultarium
adsit divisio per menses, atque non verificetur utrum-
que extremum inter Papam, & Episcopum, ut eorum
quilibet habeat liberam collationem, idcirco intrare
non potest alternativa; Dum revera omnes Beneficiali-
stæ loquuntur cum hoc præsupposito, quod Papa ha-
beat liberam collationem in octo mensibus, ideoque
concedat id, quod est suum, ita se privando ea ma-
jori facultate, quam habet ac propterea non datur nisi
inter Papam, & Episcopum, Gonzal. *gloss. 58 num 40.*

Et quarto demum, quia sicuti regula octava excipit
Cardinales qui in ea non comprehenduntur, ita eos eadem
regula afficere non potest in parte accessoria ut in spe-
cie Gonz. *ad dictam reg. gl. 14. n. 71.* & alibi; Et in sum- 5
ma omnes concordant, quod alternativa aliud non agat,
nisi removere obstaculum, quod solum vigeat quoad
Papam, quod in præsenti dici non potest; Ac propte-
rea quod casus esset ita planus, quod ad rationem du-
bitandi DD. non descendant, cum solum in proposito
indulti Cardinalium Beneficialistæ disputent, an alter-
nativa sit compatibilis cum indulto, ex relatis per Gon-
zal. & Germon & alios, non autem de hoc dubitant,
quia casus videtur indubitabilis.

CAMERINEN. CANONICATUS,

PRO CAROLO DE JUVENIBUS.

Responsum pro veritate.

An dicatur simoniaca resignatio beneficii ex eo quod conjunct. resignatarii provideant resignantem de ejus substentatione, quam alias ex beneficio resignato obtinebat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Ad simoniam requiritur pactum, & quomodo id procedat.*
3 *An & quando liceat dare aliquid resignanti, ut sequatur resignatio.*
4 *Quando liceat dare aliquid ingressuro in Religionem, ut impediatur.*

5 *Atten-*

5 *Attenditur modus, cum quo fiat actus.*
6 *Valet donatio ad præcisum effectum suscipiendi sacros Ordines, & non alias.*
7 *An patronus præsentare possit donatarium, ut ita liberet se ab onere.*

D I S C. CXXVII.

1 CUm Nicolaus de Juvenibus possideret Canonicatum, in Ecclesia Collegiata D. Matthæi de Platea Oppidi Mathelicæ, atque ex sui animi motu decrevisset illum renunciari ad favorem Caroli etiam de juvenibus nepotis, vel pronepotis, non posset autem hanc voluntatem conjunctis patefactam ad effectum deducere, eo quia ad ejusdem Canonicatus titulum promotus erat ad sacros ordines, atque non habebat aliunde vivere; Hinc præfati Caroli Mater, duo fratres, & patruus, seu alius conjunctus, publice, & palam per publicum instrumentum coram præfati loci Vicario foraneo donarunt Nicolao ad dictam resignationem faciendam, & effectuandam, atque ut Carolus Canonicatum obtinere posset, tot bona, quorum redditus pro sufficienti substentatione, vel patrimonio sufficerent, sub ea lege, ut hæc donatio intelligeretur facta ad vitam tantum dicti Nicolai, quinimo donec fuisset provisus de aliquo sufficienti beneficio, cujus pacifica possessione adepta, adeout fructus ex eis libere percipere valeat, donatio in totum, vel pro rata ipso jure resolveretur, atque invalida, & infecta esset; Cumque postmodum sequuta esset resignatio, ac desuper expeditæ fuissent litteræ Apostolicæ, super earum exequutione per Ordinarium excitata fuit difficultas, an aliquod adesset Simoniæ vitium; Dubitandi rationem principaliter præbentibus illis verbis donationis *sub infrascriptis conditionibus, & declarationibus &c. & aliis &c.* ibi, *salvis tamen infra dicendis, & non alias &c.* quasi quod ista verba continerent pactum præcisum. Quo-
2 niam licet simoniæ essentiale requisitum sit pactum, seu conventio, & ex qua formalitatem recipit, ad communiter notata *in cap. veniens, de testam.* Mohed. *decis. 1. de Simon.* Gregor. *decis.* 517. *n.* 31. *decis.* 93. *n.* 6. & 7. *part.* 4. *recent. tom.* 2. Bich. *decis.* 482. *n.* 11. & in aliis pluries, atque advertitur *supra, disc.* 36. & 70. & *in aliis*; Nihilominus opus non est, ut pactum sit explicitum, cum sufficiat etiam implicitum, ac virtuale, ne alias detur ansa illam committendi impune, ad communiter notata per Doctores *in cap quæsitum de rer. permut.* presertim Ancharan. *num.* 2. & 3. Cardin. *num.* 2. Pasqualig. *quæst. moral. centur.* 4. *quæst.* 376. *n.* 5. Coccin. *dec.* 1508. *n.* 12.

His tamen non obstantibus probabilius videri dixi nullam adesse simoniæ labem: Omissa enim inspectio-
3 ne, an id quod per resignatarii conjunctos, ipso inscio, & non consentiente resignanti detur pro resignatione obtinenda, importet necne simoniam, & in quo verior videtur affirmativa pro nullitate actus, ex deductis apud Majol. *de irregular. lib.* 5. *cap.* 44. *n.* 2. & Paris. *de resignat. lib.* 14. *quæst.* 7. *n.* 27. & *seqq.* suffragante tali ignorantia resignatarii pro evitandis pœnis, non autem pro validitate actus, potissime quia ista ignorantia videtur nimium inverisimilis, & potius crassa, vel affectata, per quam lata via fraudibus aperiretur; Attamen non videbamus esse in casu ex natura, seu qualitate actus, quoniam donationis contextus ostendebat quod donatio bonorum facta non erat principaliter præmio resignationis: adeout verificetur proprie illa commutatio rei spiritualis cum temporali, & in qua consistit simonia, sed principaliter facta erat ad facilitandum actum, quem sponte sua, & ex motivo sanguinis, & affectionis, conjunctus ad favorem conjuncti facere volebat; sed ob paupertatem impediebatur; Ac propterea non fuit dare præmium, vel commutationem actus spiritualis, & tamquam implicitum pretium impliciti contractus emptionis, & venditionis, sed solum fuit tollere impedimentum, ac removere obstaculum, ut sequeretur ille actus, quem possessor beneficii, quando aliunde provisus fuisset, libere, ac sponte fecisset, ad instar eorum, quæ de removendis vexationum obstaculis, & impedimentis habentur apud Fagnan. *in cap. Non sine, n.* 7. *de arbitr. cess. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 18. *n.* 100. late post alios Castropal. *tract.* 17. *disp.* 3. *de Simon. punct.* 20. & *advertitur supra, disc.* 70. *num.* 12. & *seqq.*

Clarius quoniam resignans nihil penitus obtinuit, quod disponere posset, vel ad ejus hæredes transmittere, dum donatio limitata fuit ad solam ejus vitam, & in solis fructibus; Quinimo quod magis, fuit restricta ad ipsam causam, qua etiam ipso vivente cessante, ipsa donatio cessare debebat, cum provisione scilicet in toto, vel in parte, & pro rata aliunde obventura ex obtentione beneficiorum, & alia æquipollenti, quæ potuisset sequi ad dies, adeout donatio nullum haberet effectum, nullumque pareret commodum resignanti, unde patere dicebam, quod habuit solum dictum honestum finem tollendi obstaculum, atque tollendi impedimentum faciendi id, quod alias jam in animo habebat facere.

Hinc si quis habeat animum ingrediendi Religionem, atque in ea profitendi sponte sua, facere autem non posset ob aliquas expensas, quæ desuper necessariæ essent, sive ob debita, quibus premeretur, vel ob aliud impedimentum, illi vero quorum interest ingressum, ac professionem sequi ob consequentias exinde resultantes, vacationis beneficiorum assequendorum, puta quia de jurepatronatus, aut vacationis pensionum ecclesiasticarum, seu feudorum, & majoratuum, dent pecuniam ad id necessariam; 4
non ex pacto, quod sit causa principalis, & præcisa ingressus, & Religionis, sed ex alio fine, atque pro removendo impedimento, sive obstaculo, quod impediebat actum alias faciendum, subministrent ea, quæ desuper necessaria essent, tunc verius videtur nullam adesse simoniam, quamvis ista adesse dicatur, quando aliquid detur pro susceptione habitus monastici, vel pro professione, ad text. *in cap. Veniens, de simonia*: atque declarando deducta per Rotam *dec.* 187. *part.* 13. *rec.* advertitur *sub tit. de regal. disc.* 47. ac etiam *disc.* 48. ubi commodius auctoritates, & rationes videri possunt.

Observabam quoque quod nimium bonam fidem, ac sinceritatem comprobaret modus tentus in hac donatione quod scilicet publice, & palam facta esset coram Vicario foraneo, non quidem, ut id salvaret simoniacam labem, quando illa revera adesset, sed ut dignosceretur sinceritas actus, quodque resignans motus non fuit ad resignandum principaliter ex causa hujus donationis, tan- 5
quam pro ejus præmio, & commutatione dum nihil ut supra acquirebat, sed cupiens resignationem facere ex gratuito sanguinis & benevolentiæ motivo acceptavit dictam provisionem tamquam remotivam impedimenti, ut supra.

Neque obstare dixi verba superius ponderata denotantia præcisum animum faciendi actum ad dictum finem, seu effectum, quoniam stant bene simul, ut actus fiat ad certum effectum, sine quo factus non fuisset ex parte tertii donatoris; Et tamen quod ille non fuerit causa præcisa, & principalis resignationis beneficii, sed solum causativa pro remotione obstaculi, ut supra juxta quotidianam praxim, quam habemus in donationibus, & quæ fiant promovendis ad sacros ordines præcise, ac limitate in illam causam, & sub ea conditio- 6
ne & non alias, adeout ordinibus non susceptis habeatur pro infecta, juxta casum de quo agitur *sub tit. de donat. disc.* 11. Sed non per hoc dici potest adesse simoniam, qualis absque dubio adesset si donatio facta esset principaliter pro susceptione sacrorum ordinum, quoniam dicitur facta ad alium finem licitum, & honestum cum præsupposito, quod ordinandus alias vellet libere, ac sponte ordines suscipere, sed non posset, quia non esset provisus de sufficienti patrimonio, & hic videbatur casus.

Ubi etenim possessor beneficii habuisset in animo commutare rem spiritualem cum temporali, solicitus fuisset de donatione libera, & cessibili, ac transmissibili, adeout illud commodum reportaret tamquam pretium resignationis, quod utique ex præmissis dicendum non videtur, dum super- 7
veniente provisione etiam ad dies, donatio cessare poterat.

In idem ponderando quod si aliquis ex istis donatoribus haberet juspatronatus præsentandi ad aliquod ecclesiasticum beneficium, cujus vacatio contigisset, vel contingeret, utique non esset prohibitus præsentare dictum Nicolaum donatarium, ad hoc ut ita donatio resolveretur, atque præsentator recuperaret bona donata, neque exinde dici posset præsentatio simoniaca; Et tamen ista dicitur talis quando patronus sub aliquo commodo, vel præmio temporali præsentationem faciat, ex deductis *sub tit. de jurepatron. disc.* 48. ex prædicta ratione, quod præsentatio non fit principaliter propter præmium ex conventione, sed fit ad dictum alium finem remotionis oneris, vel servitutis, cui bona subjaceant; Ac propterea dicebam quod non obstarent deducta per Paris. & Majol. ubi supra ac alios, qui idem dicant, cum percutiant casum, in quo per conjunctos resignatarii aliquid detur resignanti principaliter ac directe pro resignatione, quæ sit mere correspectiva, alias non sequutura, qualis non erat casus.

MEDIOLANEN. SIMONIÆ, PRO PETRO FRANCISCO CRISPIO.

Responsum pro veritate.

An & quando per conventiones inter resignantem, & resignatarium commissa dicatur Simonia ad effectus præsertim pœnales.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ex quibus inferatur ad Simoniam.*
3 *De distinctione inter effectus leves, & effectus graves, & pœnales.*
4 *Narratio conventionis in supplicatione, tollit vitium Simoniæ.*
5 *An mala expressio valoris in majori summa affectate facta pro reservatione majori pensionis importet simoniam.*
6 *An conventio de emendo aliqua bona inter resignantem, & resignatarium importet simoniam.*

DISC. CXXVIII.

Facta resignatione de Ecclesia parochiali per N. ad favorem Petri Francisci cum reservatione pensionis,
1 & cum altera reservatione habitationis partis domus Rectoris, detectaque conventione, per quam resignatarius se obligabat emere a resignante suppellectilia domus, Vicarius Mediolanensis ordinarius inquisitionem formavit, atque resignatarium per sententiam condemnavit ad pœnas per canones, & Apostolicas constitutiones, contra simoniacos inflictas, illam præsertim privationis beneficii, vel invalidæ assequutionis, quare desuper consultus cum notula, quam supponebatur extractam esse a processu, respondi omnino improbabilem maleque fundatam videri modi condemnationem, ideoque consului, ut adiretur judex particularis Confidentiarum, cor. quo hujusmodi causæ tractari solent cum probabili spe obtinendi absolutoriam ut credo sequutum esse.

Priusquam autem descenderem ad examen dictorum trium capitum, ex quibus præsupponebatur deduci simoniam; Primo nempe ob reservationem excessivæ pensionis, cujus Ecclesia non esset capax cum affectata majori alteratione valoris ad hunc effectum scien-
2 ter facta; Secundo, ob reservationem habitationis, vel æquivalentiæ; Et tertio, ob dictam conventionem emendi suppellectilia, præmittebam distinctionem receptam, de qua *supr. disc.* 70. ubi allegantur concordantes, & postmodum late in Burgen. Beneficiorum 23. Junii 1674.
3 cor. Rondinino, ubi forte cum aliqua superfluitate hæc distinctio reassumitur per quandam speciem tractationis cum magno allegationum cumulo inutiliter,& non necessario in re hodie certa, & præsupponenda quod scilicet aut agitur de isto crimine ad effectus leviores, puta inducendi suspicionem, & diffamationem ad effectum, ut diffamatus non debeat prædigi, sive alias ad illum repellendum ab assequutione beneficii in quo nullum jus habeat juxta deducta dicto *disc.* 70. cum similibus; Et tunc etiam leviores, & adminiculativæ probationes, quinimo suspiciones, ac diffamationes sufficiant: Aut vero ad hunc effectum majorem nullitatis provisionis, vel privationis beneficii assequuti, aliarumque pœnarum, & tunc requirantur probationes perfectæ, & concludentes, illa præsertim pacti præcedentis, quod est requisitum magis principale, ac essentiale simoniæ.

Hoc autem prænotato, atque descendendo ad speciem super dd.capitum examine;Quatenus pertinet ad primum, & secundum, res carere videbatur omni ratione dubitan-
4 di, cum in utroque accederet Apostolica auctoritas, adeout aliqua admirationis occasio subesset, quod in adeo magno Tribunali ista sententia prodiisset,dum tam in supplicatione, quam in litteris Apostolicis utrumque legebatur, cum tamen sufficiat ut conventiones narrentur in supplicatione, quamvis per revisores, & officiales juxta stylum deleantur, ideoque non exprimantur in litteris, ex deductis supra *disc.* 36. Multo igitur magis dum non adest deletio, & expressio in litteris.

Et quamvis præsupponeretur omnimoda incapacitas be-
5 neficii in supportando onus, quodque ad hunc effectum scienter, & affectate facta esset alterata expressio valoris, cujus sententia habebatur per resignantem, qui Ecclesiam per notabile tempus possedit, ac etiam per resignatarium, qui ejus coadjutor in exercitio curæ pariter per notabile tempus fuerat, adeout ista affectata mala expressio ordinata fuerit ad assequutionem beneficii; Nihilominus advertebam ex isto capite resultare quidem posse illam impropriam mentalem simoniam, quæ pro foro interno potius, quam pro externo considerari solet per morales in quocumque medio temporali, quod adhibeatur pro assequutione rei spiritualis vel e converso in quocumque fine temporali, ob quem spiritualia exerceantur, vel administrentur, ac propterea solent hujusmodi scriptores firmare quod illi Clerici, qui Missas, aliaque Divina Officia celebrant, & peragunt principaliter ob distributiones, aliaque temporalia emolumenta, censendi sunt simoniaci, sed id dicitur per quemdam modum loquendi, exprimendo simoniam lato modo, non autem ut exinde inferri possit ad istud crimen per veritatem, ita & taliter quod sit punibile; quoniam ita quotidie in magno numero inquirendi, & puniendi venirent in illi, qui affectantes Episcopatus, & Canonicatus, & dignitates, aliaque beneficia, scienter exaggerant eorum majorem valorem, ideoque majores offerunt pensiones bene cautas cum cedulis, & tamen frequens, & quotidiana praxis (quæ utinam non adesset) contrarium docet, ideoque advertebam quod ubi etiam de stricto jure id redoleret simoniam, cujus contrarium ad hunc effectum omnino verius est, cum deficiat essentiale requisitum pacti, ac etiam quia reservatio pensionis non pendet a solo facto, & voluntate partium, sed ab auctoritate Papæ, qui Ecclesiæ indemnitati providit cum clausula *dummodo centum remaneant pro Rectore*, cum qua pensio excessiva remanet inutilis, ac habetur pro non imposita, ideoque est potius decipere resignantem, qui sibi imputet dum erat conscius; Adhuc tamen ista curiæ consuetudo sufficeret, cum agatur de materia proveniente ex jure humano, & Ecclesiastico, cui sicuti dispensari potest explicite, ita etiam virtualiter, & implicite cum illo consensu, qui resultat a publico usu curiæ, quem Papa scit, & tolerat, dum in casu falsæ assertionis adest remedium annullationis, vel reductionis pensionis, ut in sua sede *sub tit. de pens. pluries*; Et per consequens quidquid sit de foro interno, de quo inconcussa fuit & est mea consuetudo non agendi, quatenus pertinet ad forum externum ad istud duriorem pœnalem, dicebam quod id videretur habere speciem fabulæ.

Demum quoad tertium caput conventionis emendi suppellectilia, advertebam quod difficultas tollebatur ex facto, dum non bene justificabatur, quod talis conventio præcessisset, quodque illa fuisset causa præcisa 6
resignationis alias non sequuturæ, ut ad hunc effectum requiritur, & nihilominus quando de hoc constaret, adhuc tamen advertebam non sufficere, nisi etiam constaret, quod conventio esset de emendo hæc bona pro altero, minusque justo pretio, adeout id, quod excessive solveretur, referendum veniret præmio resignationis, secus autem ubi pro justo pretio; cum tunc nulla adesse dicatur læsio justitiæ juxta rationes, & auctoritates, quæ a simili habentur, *disc.* 4. *de usur.* Potissime quia talis conventio videbatur consequutiva, & connaturalis actui, ac habens fundamentum æquitatis, & rationis, quod dum resignans erat discessurus a loco cum mutatione domicilii, & e converso resignato ibidem habitare deberet necessaria essent eadem suppellectilia, ita congrua, & honesta esset talis conventio.

MESSANEN. BENEFICII, PRO FRANCISCO CORVAJA.

Responsum pro veritate.

De clausula, *sive præmisso* &c. an & quando salvet provisionem, non obstante falsa expressione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando dicta clausula suffragetur necne.*
3 *Reservatio ex capite litis intrat etiam in jurepatronatus laicali.*
4 *Narrativam sufficit esse veram de facto.*
5 *Juspatronatus penes Ecclesiasticos potest esse laicale.*
6 *Quod narrativa reservationis ratione mensis excludat juspatronatus laicale.*

DISC.

DISC. CXXIX.

1 VAcato per obitum possessoris de mense Septembr. 1669. (Ordinario alternativa gaudente) beneficio S. Blasii in Ecclesia Tauromina, Franciscus Corvaja ejusdem Ecclesiæ Canonicus cum opportuna dispensatione super incompatibilitate, de mense Augusti 1671. obtinuit de illo a Sede Apostolica provideri in forma *dignum* sub narrativa quod per q. Vincentium Fozziam fundatum, & dotatum esset de jurepatronatus laicorum ex fundatione, & dotatione, quodque ipse aliunde jus ad beneficium haberet, & quod super eo lis penderet inter eundem, & Vincentium Lambardum, ac etiam sub narrativa vacationis in d. mense Septembris, Ordinario alternativa gaudente, & cum clausula vacationis *sive ut præmittitur, sive alias quovis modo*, sive quod d. beneficium Apostolicæ dispositioni ob regulam Cancellariæ reservatoriam mensium subjaceat, dummodo tempore datæ non esset alteri specialiter jus quæsitum.

Præsentatis vero litteris Ordinario, seu ejus Vicario Generali earum exequutori ex parte promotoris fiscalis excitata fuit difficultas, quod idem Corvaja nullum jus in beneficio haberet, quodque lis per ipsum excitata probabile non haberet fundamentum, ex quo ultimus vocatus ad jus patronatus laicale instituisset hæredem Ecclesiam, ac propterea effectum esset Ecclesiasticum subjectum Apostolicis reservationibus, & affectionibus, ex deduct. *sub tit. de jurepatr. disc.* 65. Ideoque desuper consultus,

Respondi quod quando provisio restricta esset ad solam
2 causam præsentationis factæ a patronis jure cujusdam institutionis obtentæ a Papa; Et tunc præmissæ difficultates quæ excitatæ fuerant, subsistentiam haberent, quodque etiam sine speciali oppositore, vel contradictore, cui
3 jus in beneficio quæsitum esset, recte promotor fiscalis se opponeret, quinimo idemmet Vicarius Generalis, ex officio exequutionem provisionis denegare posset, ac deberet ob interesse, vel præjudicium Ecclesiæ, admittendo provisionem ex causa jurispatronatus laicalis ex fundatione, & dotatione, quæ vere non subsisteret, sed in facti specie dixi quod difficultates non intrabant, ideoque dum alter provisus non aderat, qui legitimus contradictor saltem de facto dici posset, ad exequutionem procedendum esset cum declaratione tamen in sententia super exequutione procedenda, quod litteris Apostolicis exequutio detur ratione provisionis ex capite vacationis in mense reservato, & ex alia reservatione resultante a lite, quod implicite excludit etiam jus patronatus laicale dum eo etiam posito, intraret secunda reservatio juxta terminos text. *in cap.* 1. *&* 2. *lite pend. in* 6. cujus dispositionem receptum est procedere etiam in beneficiis de jurepatronatus laicorum ex fundatione, & dotatione ex deductis *eod. tit. de jurep. disc.* 68. nullatenus autem intrare posset, & ratione mensium, ex deduct. *eod. disc.* 67.

Neque obstare dixi narrativam, dum ea non est apta vitiare gratiam, stante clausula *sive præmisso &c.* quæ
4 illam salvat, quoties narrativa fit vera de facto quamvis non esset vera jure, cum efficacia illius clausulæ intret quando narrativa esset etiam falsa de facto juxta distinctionem deductam supr. *disc.* 36 *num.* 21. *disc.* 77. *n.* 4. *& disc.* 50. *num.* 14. ubi concordantes.

De facto itaque vera erat narrativa, quod jus patronatus esset laicale ex fundatione, & dotatione, dum talis
5 fuit primæva natura, & successivus status per aliquod tempus, usquequo ab ultimo hærede fundatoris transitum fecit ad Ecclesiam, penes quam licet regulariter efficiatur Ecclesiasticum, adhuc tamen dari potest ut ex lege fundationis, vel ex judicio testatoris sit laicale, ex deduct. supra, *disc.* 6. ac etiam *d. tit. de jurepatr. disc.* 59.

Erat etiam vera de facto narrativa litis, ac prætensionis ejusdem Corvajæ, istaque veritas de facto sufficit, quamvis esset veritas de jure ob prætensionum insubsistentiam, & per consequens clausula *sive præmisso* remanet operativa.

6 Omnemque tollere dixi difficultatem narrativam mensis reservati ratione alternativæ cum altera expressione *sub d. clausula sive præmisso*, ita enim implicite narratum fuit, & Papa agnovit, quod istud esset jus patronatus subjectum regulis Cancellariæ, quoniam alias ubi sit provisio tamquam de Jurepatronatus laicorum, inepta est expressio mensis, ac altera expressio etiamsi adesset reservatio ex ejusdem mensis ratione, & per consequens cum solum interesse Archiepiscopi, vel ejus promotoris fiscalis versetur, ut non canonizetur jus patronatus laicale, dum in reliquis stante vacatione in mense reservato, ipse Ordinarius in hac provisione nullum habet jus, vel interesse, minusque aderat alter provisus Apostolicus, qui de subreptione, vel alia invaliditate gratiæ objiceret, deneganda non videbatur exequutio cum præmissa declaratione præservativa cujuscumque juris Ecclesiæ.

NOLANA ANNATÆ, PRO PETRO ANGELINO.

Responsum pro veritate.

An & quando impetrator excusetur a solutione annatæ ob existentiam intrusi.

Argumentum est loco Summarii.

DISC. CXXX.

FActa per Angelinum impetratione contra Guadagnum de Parochiali possessa per capitulum cathedralis in vim unionis juxta seriem, de qua *in Nolana Parochialis, discurs.* 136. ob falsam expressionem valoris, prætendebatur per Annatistas solutio annatæ, unde desuper consultus, respondi indebitam esse prætensionem, quoniam antiquus est Cancellariæ stylus ut provisus non teneatur solvere annatam, ubi constet adesse intrusum, qui occupet beneficium, ut per Gallesi. *in opusc. de annat. circa fin. vers. differtur autem*, Lott. *l.* 3. *q.* 20. *n.* 41. Greg. *dec.* 440. *n.* 6. Quinimo licet obligatio solvendi annatam ex decreto Apostolico certam habeat diem; Attamen de stylo intelligitur post adeptam pacificam possessionem cum fructuum perceptione, seu libera facultate percipiendi, adeout stet per eum quominus percipiat, Lott. *d. q.* 20. *n.* 40. & generaliter in omni casu, in quo subsit jam nota difficultas, vel impedimentum, Galles. *ubi supr.* Et a simili conferunt ea quæ habentur supra *disc.* 54. super oblatione dimittendi primum per assequutionem secundi, ut intelligatur de assequutione certa, & pacifica, ac etiam quæ habentur *in Nuscana disc.* 17. super obligatione expediendi litteras infra sex menses post expeditum breve de capienda, quod de stylo eandem habeat conditionem pacificæ possessionis cum similibus, quibus eadem ratio. Multo igitur magis in hac facti specie, quod jus impetrandi erat magis remotum, magisque mediatum, unde duplicem oppositorem superare oportebat, cap. sc. juxt. deduct. *d. disc.* 17. & novum impetrantem, qui victoriam reportaret; Ideoque dicebam quod casus haberet de indubitabili, talisque fuit exitus, quod non solvit.

MILETEN. BENEFICII.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An provisus de beneficio per Ordinarium, ubi præsertim sit de jurepatronatus, indigeat litteris eo modo quo requiritur in provisis Apostolicis, vel etiam sine illis capere valeat possessionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De operatione possessionis decennalis.*
3 *De probatione negativæ.*
4 *Litterarum expeditio in quibus provisionibus sit necessaria.*

DISC. CXXXI.

VAcato beneficio de jurepatronatus laicorum, quod ex lege fundationis debitum erat illis de familia, cum possessor jurispatronatus activi renueret præ- 1
sentare agnatum, præsentando extraneum, obtinuit ille sententiam ab Ordinario super institutione ratione jurispatronatus passivi tamquam ex præsentatione fundatoris, juxta deducta *disc.* 18. *&* 20. *de jurepatr.* atque devoluta per appellationem causa ad curiam, prodierunt duæ aliæ sententiæ conformes canonizatæ per Signaturam Justitiæ cum rescripto sine præjudicio trium conformium, ac propterea adepta possessione, eaque continuata per ann. 11. idem patronus prætensionem excitavit, quod ista possessio utpote sine litteris, & propria authoritate adepta, dicenda esset illicita, & intrusiva, ob quam provisus ceciderit ab ejus jure, atque beneficium positum sit in statu vacationis ad favorem alterius capacis de familia hoc medio tempore superventi: Quare desuper suppressis nominibus, credo autem ex parte possessoris, pro veritate consultus;

Respondi prorsus improbabilem, nullique fundamento innixam esse prætensionem; Tum quia ubi etiam necessa-
2 riæ essent litteræ, adhuc possessio decennalis tutum redderet possessorem saltem præsumptive, donec per oppositorem probaretur concludenter negativa, quæ etiam in litteris Apostolicis est nimium difficilis ob possibilitatem, quod experiri potuerint per viam secretam, ac propterea revolutio registrorum ordinariorum eam non concluderet; Multo vero magis in litteris Ordinarii, in
3 quibus videtur pene impossibilis, cum non adsint illi publici, & probati Officiales Dataríæ, & Cancellariæ, qui ad hoc munus diligentis registrationis deputantur ob præsumptionem resultantem a possessione decennali, quæ est longe majoris operationis, quam sit triennalis, ex deductis supra, *disc.* 91.

Tum clarius, quoniam id, quod per constitutionem Julii III. & per regulas Cancellariæ statutum est contra apprehendentes possessionem beneficiorum, & percipientes fructus procedit in provisis Apostolicis ob interesse
4 officialium Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, ex deductis super, *disc.* 52. & alibi, nullo tamen jure id cautum est in beneficiis, quæ conferuntur per Ordinarium etiamsi sint liberæ collationis; Multo vero magis per viam institutionis, quæ dicitur importare actum extrajudicialem, quoties non adsit legitimus contradictor, ideoque certam non habet formam, ut apud Bich. *dec.* 422. *n.* 3. Add. ad Burat. *dec.* 13. *& passim*. Multo magis quod aderat sententia canonizata per alias duas in curia, & per signaturam Justitiæ, ideoque illa stat loco litterarum, ac propterea dixi, quod punctus videbatur incapax rationis dubitandi; Et a simili de Vicario electo per capitulum Sede vacante, ut sine litteris adipiscatur possessionem officii, illudque exerceat, *disc.* 26. *de Canon.*

TUDEN. CANONICATUS, PRO BENEDICTO FERNANDEZ, CUM ANTONIO DELLA BARRERA.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

De regula Decennali, ejusque operatione ad eamdem materiam, de qua supra, disc. 43. & 50. Et in specie, an ille, cui obstet ista regula, adeout sententiam contrariam reportaverit, possit novam facere impetrationem: Et aliqua de regula de triennali.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutionibus super primo puncto.*
2 *Ad effectum regulæ de annali sufficit etiam possessio injusta.*
3 *Secus ubi adsint impedimenta ex parte possessoris.*
4 *De cambiis Hispaniarum, & de usu retentionis litterarum loco pignoris.*
5 *De aliis resolutionibus super nova gratia.*
6 *An resolutiones sint probabiles, vel improbabiles.*
7 *An indulta sint large, vel stricte interpretanda.*
8 *Punctus justificationis valoris est potius facti quam juris.*
9 *Pariter facti potius, quam juris est materia regulæ de triennali, & quando illa intret necne.*
10 *De ratione hujus regulæ, & an large, vel stricte intelligi debeat.*
11 *De regula de annali inhabilitante ad novam provisionem quomodo intelligenda.*
12 *Quando sententia in hoc attendatur, & obstet.*
13 *De qualitate novæ gratiæ, ob quam cesset obstaculum regulæ.*
14 *De sententia circumscripta cum clausula, ac si non emanasset.*

DISC. CXXXII.

Canonicatum vacatum de mense Augusti 1664. Episcopus in vim alternativæ contulit Antonio,
1 de anno vero 1666. Ferdinandus impetravit a Sede Apostolica uti reservatum ratione Prothonotariatus defuncti possessoris, expeditisque litteris, aliqua intercessit mora in earum præsentatione, ac petitione exequutionis partim ob retentionem plici juxta frequentem illius Regionis contingentiam penes correspondalem, & partim ob aliquas disputationes habitas coram Regiis Magistratibus, adeout adimpleta non fuerit forma regulæ de annali; Quare de ann. 1668. per Ordinarium in litteris deputatum, lata fuit sententia ad favorem possessoris super denegatione exequutionis, introductaque per appellationem causa in Rota coram Alberg. binæ prodierunt resolutiones præfatæ sententiæ conformes super eadem denegatione exequutionis ex eodem motivo non servatæ formæ d. regulæ de annali sub diebus 19. Junii 1671. & 19. Februarii 1672.

In hoc autem statu de mense Martii sequentis; Ego novus in causa desuper pro veritate ex parte Ferdinandi succumbentis consultus fui ad effectum deliberandi, an expe- 2
diret causam ulterius prosequi. Respondi autem, quod resolutiones in hac parte viderentur potius probabiles, & fundatæ ob dispositionem d. regulæ, non obstante quod clarum videretur malum jus possessoris ratione reservationis, quoniam ut habetur supra, *disc.* 47. *ex n.* 16. *ad* 20. *& disc.* 50. *n.* 7. *& seqq.* regula prodiit in odium impetrantis, non autem in gratiam possessoris, ideoque non attenditur, an possessio sit justa, necne, sed etiam nulla, & injusta, atque ut nostri dicunt asinina sufficit, ex ibi deductis, & in dictis decisionibus.

Et quamvis præsupponeretur, quod inobservantia dictæ formæ provenisset ex affectatis, & procuratis impedimentis possessoris, qui procurasset retentionem plici penes correspondalem, ac etiam habuisset recursum ad Magistratus sæ- 3
culares, quo casu terminus non curreret, juxta deducta *d. disc.* 50. *num.* 7. *cum seq.* Nihilominus neutrum justificabatur, & præsertim circa secundam speciem impedimenti supponebatur in facto, quod potius ipsemet Ferdinandus ob diffidentiam, quam habebat in Ordinario volente substinere suam provisionem, dictum recursum primo habuisset, ibique causam introduxisset; Et quoad primam speciem, hujusmodi retentio sequi soleat ex facto, & culpa provisi non solventis pecunias expensas pro expeditionibus una cum cambiis juxta stylum illarum par-
tium, de quo agitur *sub tit. de cambiis*, *disc.* 21. dum 4
interim plicus retinetur loco pignoris, ideoque observabam, quod præsumptio resistebat potius ipsi Ferdinando.

Quia vero idem provisus Apostolicus post editam primam decisionem, novam ex integro obtinuerat provisionem cum mentione d. sententiæ, ac resolutionis ob d. formam non servatam, idcirco consului, ut illi judicio renunciaretur, atque ex integro institueretur alterum super exequutione novæ gratiæ, prævidendo solum difficultatem, quam inferre posset regula de triennali, non tamen alteram resultantem ab eadem regula de annali, prohibentem etiam novas impetrationes,
cum revera mihi infra videretur illam non intrare, sed 5
ex utraque, & præsertim ex hac posteriori, ac etiam ex defectu narrati valoris non bene justificati, reproposita causa coram eod. Alberg. sub die 10. Junii 1672. novum dubium, an nova gratia esset exequenda, pariter negative resolutum fuit, atque expedita sententia & commissa causa appellationis in ead. Rot. cor. Matthæjo pro sententiæ confirmatione prodiit resolutio 5. Junii 1673. confirmata 13. Februarii 1675. coram eod. Alberg. non obstante declaratione post editam decisionem cor. Matthæjo ante ultimam disputationem cor. Alberg. obtenta a Papa in Signatura gratiæ, ut procedi deberet, ac si d. senten-
tia Ordinarii non emanasset, ob quam præsertim, & 6
ob clausulas novæ provisionis, de stricta, & rigorosa juris censura reflectendo ad veritatem, resolutiones parum probabiles videbantur, Attenta vero æquitate, quæ assistit provisis, & possessoribus bonæ fidei, ut dici non valeant intrusi malæ fidei ab initio, & resistit hujusmodi impetrantibus beneficia jam plena, a probabilitate alienæ vitæ non sunt, ob eamdem rationem, cui innixæ sunt d. regulæ de annali, & de triennali, ac etiam ob æquitatem assistentem locorum Ordinariis adversus reservationes, & affectiones, quæ potius exorbitantes dici merentur, utpote ex moderna introductione, quæ apud Canones antiquos registratos in lib. Decretalium ignota est, & per quam ipsi privantur illo jure conferendi omnia beneficia propriæ Diœcesis, quod habebant, ideoque omnis interpretatio facienda videtur pro reversione ad antiquam dispositionem juris.

Et ex qua ratione pluries in facti contingentia super interpretatione Indultorum, quæ conceduntur Cardinalibus,
& aliquibus Prælatis conferendi reservata, an scilicet ista 7
benigne, & large, vel potius stricte, & rigorose interpretanda essent, quamvis illi qui procedunt ex consueta ineptia cum propositionibus generalibus credant, quod stricte, & rigorose intelligi debeant juxta naturam privilegiorum ad terminos text. *in l. commodissimæ*, *&c.* cum concordantibus; Advertere tamen consuevi, quod in hoc procederetur cum æquivoco, cum potius decisio pendere videatur a distinctione, de qua supra *disc.* 2. & in aliis, inter illa indulta,

quæ

quæ conceduntur Ecclesiarum possessoribus, per quæ vere nihil conceditur de novo, sed solum removetur, obstaculum reservationum, ut eo remoto conferri dicantur jure suo primævo, & ordinario juxta antiquam opinionem, cum qua procedebatur antequam prodiret Const. 68. Urb. VIII. per quam indultarii effecti dicuntur Apostolici delegati, improprie, & ad certos effectus, respectu illorum beneficiorum, quæ sunt ad collationem inferiorum, vel quod isti aliquam mixturam habeant; Revera tamen, & de facto in reliquis dictum effectum operantur, & illam speciem extraordinariam indultorum, quæ conceduntur Cardinalibus, & aliis, qui non sunt Episcopi & actuales administratores Ecclesiarum; Ac propterea faciunt solam figuram delegatorum Apostolicorum ut in hac posteriori specie stricte, & rigorose juxta naturam privilegiorum procedi debeat, in altera vero benigne, & large.

Quatenus itaque pertinet ad hanc novam provisionem, super qua solum scripsi, cum priori judicio ex meo consilio jam esset renunciatum; tria fuerunt resolutionum fundamenta; Primo nempe illud regulæ de annali, non quidem circa observantiam formæ in hac provisione, sed ob inhabilitationem ab eadem regula resultantem obtinendi novas provisiones. Secundo ob regulam de triennali. Et tertio ob defectum justificationis valoris.

Istud ultimum fundamentum erat potius facti, quam juris, ideoque modica, penequa nulla erat jurisstarum o-
8 pera, cum juris theoricæ sint certæ superius recensitæ *disc.* 90. & alibi; Ideoque disputationes restringuntur ad dicta testium, aliasque justificationes, super quibus certæ non cadunt regulæ, cum totum pendeat a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, adeout consueta dignoscatur ineptia inutilis repletionis chartarum cum superfluo cumulo conclusionum, & auctoritatum.

Pariter facti potius, quam juris videtur hodie alterum fundamentum regulæ de triennali decidendum ex singulorum casuum circumstantiis, an adsit, necne il-
9 la pacifica possessio etiam de facto, quæ ad hunc effectum requiritur, juxta deducta supra *disc.* 91. quoniam licet non desint volentes non suffragari illam possessionem quæ de stricto jure intrusiva dici debet, vel haberi pro vacua juxta notata *eod. disc.* 91. Attamen magis receptum videtur, ut solum obstet infectio simoniaca, vel illa, quæ resultat a reservatione clausa in corpora juris, juxta deducta in Vestana Canonicatus, *disc* 135. ac late se diffundit prælectam secunda decisio 5. Junii 1673. coram Matthæjo præsupposita tamen vera possessione de beneficio jam vacante; Secus autem ubi sit de beneficio pleno, cujus possessio de jure sit penes alterum, adeout sua sit potius detentio de facto, dum non intrat regula, quia non adest possessio, neque per momentum temporis, ut in eodem proxime insinuato *disc.* 135.

Et quidem etiam in interpretatione istius regulæ dicendum videtur idem, quod supra ad favorem Ordinariorum
10 dictum est in indultis, quod scilicet cum ita fiat reversio ad jus commune, pro sustinendis Ordinariorum provisionibus alias de jure competentibus; Ac etiam quia adaptari videtur eadem ratio, cui innixa est lex civilis super introductione præscriptionis favore Reipublicæ, ne diu dominia sint in incerto, cum beneficia Ecclesiastica tamquam vitalitia inter bona mobilia connumerari mereantur, ideoque illa sit species illius usucapionis, quæ in mobilibus datur, adeout forte improbari potius, quam commendari mereantur illæ subtilitates recensitæ *disc.* 21. *de jud. & disc.* 3. *de alien. & contr. prohib.* & alibi pluries ex quibus præsidium præscriptionis remanet impracticabile, penequ effectum est ideale. Et sic ad rem, an intraret, necne regula de triennali; non pendebat ex aliquo articulo juris, sed ex solo facto, in quo invicem certabant causæ Patroni, an adessent, necne molestiæ, & interruptiones etiam extrajudiciales, quæ in hoc proposito sufficiunt juxta deducta *eod. disc.* 91. *& in aliis*.

Juris ergo inspectio restringebatur ad primum fundamentum regulæ de annali inhabilitantis eos, quibus ob formam non servatam illa obstet ad obtinendum novas
11 provisiones; Atque hoc dicebam, etiam cum sensu veritatis, probabilius, magisque receptum esse in novis gratiis, novisque provisionibus dependentibus, quæ obtinebantur in vim primæ supplicationis ob clausulas in eo contentas, minus autem ubi agatur de nova impetratione, & respective provisione ex integro, ac independentes, qualis erat casus noster, Lotter *lib.* 2. *q.* 52. *n.* 73. Penia *dec.* 418. *n.* 6 Greg. *dec.* 396. *n.* 1. *&* 399. *n.* 4.

Admittunt decisiones conclusionum sed dicunt procedere, quando prolata non esset sententia favore possessoria contra impetrantem; Secus autem post sententiam, per quam ipse agnovit, vel agnoscere debuit se injustum, & calumniosum litigatorem, cum tunc etiam nova gratia independens indignus reputandus veniat juxta *dec.* 323. Penia
juxta Venetam repet. d. dec. 418. *juxta Lugd. impress.* ex 12
Sarnen. ad hanc reg. de annali, q. 78 *n.* 2. *& q.* 82. *fin.* cum aliis de quibus in decisionibus præsertim in dicta prolixiori coram Matthæjo; Verum in hoc dicebam, consistere gravamen, ac resolutionum improbabilitatem, non quidem ex fallacia conclusionis in abstracto, sed ex fallacia applicationis ad casum in concreto, ut frequentius contingere solet. Quoniam ut patet ex eisdem auctoritatibus, & præsertim ex *Sarnen. ubi supra*, eatenus id procedit, quatenus revera per sententiam, quæ sit justa, bene que fundata declaretur certum malum succumbentis, adeout ipse agnoscat, vel agnoscere debeat se esse injustum, & calumniosum litigatorem, ejusque clara mala fides detegatur, cum iste sit verus sensus regulæ etiam ab ejus littera, magis vero a ratione comprobatus; Id autem in præsenti dici non poterat; Tum quia dicta sententia Ordinarii, ut ostendebatur per causæ Patronum laborabat manifesto vitio nullitatis, ac propterea habenda erat pro non extante; tum clarius quia certum erat bonum jus illius provisi Apostolici, & malum provisi ab Ordinario, ob certam reservationem resultantem a Prothonotariatu, qui bene justificabatur, ac etiam dubium erat, an alternativa suffragaretur, necne: Ideoque instabat etiam altera reservatio mensis, ac propterea sententia in meritis erat potius evidenter injusta, solumque fundabatur in rigore regulæ de annali, & sic ratione ordinis potius, quam justitiæ; Et per consequens dici non poterat, quod sententia detegeret malum jus, adeout ille, qui novam gratiam obtinuit, se agnoverit, vel agnoscere debuerit injustum, & calumniosum litigatorem. Ideoque conclusio nullatenus ad rem applicari videbatur ex præmissis.

Clarius vero, quoniam in nova gratia facta fuit expressa mentio dictæ sententiæ, ac etiam obstaculi re- 13
sultantis ab hac regula, & tamen his non obstantibus ea concessa fuit, ac propterea clare sequi dicebam, quod Papa, voluerit istud obstaculum tollere; quoniam cum id consistat in puncto juris, cujus ignorantia non datur in Papa ob assistentiam ejus peritissimorum ac diligentissimorum officialium Datariæ, potissima vero ubi agitur de hoc jure beneficiali consistente in regulis Cancellariæ, quæ per ipsosmet officiales componuntur, vel revidentur, & reformantur in quolibet novo Pontificatu, exinde de consequenti resultat in implicita dispensatio, vel remotio obstaculi.

Omnisque dubitandi ratio cessare videbatur, dum
ut supra, post editam decisionem coram Matthæjo 5. 14
Junii 1673. adita fuit Signatura gratiæ, atque prodiit rescriptum, per quod dicta sententia Ordinarii circumscripta fuit perinde ac si non emanasset, quæ species rescripti illam destruit in radice, juxta *decis* 380. *n.* 26. *& seq.* Dunoz. & pluries sub diversis materiis insinuatur.

CALAGURITANA BENEFICII DE MARQUISSA,

PRO DIDACO ORTIZ DE SALINAS, CUM JO. PEREZ DE URIUNDO.

Casus decisus per Rotam pro Joanne.

De eadem materia, de qua supra, disc. 67. An beneficia Diœcesis Calaguritanæ debeantur digniori, ad interpretationem indulti Clem. VIII. & quis sit dignior.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *An sint pernecesse eligendi magis digni.*
3 *Quale sit munus Examinatorum, & qualis esse debeat eorum denunciatio.*
4 *Quando minus doctus, vel minus qualificatus præferri debeat.*
5 *De eodem, de quo num.* 3.
6 *Quomodo edi debeant decisiones in causis.*
7 *De regula concedente prælationem præsentibus, quomodo intelligenda sit.*

D I S C. CXXXIII.

AD beneficium vacatum in Ecclesia de Marquissa se ob- 1
tulerunt Didacus, Jo. & Gabriel; Examinatores autem solum Didacum declararunt idoneum, cui Ordinarius ad præ-

præscriptum brevis Clem. VIII. de quo *supra disc.* 67. illud contulit, acquiescente autem Gabriele, Jo. autem appellante, commissaque causa in Rota coram Bourlemont sub die 4. Junii 1671. Jo. appellanti beneficium adjudicatum fuit, atque ad normam decisionis emanata sententia, & commissa causa appellationis in eadem Rota coram Taja sub die 8. Februarii 1672. pro sententiæ Rotalis confirmatione responsum est, ac pariter cum unica decisione expedita sententia, & commissa demum causa coram Matthæjo, ac dato dubio, an sententiæ Rotales essent confirmandæ, vel infirmandæ, incertum est quid sequutum sit, cum post datam informationem pro Didaco appellante amplius de causa actum non audierim, vel quia concordata sit, vel quia responsum quoque de confirmatione, ac propterea hæc pars acquieverit.

In ista itaque ultima instantia scribens pro Didaco, dicebam etiam cum sensu veritatis, inhærendo iis quæ ha-
2 bentur supra, *d. disc.* 67. quod scilicet erroneum esset præsuppositum, cum quo in duabus instantiis processum fuerat, juxta aliquas intermedii temporis decisiones, ut digniori ad formam concursus in Ecclesiis parochialibus Ordinarius hujusmodi beneficia conferre teneretur, quoniam ab initio, quo prodiit dictum Breve Clementinum, & per notabile tempus proximum illi, diversa data fuit interpretatio, quod scilicet sufficeret conferre habili, & digno, quamvis alii digniores adessent, ut patet ex *dec.* 572. *part.* 1. & 488. *part.* 3. *rec.* cum aliis relatis *d. disc.* 67. Et licet ab ann. 1629. apud Dunoz *dec.* 11. Rot. mutaverit sententiam, ut conferre teneretur digniori atque in ea aliquod per tempus perseveraverit, ut patet apud Bich. *dec.* 371. & 489 quæ sunt repetitæ *dec.* 262. *p.* 10. & alio. *part.* 11. *rec.* & apud Dunoz *dec.* 950. & 969. & in aliis plerisque, ut etiam advertitur *eod disc.* 67. Attamen quia id illam Diœcesim involverat, magnisque litibus repleverat, adeout pene in omni Rota adessent hujusmodi causæ Calaguritanæ, Hinc de an. 165. cum decisione generali ad antiquam sententiam reversum fuit, & merito ex motivis, de quibus *eod. disc.* 67 & tamen in utraque decisione coram Bourlemont & Taja de his nullum verbum.

Reflectendo autem ad veritatem, quamvis id, quod supra dicitur, firmum sit, nihilominus mihi difficultatem inferebat modus tentus per Examinatores in denunciando ex tribus concurrentibus unum tantum idoneum, dum ita
3 implicite visi sunt facere injuriam aliis, qui revera digni, & idonei erant, illos indignos declarando, ac reprobando, unde juste appellationem interponere potuerunt, tamquam ab actu male gesto; Ubi etenim cum præsupposito, quod iste præsertim appellans esset quoque dignus & idoneus, ut se probaverat cum præcedenti approbatione ad confessiones audiendas & cum subsequenti examine in curia, talis fuisset denunciatus, adeout ejus exclusio provenisset a ratificatione collatoris, qui omisso ipso prætenso digniore, elegisset alterum minus dignum, quamvis in suo genere dignum, & idoneum, tunc injusta fuisset appellatio, beneque facta collatio, quoniam etiam in Parochialibus, in quibus præeligendus est magis dignus, atque alias a præelectione datur appellatio, adhuc nimium difficile est convincere judicis irrationabilitatem, eo quia licet unus
4 sit altero doctior, senior, & nobilior, aliasque extrinsecas habeat meliores qualitates, nihilominus ratione vitæ, & morum, vel ratione prudentiæ, aut inclinationis, & benevolentiæ populi, potest esse alter magis dignus, magisque aptus, & proficuus, ut advertitur in sua sede *sub tit. de paroch.* multo magis in hac specie beneficiorum, dum ita exclusis nulla fieri dicitur injuria positiva, Secus autem quando cum sola approbatione unius, alii implicite reprobari videantur.

Et quamvis in *d. dec.* 488. *part.* 3. *rec.* n. 1 in specie rejiciatur istud motivum, eo quia non per hoc, quod examinatores male se gesserint, corruere debeat provisio in persona alterius, assignata ratione, quod illi, qui sub silentio involu-
5 ti fuerunt, quamvis fuissent denunciati idonei, adhuc negligi poterant, Non tamen videtur bona ratio, quoniam dici potest, quod si fuissent denunciati idonei, potuisset Ordinarius diversimode ejus arbitrium interponere, & regulare, quodque eatenus denunciatum providit, quatenus ita præsupposuit illum solum dignum, & idoneum; Et per consequens non videbatur bene servata forma dicti motus proprii Clementini, sed debebat Ordinarius indicere examinatoribus, ut declararent, an alios approbarent, vel reprobarent, ut ipse inter plures approbatos facere posset præelectionem, dum tale est munus examinatorum, denunciandi scilicet solum, quinam sint idonei, & qui non, alterum vero munus præeligendi est Ordinarii, ut advertitur in eadem materia concursus ad parochiales, quoniam licet revera non agatur de illis terminis, attamen a simili ex rationis identitate nimium attendendi veniunt.

Atque hinc advertebam, quod non bene in utraque decisione processum fuerat cum dicto medio stylo jam sublato, declarandi, quisnam esset magis, & quisnam 6
minus dignus ob extrinsecas qualitates, juxta antiquas cautiones, quoniam ita esset resuscitare antiqua inconvenientia jam sublata, sed potius agendo id, quod jam actum erat, dici poterat, quod cum Ordinarius male ejus facultatem exercuerit, unde licite appellatio interposita sit, ejusque partes devolutæ ad Rot. Judicem appellationis, juxta *Clem. Auditor.* poterat eadem Rota idem arbitrium, quod potuisset Ordinarius, si bene processum esset, interponere ad favorem appellantis tamquam digni, absque necessitate odibilis comparationis, in qua consistunt inconvenientia, ita canonizando motivum particulare, quod serviret in ista causa tantum, non autem alterum, quod esset aliis futuris vacationibus præjudiciale; Atque in hoc consistere videtur aliquis error, insinuatus etiam *disc.* 32. *in relat. Curiæ*, & *alibi*.

Et quoniam inter qualitates, ex quibus appellans reputatus fuit dignior in utraque decisione, recensitus alia præsentia curiæ juxta regulam Cancellariæ; In hoc, etiam cum sensu veritatis dicebam procedi cum æquivoco claro, quoniam juxta ea, quæ habentur *disc.* 9. *in relat. Curiæ*, occasione agendi de Dataria, & de introductione Apostolicarum reservationum, & affectionum secuta in sæculo 14. id prodiit ex motivo providendi Clericos, qui Curiam Papæ sequerentur, ideoque merito regula Cancellariæ disponit, ut præsentes præferri debeant absentibus, ut ita impleatur finis, vel ratio ob quam hæc introductio sequuta est. Et per consequens procedit in beneficiis reservatis, vel affectis in ipsa curia per Papam, ejusque Datariam providendis, non autem in illis, quæ de eorum natura in partibus per Ordinarium inter ibi existentes, & concurrentes provideri debent, & qui revera ibi morentur, eorum vero aliquis occasione appellationis interpositæ ab ejus exclusione ad curiam accedat, quoniam ista dicitur præsentia occasionalis, & accidentalis ratione illius litis, ideoque sibi non adaptatur ratio regulæ, quæ congruit illis qui sint præsentes in curia, ut illam sequerentur, adeout quando sequuta est beneficii vacatio, jam essent curiales; quoniam alias illi, qui jam sequuta, & imminenti vacatione ex illius causa cum diligentiis, vel navigatione a loco discedentes, ad curiam accederent re integra, priusquam sequatur provisio, deberent gaudere beneficio regulæ, ut plerique credunt, sed est æquivocum, quoniam vere, & proprie regula loquitur de sequentibus curiam, quamvis ista diligentia frequenter prodesse soleat, cum præsens melius ejus prætensiones promoveat, quam faciant Expeditores, & negotiorum gestores pro absentibus; sed iste effectus provenit a majoribus diligentiis, non autem a dispositione regulæ, quodque species præsentiæ majorem inducat dignitatem, quoniam imo illi qui hanc præsentiam affectant, solent esse minus digni, eo quia alii magis digni propriæ idoneitati confisi non de facili hujusmodi incommodis se exponunt.

CAPUANA CANONICATUS.

Consultum pro veritate suppressis nominibus.

De privatione beneficii ob non residentiam: & an impetrator ex ista specie vacationis immittendus veniat in possessionem in eo processu exequutivo, qui competit litteris Apostolicis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod impetrationes certo modo raro sortiantur effectum.*
3 *Quare non expediat assumere lites beneficiales in Italia.*
4 *De materia legitimi contradictoris in beneficialibus, & quando in judicio ordinario, non autem exequutivo sit procedendum.*
5 *Impetrator certo modo, etiamsi sit possessor, non est contradictor proviso pure in judicio exequutionis litterarum.*
7 *De vacatione beneficii ex capite non residentiæ remissive.*

DISC.

D I S C. CXXXIV.

1 EX Capite non residentiæ Petri Pauli Pinti Canonici Capuani N. Pizzius Canonicatum impetravit, atque de facto pro consuetis abusibus de partibus a quodam exequutore in litteris deputato, nullo servato juris ordine, intrusus fuit in possessionem, a qua tamen expulsus fuit judicialiter cum reintegratione, vel manutentione Pinto concessa; Verum isto sub variis prætextibus per plures annos continuante in absentia, alter Presbyter cupiens esse Canonicus in patria, cum quodam professore de partibus consilium elaboratum quidem, sed pro more indigestum, ac plenum æquivocis habuit super ejusdem Canonicatus vacatione, quodque propterea illum impetrare posset, cum credulitate, quod celeriter, ac prompte possessionem obtineret, eo modo quo in vacationibus veris per obitum sequi solet; Prudenter autem idem, vel alter ejus nomine antequam faceret impetrationem, desuper consilium pro veritate a me, & forsan ab aliis Curiæ Advocatis petiit, incertumque remanet quid sequutum sit, cum amplius de negotio actum non audierim.

Respondi commendando laborem, & ingenium Consulentis, improbando tamen consilium etiam in negotio principali, in quo potius timendam dixi fore succumbentiam quam sperandam victoriam, expertus ob diuturnam Cu-
2 riæ praxim, quod hujusmodi impetrationes certo modo, quæ piscatoriæ in curia nuncupantur pene nullum, vel nimium rarum habent felicem exitum utpote odibiles, & adversus quas de facili omnis possibilis, ac benigne interpretatio capitur, ut ultra alias species in individuo istius ob non residentiam patet ex casibus, de quibus agitur *hoc eod. tit. disc. 77. & in Vestana, disc. 135.*

Magis vero circa ordinem, qui forte in hac materia beneficiali, præsertim in Italia, ubi frequentius hujusmodi Canonicatus, aliaque similia beneficia non sunt magni redditus, ut sunt in Hispania, & in Germania, principaliter attendendus videtur, quoniam ubi etiam
3 foveretur bonum jus, adeout verisimiliter victoria sperari valeat, adhuc tamen quando agitur de hujusmodi specie impetrationum, in qua procedendum est in judicio ordinario per tres conformes, & quandoque etiam per quartam exequutorialem, non expedit, quia major est sumptus litis, quam emolumentum beneficii, quod propterea in maleficium convertitur, magisque expediat non obtinere, quamvis Victoria reportetur, ultra incertitudinem, aliaque adeo magna litium incommoda, & per consequens cum magna maturitate, & circumspectione procedere debent illi, qui super hujusmodi impetrationibus faciendis consuluntur; Ita concludendo, quod ab opere potius abstineri deberet.

Duas itaque efformando inspectiones unam ordinis, & alteram meritorum in negotio principali; Quatenus ad primam pertinet, inhærendo iis, quæ habentur supra, *disc. 73. ac etiam disc. 43. de jud.* & in hac materia executionis litterarum Apostolicarum, ac respective existentiæ legitimi contradictoris cum distinctione ibidem insinuata inter illum, qui ratione possessionis, vel oppositionis dicitur quidem contradictor ad effectum, ut sit citandus,
4 & audiendus, sed non meretur titulum legitimi; Et illum qui legitimus dici mereatur, quod scilicet in hac posteriori specie cesset judicium executivum, atque procedendum sit in judicio ordinario appellabili, atque terminando per tres conformes; Descendendo vero ad applicationem, an de una, vel altera specie contradictoris agatur, dicebam quod quando agitur de hujusmodi impetrationibus certo modo ratione delicti, ex quo resultet privatio beneficii jam legitime obtenti tamquam per speciem pœnæ formalis, tunc pernecesse, ac extra omnem dubitandi rationem antiquior possessor, contra quem facta sit impetratio, censendus est contradictor legitimus ad hunc effectum judicii ordinarii, & appellabilis, & ad alterum connexum, ut exequutor dicendus veniat mixtus, qui assumere debeat partes Judicis formalis, ex ea ratione, quod oportet cum formali processu justificari, ac discuti, deindeque formiter judicari, an adsit, necne illud objectum, & quatenus adsit, an de jure importet illam privationem, & propterea in Judice concurrit duplex possibilitas deceptionis, & gravaminis, cujus ratione intrat appellatio, una facti circa concludentes probationes, & altera juris circa effectus ex ea probatione resultantes, ac etiam quia litteræ Apostolicæ, quæ super hujusmodi impetrationibus expediri solent, semper continent clausulas *constito, & amato*, & similes, quæ faciunt executorem mixtum, ac propterea in hac specie impetrationis casus videtur indubitabilis.

Quinimo adeo verum est, ut hujusmodi impetrantes prætendere non valeant illum processum summarium, & executivum, qui litteris Apostolicis alias competit, quod ubi etiam ipsi prævenerint in possessione illum, qui sit provisus pure per obitum, vel per resignationem, neque dicatur legitimus contradictor huic proviso, contra quem talis impetratio facta sit ad impediendum processum summarium, & executivum juxta casum, de quo apud Otthob. *decis. 58.* & supra *in eod. casu disc. 55.* ex ea ratione, quod non dicitur legitimus contradictor, nisi ille, cui si non possideret, debita esset immissio in processu summario, & executivo, quem alter impedire non posset.

Quo vero ad alteram inspectionem meritorum in negotio principali, pariter dixi timendum potius, quam 5
sperandum fore, ex eisdem fundamentis, de quibus *disc. 77. ac etiam in Vestana disc. 135.* adeout ut hujusmodi beneficiis, quæ non habent curam animarum, rari, forteque nulli sunt casus, in quibus ista species vacationis, ac respective impetrationis reducatur ad praxim; Eoque magis in hac facti specie consului, ut abstinendum esset, quoniam non unum, sed duos oppositores vincere oportebat, nempe Pintum antiquum possessorem, ex cujus delicto vacatio prætendebatur, & Pizzium primum impetrantem ex eadem specie vacationis.

VESTANA CANONICATUS, PRO DONATO MARTINO, CUM ANTONIO FERRO.

Casus decisus per Rotam pro Donato.

De eadem materia, de qua supra disc. 77. privationis beneficii ob non residentiam; Et an in ita privato obstet, necne regula de triennali, quæ allegetur per provisum, & possessorem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quando expediat in disputatione possessori inspicere de bono jure.*
3 *De invaliditate sententiæ ob male servatum ordinem.*
4 *Distinguuntur plures dispositiones juris communis, & Conc. Trid. in hac materia residentiæ.*
5 *De regula de triennali, an & quando intret, necne, & qualis dicatur titulus discoloratus, qui non sufficit.*
6 *Non prodest spoliatori, & attentanti.*
7 *Ad effectum regulæ necessaria est possessio, sine qua illa non intrat, ideoque si primus possessor per sententiam nullam ea privatus non fuit, ea non intrat.*
8 *Et ex eadem ratione non intrat in unitis.*

D I S C. CXXXV.

EX capite non residentiæ Episcopus cum citatione per edictum ad præscriptum Conc. Trid. privavit Donatum Canonicum Cathedralis, quem contulit An- 1
tonio pacifico possessorio per plures annos usque ad obitum Episcopi, quo vivente ausus non est Donatus sua jura promovere, ut postmodum fecit in Tribunali A. C. a quo obtinuit etiam in possessorio retinendæ, seu manutentionis, commissaque per Signaturam causa in Rota coram Priolo cum solita clausula translativa, quando aliqua subsit turbiditas, cum *facultate &c. manutenendi, prout de jure*, eaque proposita, rescriptum fuit videri debere de bono jure, quod a me quamvis scribente pro reo, cujus intererat procedi cum istius judicii possessorii rigore, non attendendi concernentia petitorum, commendatum fuit ob qualitatem causæ, & personarum; Quoniam cum ageretur de tenui beneficio inter personas parum idoneas ad supportationem expensarum litium in Rota, & Curia, ita utriusque intererat, neglectis formalitatibus, ac distinctionibus possessorii, & petitorii, ut de bono jure videretur, non tamen id indefinite practicandum est in causis gravibus, & inter personas potentes, & habiles, cum juris ordo cessante dicto justo motivo, interverti non debeat, ne alias detur ansa spoliandi de facto possessorem ob aliquas prætensiones, super quibus in bono jure longa disputatio assumenda sit, interim spoliatore in spolio se confovente, atque in hoc versatur frequens, & quotidianum æquivocum circa istam praxim, aliasque similes, procedendi indefinite cum generalitatibus, non reflectendo ad singulorum casuum circumstantias, ex quibus quandoque laudabile est dictam praxim servare, quandoque vero damnabile.

Assum-

Assumpta itaque disputatione super bono jure ad favorem Donati antiqui possessoris, sub diebus 20. Junii, & 31. Decembris 1672. prodierunt resolutiones, quibus credo, quod Antonius succumbens acquieverit, dum amplius de causa actum non audivi atque in hujusmodi disputationibus duo fuerunt puncti; Unus nempe an valide processum fuerit ad dictam privationem, & alter posito, quod non, sed potius invalide, an huic actori obstaret, ac respective reo, & possessori prodesset regula de triennali, atque super hoc secundo potius, quam super primo major, penitque tota fuit disputatio.

Quatenus pertinet ad primum, nullitas sententiæ Ordinarii super privatione videbatur plana ex solo facto, quamvis alias de jure decreta Conc. Trid. intrarent super
3 facultate procedendi per edicta, eo quia non bene constabat de sufficienti affixione edictorum, ut ad hunc effectum requiritur ex relatis *disc. 9. de jud.* Ac etiam, quia juxta consuetum vitium illarum partium, sententia lata erat post diem cadentis citationis, cum aliis defectibus respicientibus ordinem judicii de facto; Verum quatenus uterque defectus deficeret, quia nempe edictorum affixio bene facta esset, atque sententia lata esset in termino, adhuc tamen dicebam etiam cum sensu veritatis, agnitæ per eosdem scribentes in contrarium, qui propterea principaliter insistebant super dicto præ-
4 sidio regulæ de triennali, quod ista forma, vel modus procedendi per edictum non intrabat, quoniam ut advertitur supra, *disc. 77.* tres dispositiones desuper habemus; Unam nempe juris communis Canonici, alteram Conc. Tr. *sess. 23. de reform. c. 1.* Et alteram ejusdem Conc. Trid. *sess. 24. de reform. c. 12.* Istorum autem modernarum, & Conciliarium posterior tantum congruit Canonicatibus, & dignitatibus Cathedralium, & Collegiatarum; Quoniam prior congruit solum Ecclesiis, & beneficiis curatis, atque in hoc frequenter æquivocari solet, ut etiam advertitur *d. dec. 77* non reflectendo scilicet ad hanc distinctionem beneficiorum, atque in his, quæ non sunt curata, procedendo cum priori decreto contento in *sess. 23.* ut advertitur per Fagn. *in cap. ex tuæ, n. 14. & 15. de Cler. non residen.* Attento autem posteriori *sess. 24. c. 12.* mandatur quod in primo anno procedatur ad privationem medietatis fructuum, & in secundo anno ad privationem omnium, ac demum in tertio, contumacia crescente, ad privationem beneficii, ideoque cum ista forma servata non esset, planum remanebat, quod male processum esset, attento moderno jure conciliari; Clarius vero male processum esse dicebam, attenta antiquiori dispositione juris Canonici, quantum ut advertitur *eod. disc. 72.* & in decisionibus in eo casu proditis, & per Fagn. *d. cap. ex tuæ, n. 4. & 9 cum seq.* illa dispositione attenta requiritur contumacia vera contrahenda per citationem personalem, vel per edictum, quoties bene concludenter constet de fraudulenta latitatione ad effectum impediendi dict. citationem, juxta *disc. 10. de jud. & alibi*, Unde cum de hac latitatione non constaret, certa videbatur nullitas processus, potissime quia verificabatur adamussim eadem circumstantia, de qua *d. disc. 77.* quod scilicet Episcopo innotesceret locus, in quo Canonicus moraretur, quo casu cessat ratio, ob quam permittitur procedi per edictum, quod scilicet impracticabilis sit citatio personalis ob incertitudinem loci, in quo citandus moretur.

Agnoscentes itaque, ut prævisum est, iidem defensores Rei, & possessores hanc veritatem, in secunda præsertim disputatione habita super nova audientia concessa adversus primam resolutionem, principaliter insistebant in præsidio regulæ de triennali, eum dicebant non obstare dictam nullitatem judicii, ex qua de consequenti resultaret infectio tituli possessoris, Quoniam ad effectum hujus
5 regulæ sufficit titulus coloratus, ut ille, qui discoloratus dici non valeat, ut advertitur supra, *disc. 91. n. 13. & seq.* atque discoloratus dicitur solum ille, qui est de exceptis in ipsa regula, nempe Simoniaci ingressus, vel reservationis clausæ in corpore juris, omnes vero alii dicuntur colorati, quamvis possint redargui de aliquo defectu, quoties proveniat ab habente facultatem generalem conferendi, ut sunt Papa, & Ordinarius, ut per Gomes. *ad hanc reg. q. 27 n. 3. & seq.* Lotter. *q. a n. 15.* Burrat. *dec. 280. n. 16. & 585. n. a & seq. dec. 264. n. 6. & 7. part. 9. rec.* Ubi etenim nullus adesset defectus, inane, ac superfluum esset beneficium regulæ, quoniam ipse titulus tamquam validus sufficeret.

Et quamvis color debeat esse talis, ut aliquam habeat imaginem Justitiæ, ideoque non prodest spoliatori, vel at-
6 tentanti, ex deductis per Gomesium *ad tandem regulam qu. 11.* Et firmatur in causæ decisionibus, & præsertim prima neque id, utpote de jure verum negaretur per eosdem scribentes in contrarium, dicebant tamen, quod a vitio spolii, & a mala fide positiva excusare debebat sententia Episcopi, cui assistit præsumptio justitiæ, & validitatis, curando cum facto excusare nullitates, de quibus supra, vel quod in omnem eventum provenirent a quibusdam subtilitatibus juris vix cognitis professoribus, & absque dubio ignotis simplici Clerico, non juristæ.

Super his autem, inhærendo stylo effugiendi superfluas evagationes, ac immorandi stricte super puncto præciso quæstionis, non censui assumere formales disputationes, potissime quia propositiones in suis respective casibus sunt veræ, dicebam tamen, quod quidquid sit de illis in suis casibus, attamen essent extraneæ a casu quæstionis, quoniam punctus non erat super qualitate tituli, an esset coloratus, vel discoloratus, & an intrarent limitationes, sed erat in cessante quæstione in radice ob deficientiam possessionis, quæ est essentiale requisitum, vel præsuppositum regulæ, quoniam cum possessio non possit esse eodem tempore penes duos in solidum, neque dentur duo ejusdem rei possessores eodem respectu, hinc sequitur, quod cum Donatus esset jam possessor legitimus, ut ipsa sententia præsupponit, quia privatio supponit habitum, suaque possessione per dictam sententiam nullam privatus non fuerit, ex deduct. *disc. 44. de jud. & passim*, hinc sequitur quod alter dici non posset possessor, neque per momentum temporis, sed solum intrusus, & detentor de facto, ut in individuo Gomes. *ad hanc reg. q. 33. n. 1. & seq.* 7
ac etiam q. 44. n. 2. atque de eodem anno 1672. declaravit Sacr. Congreg. Concilii in una Caiacen. præsupponendo antiquam reprobationem *dec. 67.* Mantic. factam per eamdem S. Congreg. ac relatam per Fagnan. *ubi supra*, & insinuatam etiam *d. disc. 77.*

Unde habetur, quod eadem regula non intrat in beneficiis unitis, apud Caval. *dec. 201. in fin. quæ est cad. 410. p. 1. rec.* & apud Coccin. *dec. 551.* quæ est eadem *dec. 313. part. 2.* Tond. *q. benef. 85. n. 62.* & habetur *in Nolana Parochialis, hoc eod. tit. disc. 136.* 8
ex ista ratione, quod in unitis non datur vacatio, ideoque non est verificabilis possessio, sine qua impossibile est dare operationem regulæ, quæ exigit possessionem triennalem, dum ita neque adesse dicitur momentanea; Et per consequens possessor de facto censendus potius est intrusus ac simplex detentor, quamvis esset ita excusabilis, quod dici non meretur verus spoliator.

NOLANA PAROCHIALIS, PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM CAROLO GUADAGNO.

Casus decisus per Rotam pro Carolo.

De unione quando dicatur talis, quod faciat cessare vacationem, necne, cum aliis ad eamdem materiam. Et aliqua de subrogatione gratiosa in jus & locum defuncti, ejusque exequutione.

SUMMARIUM.

1 *Summa causæ.*
2 *Facti series cum resolutionibus.*
3 *De stylo Signaturæ pluries rescribendi etiam in exequutivis.*
4 *Quandoque ex judicia Dei prodeunt resolutiones.*
5 *Quod casus sit exorbitans, & singularis.*
6 *Fundamentum subrogatiantis est reservatio indubitata.*
7 *Quod ubi adest res judicata, vel transactio, non possit intrare processus exequutivus.*
8 *De restitutione in integrum adversus rem judicatam.*
9 *De necessaria transportatione actorum in alia instantia.*
10 *Pro subrogatione requiritur possessio defuncti jure beneficii liberi.*
11 *Quod non obtineatur possessio beneficii sine litteris.*
12 *De cumulatione titulorum, & quare Apostolicæ impetrationes non expediti litteris fiant.*
13 *De amissione possessionis per tempus notabile.*
14 *De fundamento resolutionum.*
15 *Quod non possit retractari res judicata sine actis.*
16 *De eadem multiplicatione titulorum, de qua n. 12.*
17 *De argumentis coadjuvantibus possibilitatem alterius tituli.*
18 *Quod Ordinario sit nimium deferendum, & quare.*
19 *In vita centenaria potest allegari quilibet titulus melior.*
20 *De eadem, de qua num. 9. & 15.*

21 *Quan-*

21 *Quando sententia attendatur sine actis,*
22 *De restrictione præjudiciali resultante a productione jurium, & tituli,*
23 *Sententia præbet titulum putativum, qui junctus cum quadragenaria validat unionem,*
24 *De differentia inter præscriptionem, & præsumptionem, vel possibilitatem tituli melioris.*
25 *Possunt stare simul unio, & modica fructuum participatio.*

D I S C. CXXXVI.

SIngularis forte in hac beneficiali materia censenda videtur ista causa sine exemplo, ut contra possessorem in vim unionis antiquæ, & effectuatæ per annos circiter 300. & canonizatæ per rem judicatam Rotalem effectum pacificum sortitam per an. 70. proce-
1 deretur etiam in judicio exequutivo pro exequutione gratiosæ subrogationis in jus, & locum defuncti ab annis 75. circiter, & de cujus sufficienti titulo, & possessione non constat, istaque est causæ summa, ex qua sine ulteriori studio, seu reflexione judicium super resolutionibus a versatis in materia beneficiali efformari poterit, ac propterea in ista præsertim causa expertus sum, quandoque verificari dicterium, quod dentur fata causarum, quodque lites sint immortales, neque unquam ab eis quis redditur tutus, dum etiam diu mortuæ de facili reviviscunt; isteque est unus de illis casibus primæ classis, qui considerandi veniunt in quæstione opinionis probabilis, vel magis probabilis.

De anno siquidem 1372. Sede Apostolica residente in civitate Avenionis sub Greg. XI. Capitulum Cathe-
2 dralis Nolanæ ob magnas calamitates pro illorum conditione temporum passas obtinuit commissionem Archiepiscopo Neapol. ut ex triginta sex narratis Ecclesiis illi uniret eas, quæ sibi viderentur, & pro illis fructuum ratis, quæ pariter essent sibi benevisæ pro capituli indigentia, earundemque Ecclesiarum respective servitio; Quare dictus Apostolicus delegatus univit sexdecim, inter quas fuit Ecclesia curata S. Felicis de Cæmeterio, vulgo Cæmitello pro diversis ratis juxta illorum temporum conditionem, & usum ad rationem unciarum, aliquas nempe ad unam, & alias ad duas, vel plures uncias; Istius autem actus duæ circumferuntur scripturæ, una antiqua in papyro, seu pergameno existente penes capitulum, in qua solum respectu dictæ Ecclesiæ S. Felicis dicitur simpliciter eodem modo, quo in aliis, quod uniebatur, & altera informis exhibita per impetrantem, in qua legitur concepta unio per hæc verba præcisa: *Ecclesiam S. Felicis de Cæmeterio, quæ licet sit valoris unciarum 11. tamen de voluntate ambarum partium unimus ad unciam, cæteris fructibus & valore ipso remanentibus sub potestate Episcopi.*

Respectu aliarum quindecim Ecclesiarum unio continuatum habuit, & habet pacificum effectum; Quo vero ad istam, familia de Albertinis domina utilis dicti loci Cœmeterii, sub Leone X. quando ut patet ex deductis *disc. 10. & aliis de jurepatr.* hujusmodi concessiones erant faciles, ac frequentes, de an. 1516. obtinuit istam Ecclesiam sibi concedi in patronatum, sed constat, quod concessio effectum sortita non fuerit, vel quod potius subjacerevocationibus Hadriani VI. & Conc. Trid. de quibus, *d. disc. 10. & 65. in. aliis de jurepatr.* quamvis etenim de ann. 1552. appareat hujus Ecclesiæ possessor quidam Franciscus Albertinus provisus per mortem Angeli etiam Albertini, non tamen constat, an ad præsentationem patronorum, vel potius ad nominationem capituli, seu alias obtinerent; Cum autem de anno 1597. sequuta esset vacatio istius Ecclesiæ, seu Vicariæ per obitum cujusdam Felicis Maceratæ, qui in ea curam exercebat, Episcopus per solitum edictum indixit concursum ad formam Conc. Trid. & Subcollector Apostolicus sequestravit fructus, sed capitulo recurrente Episcopus abstinuit a concursu, decernendo Ecclesiam providendam esse de Vicario deputando per capitulum, & Nuntius Apostolicus removit sequestrum, sed quoniam quidam Albentius Sanctorellus eandem Ecclesiam de ann. 1598. impetraverat a Dataria, idcirco introducta causa in Tribunali A.C, forte occasione Brevis de capienda possessione obtenti per provisum Apostolicum, vel quia tunc diversa esset praxis quod hoc Tribunal perageret causas beneficiales, capitulum obsinuit mandatum de manutenendo, atque devoluta per appellationem causa ad Rot. coram Seraph. de anno subsequenti 1599. prodiit pariter ad favorem capituli sententia dictæ unionis canonizatoria, quæ transitum fecit in judicatum cum subsequuta pacifica possessione usque ad ann. 1656. in quo aliam fecit impetrationem quidam Philippus Marengha, qui introduxit causam in Rota coram Zarata, sed factis aliquibus paucis actis, illam deseruit; ideoque capitulum continuavit absque alia molestia in possessione usque ad an. 1667. in quo Carolus Guadagnus eamdem Ecclesiam impetravit tamquam vacantem per obitum Jo: M: Riccardi, qui præsupponebatur provisus per obitum dicti Marenghæ, introductaque causa coram Vicecomite subrogato in locum Zaratæ datum fuit dubium solitum, an constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, eoque proposito sub die 2. Decembris 1669. prodiit resolutio actori favorabilis, negative sc. in prima parte, & affirmative in secunda, dictaque resolutione prodita, idem actor novam fecit impetrationem ex vacatione per obitum dicti Felicis Maceratæ sequutum de anno 1597. obtinendo etiam subrogationem in ejus jus, & possessionem, atque aliud obtinuit subscribi dubium cumulativum, an gratia subrogationis esset exequenda, & sub die 27. Junii 1670. coram eodem Vicecomite, confirmando priorem resolutionem in meritis super restitutione in integrum adversus dictam rem judicatam ob invaliditatem unionis, dictum quoque fuit subrogationem esse exequendam, atque ad normam resolutionum concessa expeditione, commissaque causa in eadem Rota coram Rondinino cum clausula *parito litteris arbitrio*, sub die 5. Junii 1671. resolutum fuit non intrare, atque concessa quoque expeditione, cum Signatura cognosceret gravamen, denuo commisit causam in eadem Rota coram 3
Priolo, cum clausula, *qui ad legitimam*, datoque dubio resultante ex ventre ejusdem rescripti, an ad legitimam exequutionem procedendum esset, affirmative ad favorem ejusdem provisi responsum fuit, dataque expeditione, quamvis ita adessent tres conformes in tribus diversis instantiis, adhuc tamen Signatura agnoscendo exorbitantiam, denuo commisit causam in eodem Tribunali coram Matth. cum clausula *consilio de tribus*, atque sub diebus 12. Januarii, & 12. Junii 1674. dictum fuit constare, ideoque cum alter non superesset rescribendi modus, processum fuit ad exequutionem.

Post finitam itaque causam, atque refrigeratum illum calorem, qui ea pendente offuscare solet intellectum Advocatorum ob affectionem erga clientem, & erga propriam opinionem, post aliquod intervallum, reflectendo ad veritatem, meus intellectus captivari non potuit, nec post in istarum resolutionum obsequium, ac propterea in ista causa dicere consuevi idem, quod in altera *causa Cæsaraug. Cathedralitatis* in qua forte major dignoscitur 4
exorbitantia, peracta *sub tit. de præem. disc. 3. & seqq.* quod scilicet aliquod adsit arcanum supernaturale ex motivis nobis ignotis; Et præsertim ut dicebam Agentibus pro capitulo, quod cum ista Ecclesia esset decorata magno numero reliquiarum Martyrum, a quorum cœmeterio nomen desumpsit, quoniam iste est locus in Pincis prope Nolam, frequenter in actis Martyrum enunciatus, forte in ejus cultu, ac servitio, & in illa cura animarum, ex eo quod commune negligitur, incumbendo solum perceptioni emolumentorum, Capitulum male se gereret, ideoque ex occulto Dei judicio causam talem habuerit exitum, juxta regulas juris omnino insperatum.

Juridice autem, ut præmissum est, ista censenda videtur causa singularis absque exemplo ob plures exorbitantias tam circa ordinem processus exequutivi Apostolicæ 5
subrogationis, quam circa merita negotii principalis; Quamvis etenim in effectu causa habuerit in progressu de facto naturam judicii ordinarii per tres instantias, imo per quartam exequutorialem, ut supra, attamen id provenit potius ex judicio Signaturæ, quæ adversus expeditiones Rotales in processu exequutivo toties rescripsit de clausula translativa, sed id non tollit exorbitantiam super modo procedendi.

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem ordinis, non videbatur quomodo unquam agi posset de subrogatione gratiosa in jus, & possessionem dicti Felicis Maceratæ defuncti usque ab anno 1597. ex pluribus fundamentis, quorum unum sufficere videbatur, multo magis eis simul junctis consideratis.

Primo nempe, quoniam subrogationis fundamentum est 6
reservatio certa, & manifesta, adeout qualibet turbiditas faciat eam cessare, *ut dec. 187. part. 1. rec.* & apud Greg. *dec. 38 & passim.* Ideoque cum adesset titulus explicitus unionis cum auctoritate Apostolica effectuatus tam in ista, quam in quindecim aliis Ecclesiis per annos tercentum, & canonizatus cum tot actibus, nempe cum agnitione veri-

tatis

tatis Episcopi, & Nuncii Apostolici, & cum dicto
mandato de manutenendo concesso per A. C. ac demum
per rem judicatam Rotalem effectum sortitam per an-
nos circiter septuaginta, non videbatur quomodo un-
quam dici posset quod constaret de illa reservatione
certa, & clara, quæ ad hunc effectum requiritur.

Secondo quoniam si receptum est quod unica senten-
tia, quamvis suspensa per appellationem vulnerat pro-
7 cessum executivum, & inducit turbiditatem, Coccin.
dec. 78 Dunoz. *dec.* 63. *in fin. & habetur sub tit. de
judic. disc.* 41. & 43. & alibi, multo magis ubi adest
res judicata, quæ ut nostri dicere solent, inducit ens
de non ente, atque facit de albo nigrum, adeout quod-
libet judicium contra rem judicatam dicatur invalidum
ex defectu jurisdictionis, juxta *dec.* 115. Putei *lib.* 1.
Bich. *dec.* 466. *num.* 3. *ubi concordantes*.

Et quamvis etiam contra rem judicatam detur reme-
dium restitutionis in integrum ex capite injustitiæ in
ista causa practicatum, ut etiam advertitur *disc.* 38.
8 *de Judiciis*, & habetur frequenter in omnibus pene
materiis actum de ista restitutione in integrum adver-
sus rem judicatam, ac propterea, ut advertitur *d. disc.*
38. *de judic.* & alibi, ex ista ratione materia rei ju-
dicatæ in Curia videtur quodammodo cæremonialis;
Attamen absolutum est quod hoc judicium restitutio-
nis in integrum est ordinarium, & appellabile, termi-
nandum per tres conformes, vel per aliam rem judi-
catam, cum qua oportet eam tollere de medio, eaque
sublata, reassumenda est primæva actio, ad instar eo-
rum quæ habemus in transactione, quæ habet imagi-
nem rei judicatæ, juxta *dec.*550. Cavaler. *num.*4. *dec.*
86. *num.*9. *part.*6. *recent. dec.* 34. post Turr. *de pact.
futur. success. & passim*.

Tertio ex eodem fundamento, de quo infra in me-
ritis, quod scilicet sine actis non solum cognosci non
9 potest de injustitia, quæ est fundamentum restitutionis
in integrum, sed etiam præsertim in spiritualibus, in
quibus intrat forma præcisa inducta *per Conc. Trident.
sess.* 24. *de reform. cap.*20. dicitur deficere jurisdictio,
ex *deduct. disc.* 37. *de judic.*

Quarto quoniam ad effectum dictæ subrogationis, &
pro ejus essentiali fundamento requiritur possessio de-
functi, in cujus locum ista concessa est, quodque talis
possessio fuerit tamquam de beneficio liberæ collationis,
10 & per consequens quod cadat sub reservationibus, ut
apud Gregor. *decis.* 307. *n.* 1. *& seqq.* De hoc autem
non constabat, quoniam exhibebatur solum quædam
supplicatio sine litteris, quæ ad hunc effectum nulla-
tenus probat non solum ob regulam de non judicando
juxta formam supplicationis, sed fortius quia in benefi-
cialibus per constitutionem Julii III. sub gravibus pœnis
prohibitum est apprehendere possessionem sine litteris,
multo vero magis in Regno Neapolitano, ubi obtineri
non potest possessio beneficii sine litteris relaxationis se-
11 questri fructuum Nunciaturæ Apostolicæ, istæque non
dantur, litteris Apostolicis non præsentatis, ac etiam
sine regio exequatur, quod pariter non conceditur nisi
visis litteris, ideoque dicebam verius esse quod dictus
12 Felix esset provisus ad nominationem capituli tamquam
de Vicaria Ecclesiæ unita juxta Constitutionem Pii V.
sed quod ad majorem cautelam, stante forsan præten-
sione dicti patronatus, curasset se munire cum hac sup-
plicatione, pro illa titulorum cumulatione, de qua
pluries, *hoc eod. tit.*

Et quinto demum quoniam si quælibet possessio amitti-
tur per decennium *ex deduct. disc* 44. *de judic* & alibi, multo
magis per annos septuaginta cum tot judicatis intermediis,
13 atque licet in isto casu non intrarent ea, quæ ad favorem
triennalis, & respective decennalis possessoris habentur,
supra disc. 91. attamen dicebam attendi debere rationem,
cui regula de triennali innixa est, & præsertim ubi quoque
accedat possessio decennalis; An autem hujusmodi funda-
mentis sufficienter, & adæquate respondeatur in decisio-
nibus, quilibet ex earum lectura inspicere poterit.

Quo vero ad alteram inspectionem Justitiæ, & merito-
rum in negotio principali; Cum præcipuum, ac totale fun-
damentum decisionum super unionis invaliditate, vel inef-
ficacia in eo consisteret, quod ad normam dictæ scripturæ
14 informis exhibitæ per provisum Apostolicum non esset uni-
ta Ecclesia, sed solum ei demandata quædam modica sub-
ventio ejus ex fructibus in undecima parte, dando scilicet
unam unciam ex undecim, quodque alia scriptura anti-
qua in pergameno reperta penes capitulum esset suspecta
ob quandam rasuram, ut ex decisionibus patet; Hinc scri-
bens pro capitulo dicebam quod theorice, & practice juxta
regulas juridicas impossibile videbatur ut de causis resti-
tutionis in integrum adversus dictam rem judicatam res-
pondendum esset ex pluribus quæ pariter singulariter suf-
ficiebant, multo magis unita; Potissime vero hoc insinua-
to motivo quod non haberentur acta rotalia coram Sera-
phino super dicta re judicata, & quæ ex notulis Notarii 15
constabat accommodata fuisse dicto Sanctorello, in cujus
locum iste provisus successerat, dum eamdem impetratio-
nem per obitum Maccratæ ut supra fecerat, ideoque dice-
bam etiam cum sensu veritatis, non videri quomodo
retractari posset antiqua res judicata rotalis, ex ca-
pite injustitiæ, non visis actis, ex quibus patere va-
leat in quibus juribus, & probationibus fundata sit,
quodque ob eorundem jurium infectionem, vel inefficа-
ciam injusta, maleque fundata detegatur, ex iis quæ
generaliter habentur, *decis.* 347. *n.* 3. *in fin. part.* 2. *rec.
decis.* 79. *n* 5. *part.* 7. & in aliis, & in punctualibus ter-
minis consimilis rei judicatæ canonizatoriæ unionis,
quæ postea impugnabatur, *decis.* 118. *part.* 8. *recent.
num.* 2. *& seq.*

Cum etenim in beneficialibus detur multiplicatio titu-
lorum, qui etiam circa unionem dari possunt eo modo quo
in omnibus, ut præsertim pluries *sub tit. de jurepatr. disc.*65.
& in aliis, nihil prohibet, vel excludit possibilitatem, ut 16
post istam unionem obtentam a Gregorio, etiam ubi ad-
mitteretur eam esse juxta formam contentam in dicta scri-
ptura informi, cum qua Rota processit, alia pinguior,
ac melior obtineri potuerit, atque in ea Rota antiqua co-
ram Seraphino se fundaverit, potissime quia ex eisdem no-
tulis, vel productionibus patebat quod quædam bulla In-
noc. VI. aliaque documenta producta fuerint; Ac pro-
pterea dicebam quod nisi præsupponenda esset in judicibus
illa prophetia de præterito quæ fuit in Moyse, non vide-
tur quomodo dicta res judicata sine actis de justitia con-
vinci valeat ut bene advertitur *d. decis.* 118 *part.* 8. *rec.*
& habetur *disc.* 37. *de judic. & alibi*.

Clarius vero quoniam ista possibilitas tituli melioris, 17
multis fulciri videbatur argumentis, & præsumptioni-
bus; Primo nempe illa generica præscriptione quæ as-
sistit judici, ejusque sententiæ, ut in dubio præsuma-
tur valida, & justa; Secundo ob dictam productionem
aliarum Bullarum, & documentorum; Tertio ob gesta
per Ordinarium de dicto anno 1599. & sic de tempo-
re nimium proximo, quando memoria rerum erat ma-
gis recens, & quæ nunc per silentium temporis perie-
rat, quoniam si generaliter in omnibus beneficiis ni-
mium desertur attestationibus, vel aliis actibus Or-
dinarii ob ejus interesse in illorum collatione, cum tamen
ista sit nimium rara, dum de duodecim anni mensibus 18
habet solum quatuor, ac etiam in istis adsunt tot reser-
vationes, & affectiones, reales, personales, locales & ac-
cidentales, multo magis in parochialibus, in quibus ob
formam concursus introductam a Concilio Tridentino, et-
iam in reservatis videtur quod in substantia tota collatio
sit Ordinariorum, ac etiam ob remotionem sequestri per
Nunciaturam Apostolicam omnino inverisimilem quan-
do beneficium esset liberæ collationis.

Ac etiam quod agitur de facto antiquissimo trium sæcu-
lorum, de cujus non controversa effectuatione in quinde- 19
cim aliis Ecclesiis constabat, ac propterea fortius intrat di-
cta præsumptio, vel possibilitas alterius tituli melioris non
in ratione præscriptionis, sed in ratione præsumptio-
nis, juxta ea quæ habentur *disc.* 3. *de alien. & contr.
prob disc.* 133. *de feud. disc.* 21. *de judic. & alibi pluries*.

Ad evitandum istud vere inevitabile fundamentum,
in quo præsertim in ultima instantia coram Matthæjo,
magis insistebatur in prima decisione coram eodem 12.
Januarii 1674. præsupponendo quod defectus non es-
set in substantia, seu non existentia actorum, & pro-
cessuum, sed in sola transportatione ab uno Notario ad 20
alterum, nimium insistitur in eo quod cum Rota sit
unum, & idem Tribunal, nihil refert an acta essent
penes unum, vel alterum ex ejus Notariis, atque in
hac parte bene dicatur in abstracto, sed male in concreto
ob cessantem assistentiam facti, dum non objiciebatur de
solo defectu transportationis productivo nullitatis, juxta
deducta *d. disc.* 37. *de judic.* Sed agebatur de defectu in
substantia, quoniam acta non erant in rerum natura;
Et quod magis est, non poterat cadere suspicio quod
fuissent occupata per hanc Partem, dum ut supra con-
stabat quod per Notarium illius temporis fuissent ac-
commodata proviso Apostolico prædecessori.

In ultima vero *dec.*22. *Junii* 1674. agnoscendo æquivo-
cum, dantur duæ aliæ responsiones; Primo nempe quod
dum capitulum pro fundamento suæ exceptionis deduce-

hat rem judicatam Seraphin. tenebatur ipse illam justificare, sin minus intentio impugnatoris est fundata, nullam desuper deducendo rationem, vel auctoritatem, sed solum regulam generalem quod reus est in sua exceptione actor, in id allegando *decis. 242. num 4. part. 10. recent.* Et secundo quod cum capitulum produxerit titulum dictæ unionis Gregorii, ita exclusa remanet possibilitas cujuscumque alterius tituli juxta theoricam *Innocent. in cap. dudum, de decimis*.

Verum istæ responsiones in suis casibus veræ, sed fallacissimæ ad rem circa applicationem, ad evidentiam pro meo judicio convincere videntur injustitiam judicati; Quatenus enim pertinet ad primam, dicta regula procedit quando etiam excipiendo deduceretur sen-
21 tentia moderna, cujus exceptio in substantia redoleret illius exequutionem, sed quando est antiqua ultra triginta annos, quorum duplicatio in hac facti specie verificabatur, illaque exequuta sit, atque continuatam observantiam habuerit, atque solum deducator pro præsumptione justitiæ, donec doceatur de injustitia, de qua utpote in dubio non præsumenda, docere debet ille, qui petit restitutionem in integrum, cum injustitia sit suæ intentionis fundamentum, ex deductis *disc. 38. de Judic. & passim*, cum sint principia certa, & notoria; Hinc ad evidentiam convinci videtur fallacia responsionis.

Eadem fallacia, & major dignoscitur in altera res-
22 ponsione; Tum quia ad effectum restrictionis ad titulum productum cum exclusione tituli melioris, opus est ut ille qui productionem facit, possit sibi præjudicare, vel alteri cum mandato speciali, & valido, eaque fiat pro titulo principali, & unico, non autem incidenter, & ad alium effectum, ex iis quæ in hac materia habentur *disc. 47. de Regal. & disc. 3. de Alien. & contr. disc. 21. de Jud. & alibi plures*, quorum nihil in facto verificabatur, quoniam non constabat an de mandato speciali ista scriptura producta esset, minusque principaliter, & pro titulo unico, sed potius incidenter; Et quod magis est, eadem scriptura non continet illud præsuppositum, cum quo in decisionibus proceditur, atque in ea tamquam impugnata utpote abrasa, & vitiosa, nullum fundamentum constitutum est, sed potius in altera scriptura ut supra omnino informi exhibita per actorem, ut patet ex decisionibus; Et fortius quia ubi etiam concurrerent omnia requisita prædicta, adeout verificetur dicta theorica *Innocentii*, adhuc dicebam quod non videbatur cum qua legali ratione, vel auctoritate dici valeat, ut productio facta per capitulum modernum non informatum, & ignarum, quænam jura producta essent de dictis annis 1598. & 1599. super quibus res judicata Rotali adeo adminiculata, ut supra fundari potuit, debeat habere oculos retro, & inficere, atque injustam probare sententiam latam ab annis septuaginta, & ultra.

Irrefragabile quoque videbatur motivum, in quo sæpius insteti, sed nunquam vidi adæquatum, & cathegoricam responsionem, quod scilicet dicta sententia Rotalis præsertim conjuncta cum tot aliis actibus præcedentibus Episcopi, Nuntii, & Auditoris Cameræ, & cum dicto titulo unionis, saltem sufficeret ad inducendum titulum coloratum, vel putativum *ut de-*
23 *cis. 220. num. 9. part. 3. recent.* Quando autem cum isto titulo concurrit possessio quadragenaria pacifica, tunc unio redditur firma, omnisque defectus sanatur, ut apud Bueatr. *dec. 374. nu. 7. & 8. & dec. 9. nu. 5. & 20. part. 10. recent.* Et quamvis in aliquibus decisionibus consideretur quædam præsupposita stultitia antiqui colitigantis, quasi quod illud tempus legitimi impedimenti non veniret in calculo, vel præberet justam causam restitutionis in integrum juxta terminos
24 generales præscriptionis, attamen ultra quod injustitia non justificabatur, ac etiam posita non videbatur quid faceret ad rem, dum non agebatur de illa formali, & odibili præscriptione deducta ex solo lapsu temporis in pœnam negligentiæ, sed potius de præsumptione juxta distinctionem, de qua allegato *disc. 133. de feud. disc. 3. de Alien. & Contract. prohib. & disc. 21. de Judic. & alibi*.

Demum ubi etiam procedendum esset cum dicta scriptura informi exhibita per actorem, cujus contrarium omnino verius videbatur, adhuc tamen dicebam quod id non excluderet unionem, tum quia cum actus esset unicus ex sexdecim Ecclesiis, non videbatur qua ratio-
25 ne sustineri posset quod respectu aliarum quindecim esset unio indubitatum effectum sortita per tria sæcula & quod respectu istius non deberet esse talis, ex vulgato axiomate quod una, & eadem dispositio non debet diverso jure censeri, atque respiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare; Tum etiam quia, in dubio præsumendum est, metiendo voluntatem a potestate, quod actus licite, & valide gestus fuerit, eo modo quo fieri poterant, non autem illicite, & citra potestatem, ideoque cum commissio Apostolica esset ut uniret Ecclesias, non poterat delegatus facere dismembrationem partis, prout est sensus decisionum, clare præsertim explicatus *in quarta* coram Priolo; Et clarius quia eadem verba superius registrata directa sunt ad ipsam Ecclesiam ibi; *Ecclesiam unimus &c.* Et quamvis dicatur unciam unam ex undecim, attamen id fit ad designandam portionem dominicalem, sive illam ratam, quam iste novus Rector habitualis haberet, ut aliæ ratæ deservirent pro ministris; Ideoque merito reservantur arbitrio Episcopi. Neque est novum quod in Ecclesiis unitis aliqua modica portio fructuum sit illius, cui facta est unio, reliqui vero licet magni pertineant ad Vicarium, tam pro ejus congrua substentatione, quam pro expensis aliorum ministrorum, & pro restauratione Ecclesiæ, & pro sacra supellectili, ut habetur præsertim *decis. 330. part. 9. recent.* in casu, de quo *disc. 10. de Paroch.* & apud Merlin. *decis. 95. & 115.* & in alio casu, de quo *eodem titul. de Paroch. in hoc supplemento, disc. 39.* sed hoc non tollit veram unionem ad istum præcisum effectum provisionis.

Hæc itaque sunt quæ in præsentreausa deducebam, Lector autem, cujus intellectus non habeat illam fascinationem, quam meus habere potest ob affectionem erga propriam opinionem, his consideratis, atque visis decisionibus desuper editis, suum interponat judicium.

R O M A N A S P O L I I,

PRO HÆREDITATE CARDINALIS BRANCATII, CUM CAMERA.

Casus disputatus in Congregatione Camerali, & sopitus per concordiam.

De eadem materia, de qua, disc. 81. & seq. super fructibus pendentibus, & respective inexactis tam beneficiorum, quam pensionum inter Cameram, & hæredes beneficiati, vel pensionarii, & præsertim de intelligentia motus proprii Clem. IX. ad favorem Cardinalium super fructibus maturatis, & non exactis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De stylo Cameralium in his contraversiis.*
3 *Quomodo debeant se gerere Cardinales, & Prælati in redditibus Ecclesiasticis.*
4 *De punctis, vel inspectionibus.*
5 *Quid disponatur de jure communi.*
6 *Quid per motum proprium Clem. IX.*
7 *De distinctione inter pertinentiam ratione domini, & illam ratione spolii.*
8 *De fructibus qui consistunt in pascuis.*
9 *De fructibus partim naturalibus, & partim industrialibus.*
10 *De pensionibus Ecclesiasticis inexactis.*

D I S C. C X X X V I I.

Defuncto pluries sub diversis materiis enunciato, ac 1
de justitia commendato Cardinali Brancaccio, qui erat possessor Ecclesiæ Portuensis, ac etiam reservatarius Ecclesiæ Viterbiensis, & Abbatiæ S. Adriani in Calabria dimissarum Stephano ex fratre nepoti; Inter istum tamquam hæredem Cardinalis, & Cameram super fructibus exactis hujusmodi Ecclesiarum, ac etiam super ratis plurium pensionum, quas idem Cardinalis super Ecclesia Capitaqu. aliisque Ecclesiis possidebat, ortæ fuerunt solitæ controversiæ terminatæ cum honesta concordia juxta frequentiorem hujusmodi controversiarum finem; quoniam ubi etiam ex aliquo justo motivo in animo Pontificis sit benigne se agere ad favorem hæreditatis defuncti

functi, adhuc tamen Camerales se solent opponere,
2 atque solliciti esse, ut procedatur per viam compositionis, ne alias exemplum præjudicet Cameræ in futuris contingentiis, & vacationibus, & ne canonizentur illæ opiniones, quas iidem Camerales negare, & acriter impugnare solent, hic erat casus, non solum ob magna merita hujus Cardinalis erga Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, sed etiam quia licet spatio annorum quadra-
3 ginta, & ultra in statu Cardinalitio fuerit provisus de dicta Ecclesia Viterbien. aliisque Abbatiis, & beneficiis, ac pensionibus, adeout notabile peculium, quando thesaurizare voluisset, parare potuisset, attamen, ut partes boni Ecclesiastici impleret, in eleemosynis aliisque operibus charitatis ejus hæreditas potius minus idonea reperta fuit ad satisfaciendum oneribus, quæ per gratum hæredem de proprio adimpleta fuerunt, idque pro exemplari Ecclesiasticorum deservire deberet.

In disputationibus itaque desuper habitis, me pro
4 hæreditate scribente, plures fuerunt inspectiones. Primo nempe circa species fructuum vere, & naturaliter perceptorum, ac omnino separatorum, imo consumptorum Ecclesiæ Portuen. non tamen soluta pensione per eorumdem fructuum conductores, ut erant fructus piscationis, & venationis, & carbonis. Secundo, circa fructus intellectualiter perceptos pro rata temporis mere naturales pascuorum. Tertio, circa mixtos, quia natura, & industria concurrant; Et quarto, circa pensiones Ecclesiasticas reservatas super aliis Ecclesiis ut supra.

Quatenus pertinet ad primam speciem, quando perceptio, & consumptio sequuta esset directe, & immediate per ipsum Ecclesiæ possessorem, tunc res esset plana, nullamque pateretur difficultatem, attento etiam *Consil. Calder.* cum quo proceditur juxta superius deducta *d. disc.* 81. *& seqq.* Sed difficultas oriebatur ex eo, quod eorumdem fructuum pretium, vel æquivolentia sub
5 nomine pensionis non esset solutum, neque commixtum cum reliquo patrimonio prophano Prælati; Ac propterea intrabat quæstio, de qua *eodem disc.* 81. Atque attentis terminis juris communis, intrabant eædem rationes dubitandi, de quibus ibi, verum illas cessare dicebam ex indulto Card. concesso per Clem. IX. registrato in adeo indecenter, maleque compaginatis duobus ultimis voluminibus Bullarii *Const.* 19 dictoque motui proprio occasionem dederunt quæstiones de recenti circa finem Pontificatus prædecessoris disputatæ, de quibus *d. disc.* 81. *& seqq.* In dicto etenim motu proprio duo considerantur casus; Unus nempe in quo possessor Ecclesiæ per seipsum ejusque procuratores, & ministros percipiat fructus; Et alterum, in quo idem fructus obtineantur per beneficiatum a conductore in pensione pecuniaria statutis temporibus solvenda, prout conventum fuerit pro partium commoditate potius, quam pro fructuum perceptione, cum quandoque pensio soleat esse anticipata, & quandoque posticipata.

In primo etenim casu dictus motus proprius dirimere voluit obstaculum Constit. 80. Urbani VIII. ac etiam tollere quæstiones locis citatis peractas, super intelligentias *d. Consilii Calderini*, statuendo quod sufficeret separatio a solo, & recuperatio a manibus colonorum, quamvis adhuc fructus essent in horreis ipsius Ecclesiæ, vel quod alias sequuta non esset illa commixtio, vel confusio cum proprio patrimonio, aliisque bonis privatis, quæ desiderari videantur; De-
6 ducendo etiam ad speciem casum disputatum *d. disc.* 81. quod pecuniæ essent exactæ, & depositæ in banco ad creditum, non tamen accederet scientia, & commixtio; in altero autem casu, cum id esset in quæstione ex iis, quæ habentur per Rot. *in Nullius, seu Romana Pecuniaria* 4. Junii 1653. coram Blanchet. apud Marchesf. *part.* 1. *fol.* 424. Marc. Ant. *resol.* 46. & Sperell. *decis.* 82. *num.* 16. atque magis receptum esset, quod in illis, qui non haberent indultum testandi, pensio debita per conductorem inexacta caderet sub spolio, non obstante quod per conductorem fructus de facto percepti imo consumpti essent, secus autem ubi talis facultas accederet juxta resolutiones Tribunalis Cameræ de ann. 1625. quæ ita procedebant ad favorem Cardinalium, sicut ad favorem quorumcumque aliorum, qui haberent indultum testandi, atque id moderatum fuisse per dict. Constitut. 80. Urbani VIII. quæ ita respicit Cardinales, sicut omnes alios eamdem facultatem testandi habentes; Hinc dicebam, quod germanus sensus dicti Motus proprii, seu verus sensus dicti Pontificis fuerit moderandi dict. Constit. Urbani, atque reducendi rem in pristinum in parte, non autem in totum, idest ad favorem Card. tantum, non autem aliorum, qui consimile indultum testandi haberent, dum idem motus proprius præsupponit, quod aliqui termini remanerent debiti, & sic non exacti.

Reflectendo ad id, quod pariter advertitur locis citatis, & ex quo resultare solent æquivoca, quod scilicet in ista quæstione duo cadunt termini diversi; 7
Unus nempe pertinentiæ fructuum inexactorum jure dominii ad Ecclesiam, in cujus locum subrogata est Camera, ut fructus adhuc sequantur naturam proprietatis, & bonorum; Et alterum spolii in bonis Clerici defuncti provenientibus ex beneficiis & reditibus Ecclesiasticis, ac propterea quando agitur de pensionibus debitis per conductores, qui fructus vere, & de facto separaverint, & perceperint, adeout sit consumpta perceptio, tunc istud nomen debitoris non cadit sub primo termino, sed sub altero, cum non adaptetur illa ratio dominii, seu accessorii ad proprietatem, quæ consideratur in fructibus pendentibus, vel collectis, sed adhuc existentibus in prædiis, & horreis ipsius Ecclesiæ.

Quoad secundam speciem consistentem in pascuis, quamvis adhuc duraret annus naturalis, in quo eorum 8
perceptio peræquari solet, ac superessent aliqui menses, in quibus aliqua modica herbarum pastura sequi deberet, eo quia juxta usum agriculturæ annus incipit a die S. Angeli eo modo, quo magis distincte habetur *disc.* 24. *de Pens.* idcirco pro fructibus jam perceptis, & consumptis haberi debere dicebam illas herbas, quæ jam essent depastæ ab initio novi anni usque ad diem obitus; dum licet in hac specie non verificetur contradictio perceptionis veræ, & naturalis, sed solum intellectualis, quoniam animalia de tempore mortis adhuc extabant in tenutis, & percipiebant pascua præsertim hyemalia, in quibus major fructus consistit, adhuc tamen videbatur, quod ex identitate rationis intraret idem motus proprius ad instar fructuum civilium pensionum domorum, & similium, in quibus consideratur hæc species perceptionis intellectualis juxta *dec.* 20. Durandi, cum aliis, de quibus *d. disc.* 81. *& seq.* quamvis in hoc Camerales nimis se opponerent.

Circa tertiam speciem fructuum habentium qualitatem mixtam naturæ, & industriæ, ut sunt illi segetum pro recollectione frumenti, aliarumque frugum, quando 9
adaptarentur termini repartitionis fructuum inter virum, & uxorem, & similes, de quibus eisdem locis citatis, & de quibus *sub tit. de dote*, *disc.* 160. tunc advertebam, quod de illis segetibus, vel seminatis pro futura recollecta debuisset participare hæres defuncti, non solum pro rata illius anni, in quo recollecta facienda erat, sed etiam pro rata anni antecedentis præparatorii segetum, in quo terra quieverat, ut advertitur *eodem disc.* 160. *de dote*, *& alibi*, sed in his terminis agnoscebam esse opus desperatum, quodque hæres Prælati defuncti nullam participationem prætendere posset de jure communi, quodque dictus motus proprius istum casum non comprehenderet, sed esset inspectio inter Cameram, & successorem.

Demum, quoad pensiones, quamvis de stricto jure illarum transmissio ad hæredes morientis pro rata tem- 10
poris spectare debeat, cum sit quid mere temporale, ut in sua sede *sub tit. de Pens. pluries* advertitur; Attamen, quia in contrarium est praxis per Camerales deducta a temporibus præsertim Pii V. Sixti V. quod pensionariis injunctum fuit onus incedendi in habitu clericali, & recitandi officium saltem Beatæ Virginis, adeout quodammodo declaratæ videantur Ecclesiasticæ, videtur quod de plano tractentur ad instar fructuum, ac propterea secluso dicto indulto agnoscebam, quod prætensio hæreditatis non esset substentabilis; Credebam tamen, quod ducto argumento *ad Auth. multo magis*, *&c.* ea quæ ex dicto indulto procedunt in casu minus dubitabili fructuum Ecclesiæ, vel beneficii, fortius procedere deberent in pensionibus, utpote in casu magis dubitabili favore Cameræ; Nihilominus Camerales prætendunt, atque acriter substinent contrarium; Consuetudinem tamen hucusque habent terminandi hujusmodi controversias cum aliqua honesta concordia, absque eo quod punctus decidatur ex eo, quod cum hoc indultum in verbis loqueretur de fructibus beneficiorum, non deberet trahi ad pensiones, de quibus non loquitur, ita procedendo cum inepto, ac frigidissimo argumento formalitatis verborum.

SE-

SENEN. FRUCTUUM. PRO CARDIN. PICCOLOMINEO ARCHIEP. SENEN.

CUM HÆREDIBUS ARCHIEP. PRÆDECESSORIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua *supra*, *disc.* 81. *& seq.* super controversiis circa fructus, & alia, quæ verti solent inter successorem in Ecclesia, vel beneficio, & hæredes prædecessoris.

S U M M A R I U M.

1 *De quæsitis.*
2 *An reservatarius fructuum gaudeat aliqua prærogativa circa fructus pendentes, vel non perceptos.*
3 *An ex fructibus recollectis debeat prædecessor suppeditare semen, & alia necessaria.*
4 *De animalibus immissis per beneficiatum in bona, & prædia Ecclesiæ, an huic acquirantur.*

D I S C. CXXXVIII.

1 PRovisus de Ecclesia Metropolitana Senen. Cardinalis Piccolomineus per dimissionem de illa factam cum reservatione fructuum per possessorem de eadem familia, sequuto istius obitu, me super tribus pro veritate consuluit. Primo nempe, stante quod non agebatur de possessore Ecclesiæ, sed de reservatario fructuum, an fructus pendentes, vel respective inexacti spectarent ad ipsum Ecclesiæ possessorem, vel potius ad Cameram, aut hæredes reservatarii. Secundo, an dicti hæredes tenerentur providere colonos de semine ex frugibus recollectis, aliaque necessaria suppeditare pro cultura bonorum ad effectum parandi novam recollectam; Et tertio, cum ex continuata serie Archiepiscoporum prædecessorum ab anno 1575. usque ad Archiepiscopum Petruccium immediatum prædecessorem dicti reservatarii constaret, quod in prædiis Ecclesiæ adessent quamplura animalia, quorum ipse nullum fecerat Inventarium, an omnia animalia, quæ de tempore mortis ejusdem in dictis prædiis reperta essent, vel quod alias immissa, & destinata, imminente morte per hæredes ab eis extracta fuerint, pertinerent ad Ecclesiam, quæ de illlis reintegranda esset.

2 Ad primum respondi, quod licet Spada *cons.* 151. *l.* 1. agendo in specie de hoc puncto, probare conetur, quod fructus non veniant sub Constitutione Julii III. atque ego super eodem puncto præciso ad idem comprobandum multa deducam, & ponderem supra, *d. disc.* 81. ex n. 57. *cum plurib. seq.* Attamen, ut ibi insinuatur *n.* 25. Et comprobat quotidiana praxis, præsertim in casu, de quo *disc. præced.* ob mortem Cardinalis Brancacii reservatarii fructuum Ecclesiæ Viterbiensis, & Abbatiæ S. Adriani, contrarium est receptum, & practicatur, ut in reservatario procedat idem, quod in possessore Ecclesiæ, vel beneficii, potissime dum in praxi magis receptum est, ut etiam in pensionibus Ecclesiasticis intret idem, quinimo rigorosius, *ut eod. disc. seq.* & per consequens nulla subesse videtur ratio, ob quam in reservatario fructuum non veniat dicendum idem, cum de una, vel de altera natura participare debeat, atque ratiocinando in casu pensionis, quoad ratas decursas, & non maturatas deberet pro exclusione Cameræ magis de plano responderi, vel pro liberatione Ecclesiæ titularis, vel pro transmissione ad hæredem, & tamen praxis docet contrarium.

Ad secundum habui me remissive ad deducta *sup. disc.* 84 *&* 85. in quorum primo insinuatur, quod in puncto juris ex fructibus recollectis anni antecedentis, non solum relinqui debet id, quod necessarium sit pro
3 semine, vel alia specie culturæ, sed etiam pro alimentis, & substentatione successoris usque ad novam recollectam, cum interim non possit vivere, & subministrare expensas necessarias pro cultu, & administrare expensas necessarias pro cultu, & administratione Ecclesiæ de ea re; Attamen ista posterior pars, ut etiam ibidem advertitur, non est in praxi, & circa primam subministrandi semen, aliaque necessaria ad culturam, neque praxis est uniformis, ideoque dici non potest materia capax regulæ generalis, sed juxta mores singularum regionum, & Diœcesum deferendum est consuetudini.

Ad tertium, pariter habui me relative ad *d. disc.* 84. adhibendo distinctionem priorum trium specierum animalium; Unam nempe illorum, quæ pro qualitate præ- 4
diorum, ac more regionis vere dici valeant instrumenta fundi; Alteram eorum, quæ clare constet quod casualiter immissa fuerint ab ipso possessore Ecclesiæ tamquam a tertio pro industria, & pro sumendis pascuis; Et tertiam mixtam, seu dubiam, quia nempe excedant quidem usum necessarium culturæ, adeout de stricto jure dici non valeant instrumenta fundi, sed non verificetur in eis qualitas mere accidentalis, adeout dici valeat casus mixtus, & ambiguus; In priori etenim specie, ac in altera sequenti, & sic in duobus extremis, dixi quod casus habere videretur de indubitabili ad favorem Ecclesiæ, & respective ad favorem hæredum; In tertia vero specie mixta dixi, quod punctus esset potius facti, quam juris, quatenus constito de antiquo solito in iis, quæ excedunt, restingeretur quæstio ad punctum præsumptæ donationis, quam aliqui Scriptores subintelligunt, alii vero negant; Quatenus vero dubietas versaretur circa antiquum solitum; & an esset major, vel respective minor quantitas animalium repertorum, vel alias in eis existentium ad effectum inspeciendi, an intret, necne obligatio subrogationis, a qua metienda est voluntas, tunc dixi, quod in dubio pro Ecclesia contra hæredes respondendum veniret, ad instar eorum, quæ habemus in hærede gravato, in Emphyteusi, & simili confundente confines, vel alias culpa sua impediente liquidationem, ac certificationem, ut intentio successoris fundata sit in toto, donec ex parte illius, qui impedimentum præstat liquidationi, & certificationi ista fiat, ex deductis *disc.* 56. *de Emphyt. & alibi*; & hunc dicebam esse casum ob neglectam confectionem inventarii.

ROMANA QUINDENNIORUM, PRO COLLEGIIS GRÆCORUM, ET MARONITARUM, ET ALIIS, CUM ANNATISTIS, ET MINISTRIS CANCELLARIÆ.

Casus disputatus in Congregatione deputata tum incerto exitu.

De iisdem quindenniis, de quibus *sup. disc.* 89. debitis pro beneficiis unitis manibus mortuis, quando debeantur, necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod observantia non solvendi quindennia suffragetur, & quare.*
3 *Quando observantia attendi debeat.*
4 *Quid disponat, & operetur moderna Constit. Clem. X*
5 *Quando onus quindenniorum non intret ratione causæ, necne.*
6 *De eodem circa causam onerosam.*
7 *De regula subrogatorum.*
8 *De alio casu, & an debeantur quindennia pro pluribus Ecclesiis unitis, ubi earum singulæ sint tales, quod non intret onus solvendi annatam.*

D I S C. CXXXIX.

EDita per Clement. X. super quindenniorum solutione Constitutione innovativa aliarum ennunciatarum 1
supra, *disc.* 89. registrata in *Bullario ejusdem Constitutionis* 50. cum Collegium Grecum possideret Abbatias, & beneficium, de quibus fit mentio *disc.* 32. *de Pens.* absque eo, quod unquam solverit quindennia, idemque sequutum sit in Collegio Maronitarum contra hæc, & alia similia Collegia in particulari Congregatione deputata ex parte eorum, ad quos pertinet quindenniorum exactio, & administratio, institutum fuit judicium pro eorum solutione, non obstante contraria retroacta observantia, ex eo, quod negligentia eorum, penes quos 2
hæc administratio fuit, non potuerit, nec debuerit præjudicare Collegio Cardinalium, aliisque interessatis, & participibus, ac etiam ob decretum irritaos contentum in dictis Apostolicis Constitutionibus, cum aliis, de quibus *d. disc.* 89.

In una itaque informatione data pro Collegiis, seu Conventis, post quam amplius actum de causa non audivi, ideoque maturum judicium desuper efformari non potuit, Dicebam improbabilem videri hanc novam prætensionem, quoniam ex iis, de quibus infra, negari non posse videba-

tur, quin saltem casus esset dubius, an ista species unionis comprehensa esset, necne sub dictis Constitutionibus, ac subjaceret hujusmodi oneri quindenniorum, istudque probabile dubium sufficere dicebam, ut defe-
3 rendum esset antiquæ observantiæ annorum fere centum juxta naturam, & operationem observantiæ interpretativæ, cujus respectu non intrant ea quæ habentur de decreto irritanti reprobante contrariam consuetudinem; vel impediente, ne illa oriatur, quoniam id recte procedit in consuetudine odiosa præscriptiva contra jus, non autem de interpretativa juris dubii, ut apud Otthob. *dec.* 136. *n.* 17. *& disc.* 161. *n.* 14. cum aliis, de quibus *disc.* 21. *de judic. & alibi*.

Neque obstaculum facere dicebam modernam Constitutionem Clem. X. cum magna verborum, & clausularum amplitudine conceptam adversus retroacti temporis negligentiam, & inobservantiam, quoniam bene inspecto
4 ejus tenore, illa non continet indictionem novi ordinis, & gravaminis in illis casibus, in quibus de jure, & ad præscriptum dictarum Constitutionum non intraret, sed solum confirmat, & innovat dictas antiquiores Constitutiones demandando earum observantiam, ac tollendo illam inobservantiam, quæ resultaret a culpa non solventium, vel a negligentia non exigentium, & sic ubi observantia sit illicita juxta naturam innovantis, vel confirmantis, quando non alterat innovatum, vel confirmatum, ex deductis *disc.* 35. *de judic. & alibi*.

Quod autem hujusmodi uniones non essent comprehensæ, ideoque huic oneri non subjacerent, vel saltim id esset
5 probabiliter dubium, probari dicebam ex pluribus; Primo nempe, quoniam attentis rationibus, quibus innixa est introductio annatarum, & de consequenti quindenniorum, quæ earum loco subrogata sunt, istud onus percutit illos, qui ex gratia, & munificentia Sedis Apostolicæ, tamquam foventes causam lucrativam potiuntur fructibus, & emolumentis beneficiorum, ac propterea commodiorem assequantur vitam personæ illius Collegii, vel Monasterii, aut alterius corporis, sive ipsa Religio in universum exinde reportat commodum ratione unionis, dum majorem numerum Religiosorum in eo Monasterio, vel Conventu retinere potest, cum similibus casibus, secus autem ubi agatur de unionibus, quæ fiant Hospitalibus, & aliis hujusmodi piis locis, in quibus de nullius privato commodo agatur, sed totum erogetur in actualem hospitalitatem, vel alia pia opera, ex deductis apud Vermigl. *cons.* 476. *& seq.* & advertitur *disc* 162. *de Regal.* occasione agendi de puncto, an quindennia debeantur pro officiis venalibus, alias de sui natura vacabilibus, quæ ex causa onerosa per manus mortuas in perpetuum obtineantur, & ex qua ratione exceptuata sunt Monasteria Monialium.

Istam itaque rationem exemptivam fortius intrare dicebam in hac specie, quoniam in hujusmodi Collegiis nullum est particulare commodum illorum, qui illa regunt, & administrant, vel aliorum, qui ex quadam prærogativa sint Collegiales, ita de necessariis provisi, adeout dicatur cum eis exerceri gratia, & liberalitas; sed erecta sunt pro bono publico religionis Catholicæ, ut in eis instruantur pueri, & adolescentes nationum, in quibus vigeant hæreses, vel schismata, & per consequens Papa, & Sedes Apostolica gerere dicuntur directe, ac immediate negotium proprium, atque ad ejus commodum potius, quam aliquorum privatorum cedunt unitorum beneficiorum fructus, & emolumenta.

Secundo, quoniam ut patet ex eodem *disc.* 22. *de pens.* respectu Collegii græci, cujus majus erat interesse, ista
6 unio non provenit ex gratia, & liberalitate, ad magis ditandum, sed potius ex causa mere onerosa, & correspectiva loco scilicet annui redditus præstandi ex emolumentis Datariæ, & Cancellariæ, ut ab hoc onere ipsa Sedes Apostolica liberaretur, ideoque intrare dicebam adamussim ea, quæ *d. disc.* 162. *de Regal.* in hoc proposito habentur, ac etiam, quia sicuti pro hujusmodi assignamentis ex dictis emolumentis Datariæ, & Cancellariæ quindennia non deberentur ita pariter ex hujusmodi unionibus ob vulgarem naturam subrogatorum.

Et tertio, quia in facto supponebatur quod quando Abbatiæ, & beneficia, de quibus agitur, conferebantur in titu-
7 lum, neque solverentur annatæ, ideoque intraret idem axioma subrogatorum, in idem ponderando a simili, ea quæ habentur in materia decimarum non solvendarum ex novalibus, vel ex iis bonis, quæ non essent solita decimari.

In hoc item proposito quindenniorum cum unica pariter informatione sub incerto exitu, scripsi coram Judice Annatarum pro capitulo Cathedralis Nolanæ ad denunciam, sive instigationem ejusdem impetratoris unius ex Ecclesiis Parochialibus illis unitis juxta seriem, de qua *in Nolana Parochialis, hoc eod. tit. disc.* 136. convento ad solutionem quindenniorum pro dictis Ecclesiis; dicebam igitur etiam cum aliquo sensu veritatis improbabilem videri prætensionem, quam credo non habuisse ulteriorem progressum ex eodem motivo cessantis rationis subrogatorum, dum disjunctæ, & singulariter consideratæ non erant tales redditus, quod pro eis solverentur annatæ, adeout si unio dissolveretur, nullum jus annatistæ haberent; Et quamvis in contrarium considerarentur quædam verba Constitutionis Sixti V. quæ probare videntur, ut quindennia solvi debeant etiamsi Ecclesiæ disjunctæ non subjaceant annatis, dummodo simul junctæ dent talem fructum, ut intrent annatæ, attamen dicebam id continere nimiam exorbitantiam, nullamque subesse rationem, cui id innitatur, ideoque merito non esse in usu, ac ulterius ubi standum esset in cortice, & rigore verborum, considerabam e converso in eadem Constitutione Sixti quædam verba denotantia exceptuationem Ecclesiarum Parochialium, in quibus actualiter cura animarum exerceatur; Eoque magis advertebam huic solutioni locum esse non debere, ex eo quod ista unio esset valde antiqua sub Greg. XI. de tempore, quo residebat in Civitate Avenion. priusquam introduceretur iste usus quindenniorum, ac prodirent Constitutiones prædictæ, necnon multo magis intraret dicta operatio centenariæ, dum aderat triplicata, & ultra.

PARMEN. CONSORTII, AD PETITIONEM EPISCOPI.

Responsum.

An & quando Episcopus arctare possit provisos de Beneficiis servitoriis ad addiscendum id, quod est necessarium cum abbreviatione temporis præscripti a Concilio Tridentino; Et pœnas imponere contra negligentes addiscere cantum, easque applicare Beneficiatis bene addiscentibus, & inservientibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando pœna dicatur excessiva, necne.*
3 *Quare pro primo tempore detur major pœna, quam pro ulteriori.*
4 *An, & quando liceat abbreviare annum statutum a Concilio Tridentino.*
5 *De applicatione pœnarum, & distributionum aliis bene psallentibus.*
6 *An obstet certa taxa distributionum hujusmodi juri accrescendi.*
7 *De distinctione majoris, vel minoris peritiæ pro qualitate munerum.*
8 *De monetis, & an idem importent scuti, ac aurei.*

DISC. CXL.

Cum Episcopus in exequutionem oraculorum S. Congregationis Concilii occasione relationis status Ecclesiæ dari solitæ in visitatione liminum, aliquas fecisset ordinationes cum Collegio consortialium Cathedralis cujus mentio habetur *disc.* 21. *de Præmin.* ex Collegii parte habitus fuit recursus ad eamdem S. Congregationem se conquerendo de quatuor; Primo nempe de excessiva pœna contra non addiscentes cantum Gregorianum; Secundo de coarctatione temporis ad dictam disciplinam, illud restringendo ad sex menses; Tertio de mala applicatione pœnarum, & distributionum aliis bene addiscentibus, & inservientibus; Et quarto, quod male ab omnibus æqualis peritia in cantu requireretur, dum inæqualia erant munia; Quare S. Congregatione pro stylo rescribente pro informatione, eoque me desuper consulente transmissis illis responsionibus, quæ sibi videbantur opportunæ, istas reformando censui ita responderi debere.

Ad primum super excessiva pœna scut. 25. comminata illis, qui negligendo decreto parere ex hujus Sac. Congreg. Oraculo edito, non curent infra sex menses cantum Gregorianum addiscere, ex eo quod pro reliquo successivo 2
tempore comminata sit longe minor pœna amissionis distribu-

stributionum, quæ in semestruali tempore vix decem scuta important. Respondi, nullam in jure desuper statutam esse certam pœnam, sed illam remissam esse Ordinarii arbitrio, ex facti qualitate regulando; Cumque major difficultas in subjecta materia esse videatur super hujusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ assumptione in ipso initio, quo sequuto facilior est progressus; Hinc proinde ut opportunum, imo necessarium esset, pœnam aliquantulo graviorem, ac de proprio ære solvendam comminari, ut ita major inferretur justus timor, ac impulsus, & ne alias ob exiguitatem pœnæ præceptum negligaretur, cum Ecclesiæ, ac divini cultus detrimento ex deductis per Menoch. *de Arbitr. tot. tract. præsertim casu* 280. & Tiraq. *toto tract. de pœnis temper.* Et de auctoritate præsidentis Chori, ut pœnas, & mulctas imponere possit, ne ejus precepta contemnantur, Rota *dec.* 610. *in princ.* apud Merlin. *repetit. dec.* 253. *p.* 6. *rec.*

Neque absonum videri deberet, quod pro ulteriori tempore successivo, minor pœna comminata esset amissionis
3 distributionum: Tum quia, præsupposito jam sequuto istius disciplinę initio per sex menses, ulterioris temporis progressus, potius exercitium, ac majorem perfectionem, quam profectum faciliorem respicit, ideoque negligentia non est adeo præjudicialis; Tum etiam quia hęc posterior comminatio ad certum tempus restricta non est, sed indefinita; Itaque licet super bursali interesse minor, attamen gravis censenda videatur, utpote quandam præseferens notam, ac pœnam personalem, quam Canones, & S. C. T. præparatoriam gravissimæ, ac ordinariæ pœnę privationis beneficii, occasione non residentiæ censuerunt, ut per S. C. T. *sess.* 24. *de Refor. c.* 12. ubi Barbos. *in adnot.* plura colligit *n.* 90. *& supra, disc.* 97. ubi de non residentibus.

Ad secundum quod coarctatio temporis adversaretur, S. Conc. Viennensi registrato *in Clementina se-*
4 *cunda de ætat. & qualit. & S. C. T. sess.* 22. *de Refor. c.* 4. Responsum fuit, quod Conc. Trid. loquitur de susceptione ordinum, ut etiam Viennense innovatum, ideoque controversus casus remanebat extra Conciliarem dispositionem, in terminis alterius *Clement. primæ, eod. tit.* ubi nullum præfigitur tempus, quod proinde remanet sub Episcopi, vel Prælati arbitrio, pro locorum, temporum, & personarum qualitate regulando.

Ac ulterius, præfatum Concilium Viennense, a Tridentino innovatum, nedum pœnam bursalem, sed etiam aliam adjicit privationis vocis in capitulo, firmis etiam remanentibus aliis pœnis a Sacris Canonibus inflictis, ac propterea Superioris arbitrium præclusum non remanet.

Et quamvis modernus Auctor Monet. *de distribus. p.* 2. *q.* 19 *n.* 55. *& seq.* dicat, quod provisi de Beneficiis, debent saltem infra annum se idoneos docere, attamen loquitur de proprio judicio, & ex quadam congruentia, ideoque ejus dictum aptum non est Episcopi rationabile arbitrium restringere, cum id Sacris Canonibus, vel Conciliaribus, & Apostolicis decretis tantum concessum sit; Ac etiam quia ipse dicit, ut provisi debeant se idoneos præstare, quod supponit jam perfectam disciplinam; Preceptum vero continens breviorem terminum sex mensium, percutit potius quoddam initium, seu præparationem, ut beneficiati docere debeant se didicisse, seu discere; Magna etenim contumacia Beneficiati videtur, qui monitus per sex menses parere negligat, ideoque casus a pręfatis Decretis Conciliaribus omnino extraneus videtur.

Ad tertium quæstionis caput, quod decretum esset, ut pœnæ, ac etiam distributiones amittendæ per negligentes ediscere cantum, applicari debeant aliis in choro servientibus, ac bene psallentibus, quasi quod adverteretur
5 decreto C. T. *de refor. sess.* 22. *c.* 3. & declarationibus Sac. Congregationis, & decisionibus relatis per Barbos. *in Collec. ad id in c.* 3. *sess.* 22. *n.* 5. Respondebatur ita statutum esse ex dispositione, vel ratione ejusdem Conc. Trid. *sess.* 24. *de Refor. c.* 12. per quod præcise demandatur distributionum accretio servientibus, prohibita etiam voluntaria condonatione, vel remissione; Præfatum autem alterum decretum *sess.* 22. *c.* 3. non loquitur de massa distributionum in genere inter Beneficiatos, vel Canonicos pro ratione servitii distribuen. ut sunt distributiones de quibus agebatur, sed de illa deductione tertiæ partis fructuum, quæ a prębendis Canonicatuum vel Dignitatum ibi demandatur, & sic in casu diverso, ut ita conciliando habetur apud eumdem Barb. *d. c.* 3. *sess.* 22. *n.* 5.

Et ulterius, etiam isto casu, Sac. Conc. mandat applicari Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio Ordinarii, absque prohibitione, ut aliis bene inservientibus applicari non possint, ideoque ubi Ordinario videatur pro Ecclesiæ

servitio, ac divini cultus augmento, hanc applicationem facere; ita enim majori præmio alliciendo ad hanc disciplinam Ecclesiasticam colendam, divinamque psalmodiam bene recitandam, non videtur id prohibitum esse, dum satis pium, ac laudabile opus sit. Ponderando quod magis expediret Episcopo, hujusmodi applicationem facere pro fabrica Ecclesiæ, pro se ipso exonerando ab onere quod circa eam forte incumbere posset, ac propterea, dum proprium interesse negligit, dicendum est; quod ita servitio Eccles. & divino cultui expediret.

Propositio autem, ut ubi certa distributionum taxa descripta est, non intret jus accrescendi, percutit casum, ut inservientes non possint de justitia ab Episcopo, quamvis invito, prætendere hujusmodi applica- 6
tionem, non tamen quod ea prohibita sit pro illo arbitrio, cui Sac. Conc. totum remittit, ita bene regulato, nedum ad alliciendum, ut supra, bene servientes, cum hoc majori præmio, sed etiam, ut ita major reddatur pœna, & afflictio segniorum, & inobedientium, videndo æmulos cum eorum emolumentis impinguari, quod utique majorem præbebit stimulum addiscendi, ac proficiendi, potissime quia istud Collegium Consortialium, distinctam habet massam a patrimonio Ecclesiæ, & Capituli.

Ad quartum quæstionis caput super distinctione fa- 7
cienda inter eos, qui ratione officii, magis, vel minus frequenter choro interesse debeant. Respondebatur quod præceptum addiscendi cantum erat generale super disciplina, quæ omnibus indefinite incumbit juxta ejusdem S. Congreg. oraculum, Major autem, vel minor assistentia in choro, vel necessitas aliqua officia peragendi, percutit arbitrii regolationem, super majori, vel minori sufficientia, & idoneitate, ut in illis, qui majora habeant munera divinorum, major continuatio in addiscendo cantum, majorque profectus desideretur, in aliis vero minor, pro judicio, & prudentia peritorum in ista Ecclesiastica disciplina, cum quorum interventu, examen statutis temporibus fieri debebit, ad effectum dignoscendi profectum majorem, vel respective minorem.

Demum quoad differentiam scutorum auri, vel monetæ, cum supplex libellus super quo prodiit Sac. Congregationis Oraculum, loqueretur *de scutis*, quod est vocabulum æquivocum, æque aptum convenire illis monetæ, ac illis auri; In edicto vero adhiberetur terminus *aureorum*, qui juxta diversam latinam aloquutionem, etiam scutis monetæ congruere solet, ac potest, ex deductis *in Foroliv. disc.* 68. *de Legat.* Hinc dicebatur quod immerito assereretur edictum adversari Oraculo præfato, atque ad hujusmodi dubitationem tollendam, quod id poterat declarari.

FULGINATEN. PAROCHIALIS,

INTER

DATARIAM, ET CARDIN. SABELLUM.

Votum in Congregatione particulari, cum resolutione, ut infra.

De reservatione ex capite Conclavistatus, an excludat indultum, vel excludat etiam regulam 32. de consensu Cardinalium, quinam sint Conclavistæ, in quibus idem procedat. Et an dicta regula 32. locum habeat in Parochialibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Alii sunt Conclavistæ, & alii Dapiferi.*
3 *De differentia inter indultum Cardinalium conferendi reservata, & regulam 32. de consensu.*
4 *An regula 32. locum habeat in Parochialibus.*
5 *De articulo principali super qualitate reservationis ratione Conclavistatus.*
6 *Quid in hoc operetur Constitutio 59. Urb. VIII.*
7 *De operatione dictionis, vel.*
8 *Argumentum superfluitatis debile.*

DISC. CXLI.

Vacat Parochiali Ecclesia S. Joannis pro Flamma, 1
Fulginaten. Diœcesis per obitum Francisci Germani qui fuerat familiaris Cardinalis Sabelli, ante vero beneficii adeptionem fuerat Dapifer alterius Cardinalis in eo Conclavi, in quo per mortem Urb. VIII. creatus fuit Pontifex Innoc. X. Cumque per Ordinarium denunciatus fuisset

O 2 in

in concursu habito ad formam Concilii Trid. magis idoneus N. orta est in expeditione provisionis faciendæ per Datariam dubitatio, an ad formam regulæ 32. requireretur necne consensus dicti Cardinalis Sabelli Patroni quare per Innoc. XI. deputata fuit particularis Congregatio quinque Prælatorum, inter quos fui Ego, pro decisione præfati dubii, quod resolutum fuit pro Cardinali super necessitate scilic. præfati consensus, atque resolutio de concordi voto prodiit potius ex motivo facti per Scribentes hinc inde non tacto, quod scilicet dictus Franciscus non fuerit Conclavista, de quo loquitur constitutio
2 59. Urb. VIII. quæ ut infra dubitandi causam præbebat, sed fuerit Dapifer, de quo constitutio non loquitur ob magnam differentiam, quæ viget inter Conclavistas, & Dapiferos clare comprobatam ex discretivo modo concessionis privilegiorum, & quia Dapiferi non ingrediuntur conclave, neque in eis desiderantur illa requisita, quę requiruntur in Conclavistis enunciata *disc. 3. in relat. Curiæ*, & per consequens, ubi etiam dicta constitutio induceret illam privilegiatam, & perpetuam reservationem, de qua infra cum restrictione indultorum, & regulæ, adhuc tamquam exorbitans, & inductiva novæ servitutis intelligi debet in suo proprio, & stricto sensu de veris Conclavistis, ac propterea articulus disputatus in infra allegandis decisionibus remansit indecisus.

Ac etiam ubi ageretur de Conclavista, ut satisfieret illis Prælatis, qui consuetum famulatum litteræ decisionum, & auctoritatum absque alio discursu, vel ratiocinio profitebantur; advertebam Ego, quod si decisiones & auctoritates in littera attendi deberent, adhuc decisiones de quibus infra, non percutiebant casum, quoniam illæ loquuntur de indulto Cardinalitio ad effectum collationis, in præsenti autem agebatur solum de consensu ex regula 32. ob magnam differentiam, quæ dignoscitur inter unum casum, & alterum; Indultum etenim continet majorem exorbitantiam ratione majoris præjudicii Papæ, ejusque
3 Datariæ, dum illud jus conferendi, quod secluso indulto ad Papam, ejusque Datariam pertineret, ita transfertur in indultarium; Potissime hodie post dictam constitutionem 59. Urbani, per quam receptum est hujusmodi indulta importare delegationem potius, quam remotionem obstaculi juxta frequenter superius enunciata, Regula vero operatur quid minus, dum collatio adhuc fit per Papam, & Datariam, potissime vero, & clarius, ubi agitur de beneficiis curatis, quæ juxta dictam formam Conciliarem providentur per concursum dum tali casu comsensus remanet potius cæremonialis, & honorificus juxta distinctionem, de qua infra.

Ponderando etiam in idem, quod restrictio indultorum emanata a pluries enunciatis constitutionibus Gregorii XIV. & Pauli V. non legitur in hac regula, quæ solum excipit certas reservationum species, ac propterea in reliquis firmat regulam, potissime dum illa renovatur per quemlibet Pontificem, ideoque posterior est omnibus constitutionibus hucusque proditis, & præsertim dicta constitutione 59. Urbani, ex qua dubitandi ratio resultat, ideoque notabilis dignoscitur differentia inter unum casum, & alterum.

Examinatus vero ex professo non fuit articulus, an
4 dicta regula 32. locum habeat in parochialibus; Quoniam Scribentes hinc inde concorditer procedebant cum *dec.* 2272. Coccin. quæ circumfertur in materia magistralis, & in qua firmatur adhuc regula intrare cum notabili tamen distinctione inter beneficia curata, & non curata, ut in non curatis consensus redoleat speciem provisionis, quæ fiat arbitrio Cardinalis Patroni, quoniam ipse potest eligere magis unam, quam aliam personam, imo pensione quoque ad favorem alterius personæ sibi gratæ provisum gravare, adeout consensus revera spectato effectu æquipolleat provisioni; in curatis vero consensus dicendus venit potius cæremonialis, & honorificus, utpote restrictus ad illam personam, quæ in concursu præelecta sit per Ordinarium juxta dictam formam Concilii, adeout non possit variare personam præelectam, ac propterea est consensus potius coactus, quatenus illum dare velit; Atque exinde provenit, quod ut plurimum ille non solet intercedere, quia Cardinales non curant; isteque est error Expeditorum, & Officialium Datariæ, qui procedentes cum sola praxi, de facto opinantur, quod consensus in parochialibus non requirantur ob diversam observantiam resultantem a dicto facultativo non usu.

Quinimo aliquis ex congregatis pro ratione dubitandi motivabat, quod præfata distinctio, neque subsistere videretur, sed indefinite regula in curatis etiam locum habere deberet cum libertate consensus absque restrictione, quasi quod per regulam derogetur Conc. Trid. quod in hoc ab aliis Conciliis generalibus distinguitur, ut non requiratur derogatio expressa, & specialis, sed veniebat sub non obstantiis, & derogatoriis generalibus, ut advertitur *in adnot. ad idem Conc. Trid. in principio*, & alibi pluries; Verum advertebam probabilius videri contrarium, quodque merito præfata distinctio recepta sit, quoniam tunc argumentum procederet, quando augeret incompatibilitas, vel fatuitas, quod scilicet regula ita remaneret inutilis, ac sine operatione; Secus autem, ubi cum hac distinctione remanet utrique legi consultum, cum omnis intellectus capiendus veniat pro evitanda correctione, vel derogatione, ut etiam comprobat praxis in aliis regulis inducentibus reservationem realem, vel personalem, seu localem, aut illam temporis ratione mensium ad favorem Papæ, & Datariæ, quoniam quamvis dictæ regulæ, & præsertim octava, seu nona mensium habeant amplissimas derogatorias, adhuc tamen in parochialibus Papa se agnoscit obligatum ad observantiam hujus legis Conciliaris, suamque facultatem restrictam habere ad personam præelectam in concursu per Ordinarium, quoties nolit specialiter, & expresse huic legi derogare; Igitur multo magis id dicendum est in collatore inferiori, & in hac regula habente minores derogatorias.

Quatenus vero pertinet ad punctum, pro quo revera Cardinalis Patronus curavit obtinere deputationem istius Congregationis, ut scilicet ita per istius resolutionem aperiretur aditus impugnandi infrascriptas decisiones Rotæ proditas super provisionibus factis ab eodem Cardi- 5
nali tamquam titulari ejus Ecclesiæ, seu Diaconiæ super qualitate reservationis resultantis a vero Conclavistatu, an sit perpetua, & operetur etiam in beneficiis, quæ per Conclavistas obtineantur post mortem Pontificis in illo Conclavi creati, vel potius ad instar reservationis resultantis a familiaritate, illa duret durante familiaritate, ea non dissoluta per mortem Papæ remaneat solum affectio in beneficiis obtentis ante familiaritatem, vel ea durante, non autem postea.

Dubitandi ratio resultat a Constitut. 59. Urb. VIII. illa namque seclusa, quamvis hodie receptum sit, quod Conclavistatus causat reservationem non cadentem sub indulto Cardinalitio juxta *dec.* 1251. Seraph. quæ circumfertur in materia magistralis prodita in controversia cum altero Cardinali Sabello, & apud Spad. *cons.* 36. *l.* 3. apud Cocc. *dec.* 1059. *& seq.* Barbos. *de Episcopo, alleg.* 57. *n.* 107. *& alios communiter;* Attamen ut patet ex dicta decisione Seraph. & aliis id provenit ratione familiaritatis Papæ, quæ absorbet, ac suffocat aliam familiaritatem Cardinalis juxta naturale exemplum Solis, cujus lumen absorbet illud Lunæ, ac Stellarum, ut pluries in præcedentibus advertitur; Non potest autem hæc familiaritas ficta, & privilegiativa, quæ resultat a privilegiis, quæ concedi solent conclavistis per Pontificem in eo conclavi creatum plus operari, quam operetur familiaritas vera, & effectiva, ideo cum ista operetur hanc majorem reservationem solum in beneficiis obtentis antea, vel ipsa familiaritate durante, non autem in illis, quæ obtineantur post mortem Papæ, & sic post dissolutam, ac cessatam familiaritatem, quæ societas ad instar dissolvitur per mortem unius ex sociis, ut supra *disc.* 5. & in aliis, exinde planum remanet, quod seclusa dicta bulla conclavistatus nil operatur in beneficiis obtentis post mortem Pontificis in eo conclavi creati.

Et quamvis per Scribentes pro Dataria diceretur, quod ista familiaritas, quæ resultat a conclavistatu, non sit cum persona Papæ in eo conclavi creati, sed potius cum Sede Apostolica, quę nunquam moritur, ideoque non datur dicta dissolutio per mortem; Attamen advertebam istam esse piam meditationem nulli juris, vel rationis fundamento innixam, quoniam antequam Pontifices introducerent hunc usum concedendi conclavistis privilegia, inter quæ est istud familiaritatis Papæ, nulla aderat reservatio, nisi illa, quæ resultabat a familiaritate Cardinalis, cum quo conclavista intrabat in conclave, & per consequens dici non potest, quod esset familiaritas Sedis Apostolicæ, pro cujus servitio fit electio Summorum Pontificum, quoniam si ita esset ab ipso initio introductionis conclavis, vel introductionis reservationum adesse debuisset ista reservatio; Et tamen *in d. dec.* 1251. Seraph. quæ est in materia originalis, ac magistralis, firmatur, quod hæc species reservationis provenit a præfata moderna privilegiativa familiaritate, & merito, quoniam in Officialibus recensitis *in Extrav. Ad regimen*, & similibus verificatur, quod sint Officiales, & Mi-

& Ministris Sedis Apostolicæ,cui congruit habere Ministros, & Officiales,sub quorum genere veniunt etiam Cardinales, ipseque Papa, sed non congruit habere famulos, cum sit corpus inanimatum,quod non indiget famulatu personali.

Assumendo itaque inspectionem super dicta constitu-
6 tione, Scribentes pro Dataria constituebant principale fundamentum in Rotæ decisionibus proditis contra eumdem Cardinalem Sabellum tamquam indultarium *in Romana Canonicatuum* 4. *Aprilis*, & 27. *Junii* 1672. coram Albergato, & cum quibus proceditur in *Neapolitana Beneficii* 18. *Maji* 1675. coram Rondinino, in quibus decisionibus firmatur, quod per d. constitutionem 59. Urb. inducta est quædam reservatio personalis, & perpetua in conclavistis, dum isti ponuntur tamquam discreti a familiaribus cum dictione *vel*, quæ ponitur inter divisa; Ponderando etiam, quod sicuti nobilitas, & civilitas, aliæque exemptiones, privilegia, & prærogativæ, quæ conclavistis conceduntur, sunt perpetuæ, atque durant, ipsorum conclavistarum persona durante, & non cessant per mortem Papæ, qui privilegia concessit, ita pariter perpetua, & personalis esse debet hæc reservatio. Ac etiam ponderando, quod si conclavistarum reservatio esset ratione familiaritatis, superflua remaneret eorum expressio, dum venirent sub nomine,
7 vel genere familiarium, & tamen non solum in ipsa constitutione, sed etiam in indultis amplioribus postmodum concessis presertim Cardinalibus Nepotibus ponuntur tamquam discreti cum dicta distinctione disjunctiva, *vel*, potissimum quoque fundamentum constituendo in observantia, vel stylo Datariæ providendi tamquam reservata beneficia conclavistarum etiam mortuo Papa.

His tamen non obstantibus per modum discursus potius, quam determinationis, ac formationis maturi judicii pro veritate utpote extra casum quæstionis, dicebam, ut aliqui ex Congregatis meo sensui adhærebant, aliis vero immorantibus in sola auctoritate decisionum, vel in eadem formalitate litteræ, in qua decisione singulariter contrarium videtur probabilius, quodque numquam intentionis fuerit Pontificis in ea declaratione non multum feliciter extensa, inducere de novo istam novam speciem reservationis, quæ sit fortior, magisque privilegiata, quam sit illa veræ familiaritatis ipsiusmet Pontificis, quoniam dicta declaratio alium omnino diversum habuit finem, ad quem principaliter ad invicem prodiit, destruendi scilicet decisiones tunc editas super puncto, de quo *supra*, *disc.* 1. & *de seqq.* an indultum Cardinalium suffragaretur capitulo habenti simultaneam, vel aliis inferioribus aliquam participationem habentibus cum Cardinalibus Indultariis in collatione beneficiorum; Ac propterea conclavistæ incidenter, vel positive enunciantur, non autem, ut de novo induci voluerit nova, & exorbitans reservatio, ut evidenter ipsius constitutionis, vel declarationis contextus ostendit, ac etiam evidentius comprobat ratio, quoniam cum conclavistatus de per se non sit dignitas, vel officium productivum reservationis, sed eatenus illum operetur effectum, quatenus annexam habeat fictam, & privilegiativam familiaritatem Papæ, ut supra, hinc sequitur nullam rationem suadere, quod fictio superet veritatem, quodque magis qualificati essent conclavistæ Cardinalium, quam veri aulici, & familiares ipsiusmet Papæ longe magis privilegiati, & qui in Curia, ac in Palatio longe majorem faciunt figuram, ut cuique patet ad sensum; Ac etiam quia si Papa id in animo habuisset, probabiliter ex professo per viam novæ formalis Constitut. id egisset, non autem ita obiter, & per viam declarationis, vel decisionis articuli dubii, & disputabilis, ac propterea probabilius videri dicebam, quod expressio Conclavistarum post familiares Papæ facta esset gratia majoris declarationis; casus magis dubitabilis ad tollendum nempe non improbabile dubium, an sub nomine, vel genere familiarium Papæ venirent solum veri, & actuales, non autem isti ficti, & imaginarii, nil obstante dictione, *vel*, regulariter disjunctiva, & poni solita inter diversa, quoniam perpetuo ineptiam redolet in judicando immorari in hac superficie litteræ, & in sensibus, & significationibus grammaticalibus verborum; cum potius attendi debeat substantia veritatis, atque verisimilis voluntatis, ut nium frequenter in omnibus pene materiis advertitur, & præsertim *disc.* 35. *de Judic.* & *opus. styli*; Potissime vero quoniam dictio, *vel*, non semper habet dictam significationem disjunctivam, sed recipit interpretationem a subjecta materia, cujus ratione, quandoque resolvitur in conjunctivam, & quandoque in explicativam, seu declarativam, ut pluries advertitur sub diversis materiis, & præsertim *disc.* 44. *de fideicommissis*, & *alibi*; Atque ita responsum remanet alteri fundamento deducto ab indultis posterioribus, ac etiam motivo superfluitatis, cujus argumentum nimium debile in jure reputatur, cum sufficiat talis qualis effectus etiam ille alicujus majoris declarationis, ut apud Otthob. *dec.* 144. & in aliis casibus editis in casu, de quo, *disc.* 23. *de fideic.* & *alibi*; Et quoad observantiam illa in facto negabatur univoca cum scientia, & patientia interessatorum; Ac propterea non videbatur attendenda, juxta deducta *disc.* 21. *de jud.* & *alibi*.

Motivabatur per aliquos, quod in eadem Constitutione, seu declaratione disponitur, ut perpetuo etiam per successores Pontifices hujusmodi beneficia private 8
ad indultarios conferri deberent, sed istud videbatur nimium leve motivum, quoniam id intelligendum venit discretive, singula singulis congrue referendo, & in suis respective casibus præsuppositis terminis habilibus, alias etenim etiam in familiaribus idem dicendum veniret, cujus contrarium est verius ut supra.

ROMANA BENEFICIATUS SANCTI PETRI.

Votum.

In casu disputato in Congregatione particulari deputata.

De familiaritate Papæ, an, & quæ cessare faciat indultum Cardinalis: Ac etiam quando dicatur adesse vacatio apud sedem, quæ idem indultum cessare faciat. Et an regula 32. de consensu intret in casu vacationis apud sedem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De inspectionibus causæ.*
3 *An scriptor litterarum S. Officii sit Officialis, & familiaris Papæ.*
4 *Distinguuntur species familiaritatis Papæ.*
5 *Quænam familiaritas excepta sit ab indulto.*
6 *De vacatione apud sedem non cadente in beneficiis Urbis, & de ratione.*
7 *De limitatione quando vacatio sequatur per obitum Curialis.*
8 *De ratione dubitandi.*
9 *Solutio dubitationis, & quæ sint officia, vel munia productiva curialitatis.*
10 *Quinam Judices, Causidici, Notarii, & alii forenses in Urbe non sint Curiales.*
11 *De regula 32. de consensu, an intret in casu vacationis apud sedem.*
12 *Familiaritas Papæ absorbet, atque cessare facit familiaritatem Cardinalis.*
13 *De eodem, de quo n. 11.*
14 *Observantiæ in ambiguo est deferendum.*

DISC. CLII.

Vacato de mense Aprilis 1676. beneficiatu Basilicæ 1
Vaticanæ per obitum Jo: Baptistæ Hussoni, qui per multos annos fuerat Secretarius Cardinalis Barberini, cum ad istum tamquam seniorem Cardinalem S. Congregationis S. Officii spectaret scribere litteras in negotiis pertinentibus ad dictam Congregationem, seu Tribunal S. Officii,ac propterea in dictis litteris conscribendis ab anno 1671. usus esset opera dicti Jo: Baptistæ, qui propterea in manibus P. Commissarii dedit solitum juramentum supra secreto retinendo,ec etiam exinde usque ad obitum potitus est stipendio menstruo scutorum tresdecim, & tertia parte alterius scuti monetæ, hinc orta est quæstio inter Datariam, & præfatum Cardinalem tamquam reservatarium juris conferendi beneficia reservata dictæ Basilicæ, an ad ipsum Cardinalem spectaret collatio, quam jam fecit alteri familiari, vel potius ad Datariam, atque desuper deputata Congregatione particulari quinque Prælatorum, quorum unus Ego sum, in congressu desuper habito sub die 14. Octob. 1677. dilata fuit resolutio cum restrictiva, ut stricte videretur, an intret reservatio ratione vacationis apud sedem.

In hac autem disputatione duæ fuerunt inspectiones, 2
una super jure conferendi ratione indulti, & altera quatenus indultum non suffragaretur, an saltem intraret regula 32. de consensu.

Quatenus pertinet ad primam, cum Cardinalis indultarius habeat pro se regulam generalem cum amplissimis, ac insolitis facultatibus conferendi omnia beneficia vacantia per obitum quorumvis officialium, & familiarium, ut patet ex iis, quæ in plerisque Rotæ decisionibus habentur de hoc individuo indulto, & præsertim *dec.* 14. *&* 174. *p.* 12. *rec.* & in aliis infra recensitis; Hinc punctus est in exceptuationibus in eodem indulto contentis, quarum duæ ad rem faciunt, una ratione familiaritatis Pontificiæ, & altera ratione vacationis apud sedem.

Super prima specie reservationis ex capite familiaritatis Pontificiæ, magna fuit inter Scribentes hincinde
3 altercatio; Siquidem Scribentes pro indultario dicebant, quod istud minus scribendi litteras præfati Tribunalis dicendum venit accidentaliter annexum muneri secretarii domestici dicti Cardinalis, qui ob sibi superventam hanc incumbentiam usus est opera ejus Secretarii tamquam fiduciarii, ac privati amanuensis, absque eo quod ipse in litteris se subscriberet, atque aliquam faceret figuram officialis, vel ministri Tribunalis, a quo dictam menstruam mercedem recepit tamquam præmium laboris in scribendo eo modo, quo in quolibet copista contingit, ut propterea ad aliquod officium inferri non posset, & nihilominus, & quando illud adesset, cum sit dicti Tribunalis, a quo salarium solvitur, non autem Papæ, qui illum in rotulo ejus familiarium descriptum non habet, idcirco ad Pontificiam familiaritatem nullatenus inferri potest, nil obstante juramento secreti, quoniam illud etiam ab Auditoribus, & amanuensibus Cardinalium hujus Congregationis præstatur, sed non per hoc isti dici possunt, vel debent officiales Tribunalis.

E converso autem Scribentes pro Dataria mordicus insistebant in eo, quod hic tamquam Secretarius, vel Scriptor litterarum Tribunalis, atque ab eo stipendiatus dicendus esset verus ejus officialis, ac minister, vel famulus, quod est idem, ac familiaris, & per consequens, quod esset familiaris Papæ, cujus est Tribunal, quod ejus nomine a Cardinalibus, aliisque ministris regitur in rebus directe, ac proprie supra omnes alias ad ipsum Papam pertinentibus, ex deductis in relatione Romanæ Curiæ, *disc.* 14.

Id autem ad evidentiam probari dicebant ex pluribus, quæ simul juncta rem in claris ponerent; Primo nempe, quoniam in juramento, ut supra præstito in manibus Patris Commissarii non dicitur, quod id ageret tamquam Secretarius domesticus dicti Cardinalis, & pro solo secreto, sed de fideliter inserviendo in officio Secretarii, sive Scriptoris litterarum Sacræ Congregationis, ac etiam jurat de secreto servando, unde propterea dicitur ita esse in claris, utpote in verbis expressis ex vulgari regula Textus *in l. ille aut ille, ff. de leg.* 3. Stant etenim simul, quod illud sit officium, seu ministerium ipsius Congregationis, & tamen quod provideatur per Cardinalem seniorem, qui illud conferat gratia majoris confidentiæ, ac majoris commoditatis ejus Secretario domestico, quem ita semper habeat promptum, & opportunum, magisque confidentem, eodem modo, quo aliquando contingit in Cardinali Pœnitentiario, qui deputat in Procuratorem, vel in Scriptorem Brevium Pœnitentiariæ ejus Auditorem, vel Secretarium domesticum, qui utrumque munus exerceat, quoniam non per hoc ille dicendus non est officialis Pœntientiariæ.

Secundo, consequutive, & in claram comprobationem antecedentis, quod in mandato directo banco pro solutione menstruorum stipendiorum officialium Tribunalis subscripto ab eodem Cardinali Barberino seriatim describuntur septem Officiales, nempe Assessor, Commissarius, Fiscalis, Summista, Secretarius, Notarius, & Archivista.

Tertio, quoniam in mandato expediendi gratis per Alexandrum Septimum concesso Joanni Baptistæ Ferrario prædecessori in hoc munere ille ennunciatur Familiaris Cardinalis, & Secretarii inquisitionis, istoque respectu mandatum sibi conceditur. Quamvis enim istud argumentum solum, & de per se non sufficiat, quoniam de facili hujusmodi gratiæ fieri solent ob modicum præjudicium, *ut dec.* 651. *par.* 4. *divers.* atque a me advertitur, *disc.* 105. *de Benef. in supplem.* attamen est adminiculum considerabile, cum aliis junctum,

Et quarto, quoniam ita verificantur requisita familiaritatis veræ, seu veri famulatus, & ministerii, quod scilicet quis perpetuo, seu pro majori parte vitæ sit addictus servitio, atque habeat stipendium annuum, vel menstruum, cum quo vivat, quæ requisita ita verificari dicuntur.

Quamvis autem ex his demonstrationibus certa videatur qualitas familiaritatis, seu famulatus Tribunalis: Attamen ad effectum præsentis inspectionis iste labor videtur inanis (quamvis tamen proficuus, & opportunus esse videatur pro altera inspectione vacationis apud sedem ut in- 4
fra) quoniam duplex familiaritas Papæ consideranda, seu distinguenda est, una nempe privata, & domestica ejusdem Papæ, tamquam patrisfamilias in illis, quæ concernunt servitium ejus personæ, & altera est illa familiaritas publica, & officiativa Papæ tamquam Papæ, Sedis Apostolicæ, ejusque Congregationum, & Tribunalium, quæ consideratur in omnibus officialibus, & ministris Sedis Apostolicæ ab ea stipendiatis, vel saltem recognitis cum aliqua portione panis, & vini; Quidquid autem sit hac posteriori specie ad effectum reservationis resultantis a regula *quarta*, & sequentibus, quæ dicitur reservatio ratione familiaritatis, & quæ juxta Constit. Pauli III. sufficit etiam ficta, seu privilegiativa ex deductis *supra, disc.* 3. *& in aliis pluries, hoc eodem tit.* Attamen ad ef- 5
fectum exceptuationis, de qua supra in indulto contentæ, nullatenus ista species familiaritatis attendenda videtur, sed solum domestica de prima specie, ne alias detur in Papa, qui indultum concessit, manifesta contradictio, sive quod indultum elusorium concedere voluerit; dum conceditur facultas conferendi beneficia vacantia per obitum familiarium prædecessorum, & successorum Pontificum, ac etiam Sedis Apostolicæ Notariorum; Subdiaconorum; Acolythorum; Cappellanorum; Abbreviatorum; Scriptorum; Nunciorum; Gubernatorum; Collectorum, & Subcollectorum, & quorumcumque aliorum Sedis Apostolicæ officialium, qui sine dubio ex dicta Constit. Paulii III. aliisque subsequentibus juxta deducta *dicto disc.* 3. *& seqq.* sunt familiares juxta secundam speciem; Igitur pernecesse exceptuatio intelligenda est de familiaritate privata, & domestica Papæ, tamquam patrisfamilias in concernentibus ejus personæ servitium; ut bene in puncto hujus indulti *dec.* 14. *n.* 10. *& seqq. & dec.* 174. *par.* 12. *rec.* atque in hoc fuimus omnes concordes.

Quo vero ad alteram speciem vacationis apud Sedem per obitum possessoris beneficii in Curia, & ad quam, ut supra stricte, ac taxative restricta est difficultas, dicebam, atque alii tres ex quinque Prælatis Congregationis meo adhærebant voto; Quod licet sola mors in 6
Curia non causet istam speciem reservationis in illis beneficiis, quæ sint in ipsamet Urbe, sive in illa Civitate, in qua Curia resideat, adeout non sit privilegium particulare beneficiorum Urbis; sed in eis id accidentaliter sequitur ex quodam tamen accidenti, quod est quodammodo fixum, & invariabile ob residentiam Papæ, ejusque Curiæ in ista Civitate; Idque ex congrua ratione, quod residentia Curiæ non debet esse præjudicialis, juxta dispositionem Textus *in cap. præsenti* 34. *§. sane, de præb. in* 6. ubi Gloss. dictam rationem assignat; Attamen id non procedit, quando in possessore beneficii concurrat qualitas Curialitatis, ut literaliter probat ipsemet Textus, *ibi non aliter includantur statuto quam si Curialis esset antea, & ibidem occasione Curiæ moraretur*, atque cum hoc sensu procedunt DD. tam antiqui, quam medii, & moderni, ac perpe- 7
tuo processit Rota, adeout in his similibus quæstionibus nulla super hoc puncto habita fuerit disputatio utpote in casu jam expresse deciso per legem, sed ea solum semper fuit super facto: nempe super ista qualitate Curialitatis, an adesset, necne, ut patet ex auctoritatibus, & decisionibus, quæ referuntur *in dicta dec.* 14. *&* 174. *p.* 12. *rec.* in quibus individualiter agitur de hoc eodem indulto occasione alterius beneficiatus ejusdem Basilicæ, ac etiam occasione alterius beneficiatus similis in alia Romana beneficiatus Sancti Petri 16. Julii 1674. coram Vicecomite.

Unus tamen in diversa fuit sententia, idque ob quoddam ingeniosum quidem, sed non subsistens argumen- 8
tum, quod occasionem dedit dilationi, ex eo quod illa apud aliquos, non tamen apud me aliquam fecerit impressionem; Dicebat enim ipse, quod ista reservatio, vel est localis, vel est personalis ratione officii possessoris, neutra vero in præsenti intrabat, quoniam localis ratione obitus in Curia non capit ista beneficia ipsiusmet Curiæ, seu Urbis, ut supra; Personalis vero ratione officii cadit sub indulto, dum reservatio ob officium, sive sit ratione fictæ familiaritatis Papæ, sive ex dispositione *extravagantis Ad regimen*, aut ratione prothonotariatus expresse tollitur per indultum, ideoque dici non potest vacatio apud Sedem, & per consequens, quod locus esse deberet indulto.

Nullius tamen momenti dicebam esse hoc argumentum, 9
quo

quoniam posita Curialitate possessoris casus est espresse decisus per dictam decretalem, ideoque ubi habemus legem expressam, & claram, quæ nulla indiget glossa, palamque admittit disputationem, non intrant quæstiones, & argumenta, quoties de legislatoris potestate dubitari non potest, ex deductis *disc. 35 de Judic.* & est principium absolutum. Fallaciam liquidem argumenti consistere dicebam in eo, quod istæ duæ qualitates, vel circumstantiæ localitatis, nempe beneficii, & officii, seu ministerii possessoris caperentur singulariter, & disjunctive, quoniam potius capi debent conjunctive, utpote constituentes casum mixtum, qui longe diversus est a simplici, & sic quod officium in proposito attendendum esset, non tamquam officium productivum reservationis personalis ratione familiaritatis, vel prothonotariatus ex Bulla Pauli III. juxta deducta *d. disc. 3.* & alibi pluries.

Sed tamquam productiva veræ Curialitatis, quam non omnia officia producunt, sed solum illa, quæ tale ministerium annexum habeant, ut pernecesse officialis Curiam sequi teneatur, atque in ea morari, ut bene ita distinguendo aliis copiose relatis babetur *dicta dec. 14. & 174. p. 12. rec.* quæ in hoc proposito dici merentur magistrales, ideoque non officii titulus de jure attenditur, sed ministerium de facto, quoniam gerere munus advocati, vel Procuratoris, vel Solicitatoris, sive negotiorum gestoris, vulgo Agente, aut expeditoris Datariæ, sive Auditoris Clerici Cameræ, vel alterius Pralati, vel Adjutoris studiorum, Auditoris Rotæ, cum similibus, non importat officium in titulum empititium, vel gratuitum, sed importat nudum ministerium productivum tamen Curialitatis, quoniam pro eo oportet sequi Curiam quocumque illa vadat, ac morari in loco, in quo illa pro tempore sit; Et hic est casus indubitatus in munere, de quo agitur, quoniam omnes Congregationes Cardinalitiæ, præsertim vero ista Sacræ Inquisitionis, qualibet hebdomada tenetur coram Papa, qui singulariter videtur esse ejus præfectus, ut *in d. disc. 14. in relat. Curiæ*, & sic pernecesse tenetur in Curia, in qua de consequenti residere debet antiquior Cardinalis, qui litteras subscriptor, qui eas conscribit, unde Curialitas videtur indubitata,

Tunc etenim, ut advertitur *d. disc. 46. in relat. Curiæ*, ac etiam in alia relatione contenta in opere italici idiomatis, cui titulus est *Il Dottor Volgare*, dici potest, quod bujusmodi officia, vel ministeria, Judicis, Notarii, Advocati, Procuratoris, Solicitatoris, Mandatarii, & similia non producant Curialitatem, quando illi stricte versentur circa Tribunalia particularia ipsius Urbis considerata tamquam una ex Civitatibus istius Principatus, præscindendo a Curia Papæ perinde, ac si illa alibi esset, ut ex. gr. sunt Tribunal Vicarii, & Gubernatores Urbis, & Capitolii, & similia, adeout tales Officiales, vel Causidici nullo pacto se ingerant in Tribunalibus Papalibus, seu Curiç juxta distinctionem, de qua occasione quæstionis inter Cursores, & Mandatarios habetur *in adnot. ad disc. 9. de Judiciis & alibi*, quamvis ob mixturam, & quandam confusionem hujusmodi Tribunalium de facto idealis, sive difficile, ac raro verificabilis videatur ista taxativa, & præcise restrictio ad sola Tribunalia Urbis considerata in ratione particularis Civitatis; Sed quidquid sit de ista specie Curialium, certum est quod in casu de quo agitur, Curialitas vera est incontrovertibilis, quoniam hoc Tribunal est præcise papale, imo principaliter, ac primarium super omnes alias Congregationes, omniaque alia Tribunalia, & officia Romanæ Curiæ, utpote in concernentibus Catholicam fidem, ac Religionem.

Quovero ad aliam inspectionem regulæ 31. seu 32. de consensu Cardinalis patroni in beneficiis vacantibus per obitum familiaris Cardinalis, dicebam, quod ex præmissis resultabat etiam resolutio negativa contra Cardinalem; Tum quia ipsa regula circa finem versic. *Declarans*, expresse declarat, seu disponit, ut ipsa non intret in illis beneficiis, quæ ratione officiorum essent reservata, unde propterea habetur, quod ista regula videtur pedissequa indulti, quo non intrante in illis beneficiis, quæ essent ad Cardinalis collationem, quatenus privilegiata reservatio non intraret, neque regula intrare debeat, ut advertitur *dec. 654. n. 25. & seqq. p. 4. rec. tom. 3. & dec. 53. n. 7. & seqq. p. 6.* Tum etiam quia stante familiaritate papali resultante a præfato munere Secretarii Sac. Congregationis S. Officii, exinde sequitur, quod per hanc familiaritatem Papæ extincta, & suffocata remansert familiaritas Cardinalis, juxta deducta *d. disc. 3. de benef & in aliis eod. tit.* pluries, ideoque non verificatur requisitum regulæ; Atque ad hunc effectum proficuus, & operativus remanet præfatus labor, qui alias ut supra advertitur, inanis remaneret. an scilicet defunctus considerandus veniat tamquam simplex Secretarius domesticus Cardinalis, vel potius tamquam Secretarius, & officialis Congregationis.

Et quamvis cessante isto motivo cessatæ, vel suffocatæ familiaritatis Cardinalitiæ, quatenus pertinet ad alium punctum vacationis apud Sedem ratione Curialitatis junctæ cum obitu in Curia, intrare videatur consideratio, quod si ita esset, nunquam locus esset huic regulæ, dum ipsa familiaritas Cardinalis secum ferre videtur Curialitatem, quia Cardinalium præcipuum, ac proprium munus est residere in Curia, ut Papæ assistant, & tamen regula 32. seu 33. circa finem vers. *Et si apud sedem Apostolicam*, præsupponit quod etiam in casu vacationis apud sedem requiratur consensus Cardinalis, decidendo solum quæstionem concursus inter collatorem, & patronum; Nihilominus videtur, quod in casu istius vacationis in Curia illa solum qualitas curialitatis ad hunc effectum non obstet, quæ resultat ab ipsa familiaritate, ne detur repugnantia, sive ne regula reddatur fatua, & elusoria, atque ita videtur, quod repugnantia cesset, recteque intret conciliatio, non autem ut in casu veræ vacationis apud sedem ratione diversæ speciei Curialitatis intret regula.

Nimiumque ad præmissorum comprobationem conferre dicebam observantiam, quoniam in alia consimili vacatione, collatio facta fuit per Datariam, ex cujus parte quamplura similia exempla deducebantur ex vulgari, & quotidiana propositione, de qua *disc. 21. de Judic.* & alibi frequenter, quod in ambiguis, quæstionibus observantia est magna interpres, magnaque arbitra.

EADEM FERRARIEN. PRIORATUS,

De qua supra, disc. 103.

ET DE EADEM MATERIA.

Votum.

SUMMARIUM.

1 *Occasio scribendi.*
2 *De nova audientia danda adversus resolutiones.*
3 *De æquivocis in facto.*
4 *Ordinarius licet indultarius non dat in Commendam beneficia sæcularia.*
5 *Quid in hoc operatur clausula* omni modo meliori.
6 *Quando ista clausula veniat subintelligenda.*
7 *De dilemmate quod cadit in casu.*
8 *Quod etiam in casu Commendæ vacatio reguletur ex nunc.*
9 *Quare in dubio contra Datariam.*
10 *De eodem de quo n. 8. & quod conclusio respicit favorem Datariæ.*
11 *De circumstantiis facti comprobantibus jus provisi Apostolici.*
12 *De præsumptione resultante ab observantia.*
13 *De indulto non operante in beneficia ab antiqua tempore vacata ante indultum.*
14 *Quomodo indultum intelligi debeat.*
15 *De eadem quæstione, de qua supra, disc. 104. vacationis per promotionem ad Episcopatum, si data est retentio.*
16 *De moderna cautela, & praxi super ista vacatione.*
17 *De indulto non capiente duplicem reservationem.*
18 *An Episcopatus causet reservationem, vel affectionem, & quare.*
19 *De reservatione ratione Nunciaturæ Apostolicæ.*
20 *De differentia in Cardinalibus absentibus inter concessionem bireti, & concessionem galeri, & annuli.*

DISC. CXLIII.

PEr manus impressoris jam transierat discursus in ista 1
causa editus pro veritate de tempore vacationis sedis papalis, de quo *supra, disc. 103.* quando illa ad disputationis trutinam redacta fuit; Cum enim ad plures menses post creationem Innoc. XI. iste prioratum de quo agitur, contulisset Cardinali Roccio, e converso autem Cardinalis Certus indultarius illum prius contulisset Urbano etiam Cerro ex fratre Nepoti Prælato utriusque Signa-

turæ Referendario, pro controversiæ decisione, ad evitandos litium anfractus, ac sumptus in forma contentiosa in ordinariis tribunalibus, concorditer deputata fuit Congregatio particularis quinque Prælatorum; cum facultate procedendi summarie, absque tela judiciaria, & appellatione remota; Cumque sub die 10. Octobris prodierit resolutio favorabilis Cardinali proviso Apostolico; Hinc occasio dedit gustare denuo de ista causa ex eo quod provisus ab indultario coram me tamquam Auditore Papæ instetit pro nova audientia, quam visum fuit concedere ex aliquibus rationabilibus motivis, desiit tamen occasio ulterioris disputationis, quia concordia a me tractata dedit finem controversiæ.

In hac itaque revisione, licet incidenti, ac superficiali, non ad effectum efformandi judicium decisivum, sed ad præfatum effectum inspiciendi, an concedenda 2 esset, nec ne nova audientia, ad quem effectum sufficit talis dubietas, adeout dici non valeat peti adversus justitiam claram, ubi præsertim agitur de unica resolutione in causa, in qua procedatur appellatione remota, adeout non superstit reparatio gravaminis in gradu appellationis juxta stylum Rotæ, aliorumque Tribunalium ex relatis *disc. 23. in relatione Curiæ*, & alibi; Quoad ea, quæ facti sunt, comperii tunc processum fuisse cum duobus falsis præsuppositis; Primo nempe, quoad valorem, qui præsuppositus fuit scutorum septingentum, cum tamen de præsenti juxta locationes essent 3 solum quatuorcentum circiter, quamvis præsupponatur, quod cum aptitudine, atque cum aliqua majori diligentia sit, vel possit effici major; Bene verum, quod hic error ad rem nullius est consequentiæ; Tum quia deficit præsuppositum, quod esset Monasterium regulare, ut infra, & quo præsupposito retento intrat inspectio valoris ad effectum, ut sortiatur naturam Concistorialis; Tum etiam quia etiamsi de Monasterio ageretur, adhuc ista summa scutorum 400. eumdem produceret effectum, & per consequens nil refert, quod major summa sit vera, necne.

Alterum fuit præsuppositum, quod illud esset Monasterium regulare ordinis Sancti Benedicti commendari solitum, ex eo quod sequuta ejus vacatione, de anno 1631. per obitum Marsilii Pierutii Archiepiscopi Theatini, Urb. VIII. cum hoc præsupposito illud dedit in commendam Cardinali Barberino, per cujus cessionem illud dedit etiam in commendam Cardinali Ursino, cujus obitus dedit causam huic controversiæ, atque cum eodem præsupposito Cardinalis indultarius per consimilem commendam tunc providit; Postmodum vero post Apostolicam provisionem, istaque disputatione pendente, comperta est hujus præsuppositi erroneitas, quoniam prius ista erat Ecclesia parochialis sæcularis, quæ ad instantiam Camilli Pierutii ejus possessoris per Gregor. XIII. de anno 1581. erecta fuit in dignitatem prioratus, cum erectione vicariæ pro exercitio curæ animarum, atque ex resignatione præfati Camilli de anno 1592. illum obtinuit dictus Marsilius nepos, qui postmodum de anno 1618. evasit Archiepiscopus Theatinus. Et per consequens iste error nimium est considerabilis, dum ita corruunt omnia quæ dicta sunt circa reservationem a qualitate Monasterii regularis.

His itaque prænotatis, eoque retento præsupposito, quod ageretur de simplici beneficio sæculari præfata priorali dignitate, seu nuncupatione decorato; Ex parte provisi Apostolici actoris ad excludendum indultum quatuor deducebantur fundamenta; Primo nempe, quod provisio in commendam facta per indultarium in commendam esset invalida ex defectu potestatis, quoniam Ordinario loci non conceditur hæc facultas concedendi bene- 4 ficia sæcularia in commendam, dum ipse tenetur intra terminum sex mensium a sacris canonibus præfinitum conferre beneficia, eaque de rectore providere, atque alias sit locus devolutioni, concedere autem in commendam non est providere, ut habetur infra in tertio actoris fundamento, seu controversiæ puncto. Quamvis enim in indulto Cardinalitio conferendi beneficia reservata, vel affecta, tam sæcularia quam regularia dicatur, ut etiam commendata cessantibus commendis sub eo comprehendantur; Attamen semper indultum loquitur de jure conferendi, vel providendi, non autem de facultate commendandi præsertim beneficia sæcularia, quibus iste terminus omnino incongruus est, ubi provisio sequatur in personam Clerici sæcularis, cum usus commendarum habeatur in monasteriis, aliisque beneficiis regularibus, quando clericis sæcularibus dentur, non autem in quibus nullum adsit obstaculum, ne eadem Clerico sæculari conferantur, atque huic fundamento præsupponitur quod innixa fuerint duo ex quatuor votis ad favorem provisi Apostolici.

Pro hujus objecti solutione scribentes pro proviso per indultarium constituebant fundamentum in clausula omni modo meliori late extensa, & contenta in dicta provisione, quasi quod ita collator ejus animum declaraverit faciendi provisionem ex eo meliori jure, ac titulo quo poterat, & per consequens quod si potuisset non obstantibus reservationibus, & affectionibus, de quibus infra, conferret in titulum, ita censeatur actum esse pro substinendo actu, ut aliis relatis habetur *in decis. 13. n. 8. & dec. 31. n. 15.* post Novar. *in summa Bullar. juxta novissimam editionem*, istaque responsione contenti fuerunt alii duo, qui in hoc motivo nullum constituerunt fundamentum, sed in aliis, de quibus infra votando pro eodem proviso Apostolico.

In hujus autem motivi, vel responsionis respective 5 subsistentia, mihi superficialiter, ut supra causæ merita gustanti, visum non est multum immorari ob dilemma, quod aut dicta clausula operatur præfatum effectum ex parte provisi ab indultario deductum, aut non. Si non producit ut nimium dubitari posse videtur juxta dictum sensum duorum, qui in hoc motivo se fundarunt, quoniam hujus clausulæ operatio cadit in eo genere quod volitum, & cogitatum fuit, non autem in non cogitato, neque volito, & sic ut commenda valeat eo meliori modo quo potest, non autem ut ea provisio quam collator in animo habuit facere in commendam, substineatur in titulum, & sic in genere diverso, imo opposito, & tunc corruit responsio, atque fundamentum provisi Apostolici firmum remanet; Et si producit, tunc potius eadem responsio retorquetur, atque ponit in claris jus provisi Apostolici, adeout cessent omnes aliæ inspectiones, & præsertim tertia super vera vacatione apud sedem ob mortem ultimi possessoris in Curia. Siquidem si verum est quod istud non sit Monasterium regulare, sed simplex beneficium sæculare, hinc sequitur quod provisio de illo per Urb. VIII. facta de anno 1631. per obitum Marsilii in persona Cardinali Barberini nepotis, quamvis in verbis cantet in commenda, attamen facta censenda esset in verum titulum, quoniam cum agatur de provisione Papæ ad favorem Cardinalis nepotis ejus primi ministri, & adjutoris in regimine juxta ea, quæ de Cardinali nepote habentur, *disc. 6. in relatione Curiæ*, utique subintelligenda venit, quamvis in verbis non expressa eadem clausula omni modo meliori, quodque Papæ animus fuerit conferendi prædicto Cardinali nepoti hunc Prioratum, ita, & taliter, ut collatio plenum sortiatur effectum, eo pleniori, 6 ac pinguiori modo quo melius sortiri posset, juxta ea, quæ passim recepta habemus de dicta clausula, vel alia æquipollenti subintelligenda in dispositione per ultimam voluntatem partis ad favorem liberorum contra extraneos, vel alios minus dilectos, vel in contractibus, aliisque actibus inter vivos conventionalibus, ac etiam judicialibus pro validitate actus, quando voluntatis verisimilitudo assistat cum similibus, de quibus passim sub variis sedibus, vel materiis, & in specie latæ ac favorabilis interpretationis dispositionis Pontificiæ ad favorem nepotis, vel conjuncti frequenter *hoc eod. tit.* advertitur occasione istius materiæ indultorum, contradistinguendo illa, quæ generaliter conceduntur aliis Cardinalibus, ab illis, quæ conceduntur Cardinalibus conjunctis, vel alias minus dilectis, 7 *ut disc. præc. & in aliis*, Unde propterea unum de duobus dicendum venit, vel scilicet, quod illa clausula expresse adjecta in provisione facta per Indultarium operativa sit in eo genere, in quo provisio facta est, & sic ut in Commenda valeat eo modo, quo illa valere potest, non autem ut operetur circa genus diversum; Vel quod magis subintelligatur, & operativa sit in dictis provisionibus Urb. VIII. Et per consequens quomodocumque dicatur idem resultat effectus, & præsertim ubi in dictis Apostolicis provisionibus Urb. VIII. illa subintelligatur, quoniam ita cessant in radice omnes aliæ quæstiones, vel inspectiones, de quibus infra, atque extra omnem dubitationem remanet, quod vacatio regulanda est ex persona ultimi defuncti in Curia, unde propterea intret extra omne dubium vera, & propria vacatio apud sedem, qua posita nullum cadit dubium, *ut disc. præced. & disc. 103.*

Alterum erat provisi Apostolici fundamentum, quod ubi etiam ageretur de Monasterio regulari dato in Commendam, sive quod dictæ duæ provisiones Apostolicæ in personis Cardinalium Baberini, & Ursini jure Commendæ, intelligi deberent absque subintellectu præfatæ clausulæ omni modo meliori, adhuc tamen vacatio regulanda esset ex persona dicti Cardinalis Ursini ultimi possessoris in Curia, & 8

per

per consequens apud sedem, attendendo vacationem de facto, & juxta naturalem veritatem potius quam illam a quadam fictione, & subtilitate juris, ut beneficium censeatur vacare, ut ex tunc juxta ea, quæ super hoc puncto habentur supra, *d. disc.* 103. edito in hac eadem causa, quæ occasionem dedit, ut ista quæstio tolleretur in radice, dum post eam concordatam idem Pontifex Innoc. XI. desuper edidit declarationem, seu decretum, ut inter beneficia in titulum, & hujusmodi commendas nulla differentia dignoscatur.

Et quidem, licet etiam adhuc animus nimium propensus esset erga provisum ab Indultario potius, quam erga provisum Apostolicum, non quidem ratione majoris dilectionis, & benevolentiæ, cum erga utrumque illa esset pariformiter magna, & sincera, sed ex eo quod proviso per Indultarium succumbentia magnum pareret præjudicium, & e converso illud nullum esset provisi Apostolici, dum Pontifex providendo cum ejus nimia charitate, forteque sine exemplo Cardinales ultimæ promotionis factæ per prædecessorem, ob ejus superventam mortem male provisos, inter quos fuit iste, declaravit se daturum æquivalentiam in casu succumben-
9 tiæ, unde propterea victoria cederet potius ad commodum Datariæ, contra quam in dubio responderi debere mea est dicendi consuetudo, dum ita verificari videtur celebre exemplum Nathan Prophetæ redaguendo David pro casu Uriæ, quod habens magnum ovile ovium, occupare satagat unicam vicini ovem, dum hæc proportio cadere videtur inter Datariam, & Cardinalem Indultarium, ut habetur *disc. 9. in relatione Curiæ* agendo de Dataria, & alibi.

Attamen reflectendo ad veritatem non potui in hoc intellectum captivare, illumque trahere ad id quod voluntas cuperet, quoniam ubi agitur de beneficiis, quæ
10 ab antiquo tempore, cum actuum multiplicitate commendari consueverunt, adeout jam constituta sine in perpetuo ac successivo statu collativo per istam speciem, seu viam commendæ, tunc ista revera nullatenus differre videtur a titulo, adeout ideale potius reputari mereatur assumptum, de quo infra quod hæc beneficia censeantur vacare, ut ex tunc antequam commendarentur, ut advertitur etiam *eod. disc. 103. num. 6. & 7.* ubi quod præfatum assumptum vacationis, ut tunc tam per antiquos, quam per modernos, ut patet ultra Lotter. *ibid. allegatum*, & apud Castropal. *de benef. tract. 13. disp. 1. punct. 8. num. 11.* & Fagnan. *in cap. cum ad nostram, de elect. n. 25. & in cap. in Ecclesiis, nu. 17. de Cappell. Monac. & in decisionibus, eod. disc. 103.* recensitis, vere percutit favorem Papæ, ejusque Datariæ, ad hoc ut alter inferior quicumque sit, non autem in casu converso, ex ratione pro meo judicio convincenti ibidem assignata, quod scilicet quando Papa concedit in commendam beneficium, ita dicitur declarare velle retinere in manibus ad ejus dispositionem, illud interim dando in commendam tamquam per speciem tenutæ, seu administrationis provisionalis, per quam beneficium non dicitur exire de ejus manibus, a quibus proinde beneficium utpote jam occupatum inferior collator tollere non potest, nec debet.

Atque in hoc considerabam practicum exemplum, quod si exempli gratia vacant beneficia reservata, vel affecta de tempore, quo in ea diœcesi nullus adest indultarius, Papa vero differt ea providere, quia nempe pro futura promotione in animo habeat facere cumulum ad effectum providendi novos Cardinales, interim vero pro eorum bona administratione, illa aliquibus provisionaliter commendet, qui decedant, utique vanum est dicere, quod Ordinarius cui postea supervenit indultum, vel quod successor in Episcopatu qui sit Cardinalis, atque habeat solitum indultum, hæc beneficia conferre valeat, eisque jam in manibus habitis Papam privare, & hic videtur casus.

Clarius vero ex duabus circumstantiis in hac facti specie concurrentibus, quarum una sufficere videtur, multo magis ambabus insimul junctis, una scilicet, quoniam sequuta vacatione ut supra de anno 1631. per obitum extra
11 curiam Marsilii, quem supponitur habere beneficium in titulum, Cardinalis Magalottus tunc Episcopus Ferrariæ, qui habebat consimile indultum, istius vigore illud contulit ejus familiari; sed collatio effectum sortita non fuit, atque Papa illud bis contulit aliis cum subsequuto effectu per spatium annorum 45. Unde propterea duo resultant; Primo, quod ita Ordinarius functus est officio suo in illa vacatione jam consumpta, ideoque omnis ejus facultas expiravit, neque majus jus habere potest successor post annos 45. quam esset ille Cardinalis indultarius, qui tunc erat Episcopus, quod utique prorsus absonum videtur, ac ab omni probabilitate alienum; Et secundo, ut exinde resultet magna præsumptio, quæ speciem concludentis probationis redolere videtur; quod tunc quando memoria
erat recens, ac meliores, & promptiores habebantur pro- 12
bationes, nunc post adeo remotum tempus ignotæ; vel compertum esset quod revera illud esset Monasterium regulare, quodque per errorem sequutum esset id, quod sub Gregor. XIII. ut supra supponitur, sequutum esse tamquam in simplici Ecclesia parochiali sæculari, adeout erectio dignitatis prioralis fuerit potius restitutio antiquæ, vel quod constaret de pluribus, vel talibus reservationibus hodie ignotis, adeout Indultum non intraret, ob magnam duplicem inverisimilitudinem, quod Papa hanc injuriam facere voluerit præfato Cardinali ejus conjuncto, vel intimo, qui erat, vel de recenti fuerat ejus secretarius status, quodque Cardinalis Barberinus hanc provisionem acceptaverit, ut ad breve tempus alteri cederet, & quod tam præfatus Cardinalis indultarius quam provisus viri diligentissimi, ita acquiescere noluerit, atque adeo pinguem negligere provisionem, ideoque intrat propositio quod verisimilitudo habet imaginem veritatis potissime juncta cum diuturna observantia, per quem magna inducitur veritatis præsumptio, quæ speciem concludentis probationis habere videtur ex deductis, *disc 1. & seqq. de alien. & contract. prohib. disc. 143. de dote, disc. 21. de judic.* & alibi, atque ita magis comprobata remanent alia duo fundamenta de quibus infra, quando etiam vacatio regulanda esset ut tunc ex persona dicti Marsilii.

Et altera erat circumstantia, jam incidenter insinuata, quod agitur de vacatione adeo antiqua, & sequuta de tempore quo Cardinalis indultarius non erat talis, neque spe-
rabat utpote tunc potius scholaris adolescens: Si enim in 13
vim indulti conferri possent, ut ex tunc, illa beneficia, quæ per longissimum tempus per Sedem Apostolicam Cardinalibus commendari consueverunt, ita sequeretur quod in omnibus Monasteriis, & beneficiis commendari solitis, quando contingit mors commendatarii, illi ordinarii collatores, qui habent hoc indultum inquirere curarent commendæ antiquam originem, primævamque provisionem hoc jure factam, atque ita providere beneficia a centum, & ultra annis jam vacata per obitum ultimi titularis, quod utique manifestum est absurdum, ut ad sensum.

Et quamvis in indulto tribuatur facultas conferendi reservata, vel affecta, & commendata illorum commendis vacantibus; Attamen, vel juxta sensum scribentium
pro proviso Apostolico intelligendum venit, quatenus 14
etiam collatio commendæ sequatur extra curiam, adeout nec de jure, nec de facto dici valeat vacatio apud sedem; Vel positis terminis habilibus, & quatenus non obstarent ea quæ isto casu supra considerata sunt.

Tertium erat provisi Apostolici fundamentum in puncto, de quo *in Mediolanen. beneficiorum supra, disc.*
104. quod scilicet ubi etiam reservatio regulanda esset 15
ex persona præfati Marsilii possessoris in titulum, adhuc intraret vacatio apud sedem, sine dubio exceptuata in indulto, dum ista excipitur etiam in magis amplis, ac insolitis indultis, quæ Pontificum nepotibus concedi solent, ut patet ex deductis *in Romana beneficiatus Sancti Petri, disc. præcedenti*, deducendo vacationem in Curia, & per consequens apud sedem, usque ab anno 1618. in quo præfatus Marsilius promotus fuit ad Ecclesiam Metropolitanam Theatinam, quamvis dispensatus fuerit super retentione hujus beneficii; Atque super hoc puncto magis prolixe, quam in aliis, hinc inde scriptum, ac disputatum fuit, reassumendo pœne omnia, quæ pariter hinc inde deducta fuerant in disputationibus habitis in dicta *Mediolanen.* Verum quando ad illud fundamentum restringeretur intentio provisi Apostolici, nimiam difficultatem contra ipsum habebam ex distinctione, de qua *eod. disc.* 104. plene tradita in ultima decisione edita *in eadem Mediolanen. 20. Septembris 1675. coram eodem Albergato*, quæ præsupponebatur de recenti extensa occasione istius disputationis, stante quod dicta causa fuit concordata cum divisione beneficiorum, unde propterea neutra partium curavit amplius extentionem decisionis, quod scilicet, aut per promotionem ad Episcopatum absque dispensatione præcedenti, vel instantanea, & in ipso decreto consistoriali, sequuta dici valeat vacatio beneficii, quod postea eidem promoto concedatur in commendam, vel in administrationem, & tunc dicitur jam consumpta vera vacatio apud sedem per mortem in Curia ita civiliter sequutam per promotionem; Aut conceditur præventiva retentio, & tunc nulla dicitur

sequi

ſequi vacatio per diſpenſationem, quæ tamquam remedium præſervativum impedit ne illa ſequatur; *ut eod. diſc.* 104. ideoque tunc motivum intraret quando ſubſiſteret præſuppoſitum cum quo procedebant ſcribentes pro Apoſtolico proviſo, quod dicto promoto beneficium conceſſum fuiſſet in commendam, ſed juſtificatum eſt ex parte proviſi per indultarium quod proceſſum fuit per viam diſpenſationis ſuper retentione, ita impediendo ne ſequeretur vacatio juxta primam partem diſtinctionis; Licet iſta diſtinctio hodie impoſterum idealis remaneat, quoniam quæſtio habita in dicta *Mediolanen.* anſam dedit officialibus Datariæ curandi quod in Decreto Conſiſtoriali ſuper hujuſmodi reten-
16 tione aliorum compatibilium cum Epiſcopatu adjiceretur, quod cenſerentur ex tunc vacare conceſſa ex nunc retentione jure commendæ, vel adminiſtrationis, adeout intrent ea, de quibus ſupra *diſc.* 110.

Demum quartum proviſi Apoſtolici fundamentum erat, retento etiam ex abundanti dicto præſuppoſito quod vacatio regulanda eſſet ut tunc ex perſona dicti Marſilii ultimi titularis defuncti extra Curiam, adeout non intraret vacatio apud ſedem, quod ſcilicet iſta etiam privilegiata ſpecie reſervationis non intrante, adhuc tamen indultum ceſſabat ratione duplicis reſerva-
17 tionis juxta deducta ſuperius, *diſc.* 3. & 4. & alibi ſæpius, deducendo multiplicem reſervationem ex pluribus. Primo nempe ex eo quod fuerit cubicularius intimus, ideoque familiaris Pontificis Pauli V. poſt adeptum hoc beneficium ſub Clem. VIII. Secundo quia fuit etiam Auditor Cardinalis Burgheſii, quodque eſſet etiam prothonotarius, adeout intrarent duæ perſonales coæquales juxta conſt. Alex. VII. de qua *d. dec.* 3. Et tertio quia fuit Archiepiſcopus, & per conſequens diſpenſatus ad hujus beneficii retentionem, quæ cauſat affectionem per appoſitionem manuum Papæ, *ut ſupra, dicto diſc.* 4. licet enim Epiſcopatus de per ſe non cauſet reſervationem, vel affectionem, eo quia neque *in Extravag. Ad regimen*, neque in regulis Can-
18 cellariæ reperitur id cautum; Attamen ideo non eſt cautum, quia non fuit præſuppoſitum neceſſarium, dum Epiſcopatus eſt incompatibilis cum aliis beneficiis abſque diſpenſatione, qua poſita intrat affectio quæ revera major eſſe videtur quam illa reſervatio, quæ reſultat a ſimplici prothonotariatu conceſſo per breve, vel per Cardinalem Legatum, aut Nuntium, vel familiaritate Cardinalis, aut Auditoris Rotæ, ſeu Clerici Cameræ aut a ſimplici ſubcollectoria alicujus exiguæ diœceſis, adeout illæ criticationes, quæ deduci ſolent quod cum votum, de quo *dicto diſc.* 3. & in Conſt. 157. Urb. VIII. loquantur de duabus reſervationibus perſonalibus coæqualibus, ſub quarum genere iſtæ ſpecies non veniant, continere videantur leguleicas frigiditates, & ſuperſtitiones omni deſtitutas ratione.

Et ultra iſtas ponderabam alteram majorem reſervationem ex hiſtoriis potius, quam ex libris legalibus de-
19 ſumptam, per quam omnis ceſſare videbatur difficultas, quod ſcilicet idem Marſilius fuerit etiam Nuntius Apoſtolicus, unde propterea intraret reſervatio de quatuor majoribus contentis *in extravag. Ad regimen.*, *de qua d. diſc.* 4. Quamvis etenim in ejus epitaphio, ſeu monumento regiſtrato apud Ughell. *tom.* 6. Italiæ ſacræ agendo de Eccleſia Theatina dicatur quod fuerit lator purpurei birreti ad Ferdinandum de Auſtria filium Regis Catholici Philippi IV. unde propterea ex hoc per ſcribentes pro Apoſtolico proviſo inferebatur ad prothonotariatum Apoſtolicum, quem ſcribentes pro alia parte negabant ex eo quod quandoque etiam ſæculares aulici ad illud munus deputari ſolent; Attamen in dicto monumento, ſive inſcriptione æquivocatur, quoniam dictus Cardinalis creatus fuit de menſe Julii 1619. unde propterea acceſſus dicti Marſilii in Hiſpaniam fuit de anno 1620. quando jam ipſe erat Archiepiſcopus Theatinus, utpote promotus de anno 1618. & per conſequens improprium, ac erroneum eſt dicere quod acceſſerit tamquam ſimplex lator birreti, eo modo quo accedere ſolent familiares Papæ, vel Cardinalis nepotis, ſed acceſſit tamquam Nuntius pro delatione galeri, & anuli Cardinalitii. Quando etenim creantur
20 Cardinales abſentes, qui ſint ultra montes, indefinite omnibus mitti ſolet birretum, per unum ex dictis familiaribus, nullatenus autem galerus, & anulus, pro quibus ſuſcipiendis omnino tenetur perſonaliter accedere ad Curiam ut recipiat e manu Papæ indiſpenſabiliter, ut in opere italici idiomatis cui titulus eſt *il Cardinale*; Huic autem obligationi diſpenſare voluit Paulus V. qui dictum Cardinalem creaverat tum habito reſpectu teneræ ætatis promoti; Tum fortius ac principaliter quod ageretur de adeo magno, & qualificato Principe, de quo Cardinalitia dignitas nimium ſe gloriari debet, ac propterea miſſus fuit Archiepiſcopus tamquam Nuntius Apoſtolicus eo modo quo Nuntius mitti ſolet ad ferendas faſcias filiis Regum. Et per conſequens ubi etiam vacatio ex perſona dicti Marſilii regulanda eſſet, quodque deducta in tribus aliis fundamentis non ſubſiſterent, adhuc clarum videbatur bonum jus proviſi Apoſtolici.

ROMANA CAPPELLANIÆ,

Votum.

De eadem materia, de qua *ſupra, diſc.* 80. & 97. & *diſc.* 22. *de Canonicis*, quando ſcilicet Cappellano manuali competat interdictum poſſeſſorium ne removeatur. Et incidenter de facultatibus Signaturæ juſtitiæ, & de mandato de manutenendo quando intret ut ſit exequutivum, & ſummarium, necne.

S U M M A R I U M.

1. *Facti ſeries.*
2. *Quando appellantes recurrant ad plenam Signaturam juſtitiæ.*
3. *De conſuetudine Actoris extendendi vota pro ejus judicio efformando.*
4. *Quando conſtat de juſtitia clara, non ſolent curari ea quæ ſunt ordinis.*
5. *Signatura gratiæ non tractat cauſas deciſas in Signatura juſtitiæ.*
6. *In quo differat Auditor Papæ ab aliis judicibus.*
7. *De quæſtione, an & quando cappellano manuali ejecto competat manutentio.*
8. *Quando verba deputationis importent perpetuitatem obligatoriam.*
9. *An & quando beneficium manuale per patronum poſſit fieri perpetuum.*
10. *Prælatus qui male alienat bona, vel jura Eccleſiæ, venit contra factum proprium.*
11. *De differentiis inter Signaturam gratiæ & juſtitiæ.*
12. *Quando, & quomodo circumſcribat ſententias Signatura juſtitiæ.*
13. *De concluſione quod manutentio peti poteſt in quacumque inſtantia quomodo intelligatur, & quando etiam hoc judicium dicatur vulneratum.*

D I S C. CXLIV.

Exiſtentibus in Eccleſia domus profeſſæ Societatis 1
Jeſu aliquibus Cappellaniis manualibus ex variis piis diſpoſitionibus ad P. Generalis ejuſdem Societatis nutum conferri ſolitis Clericis ſæcularibus, ac ab eiſdem amoveri, unam ex eis hodiernus P. Generalis contulit Dominico Cantorio pro majori Eccleſiæ cultu, ut etiam in cantu ſervire poſſet, ut in pleriſque aliis hujuſmodi Cappellanis practicari ſolet, attento quod onus miſſarum eſt valde exiguum comparatione emolumenti, iſtaque deputatio concepta fuit per quædam verba denotantia perpetuitatem, ex eo quod deputatus commendatur Generalibus ſucceſſoribus pro tempore, ne illum removeant. Cum autem ad aliquos annos idem Generalis, qui eum deputaverat, ſive de ejus conſenſu Præpoſitus, aut Præfectus Eccleſiæ, ex juſtis motivis illum dimiſiſſet, atque alter cappellanus ejus loco deputatus eſſet; Hinc amotus judicium inſtituit in Tribunali Auditoris Cameræ ſuper manutentione in quaſi poſſeſſione Cappellaniæ; prodiit vero ſententia diffinitiva abſolutoria ab impetitis, cum denegatione manutentionis, declarando illam non competere; Ab hac autem ſententia, licet abſque citatione appellati, potuiſſet appellans obtinere commiſſionem appellationis, ut vulgo dicitur, ſub banca, dum ad plenam Signaturam non recurritur niſi in illis cauſis, quæ non ſint de ſui natura appel-
labiles, ad effectum ſuſpenſivum, prætendatur tamen per 2
ſuccumbentem ex capite injuſtitiæ locum eſſe commiſſioni, etiam ad hunc effectum, ut advertitur *in diſc.* 31. *relatione Curiæ*; Attamen adire voluit plenam Signaturam confiſus in benevolentia, & protectione aliquorum ex Prælatis, qui ſibi licitum credunt, (ſed male) dari in judicando affectionem, & gratificandi voluntatem ſub arbitrii nomine, ſive vocabulo explicari ſolitam, ut de fa-

cto

cto eventus docuit, quoniam prodiit rescriptum pro commissione simpliciter in Rota, cum Clausula, *non amoto interim a possessione*, ita implicite concedendo manutentionem a judice denegatam, atque circumscribendo sententiam definitivam super ejus denegatione. Quare adversus hanc resolutionem habito ex parte dicti Præpositi, sive Præfecti Ecclesiæ recursu ad me tamquam Auditorem Papæ, ad effectum concedendi recursum ad Signaturam gratiæ, impediendo interim cum supersessoria præfatæ resolutionis exequutionem, curavi benevole controversiam componere cum quodam honesto temperamento, per quod indemnitati præfati ejecti in aliqua parte consultum remansit, absque eo quod ad Cappellaniam, & servitium reintegraretur, atque ad id principaliter motus fui ex motivo reverentiæ erga Signaturam, ne alias cogerer resolutionem circumscribere.

Facta itaque super casu aliqua matura reflexione, ad effectum efformandi judicium, quatenus præfatum con-
3 cordiæ temperamentum non potuisset effectum sortiri, ac propterea votum juxta meam consuetudinem desuper extendendo in ipsomet actu videndi causam, & scripturas, ne alias cogerer ex intervallo eas ex integro cum duplicato labore reassumere, duas efformabam inspectiones, unam ordinis, & an præfatum rescriptum esset juridicum, & sublstentabile, necne; Et alteram justitiæ, seu meritorum negotii principalis.

De hac autem posteriori (ordine inverso) visum est quod justitia Cappellani appellantes esset clara, unde de consequenti resultaret clara injustitia dictæ sententiæ, tunc forte, licet neque rescriptum esset substentabile,
4 ut infra, adhuc tamen quia genium ex justitiæ zelo, abhorret inanes circuitus ac principaliter advertit ad bonum jus, non curando multum formalitates legales, quas cessante justitia, appellare soleo superstitiones, calumniarum, ac inanium sumptuum nutritivas, resolutionem substinuissem, ejusque non impedissem exequutionem, deragando supersessoriam, & forte etiam recursum ad Signaturam gratiæ, ad quam regulariter non recurritur a rescriptis Signaturæ justitiæ, ut advertitur *disc. 30. in eadem relatione Curiæ, & in ejus annot.*

5 Auditor etenim Papæ dicitur consiliarius Principis supremi, qui more Principis potius, quam judicis inferioris judicare, ac procedere debet, quoties justitia, & ve-
6 ritas naturalis assistit, egrediendo illos rigorosos, ac superstitiosos legales cancellos, inanium circuituum nutritivos, ad quos judices se credunt obligatos, ut pluries advertitur sub diversis materiis, & præsertim *disc. 24. de judic.* occasione agendi de materia attentatorum.

Quatenus ergo pertinet ad punctum, an præfato Cappellano juste competeret manutentio in summario possessorio retinendæ, donec negotium principale di-
7 scutiatur in petitorio, quodque propterea dicta sententia, quæ hoc remedium denegat, injusta dici mereretur, pro congrua responsione *ad dec.* 71 Cavaler. aliasque auctoritates, quæ ex parte ejecti deducebantur, desumptas *ex deductis d. disc. 80. & 91. hoc tit. & disc.* 22. de Canon. in quorum ultimo pro manutentione cappellani ejecti judicatum fuit, atque Egomet scribendo pro Capitulo ejiciente, ac succumbente, laudavi judicatum. Advertebam reflectendum esse ad plurium casuum distinctionem deductam *dicto disc.* 80. qua mediante de facili omnia diluuntur objecta, & conciliantur contraria, ut ibi videri potest, ne superflue idem transcribatur.

Applicando vero ad rem dicebam clarum esse quod versaremur in eo ibidem recensito casu, in quo agatur de cappellania mere famulatoria, in qua nullatenus cadere possunt illæ rationes dubitandi, quæ cadunt in aliis casibus, ob quas pendente judicio super negotio principali danda est possessori manutentio, quoniam durum est incipere a spolio, quodque ejectus ita cogatur manibus vacuis litem substinere, e converso autem spoliator, vel ejiciens confovendo se in spolio, cum ejusdem Cappellaniæ emolumentis litem substineat. Ubi vero nulla cadat probabilis ratio dubitandi, tunc pariter, imo magis durum est, ut dominus cogi debeat longam litem cum famulo in petitorio per tres conformes substinere, atque interim contra omnem legis disputationem, omnemque humanum discursum, & communem usum, invitus illum sibi exosum habere in ejus famulatu, Et hic erat casus, in quo propterea nulla considerari poterat dubitandi ratio, quæ in aliis casibus ibi recensitis consideratur.

Non negabantur hæc per scribentes pro ejecto, ac etiam per illos Prælatos Signaturæ, qui ejus partes confovebant, sed dicebant quod ea procederent quando deputario facta esset juxta consuetam formulam super amovibilitate ad nutum, secus autem ubi perpetua sit deputatio, ut in hac facti specie, ut supra præsupponebatur adesse. Verum, ubi etiam hoc factum tamquam 8
certum præsupponendum esset, cujus contrarium dicebant scribentes pro Ecclesia, quasi quod illa verba denotarent solum quamdam majorem benevolentiam, & existimationem erga personam, non autem ut dicta essent animo immutandi naturam Cappellaniæ, illamque ex obligatione, & necessitate faciendi perpetuam, & irrationabilem, juxta illum loquendi usum, qui frequenter practicari solet cum aliquibus famulis bene se gerentibus in servitio, quod eis promittitur panis in vita, sive perpetua retentio, cum sint potius urbanæ pollicitationes producentes quamdam obligationem congruentiæ, vel ad summum illam antidotalem, quæ dari potest, ac solet inter famulum, & Dominum, ex deductis *disc. de fend. ad* 9
materiam bullæ Baronum & alibi, præsertim vero cum majori claritate, & distinctione *in opere Italici idiomatis, cui titulus est, Dottor Volgare, l. 7.* de Donat. *c. 4.* non autem ut apta sint producere obligationem civilem productivam actionis in judicio experibilis.

Adhuc tamen id nullius esset momenti, quoniam quidquid sit de quæstione insinuata *sub tit. de jurepatr.* & alibi, an beneficium, vel Cappellaniam manualem de jurepatronatus, possit Patronus saltem respectu alicujus personæ, facere perpetuam, & irrevocabilem, quod adhuc obiter disputare, atque maturum judicium desuper efformare occasio non dedit, cum solum oretenus de hoc interrogatus fuerim ob difficultatem, quam Episcopus faciebat promovendi provisum de tali Cappellania manuali cum ista circumstantia ad sacros ordines ad illius titulum, atque ex improviso respondi, quod ubi non adesset præjudicium ecclesiæ, cujus ratione difficultas, *de qua disc. 15. eod. tit. de jurepatr.* ratio dubitandi cadere potest ubi juspatronatus sit gentilitium, sive annexum rei, quæ jure feudi, vel fideicommissi defeeratur successori independenter, & ex persona propria, adeout factum prædecessoris illum non obliget, cum tunc possit Patronus supplantare successorem, atque suam præsentationem conferre in tempus inhabile, quando ipse non est amplius talis, juxta ea, quæ generaliter habentur in alienationibus, aliisque actibus præjudicialibus, secus autem ubi agatur de jurepatronatus hæreditario, cum tunc nulla subsit ratio dubitandi juxta ea, quæ *eod. tit. de jurepatr. disc. 60.* habentur in altera quæstione, an juspatronatus hæreditarium fieri possit gentilitium, sive passivum restringi possit ad certum genus personarum cum similibus.

In casu tamen, de quo agitur, defectus potestatis videtur indubitatus, non solum ob dictam generalitatem non supplantandi successorem, & conferendi provisionem in tempus inhabile, cum id procedat respectu suc- 10
cessoris, non autem ejusdem qui actum fecit juxta ea quæ in proposito abusivæ, seu præventivæ concessionis habentur *disc. 3. de regal. disc. 1. de emphyt. & disc. 1. de pension.* & alibi, dum adhuc vivebat idem Pater Generalis. Sed clarius quod agebatur de Prælato disponente de re pertinente ad Prælaturam, & Ecclesiam, quo casu intrant termini *Extravagantis Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, quod receptum, ac hodie firmum est, locum quoque habere in impositione servitutis, & quocumque alio præjudicio etiam in juribus incorporalibus, ex deductis *disc. 1. de alienat. & contract. prohibit.* & alibi pluries, cum sit principium quod hodie non admittit amplius quæstionem, ut in præsenti sequeretur imponendo servitutem Ecclesiæ, ut cogeretur invitam habere male morigeratum, seu alias male meritum, vel parum gratum famulum, & ministrum; Quo posito nil refert, quod ageretur de eodem Prælato, qui fecit actum, quoniam pariter hodie receptum ac firmum est, ut idem possit nomine Ecclesiæ impugnare factum proprium, atque adversus illud exercere etiam remedium possessorium reintegrationis, imo etiam manutentionis, ex deductis *eod. tit. de alien. & contr. prohib. disc.* 1. & alibi *pluries*.

Sed quando etiam desuper cadere posset aliqua dubitandi ratio, ob quam dicendum veniret, quod esset punctus altioris indaginis, examinandus in petitorio, quodque propterea interim possessor manuteneri deberet, juxta deducta *d. disc 80. & disc. 22. de Canonicis*, cujus contrarium tamen verius videbatur ex deductis. Adhuc tamen id procedere dicebam, quando de hoc

age-

ageretur coram Judice primæ instantiæ re integra, sed quando judex pronunciavit quod huic remedio possessorio non sit locus, tunc ubi etiam admittenda esset in Signatura hæc facultas circumscribendi sententias ex capite claræ, & notoriæ injustitiæ, nullatenus dici posse videbatur quod ista adesset, & per consequens, admissa etiam potestate, adhuc resolutio nullatenus esset substentabilis.

Cæterum quatenus pertinet ad primam inspectionem
11 potestatis Signaturæ faciendi dictum rescriptum, advertebam ad id, quod in relatione Curiæ *disc.* 30 *&* 31. agendo de Tribunalibus utriusque Signaturæ gratiæ, & justitiæ habetur circa differentias inter unam, & alteram Signaturam, quod scilicet illa gratiæ latiores habet habenas, atque legum cancellos egredi potest, unde propterea ejus rescripta magis afficiunt, magisque large intelligenda sunt; Altera vero Signatura justitiæ restrictum habet arbitrium intra præfatos juris cancellos, ac limites, quos transgredi non potest, ideoque receptum est, quod ejus rescripta intelligenda veniunt prout de jure ex illa differentiæ ratione, quod in Signatura gratiæ resolutiones non emanant ab assensu, ac judicio Prælatorum votantium, quorum Votum est consultivum tantum, sed emanant ab ipso Papa ibi præsente, & rescribente, in altera vero Signatura resolutiones manant a Præfecto, & Prælatis habentibus votum decisivum ex quadam Papæ delegatione restricta ad ea, quæ concernunt justitiam a juris dispositione regulandam, ideoque erroneum est præsuppositum, ut hoc Tribunal respondeat vice, ac nomine Principis, ideoque istius more judicare valeat, quoniam vera est prima pars, ut repræsentet Principem, sed non est vera altera, ut possit facere totum id, quod ipse facere potest, dum habet deputationem restrictam, ut supra, neque gerat partes judicis decidentis causas, sed solum rescribentis judicibus, quomodo se gerere debeant in ordinatoriis potius, quam in decisoriis circa effectus appellationis, & similia.

Et quamvis soleat quandoque circumscribere sententias, vel decreta, mandando eidem judici, vel eidem
12 Tribunali, quod iterum audiat, sive quod procedat ex integro, attamen id solum conceditur, quando sententia laboret vitio nullitatis, & injustitiæ adeo notoriæ, quod nullitatem causet, atque tunc dicitur potius explicare id quod est de jure, quod scilicet sententia nulla non consumit jurisdictionem, atque non impedit, quin idem judex post causam terminatam ejus cognitionem reassumere valeat, quoties agitur de judice ordinario, cadente difficultate in judice delegato, in quo quando Signatura ita rescribat, operativa remanet quædam ejus major auctoritas; adhuc tamen non judicat ipsa Signatura, sed committit alteri, ut judicet, & qui ut sit diversus a primo, non judicat nisi transportatis actis, ac servatis debitis terminis judicialibus, & per consequens, tam ex deficiente nullitate, vel notoria injustitia, quam ex eo quod Signatura non assumit partes judicis, semper dicta resolutio incongrua, & non substentabilis remanere videbatur.

Motivabatur per eos, qui resolutionem sustinere satagebant, quod etiam post sententiam latam contra
13 possessores, imo etiam plures in secunda, vel ulteriori instantia, quinimo etiam post rem judicatam exequutioni nondemandatam in gradu restitutionis, in integrum, peti potest manutentio in possessione, suspenso petitorio. Verum licet assumptum sit verum ex deductis *disc.* 44. *de judic.* & alibi sæpius; Attamen fallacia erat in applicatione; quoniam id recte procedit quando sententiæ una, vel plures prolatæ sunt in petitorio, sive in negotio principali, ut istæ non impediant quin in quacumque instantia suspendi valeat petitorium, atque intentari summariissimum possessorium retinendi, seu manutentionis, & in his terminis loquuntur omnes auctoritates, & decisiones, quæ in hac materia habentur, & quarum aliquæ enunciantur *dicto disc.* 44. *de judiciis*. Verum non est iste casus quæstionis, quoniam sententia lata fuit in ipsius possessorii summariissimi denegatione, & per consequens intrat ejus vulneratio, ut propterea nullatenus esse valeat exequutivum, & privilegiatum, prout est, quando conceditur re integra; Adinstar eorum, quæ *disc.* 40. *de Cred. & disc.* 124. *&* 127. habentur generaliter de vulneratione obligationis Cameralis, aut litterarum Apostolicarum, vel alterius processus exequutivi: Ex ea convincenti ratione, quæ huic casui, vel judicio est quoque adaptabilis, & congruit quod scilicet oportet tollere de medio dictam sententiam cum altera sententia revocatoria, a qua sine dubio datur appellatio suspensiva, non solum, quia ipsa revocatio pernecesse in se continet declarationem judicis, a qua datur appellatio, sed etiam quia unam sententiam definitivam datam per cedulam tollere oportet cum altera sententia deffinitiva pariter per cedulam, quod trahit secum etiam in possessorio retinendæ appellationem suspensivam, quæ negatur solum, quando conceditur per decretum interloquutorium, *ut eod. disc.* 44. *de judiciis*, & alibi, ac etiam ratione servandi æqualitates, ut quemadmodum a prima sententia licitum fuit uni parti appellare, ita, & fortius licere quoque debeat alteri parti appellare ab altera sententia revocatoria, ideoque ex pluribus præfatum rescriptum nullo pacto videbatur substentabile, ejusque effectuationem impediissem, nisi ut supra concordia dedisset finem controversiæ.

ALBANEN. CANONICATUS.

Votum.

De eadem materia, de qua supra, *disc.* 21. *ad regulam* 7. *vel* 8. quando Cardinales absentes habeant jus conferendi beneficia Episcopatuum, & titulorum Cardinalitiorum.

SUMMARIUM.

1 *Occasio scribendi super casu controversiæ.*
2 *De casu, de quo dicto disc.* 21. *& quod in eo Cardinalis non esset dicendus absens.*
3 *Distinguuntur species absentiæ justæ ad varios effectus.*
4 *Quomodo debeant intelligi doctrinæ.*
5 *De regula* 32. *de consensibus.*
6 *De differentia inter jus conferendi beneficia ratione aliarum Ecclesiarum, & ratione Ecclesiarum Cardinalitiarum.*
7 *De alia differentia inter privationem juris quæsiti, & exclusionem a jure quærendo.*
8 *De pluribus personis consideratis in Papa, & qualis sit Episcopatus Romanus.*
9 *Quod sex Episcopatus Cardinalitii sint de diœcesi Episcopatus Romani.*
10 *De jurisdictione Cardinalis Vicarii, & congregationis visitationis Apostolicæ.*
11 *De jure conferendi beneficia in Episcopatu Romano competente Cardinalibus.*
12 *De eadem distinctione, de qua n.* 7. *& quando absentia debeat esse culposa.*
13 *Quid in hoc operetur indultum Cardinalitium.*
14 *Quæ species reservationis sit illa, quæ continetur in hac regula.*

DISC. CXLV.

Exorta controversia inter Carolum Pelagallum provisum per Sedem Apostolicam, & Jo. Vincentium Corradum provisum per Cardinalem Grimaldum Episcopum Albanensem in ejus Metropolitana Ecclesia Aquensi residentem super Canonicatu Cathedralis Albanen. introductaque causa in Rota coram V. Comite; Cum in unica propositione, in qua nulla prodiit resolutio, per scribentes hinc inde, magis vero per scribentes pro Corrado proviso per Episcopum, circumferretur meus *disc.* 21. *de benefic.* ad probandum quod absentia justa, & non culposa non debeat præjudicare Cardinali, eumque privare illo conferendi jure, quod sibi præsenti competeret ad intelligentiam regulæ 7. hodie 8. Hinc ex parte provisi Apostolici, & aliquorum officialium Datariæ illi adhærentium desuper consultus, ex improviso dum meorum munerum occupationes non permittunt illud accuratum studium, illamque diligentem aperturam librorum, quæ pro efformando judicio requiritur; In primis advertо, quod casus quæstionis, de qua *dicto disc.* 21. longe diversus est a præsenti, dum in eo casu præcipuum fundamentum a me constituebatur in eo, quod Cardinalis, qui moram trahebat in oppido Bracchiani, dici non debebat absens ab Urbe, utpote existens in ejus territorio, dum alias duo resultarent inconvenientia, Unum nempe ibidem ponderatum, quod ille Cardinalis, qui de tempore vacationis, in aliqua vinea, seu viridario extra Urbis

Urbis mœnia moreretur, ita ad hunc effectum dicendus veniret absens a Curia, quo nil absordius: Et alteram quod si Cardinalis Episcopus pro majori zelo, atque ut melius ejus officium adimpleret gratis visitandi diœcesim, vel alia occasione resideret apud ipsam Ecclesiam Cardinalitiam, ejusque Diœcesim peragraretur, ita dicendus veniret absens a Curia, & per consequens isto jure conferendi privatus, quod utique magnum esset absurdum, ut pro laudabili, ac emeritorio opere, damnum, ac pœnam potius sentiret; Ac etiam quod ita majoris operationis esset fictio, quam veritas, quod scilicet quando moratur in Urbe, seu in alio loco Curiæ, reveta, & naturaliter absens ab ejus Ecclesia, cujus ratione habet jus conferendi, possit illud exercere, & non possit, quando in illa residet, & est vere, ac naturaliter præsens, ut clare ad ipsum naturalem sensum probatur.

Nimiumque in eo casu ad illum sensum quoque me inducebat consideratio causæ absentiæ, quod nullum haberet finem oblectationis, vel commodi ipsius Cardinalis, sed esset pro mero servitio Papæ, & Sedis Apostolicæ, cum ejus incommodo, & damno ob illorum temporum accidentia, in historiis nota, & plu-
3 rtes insinuata, præsertim *disc. 47. in Miscellan. Eccles. & in Append. ad disc. 45. in Relat. Curiæ*. Magna siquidem differentia in proposito regulandi justam absentiam constituenda videtur inter illum casum, in quo justa dici debeat ad effectum excusandi absentiam illicitam, quodque adsit quidem servitium Reipublicæ, vel Ecclesiæ, sed quod manus principaliter respiciat commodum pecuniarium, vel honorificum, & intellectuale, & ob speratos majores honores allius, qui est absens ex causa illius muneris, & casum, in quo absentia principaliter, & omnino respiciat commodum, & servitium ipsius Papæ, & Sedis Apostolicæ, absque aliquo commodo proximo, vel remoto, seu principali, vel secundario ipsius absentis, sed potius cum incommodo, & damno, ut erat casus, de quo *dicta disc.* 21. Ut exemplificando primum casum contingit in præcisso hujus controversiæ, quod absentia proveniat a residentia in altera Ecclesia, ut ibi pingues percipiantur redditus, atque pontificalis exerceatur auctoritas, quoniam est quidem licita absentia, sed principaliter ordinata ad commodum, & utilitatem ipsius absentis. Idemque in illis, qui sunt absentes ex causa legationis, vel Nunciaturæ, vel alterius similis muneris, quoniam dicitur quidem absentia justa pro servitio Reipublicæ ad exclusionem absentiæ injustæ, & illicitæ, magis vero ubi sit mere voluntaria, ad solum privatum commodum, sed cum licentia Papæ, quæ illicitum excuset, quoniam Legationes, Nunciaturæ, similiaque munera, potius desiderantur, & ambiuntur, vel etiam non ambita nimium grata sunt ob honorificentiam, ac utilitatem, sive quia sunt gradus ad majora cum similibus; Et per consequens error videtur omnem justam, & licitam absentiam pariformiter tractare, atque ea, quæ *in dicta disc.* 21. ponderantur de justa absentia in eo casu, & cum illis circumstantiis, trahere ad omnem aliam absentiæ speciem, dum doctrinæ, ut advertitur *disc. 35. de Judic.*
4 *& in opusculo stylr*, & alibi pluries intelligendæ sunt secundo themate, seu casu, de quo agitur, attentisque illis circumstantiis, non autem intelligendæ sunt ad literam generaliter in omni casu, non distinguendo circumstantias, cum in hoc frequentior modernorum Jusistarum, ac etiam moralium clarus error consistat.

Atque ad comprobationem boni juris illius Cardinalis in eo casu nimium quoque conferre videtur *regula 32.*
5 *de consensibus*, quæ reputat præsentem illum Cardinalem, qui reperiatur intra duas dietas occasionaliter ad breve tempus reversurus, habens domum apertam & familiam in Curia; ideoque ex his omnibus in eo casu adhuc in eodem sensu persistendum videtur, sed nil commune id habet cum præsenti casu, in quo omnes ponderatæ circumstantiæ cessant, imo potius faciunt in contrarium.

Secluso itaque dicto discursu sutnmte extra casum quæstionis; Quatenus pertinet ad punctum, an absentia extra Curiam, ejusque districtum, quæ justa, & licita dici
6 valeat, obstet necne, & quid in hoc operetur indultum; Advertendum videtur, quod magna differentia constituenda est inter illud jus conferendi, quod competit ratione aliarum Ecclesiarum metropolitanarum, & Cathedralium, quæ non sint ex istis sex Episcopatibus Cardinalitiis, sive ratione aliarum Ecclesiarum sæcularium, vel regularium, quæ non sint ratione titulorum Cardinalitiorum, & illud jus, quod competit ratione hujusmodi Ecclesiarum Cardinalitiarum.

Priori etenim casu, Episcopus, vel Archiepiscopus, ac respective Prælatus, vel Commendatarius dicitur in sua Ecclesia verus, & proprius Prælatus, cui pleno jure talis facultas de jure communi competit, adeout si non fuisset introductus usus reservationum, & affectionum Apostolicarum, Papa, ejusque Dataria nihil agere haberet in collatione beneficiorum illius Diœcesis, vel Ecclesiæ, nisi quando uti vellet ejus suprema potestate, cum qua prævenire potest quemcumque ordinarium Collatorem, qua tamen uti non solet, vel raro, & non nisi ex magna causa, ut advertitur *disc. 23. de Benef. & alibi*; Et ad quem priorem statum, saltim in notabili parte, si non in toto, indulta Cardinalitia reducunt Episcopos, vel Prælatos, qui in ista Cardinalitia dignitate constituti sint, adeout illos privare hoc jure conferendi redoleat speciem pœnæ, qualis inesse dicitur, quoties agatur de privatione juris quæsiti, & competentis, juxta distinctionem de 7
qua *disc. 73 de reliam. & disc. 154. de fideicom. & alibi pluries*, & quæ distinctio nimium ad rem facere videtur inter privationem juris quæsiti, & expulsionem a jure querendo, & de qua etiam *disc. 70. & 71. de Benef. & alibi*: Istaque est casus Bullæ Pauli II. super privatione Cardinalium absentium sine licentia illo jure conferendi, quod de jure communi, vel indulto eis alias competat, dum agitur de pœna formali, quæ danda non est sine delicto, & per consequens, ubi absentia sit licita, & justa, præfata Constitutio intrare non debet.

In istis vero sex Ecclesiis Cardinalitiis, ac etiam in aliis 50. titulis presbyteralibus, & in 14. Diaconiis, ista ratio non intrat, eaque longe diversa est, quoniam, ut pluries advertitur, tam *in hoc Theatro*, quam in opere Italici idiomatis, cui titulus est, *Il Dottore volgare*, ac etiam in opere ejusdem idiomatis, cui titulus est, *Il Vescovo pratico*, & in alio opere pariter ejusdem idiomatis, cui titulus est *Il Cardinale*, quoad ea, quæ concernunt spiritualitatem, secluso principatu temporali in persona materiali Papæ ultra alias duas personas Patriarchæ, & Metropolitani ad rem non facientes, considerantur duæ personæ formales contradistinctæ, una Papæ Episcopi Ecclesiæ universalis, & Vicarii 8
Christi, & altera Episcopi particularis Urbis; Iste vero Episcopatus non est restrictus ad solum ambitum murorum ejusdem Urbis, vel ad illum proximum, & adjacentem recinctum vinearum, & prædiorum, qui sub nomine agri Romani explicari solet ad differentiam territoriorum particularium aliorum locorum existentium intra districtum, quoniam nimis improprium, ac indecorum esset, quod aliæ Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ habeant amplam diœcesim complectentem quamplura oppida, & Castra, aliaque loca inhabitata, ultra Civitatem, in qua sita est ipsa Cathedra; Et quod omnium aliarum Ecclesiarum caput, & mater, qualis est particularis Romana, ut Ecclesiæ Lat. inscriptio, sive intitolatio comprobat, nullam diœcesim habere debeat; Ideoque verius est, quod diœcesis Episcopatus Romani complectitur omnia illa oppida & loca, quæ constituunt sex Episcopatus Cardinalitios, qui dicuntur etiam improprie Cathedrales tamquam facientes 9
illam figuram comparative ad alias Ecclesias inferiores parochiales, vel simplices; Illi vero sex Episcopi vere, & proprie considerentur tamquam Vicarii, & adjutores Papæ eodem modo, quo cum sua proportione considerantur alii 64 Cardinales in eorum titulis, & Diaconiis in Urbe juxta deducta *disc. 23. de jurisdict. & in disceptatione Cardinalis de Albicis registrata in dicto tit. de jurisdict. disc. 65.* ac etiam considerantur tres Cardinales Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium, ita administrando hanc Ecclesiam cum uno Vicario Generali, qui est Cardinalis Vicarius Urbis, de quo agitur *disc. 13. in Relatione Curiæ*, & cum istis Vicariis particularibus majoribus, vel minoribus respective.

Idque ultra præfatum argumentum omnimode verisimilitudinis, comprobatur etiam a plerisque aliis argumentis, omnimo claris demonstrantibus; Primo nempe a jurisdictione ordinaria, quam etiam in prima instantia cumulative cum istis sex Cardinalibus Episcopis in hujusmodi Diœcesibus, & locis habet dictus Vicarius Urbis, dum alias esset dare absurdum plurium Episcoporum, & Ordinariorum in eodem Territorio, nisi hæc compatibilis subordinatio illud salvaret. Unde propterea in his tantum Diœcesibus ista Vicarii Urbis jurisdictio locum habere videtur, 10
non autem in aliis Diœcesibus, quamvis sint intra distri-

ctum

ctum quadraginta milliarium circumcirca, quoniam iste est districtus moderno tempore firmatus per novas Urbis reformationes in temporalibus, a quibus inferre non licet in spiritualibus, in quibus hujusmodi Diœcesis, ac etiam aliæ infra latiorem antiquum districtum centum milliarium circumcirca dignosci vidatur illud jus metropoliticum, quod etiam consideratur in Papa contradistinctum a jure Papali, ut etiam locis citatis advertitur.

Secundo, comprobat praxis congregationis visitationis Apostolicæ, de qua *disc. 124 in relatione Curiæ*, quoniam ut ibi advertitur, ista non est Congregatio Papalis pro universa Ecclesia, ut sunt aliæ, sed est Congregatio deputata per Papam, tamquam Episcopum Urbis pro visitatione suæ Diœcesis, ut ipse quoque satisfaciat decreto Concilii Tridentini, & tamen ista Congregatio complectitur hos Episcopatus.

Tertio id comprobat hæc eadem Regula septima, sive octava, cui alia non videtur congrua ratio assistere.

Et quarto forse omnium clarius, quoniam isti Episcopatus non obligant ad residentiam, atque sunt compatibiles cum altero Episcopatu residentiali, & actualis residentiæ, ut late probatur *in dissertatione Cardinalis Brancatii*, atque pluries advertitur in locis supra citatis, & comprobat notoria praxis actualis in tribus ex his Episcopis, nempe in isto Albanen. qui retinet Spoletanam, & in Tusculano, qui retinet Faventinam.

Istis itaque Vicariis generalibus, & particularibus respective Papa noluit omnimodam jurisdictionem Episcopalem communicare, sed pleraque sibi reservavit, & præsertim istam collationis beneficiorum, quæ de sui natura exigit mandatum speciale, ideoque regula-
11 riter non venit sub mandato generali, quod datur Vicario, prout in præfato Vicario generali Urbis notoria praxis docet. Ad alliciendum vero Cardinales ad residentiam in Curia, illos Vicarios particulares melius tractare voluit, quam Vicarium Generalem, cujus officium non est præcise Cardinalitium, ut sunt præfati alii Vicariatus particulares, ut advertitur *dicto disc. 13. in relatione Curiæ*, & sic in propria diœcesi voluit eis concedere collationem illorum beneficiorum, quæ sint in Ecclesiis sibi commissis, ut supra, sed sub ista qualitate, vel conditione, dummodo sint præsentes. Igitur non intrat inspectio, an absentia sit justa, ad-
12 eout vim habeat præsentiæ fictæ necne, quoniam id procedit, quando ob absentiam agerctur de privatione illius juris, quod alias habitualiter competit, itaut agatur de illa formali pœna, quæ consistit in privatione juris quæsiti, & ad quem effectum requiritur malitia, vel culpa talis, quæ redoleat delictum juxta terminos dictæ Bullæ Pauli III. Secus autem, quando agitur de obtinendo ex alicujus liberalitate, ac munificentia id quod alias jure suo non competat, quoniam in illa conditione, quæ adjicitur a parte antea tamquam qualitas necessaria pro assequutione juris quærendi attenditur nudum factum, non curato, an defectus qualitatis, vel conditionis sit culposus necne, juxta distinctionem receptam, de qua *dicto disc. 73. de testam disc. 154. de fideicom* & alibi pluries; istaque est ratio, cui innixa est conclusio apud Beneficialistas recepta in materia alternativæ, quod nisi resideatur, amittitur etiam pro duobus mensibus ordinariis, quia nempe non excusat justa causa absentiæ, quamvis illa sit pro servitio Ecclesiæ universalis, vel Reipublicæ, sive pro servitio ipsiusmet Ecclesiæ particularis. Iidque videntur veri, ac proprii termini hujus regulæ, ad cujus effectum attenditur præsentia de facto tamquam conditio, seu qualitas necessaria ad assequendam illam facultatem ex gratia, & benevolentia concessam, quæ alias jure suo non competeret, unde propterea delictio illorum verborum, *non tamen ob servitium sedis Apostolicæ, & cum licentia Sanctitatis suæ, vel apud eorum Ecclesias residentes* per Alex. VII. demandata, atque per tres successores Pontifices hucusque approbata ex eo quod in eorum regulis apposita non fuerunt, non fuit nova dispositio exorbitans, sed potius declarativa ejus quod de jure inest, & correctio erroris commissi in hujusmodi verborum adjectione.

Ex his autem de plano resultat responsio ad motivum, in quo scribentes pro proviso per Episcopum magnum constituere videntur fundamentum, quod scilicet in omnem eventum, ubi etiam intraret reservatio hujus regulæ ra-
13 tione absentiæ a Curia, adhuc tamen suffragaretur duplex indultum, & præsertim posterius, quod per Clem. X. concessum fuit huic Cardinali occasione assequutionis istius Episcopatus Albanen. ultra primum generale consuetum sibi concessum per Urb. VIII. quoniam hujusmodi indulta, ex frequenter insinuatis, cum sit principium hodie notorium, aliud non operantur, nisi remotionem obstaculi reservationum, & affectionum resultantum a regulis Cancellariæ, & a Constitutionibus Apostolicis, unde propterea Indultarii conferre dicuntur jure proprio, ac primævo competente, antequam iste reservationum usus introduceretur, perinde ac si non adessent. Et licet moderno tempore a Constit. 59. Urbani VIII. citra non procedatur amplius cum ista propositione, sed cum diversa, ut Indultarii conferre potius dicantur reservata, vel affecta jure delegato, ac Vicario nomine Papæ; Attamen id inolevit in gratiam indultariorum ad effectum excludendi prætensionem Capitulorum, aliorumque inferiorum, qui aliquam participationem habeant cùm Ordinario in jure conferendi, non autem ut eos faciant Collatores, quando non sint, præscindendo a regulis, & observationibus, quodque tribuant illis illam facultatem, quam in puris terminis juris communis non habeant.

Atque in hoc pro meo judicio dignosci videtur aliquod æquivocum, opinando, quod ista regula septima, 14
sive octava inducat illam veram reservationem, quam inducunt aliæ regulæ; quoniam reservationes proprie sunt illæ, per quas Papa uti Papa tollit Ordinariis, vel restringit illam facultatem, quam isti alias haberent, quod applicari non potest huic regulæ, quæ licet adhibeat illum terminum reservationis, attamen iste capiendus non est in præfata aliarum regularum, vel Apostolicarum Constitutionum significatione, per quam uti Papa tollit hoc jus Ordinariis, illudque sibi appropriat sed potius in altera significatione exceptuationis, quam Papa tamquam Episcopus Urbis, ut supra facit per viam declarationis, quod in mandato hujusmodi Cardinalibus ejus Vicariis concesso in hoc suo Episcopatu non intelligit comprehendere collationem beneficiorum nisi cum dicta qualitate.

Adhuc tamen illo intellectu retento indulta Cardinalitia operativa remanent quoad reservationes, quæ resul-
tant ab aliis regulis, & constitutionibus, quibus etiam 15
Cardinales præsentes in Curia subjacerent, nisi indultum quod propterea remanet operativum, atque excluditur fatuitas, cujus argumentum e converso intraret in ipsa regula, quando subsisteret motivum, quod etiam in ejus casum favore Cardinalis absentis intraret indultum, dum illud omnibus Cardinalibus conceditur, adeout esset regula fatua, & de vento, istaque videtur melior, ac solida responsio ad hoc motivum, quam altera, in qua adeo per scribentes hinc inde insistitur super revocatione indulti per regulas supervenientes, cum pro meo judicio hæc videantur continere frigiditates. Nimiumque ad præmissorum comprobationem considerabilis videtur observantia, tamquam optima interpres.

Et hæc sunt quæ mihi in ista controversia ex improviso, atque currenti calamo absque librorum revolutione in notoria magna temporis angustia observanda videntur, reservando aliis, qui majori abundent otio, maturius illa ponderandi, & comprobandi partes.

Hic adjungimus sequentes Sacræ Rotæ Romanæ decisiones in materia Beneficiaria.

R. D. EMERIX DECANO.

Corduben. Beneficiorum.

Lunæ 19. Novembris 1694.

VAcantibus anno 1686. per obitum Josephi, & Gasparis in mense Novembris duobus Ecclesiasticis beneficiis in Diœcesi Corduben. portione scilicet integra Ecclesiæ Cathedralis, ac simplici dimidio præstimonio Parochialis Loci de Tebar, Eminentiss. D. Cardinalis de Salazar ab Episcopatu Salamantino ad Cordubensem translatus in Consistorio Secreto die 16. Septembris ejusdem anni post adeptam in mense Decembris novæ Sedis actualem pacificam possessionem, utrumque, uti ad propriam ipsius dispositionem libere pertinens, contulit die 20. Februarii sequentis anni 1687. primum nempe Francisco Godinez, secundum Gregorio de Salazar ejus fratri germano: Ac versa vice de utroque etiam tamquam Sedis Apostolicæ specialiter reservato, ab eadem sibi provideri obtinuit Franciscus Trapero. Hinc orta lite inter utrumque provisos super executione gratiæ Apostolicæ, causaque mihi commissa, subscripsi de more dubium; *An ille fores exe-*

quu-

quenda, quod in hodierna audientia propositum, Domini negative resolverunt.

Quia non subsistit reservatio per Franciscum narrata Pontifici, quæ utique potissimum ipsius gratiæ fundamentum, debet ab eo plene, & concludenter justificari, ad tradita per Roman. *cons.* 325. *n.* 11. Spada *cons.* 79. *n.* 3. *in* 2. Gonzal. *ad reg.* 8. *glos* 11. *n.* 100. *& seqq.* Cassador. *dec.* 5. *de præbend.* Caputaquen. *dec.* 10. *n.* 1. *p.* 2. Rota *dec.* 300. *n.* 2. *&* 3. *coram Ubaldo*, *& dec* 14. *n.* 5. *coram Dunozo*.

Nec ista alici valet ex eo, quod vacatio contigerit in mense Novembris, quo D. Cardinalis nondum assequutus fuerat possessionem Ecclesiæ Corduben. & consequenter intret dispositio regulæ secundæ Cancellariæ, per quam generaliter declarantur reservata omnia beneficia post Collatorum obitum vacantia, usque ad provisionem successorum, & adeptam ab eisdem successoribus actualem pacificam possessionem Ecclesiarum, ad quas fuerunt promoti ad terminos text. *extravag. injunctæ*, *de elect. inter commun.*

Quia dispositio regulæ secundæ, uti odiosæ atque exorbitantis a jure communi, non vindicat sibi locum in collationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui sub dicta *extravag. injunctæ*, non comprehenduntur, juxta magis communem, ac receptam DD. sententiam, de qua Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 24. *n.* 6. *&* 7. *vers. ita etiam*, Gomez. in *proœm, regul. Cancellar. quæst.* 4. §. *tertius casus*, *vers. sed quia*, *& vers. & sic* Bellentin. *de charitat. subsid. quæst.* 66. ubi quod ita resolutum fuit in Rota, ipso præsente, Fermolin. *in cap. Transmissa* 15. *quæst.* 6. *a n.* 1. *ad* 10. *de elect.* Germon. *de indult. Cardinal.* §. *nec non quorumcumque*, *sub n.* 3. *vers. hinc oritur*, *& n.* 4. 6. *& seqq.* Massobr. *in prax. haben. concurs. prælud.* 26. *dub.* 6. *a n.* 1. *ad* 5. Laert. Cherubin. *in compend. Bullar. ad constitut.* 55. *Beati Pii V.* Pax Jordan. *var. lucubr. de re beneficiaria*, *l.* 7. *tit.* 2. *n.* 23. *vers. prout nec secunda*. Castropalaus *oper. moral. tract.* 13. *de benefic. Eccles. disput.* 2. *punct.* 18. *vers. excipe*, Theodos. Rub. *singular. ad dec. Accorambon. n.* 3. *fol. mihi* 131. *tom.* 1. Dian. coordinat. *par.* 9. *tract.* 7. *de potest. & privil. Cardin. resol.* 53. *&* 55. Capon. *discept. for.* 10. *n.* 11. *tom.* 1. ubi quod collatio approbata fuit per Datariam, Rota *coram Lancellot. in una Burgen. Canonicatus* 3. *Junii* 1583. *& coram Seraphino in Toletana Canonicatus* 26. *Junii* 1595. inter ejus impressas *dec.* 1144. *n.* 2. *vers alia vero*, *& n.* 3. & in alia *Toletana Parochialis* 3. *Julii* 1595. *dec.* 1148. *in principio*, *& n.* 1. ubi in margine meminit antecedentis coram Lancellot. ac formiter in his præcisis terminis discusso articulo 19 *Hispalen. Beneficii* 19. *Aprilis* 1602. *coram Justo*.

Idque fortius, quando (prout hic) ratio motiva prædictæ regulæ eosdem Cardinales non afficit, quia videlicet ipsi taxas non solvunt pro expeditione litterarum, ac nefas est, tametsi litteris non expeditis veritatem eorum deputationis ad gubernium animarum in litem deducere, & prærogativæ dignitatis, quæ in illis effulget, fidem adimere, juxta ea, quæ in puncto tradit Lotter. *de re benef. lib.* 3. *quæst.* 27. *&* 32. & firmant ultra mox adductos Selva *de benef. p.* 3. *quæst.* 3. *n.* 46. *vers. octavum privilegium*. Lavor. *var. lucubrat. de elect. tit.* 4. *c.* 25. *n.* 10. Gerund. *de Episcop. tom.* 2. *l.* 7. *disput.* 6. *n.* 12. Rot. *d.* 56. *n.* 13. *&* 14. *p.* 5. *rec.*

Cessante autem ex præmissis obstaculo sæpe dictæ regulæ provisi ab Ordinario fundatam habent intentionem de jure communi, per quod Episcopus, secuta sui ipsius electione, statim acquirit ea omnia, quæ sunt jurisdictionis, ac signanter jus conferendi Beneficia; facta enim electione consumpta dicitur vacatio Ecclesiarum, juxta sententiam gloss. *in d. c. transmissam* 15. *verb. de talibus*, *de elect.* ibique Abb. *n.* 3. Fermosin. *quæst.* 3. n. 3. *&* 6. Barbos. *n.* 2. Germon. *de indult. Cardin.* §. *nec non quorumcumque*, *sub n.* 3. *vers. hinc oritur*, *& n.* 4 *cum seqq.* Massobr. *in prax. haben. concurs. prælud.* 26. *n.* 2. Pax Jordan. *var. lucubrat. de re benef. l.* 7. *tit.* 2. *n.* 32. Rota *dec.* 182. *per tot. par.* 2. *divers.*

Et hinc non relevant auctoritates in oppositum cumulatæ, quia earum aliquæ & signanter *dec. Burgen. Canonicatus* 3. *Junii* 1583 *coram bo. me. Corduba* revocatoria alterius 28. Januarii coram Lancellotto, non loquuntur in terminis Episcopi Cardinalis; Aliæ vero, inter quas Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 4. *a n.* 252. quæstionem movent per modum dubii, nec inquirunt rationem regulæ, de qua modo agitur, ac denique cæteræ indefinite loquuntur de aliis regulis, quarum specialis ratio ipsosmet afficeret Cardinales, nisi forent specialiter excepti, ut observant Gonz. *de regula reservatoria mensium*, *gloss.* 24 *n.* 29. ubi supra, *n.* 6. *&* 7. contrarium firmat in regula secunda.

Neque obstat quod Cardinales expresse excipiantur in reservatoria mensium, & quod in alia in ordine 70. declarentur exempti solum a regulis imposterum edendis, quodque demum inutilia forent, & superflua indulta, quæ passim iisdem conceduntur, ut libere conferre valeant Beneficia, non obstantibus Constitutionibus ac reservationibus Apostolicis, nisi generaliter illos etiam afficerent regulæ Cancellariæ; Quia omnibus in universum satisfacit responsio, quod Cardinales tunc demum censentur sub regulis comprehendi, ubi iisdem applicabilis est ratio regularum, ut distinguendo tradunt Felin. *in c. ad aures*, *n.* 11. *de rescript.* Selva *de benef. quæst.* 12. *n.* 31. Gonzal. ad *regul.* 8. *Cancell. glos.* 24. *n.* 6. *& pluribus seqq.* Adden. ad Buratt. *decis.* 570. *n.* 13. *vers. ratio*, *& dec.* 1632. *n.* 10 *coram Coccino*.

Denique minus relevat, quod collatio D. Cardinalis fuerit nulla uti facta vigore indulti, quo ipse de eo tempore nondum gaudebat, quodque illi ulterius obstet specialis consuetudo vigens in Regnis Hispaniarum, per quam Episcopi non recipiuntur ad administrationem, & collationem Beneficiorum, nisi præcesserit actualis possessio Ecclesiarum; Quia non est verum collationem fuisse restrictam ad titulum Indulti Cardinalatus, imo contrarium liquet ex eo, quod illa primario innititur ordinariæ jurisdictioni, ut legitur in ipsismet litteris patentibus collationis, seu provisionis, ibi utendo omnibus potestatibus & ordinaria auctoritate, ac virtute Indulti, & privilegiorum dignitatis nostræ Cardinalitiæ, ac omni meliori forma ac titulo, quo possumus, & debemus & de asserta consuetudine nulla affertur concludens probatio respectu Cardinalium, imo eam destruunt superius laudatæ decisiones coram Seraphino, & coram Justo, nominatim agentes de Cardinalibus Episcopis Hispaniæ.

Et ita, prætermisso examine, an etiam proviso Apostolico obsistant regulæ de annali, & triennali possessore; quod ex supra deductis visum non fuit necessarium, conclusum est, utraque &c.

R. P. D. URSINO DECANO.

Corduben. Beneficiorum.

Lunæ 3. *Decembris* 1696.

QUia de Jure antiquo Canonico cessantibus obstaculis posteriorum Apostolicarum constitutionum Episcopi statim post electionem acquirebant ea omnia, quæ sunt jurisdictionis, ac signanter Jus conferendi Beneficia etiam ante captam possessionem Ecclesiæ. quia in momento factæ electionis consumpta dicebatur vacatio Ecclesiarum ad originalem theoricam Glossæ *in cap. transmissam* 15. *verb. de talibus*, *de elect. ibique* Abbas *n.* 3. Fermosin, *quæst.* 3. *n.* 3. *&* 6. & Barbos. *n.* 2. Germon. *de Indult. Card.* §. nec non *quarumcumque*, *sub n.* 3. *vers. hinc oritur*, *& n.* 4. *cum seqq.* Massobr. *in prax. haben. concurs. Prælator.* 26. *n.* 2. Pax Jord. *var. elucubr. de re benef. lib.* 7. *tit.* 2. *n.* 22. Marth. *de cons. concess. sect.* 2. *n.* 39. *& dixit* Rota *dec.* 182. *per tot. p.* 2. *divers.* & optime *in Hispalen.* 19. *Aprilis* 1602. *cor. Justo*; & ab hac dispositione pravum in sensum a malitia nonullorum Prælatorum detorta, non solum ingens præjudicium interesse bursali Datariæ Apostolicæ obveniebat ob neglectas expeditiones litterarum, sed ulterius quamplures abusus prodierant, dum plerique ex Apostolicis Provisis volebant sibi credi super provisionibus sine litteris, & privata auctoritate compellebant Collegia ad præstandam obedientiam; Idcirco Bonifacius VIII. omnibus istis eliminandis abusibus proinde studens speciali sanctione corrigere decrevit supradictam antiquorum Canonum dispositionem, & lege correctoria determinare, quod vacatio Ecclesiarum, quæ prius in momento electionum consumebatur, prorogata remaneret usque ad actualem possessionis adeptionem, specialiter vetuit omnibus Prælatis, ne quoquo modo se ingererent in iis, quæ sunt Jurisdictionis, circa quæ facultatem omnem alias de Jure competentem abstulit, ut legere est in *extravaganti injunctæ*, *de electione* inter communes, cujus rationem motivam cum DD. perpenderint tam in interesse Bursali Apostolicæ Datariæ, quam in peculiari coercitione mali moris quorundam Prælatorum, qui temerario ausu sine Apostolicis diplomatibus sibi credi, sibique obedientiam præstari præsumebant, communiter reputata est pro lege correctoria & exorbitanti, non de facili extendenda, ut videtur innuere Gloss. *ipsa in cit. extravag. injunctæ*, *verb.* non *præsumat*, *vers. dic contra*, ibi ... *Dic contra*, *quia cum hæc constitutio sit pænalis*, *& contra Jus commune*. *eandem non ex-*

tens

tendam, sicut nec Jura specialia contra reg. ad conseq. sunt trahenda, itemque firmant Lotter. *de re Benef. l.* 1. *q.* 27. *n.* 31. ubi perpendit rationem motivam *extravag.* & relatis concordan. Rot. *in Hispalen. Beneficii* 10. *Aprilis* 1602. §. *quare, & seqq. cor. Justo*, quę hodie circumferebatur in particula.

Taliter autem prorogata vacatione per dispositionem *extravag.* usque ad actualem Episcopatum, & dignitatum possessionem, considerans B. Pius Quintus longo satis tempore Beneficia manere in suspenso, & in perniciem animarum diu vacare posse, ad occurrendum prævisо illarum periculo, perpetuo valitura constitutione per modum regulæ emanata decernere opportunum duxit omnia Beneficia Ecclesiastica Sede Episcopali Pastore destituta vacantia Apostolicæ dispositioni reservanda esse, prout reservavit in *Constit.* 55. Bullar. *nov. tom.* 2. *fol. mihi* 250. quæ subinde publicata die 9. Martii anni 1568. in Cancellaria Apostolica successive fa. me. Sixto V. illius Successore, ut referunt Cochier. *in comment. ad d. reg. n.* 17. Garz. *de benef. part.* 5. *c.* 1. *n.* 218. Lotter. *de re benef. l.* 2. *quæst.* 34. *num.* 7. inter regulas Cancell. adscripta fuit, & secundum in ordine locum ita perpetuo jubentibus Summis Pontificibus, obtinuit etiam cum expressa declaratione, ut omnia beneficia, quæ Sede Episcopali vacua vacare contigerint, usque ad adeptam a Successoribus pacificam possessionem Sedi Apostolicæ intelligantur reservata, ut consonant verba reg. 2. his inutiliter non adnectenda.

Ratio autem animativa regulæ citra contradictionem a DD. consideratur non solum laudabilis solicitudo providendi pauperes Clericos, quæ est nimis generalis, sed præcisa necessitas occurrendi diutinæ vacationi Beneficiorum ob animarum periculum ab illa exoriens. Et quia ab *extravag.* injunctæ vacatio Dignitatis, quæ cessabat in momento electionis, prorogata fuit usque ad tempus adeptæ pacificæ possessionis, idcirco retento eodem themate occurrendi vacationi Beneficiorum, regula secunda determinavit omnia Beneficia Papæ reservare, vacanda usque ad actualem Successoris pacificam possessionem, quia connotative ad præsuppositam continuatam vacationem Dignitatis, voluit consulere animarum saluti usque ad tempus, in quo vacatio Dignitatis cessabat, ut in individuo tenet Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 45. §. 3. *n.* 47. ibi--*Ratio regulæ* 2. *Cancell. est ne ex longa vacatione Sedis Episcopalis provisiones sint in suspenso, & maximum gravamen Ecclesiis inferatur, nam diuturnam vacationem Jura abhorrent*: Lotter. *de re benef. l.* 2. *quæst.* 34. *n.* 8. & Rot. *in individualib. in citata Hispalen. Benef. cor. Justo*, §. *quare*, ibi---*Ratio, quæ sola verisimiliter, movit Papam in Constitutione ejusdem regulæ, scilicet, quia Sede Episcopali vacante, (quæ vacatio ex dispositione extravag. injunctæ reperitur prorogata, ut in reg.) nullus est qui possit providere.*

Assumptique validissima demonstratio eruitur ex ipsismet visceribus regulæ secundæ, in qua ab effrænata reservatione excipiuntur Beneficia; *ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia*, quia tunc cum possint provideri per habentem simultaneam, in quo tota potestas consolidatur, cessat ratio diutinæ vacationis, & datur legitimus Beneficii Collator, cujus deficientia uti causativa periculi unice movit Papam ad determinandam reservationem, ut ita inferendo concludit Gonzal. *ad Glos.* 8. *glos.* 15. §. 3. *num.* 47. *& seqq.* & optime Lotter. *de re benef. l.* 2. *qu.* 34. *nu.* 8. *vers. unde*, ubi materiam per principia examinat.

Liceat ego ex præmissis corollarie inferre finalem Causam reservat. reg. 2. esse materialiter diversam ab illa *extravag. injunctæ*, sed in ratione formali esse connexam, & necessario dependentem, quia una procedit ab altera, & causative una aliam inducit. Quia certo certius nisi vacatio Ecclesiarum fuisset prorogata usque ad actum possessionis, periculum diutinæ vacationis Beneficiorum cessasset in ipso momento electionis, quia tunc de Jure communi provisus efficiebatur legitimus Collator, quo dato periculum animarum non occurreret, nec indigeret reservationis Apostolicæ remedio.

Sub his regulis, & animadversionibus P.P. coram me subrogato in locum, & gradum bo. mem. Emerix Decani reintegrato examine super executione gratiæ Apostolicę obtentæ a Francisco ex titulo reservationis reg. secundæ ad duo Beneficia, de quibus res est, vacata ante adeptam ab Eminentissimo Salazar possessionem Ecclesiæ Corduben. & ab eo Jure ordinariæ collationis provisa, denegata in decisione prodita die 29. Novembris 1694. coram Emerix, iterum fuerunt in sensu pro denegatione petitę excusationis, & discusso formiter articulo crediderunt S. R. E. Cardinales minime comprehendi sub dispositione *dictæ reg. secundæ*, minusque sub Sanctione *extravag. injunctę, de elect.* Causativę reservationis contentę *in dicta regula secunda*, quia denuo putarunt, nec rationem *regulę*, nec *illam extravagantis* valere in Cardinalibus, ad quos proinde per viam extensionis sanctiones istas correctorias, & exorbitantes trahi non debere autumarunt, & ita proposito a me congruo dubio - *standum esse in decisis* responderunt.

Et quidem ratio *extravag.* nec in esse causali, nec in connotato formali, valet S. R. E. Cardinales comprehendere, quia cum isti taxas non solvant pro expeditionibus litterarum, & nefas sit, tametsi litteris non expeditis veritatem eorum deputationis ad gubernium animarum in litem deducere, & præeminentiæ Dignitatis, quæ in illis affulget, fidem adimere, in eis proinde non verificatur, nec præjudicium interesse bursali Datariæ Apostolicæ, nec necessaria coercitio mali moris Prælatorum, qui temerario ausu volebant sibi credi super provisionibus absque litteris, ac per consequens utroque ex istis cessante, cessat etiam odiosa illa, & correctoria dispositio *extravagantis*, ut sub hac methodo ratiocinando ex professo defendunt Bellen. olim nostri Tribunalis Auditor *de charit. subsid. qu.* 61. *sub n.* 24. ubi testatur ita decisum eo præsente in Rota, Gonz. *ad reg.* 8. *Gloss.* 24. *n.* 6. *&* 7. *vers. quia fuit*, Gomez. *in proœm. regul. quæst.* 4. §. 3. *casus*, *vers. sed quia*, Theodos. Rub. *in singul.* ad Dec. *Accoramboni bo. me.* 1. *n.* 3. *fol.* 131. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 111. *n.* 35. *& super eadem extravag. injunctæ*, *n.* 5. Matt. *de caus. conversor. sect.* 2. *n.* 41. Lavor. *de elect. tit.* 40. *c.* 25. *n.* 10. Lotter. *de re benef. l.* 1. *quæst.* 27. *n.* 32. Pax Jord. *var. elucubr. l.* 8. *tit.* 2. *n.* 22. *&* 23. Gerun. *de Episcopo, tit.* 2. *l.* 7. *disput.* 6. *n.* 12. Fermosin. *de offic. & Sac. Eccl. ad rub. de elect. super cap. transmissam*, *quæst.* 6. *& n.* 1. *usque ad* 10. German. *de Indult. Cardin.* §. *nec non quarumcumque*, *n.* 3. *vers. hinc oritur*, *& n.* 46. *& seqq.* Dian. *Oper. moral. p.* 9. *tract.* 2. *de potest. & privil. Card. resol.* 53. *&* 64. Capon. *tom.* 1. *discept.* 10 *n.* 12. ubi quod collatio approbata fuit per Datariam, & perpetuo tenuit Rota coram Lancellot. *in una Burgen. Canonicatus* 26. *Junii* 1583. & coram Seraph. *in Toletana Canonicatus* 26. *Junii* 1595. inter ejus impressas *dec.* 1144. *in fin. & n.* 1. ubi in margine refert antedictam coram Lancellotto, & formiter disputato articulo in citata *Hispalen. Beneficii* 19. *Aprilis* 1602. *coram Justo*.

Remota autem in Cardinalibus censura *Extravag. Injunctæ*, vacatio Ecclesiarum ad quas assumuntur, cessat in ipso electionis momento, & sublata lege hac correctoria materia reducitur ad terminos Juris communis, juxta quos in ipso actu electionis Ecclesia dicitur sufficienter provisa, & adest legitimus Pastor, & Collator, & ob id minus eis applicabilis redditur ratio finalis *regulæ secundæ*, quæ cum sola sit, ut occurratur diutinæ vacationi Beneficiorum, supponendo, quod Ecclesia Episcopalis vacet, non solum usque ad provisionem successorum, sed etiam usque ad possessionem ab eis adeptam juxta tenorem *extravag. injunctæ*, ita, & taliter quod donec non capiatur possessio Ecclesiæ, nemo sit, qui possit conferre Beneficia juxta superius expressa in §. *taliter autem*. Ista ratio diutinæ vacationis Beneficiorum non applicatur Episcopis Cardinalibus, eo quia ipsi statim, ac provisi sunt de Ecclesiis consumunt in eodem instanti Ecclesiarum vacationem, & possunt exercere omnia ea, quæ sunt Jurisdictionis, & lignanter collationem Beneficiorum ad censuram Juris communis Canonici, ita ut Beneficia vacata post provisionem respectu Cardinalium, dicantur vacata sede plena, & legitimo existente Collatore, quod e diametro tollit rationem regulæ, & operatur, ut illa Cardinales minime comprehendat; ut ultra duo judicata punctualia nostri Auditoris coram Seraph. *dec.* 1148. *n.* 1. & in sæpe laudata *Hispalen. Beneficii* 19. *Aprilis* 1602. *coram Justo* tenet gravior, & sanior pars DD. qui in hoc articulo scripserunt, prout omissis superius adductis, qui merito in hac classe reponi possent, individualius firmant Cherubin. *in compend. Bullar. interpretando Const.* 55. *B. Pii V.* a qua desinat rigorosa sanctio reg. 2. *Schol.* 1. & refert, ac laudat *Decisionem Hispalen. cor. Justo*, Theodos. Rub. *in singul.* Rot. *tom.* 20. *circa stylum*, *& observantiam* Rotæ *in verbo Cardinalis*, *n.* 10. *& tom.* 1. *ad dec. Accorambon. n* 3. *pag.* 13. Filiu. *q. moral. tom.* 3. *tract.* 41. *tit. de Benef. c.* 3. *n.* 37. Pax Jordan. *var. elucubrat. l.* 8. *tit.* 2. *n* 23. *vers. prout nec secundæ*, Castropal. *oper. moral. l.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 18. *n.* 4. *vers. excipe*, Gonz. *ad reg.* 8.

reg. 8. Cancell. *gloss.* 23. *num.* 6 *&* 7. Capon. *discept.* 10. *num.* 12. *tom.* 1. & Barbos. *de potest. Episcopi*, *alleg.* 57. *n.* 23. & Marta *de Caus. concess. sect.* 20. *n.* 11. ubi assignat rationem, quia Beneficia vacata post provisionem Cardinalium, dicuntur vacare Sede plena.

Concurrente igitur tam demonstrativa ratione fulcita tot insignibus auctoritatibus, ista opinio visa fuit DD. tutior, ac probabilior, quia licet non defuerint aliqui DD. qui contrariam Sententiam veriorem putaverint, ut Paris. *de edit. instrument. tit.* 2. *resol.* 3. *sub n.* 25. 27. *& seqq.* & Joseph. Januar. *resol. moral.* 17. *num.* 18. & alii quam pauci, qui in individuo articuli allegari possunt: tamen cum isti, nec funditus animadverterint rationi originalis regulæ, nec connexioni, quam regula sortiatur *cum extravag. injunctæ*, eorum opinio non meretur contraponi tot classicis Doctoribus, & geminatis resolutionibus nostri Auditorii, quibus semper in concursu solet Tribunal deferre.

Nec in classe istorum reprobatorum allegari valet Felin. *in cap. ad aures*, *n.* 10. *de rescript.* Garz. *de benefic. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 253. & Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 24. *d.* 6. *& gloss.* 15. §. 2. *sub n.* 84. quia omnibus istis in fonte recognitis DD. patuit casum controversiæ præsentis minime percutere, sed sub diversa penitus hypothesi, quæstionem pertractare, Felin. namque non agit *de extravag. injunctæ*, nec de reg. 2. Cancell. sed solum de reg. de valore, an Cardinales comprehendat, ut legi potest sub *vers. si Cardinalis* impetrans beneficium, & ibi reprobat Ancharan. stantem pro non comprehensione, cum ipse tueatur sententiam, Cardinales sub ea comprehendi. Et licet refellere etiam conetur Bellencin. cum Ancharan. opinantem, Cardinales non esse comprehensos sub regul. de valore, referendo testimonium Francisci Panvini olim Sacr. Rotæ Auditoris qui testatur suis temporibus decisum, regulas Cancell. ligare Cardinales, nullibi tamen descendit ad reg. 2. nec in ejus puncto legitur testimonium Panvini, vel reprobatur Bellencinus.

Et in istis quoque terminis loquitur Gomez. *in reg. de valor. q.* 1. ubi de eadem materia quæstionem facit.

Garz. vero *de benefic.* dubitative questionem promovit, & nihil determinate resolvit, & licet videatur inclinare in affirmativam pro comprehensione Cardinalium, attamen rationem regulæ non examinat, & ob id ejus dubitatio rejecta legitur a Filiuc. *quæst. moral. tom.* 3. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 37. *vers. quamvis*.

Gonzal. vero in locis allegatis tractat de Episcopo non Cardinali, vel de aliis regulis Cancell. quæ ob sui generalitatem, vel ob rationem adaptabilem Cardinales comprehendunt.

Et in proposito demendæ sunt e calculo generaliter omnes auctoritates, quæ firmant Cardinales *cap. sub regul. Cancell.* aliisque Pontificiis dispositionibus, quia ut optime satisfacit prima decisio, §. *neque obstat*, propositio est verissima, quod ad illas regulas, quarum ratio potest applicari Cardinalibus, non autem quoad reg. 2. cujus ratio ipsius non adaptatur. Et sane incongruum esset ex generali comprehensione in regulis ad particularem, quando ejus ratio excipere dicitur Cardinales, cum nulla potior exceptuatio considerari valeat illa, quæ resultat ex defectu rationis finalis, ut bene distinguit Rot. coram Coccin. *decis.* 1632. *num.* 10. ibi: *comprehenduntur sub regul. Cancellar. nisi ratio regulæ illos non comprehendat*, *& tenent in puncto* Gonzal. *regul.* 8. *gloss.* 24. *n.* 6. *& seqq.* Adden. ad Buratt. *decis.* 570. *n.* 13. *vers. ratio*, *& in terminis reg. secundæ* Rotæ coram Seraph. *decis.* 1148. *num.* 3. *vers. neque*.

Et ex hac mea ratione verissimum est Alex. VII. in sua speciali declaratione voluisse Cardinales comprehensos in regulis; ob id expresse hodie exceptos esse a *regula nona alias* 8. & concedi eis Indulta, ut gaudeant Beneficio non comprehensionis; Sed hæc omnia militant sub themate regularum, quarum ratio, & causa non disconvenit Cardinalibus, sed nihil inferunt ad regul. 2. quæ in ratione causali nequit Cardinalibus applicari.

Quapropter omnibus in suo esse consideratis, Auctoritates, quæ in oppositum afferebantur, vel loquuntur in terminis generalibus regularum in Universum, vel de aliis regulis in specie quæstionem tractant, aut sermonem faciunt, de Episcopo non Cardinali, ut decisio Burgen. Canonicatus coram Corduba, quæ præferebatur revocatoria a nobis relatæ coram Lancell. aut demum incidenter, & sine materiæ examine loquuntur, ita ut pauci, & ignoti forsan nominis, sint illi, qui pro contraria opinione merentur allegari, quique refelluntur a tot aliis insignibus Doctoribus, & a sententia alias in specie tenta coram Justo in nostro Auditorio.

Perpensis his in puncto juris frustra opponebatur in facto Eminentissimum Salazar non potuisse de tempore collationis Beneficiorum sese immiscere Ecclesiæ administrationi ex quo antea non præstiterat juramentum de visitandis Liminibus Apostolorum juxta sancita in novissima constitutione Sixti V. Quoniam combinatis temporibus præstiti juramenti hodie exhibiti in Summario Cardinalis *n.* 8. cum illis sequutæ vacationis Beneficiorum, liquet illud hanc quampluribus diebus præcessisse, cum juramentum dignoscatur præstitum sub die 17. Novembris, vacationes vero sequutas diebus 23 & 29. ejusdem, sicque ex facto omnis eliminatur difficultas, & Eminentissimus Cardinalis dicitur in probatis, licet hoc ei non incumberet cum non agatur de juramento voluntario exigente probationem in specie, sed de necessario quod absque alia probatione de jure præsumitur, juxta *dec.* 2. Crescent. *de jurejur. & alibi sæpissime*.

Et inutilis erat ponderatio, quod Eminentissimus Cardinalis juraverit se servaturum Apostolicas Ordinationes, quia palam omnibus fit, hoc intelligi de illis, quibus ligatur, non de aliis, a quibus summo jure exceptuatus reperitur.

Quamplura alia contra provisum Apostolicum opponebantur, utpote defectus signatæ supplicationis obsistentiæ regulæ de annali, & alterius de triennali, sed cum satis superque DD. fuerint in articulo determinati omnia uti supervacanea prætermiserunt, & ex hoc solum fundamenro resoluta approbarunt partibus in acerrimo Contradictorio auditis.

R. P. D. PRIOLO.

Romana Clericatus Beneficiati S. Petri.

Veneris 13. *Maji* 1695.

CUm institutio, & destitutio Beneficiatorum in Basilica S. Petri ex Constitutione Nicolai Tertii pleno jure pertineret ad Archipresbyterum, & Capitulum, attenta hebdomadarum divisione inter eosdem facta, altera pariter subdivisio illarum ad Capitulum spectantium inter Canonicos conventa fuit, & utraque supponitur inita ad tollendas inter Electores dissensiones, cum de illarum principio nullum esset vestigium; Vacavit de mense Martii 1694. unus ex Clericatibus Beneficiatis, & quia Collatio illius hebdomadæ in Tabella Turnaria erat assignata R. P. D. de Philippis, illum contulit Josepho; Viceversa Capitulum prætendens ei obstare non minus textum *in Clem. ut ii*, *de ætat. & qualit.* quam Sacr. Concil. Trident. *de reform. sess.* 22. *c.* 5. & specialem quoque dispositionem dictæ Constitutionis Nicolai Tertii, ex quibus tam generalis, quam specialis prohibitio promanat, quod Canonici in Sacris non constituti vocem in Capitulo minime habere possint, providit de eodem Beneficiato Hieronymum, & propterea orta contentione inter partes, interim supervenit ad Casum Canonicatus Guidus del Palagio, & uti immediate proximus in Turno, allegans quoddam tertium jus exclusivum utriusque Collitigantis; ipse enim erat intra annum suæ possessionis, ex quo prætendebat sibi non obstare jura per Capitulum contra Canonicum de Philippis adducta, neque affici ab allegationibus contra Capitulum; In hoc itaque rerum statu Joseph a R. P. D. Vices gerente sententiam favorabilem reportavit, quapropter causa ad instantiam Succumbentium in gradu appellationis mihi delata pro illius resolutione dedi dubium omnium comprehensivum; *An*, *& cui sit adjudicandus Clericatus Beneficiatus*, *vel potius ad quem spectet illius Collatio*, & DD. dixerunt, *adjudicandum esse Hieronymo*, cum allegata jura visa sint obstare æque R. P. D. de Philippis quam Canonico Guido, & jus collationis redire ad Capitulum habens principale jus instituendi, vel destituendi.

Non impugnabatur præceptum *Clement. ut ii*, *de ætat. & qualit.* quod ille, qui saltem in Subdiaconatus ordine constitutus non sit, vocem in Capitulo habere non possit, repetitum a Concilio *sess.* 22. *cap.* 5. *de reform.* & specialiter etiam demandatum a Nicolao III. in allegata Constit. ibi, *portiones non recipiant*, *nec admittantur ad eas*, *etiam si alias eis de jure juxta suæ institutionis Ordinem deberentur*, *nisi fuerint in ipsa Ecclesia residentes*, *& in Sacris Ordinibus constituti*: & deinde subditur, *non tamen stallum habeat in Choro*, *& in Capitulo vocem habeat*, *vel locum*, *nec ad ipsius admittatur tractatus*, *quousque ad Sacros Ordines sit promotus*.

Sed

Sed scribentes pro Josepho dicebant, hæc non afficere Canonicum de Philippis, cum non prætendat neque stallum in Choro, neque vocem in Capitulo, sed solum jus nominandi ad controversum beneficium, & cum talis nominatio sit actus non faciendus in Capitulo, & nunquam doceatur illum factum fuisse in Capitulo post divisionem, neque importare ipsam Collationem, sed merum exercitium juris nominandi, quod adimpleri potest a Procuratore, & a persona extranea, ideoque multo magis a Canonico ejusdem Capituli, quamvis in Sacris non constituto, & tale assumptum fundabant in decisionibus emanatis coram Gypsio, ut videre est *in dec. 600. & dec. 603. part. 4. diversi & dec. 15. part. 3. rec.* quæ in individuo agentes de Beneficiatu S. Petri, firmant tale jus nominandi competere Canonicis, uti singulis etiam in Sacris non constitutis, non minus ex pluribus scripturis in magna mole tunc exhibitis, sed attenta antiqua, & pacifica consuetudine, quam ex jure; cum tale jus nominandi sit actus extra capitularis; nam ut specialiter subdit *d. dec. 600. §. 2.* per divisionem hebdomadatum a Capitulo factam non censetur translatum in Canonicum Hebdomadarium jus conferendi, prout juris est, sed tantum exercitium, seu nominatio personæ, cui Beneficium conferri debet, & sic nudum factum, quoniam Hebdomadario Collatio inutilis prorsus, & sine effectu esset, nisi fieret coram Notario Capituli cum suscriptione Secretarii, & sigillo ejusdem Capituli; ex quo datur intelligi ejus collationem de per se perfectam non esse, siquidem nil actum censetur cum aliquid superest.

Et in præmissorum corroborationem exhibuerunt etiam ipsam formam collationis, seu litteras patentes, quæ Provisis conceduntur a Capitulo, ex quibus deprehenditur, quod Canonicus tantum nominat, Capitulum vero confert, & propterea dignoscitur actum collationis esse omnino contradistinctum a nominatione Canonici Turnarii, & talem divisionem non importare jurisdictionem, sed solum factum, & commodum nominationis, quod delegari potest etiam Canonico in Sacris non constituto, & vocem Capitularem non habenti, ad notata per Barbos. *in d. Clem. ut ii, n. 7. & in tract. de Canonic. 37. n. 21.* Grat. *cap. 492. n. 25.* Garz. *de benef. part. 3. c. 4. n. 31* & Rot. cor. Rembold. *dec. 145. n. 3. cum seq. & in d. dec. 15. n. 2 & 3 part. 3. rec.*

Verum præmissa visa fuit non subsistere, nam talis opinio fuit postmodum reprobata a Rota coram Duran. *dec. 275. confirmata coram eod. dec. 290. & 460.* ea potissimum ratione, quod cum tale jus conferendi ante sequutam divisionem totaliter resideret in Capitulo, & Capitulariter expleretur, idem jus dicendum est distributum inter Canonicos, qui cum sint in locum Capituli per turnariam divisionem subrogati, eamdem naturam illius, in cujus locum subrogantur, assumunt, ideoque Canonicus per Turnum conferendo, confert vice capituli, & non uti singularis, vel Procurator, aut extranea persona, neque aliud jus exercet, quam quod omnes insimul congregati capitulariter exercerent, juxta text *in cap. fin. de præbend. in 6. ibique DD. & signanter Archidiac. n. 1. vers. ipsum scilicet capitulum, & n. 2.* Geminian. *n. 7.* & Franch. *n. 3.* & ulterius progrediendo subdit eadem decisio Durani, quod cum hæc turnaria divisio adinventa fuerit ad tollendas dissensiones, istæ vero dissensiones profecto exoriri non poterant nisi inter Electores, & propterea talis divisio non comprehendit nisi illos, qui in capitulo ad eligendum interesse poterant, cum inter alios non interessentes nulla dari posset controversia, & in idem quoque coincidunt *dec. 473. & 517.* coram Cerro, *& in rec. 260 part. 17.* & propterea sicuti in isto casu capitulum non posset secum admittere Canonicum in Sacris non constitutum ad ferendum suffragium in capitulo, ut notat Joan. Andr. *in cap. quod alicui 67. num. 3. usque ad fin. de reg. jur. in 6.* Boich. *in cap. quapropter, §. Illud, n. 1. cum seqq. de elect.* Abb. *in cap. cum Vintoniensi, n. 3. ibique* Butr. *n. 23. & seqq. eodem tit.* ita nec minus eidem delegari posset facultas toti capitulo attributa, Abb. *in cap. scriptum, num. 5. in principio,* ibique Imol. *num. 6. vers. nec mirum, de elect.* Lambert. *de jurepatr. lib. 1. part. 2. quæst. 2. princip. art. 16. num. 2. vers. ita fortius.*

Quæ autem dicta sunt de litteris patentibus, facilius submoventur, si respiciatur magis factum, quam verba, quia Canonicus Turnarius confert absolute Beneficium personæ sibi benevisæ, & mandat Notario, ut litteras patentes expediat, & illas Secretarii sigillo muniri faciat, ex quibus colligitur, quod capitulum præstat nudum nomen, auctorizando omnia gesta a Canonico Turnario. Verba enim illa nominationis, seu collationis sunt interpretanda juxta subjectam materiam, hoc est, quod penes capitulum jus conferendi sit in proprietate, & habitu; apud canonicum actu, cum revera Turnarius exerceat tale jus conferendi nomine capituli, ut advertit Rota *dec. 330. num. 35. & seqq. part. 10. tom. 2. recent.*

Nec dicatur, quod decisiones Gypsii non sunt ita obiter revocandæ juxta stylum nostri Tribunalis, maxime cum contineant aliquod factum particulare, ex quo oriri potest jus, responsum quippe fuit, decisiones illas emanasse absque interventu capituli, & inter diversas personas, & cum manifestissimis æquivocis; nam dicitur, quod liquido non constabat, an tale jus competeret capitulo, vel canonicis uti singulis, quando nihil ibidem deducitur, neque modo deductum fuit contra clarissimam constitutionem Nicolai, concedentem Archipresbytero, & capitulo non solum institutionem, sed etiam destitutionem dictorum beneficiatorum, & propterea non subsistente facto illarum opinio merito potuit reprobari coram Durano, neque venit modo attendenda, & diversitas casus nihil operatur, quando militat eadem ratio, quæ sola est anima legis, Rota *in recent. dec. 121. num. 16. part. 6. & dec. 59. num. 17. part. 10.*

Nec prædictis obstat Tabella Turnaria in Sacristia exposita, quæ dat formam omnibus Ecclesiasticis functionibus, ac etiam collationibus per Canonicos faciendis, & in qua reperitur descriptus Canonicus de Philippis, & in hebdomada Turnarius; nam, cum talis Tabella conficiatur a solis Magistris Cœremoniarum, nullum jus tribuere potest descriptis, quod antea non habebant, & tantum demonstrat tempus similia munera peragendi, quod clarius colligitur, ex quo plures non Sacerdotes leguntur destinati pro Missa canenda, alii non Diaconi pro Evangelio, & alii non Subdiaconi pro Epistola, ideoque illi considerantur tantum capaces in potentia, vel uti obligati per se, vel per alium ad tale munus exercendum, ne in incerto remaneat in illa die servitium Ecclesiæ, & tanto magis, quia hoc etiam expresse demandatum fuit *in dec. 603. n. 4.* coram Gypsio, quia hoc medio tempore, & durante illa incapax fieri potest capax.

Minus resistere visa est prætensa observantia, quæ, vel non potest considerari adversus Constitutiones Apostolicas clausula irritanti munitas, ut in specie hujus constitutionis advertit Rota coram Cavaler. *decis. 85. num. 1. & decis. 91. n. 5. & melius decis. 111. n. 1.* ubi enunciatur facta pro bono regimine, & gubernio Basilicæ, neque potuisse abrogari per non usum, vel contrarium abusum, quod pariter confirmavit san. mem. Paulus V. in sua constitutione emanata de anno 1611. neque ab hac postrema effluxit adeo longum tempus, ut aliquod novum privilegium sit supponendum. Vel talis observantia si examinetur, nec minus subsistit, nam quatuor casus tantum adducti illam potius tollunt, quam confirment; Primus enim demonstrat, Canonicum Frensanellum fuisse in Sacris, quia in adipiscenda possessione sui Canonicatus juravit tacto pectore more Sacerdotali, quod sufficit ad supponendum in illo talem qualitatem, cum similia juramenta non fiant nisi per illos, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, Abb. *in cap. cum in causa, n. 6. circa med. de juram.* & quoad exclusionem aliorum trium satis esset dicere, quod sunt de Beneficiis extra Basilicam, & extra Urbem, & non valet illatio inter diversa, sed talis observantia neque remanet firmata in Beneficiis exteris, nam collatio data sub nomine Canonici Cæretani non habuit effectum, cum legatur specialiter facta a capitulo absque ulla expressione Turnarii, & deinde dantur plures alii similes, qui veluti numero plures prævalere debent, vel saltem sufficiunt ad inturbidandum tale jus, etiamsi ageretur de simili beneficio, & aliquis particularis casus, si dari posset, esset potius tribuendus speciali favori, quo capitulum aliquem Canonicum fuisset prosequutum, cum de cætero quando agitur de inducenda observantia contra constitutiones Apostolicas, actus debeant esse continui, & frequentes, Rota *in recent. decis. 8. n. 10. part. 8. & decis. 278. part. 12. & decis. 96. num. 19. part. 17. & decis. 53. num. 5. & decis. 418. num. 6. part. 18.*

Et demum non repugnat resolutio Sacræ Congregationis Concilii, quia cum emanaverit sub conditione quatenus actus collationis non sit actus in capitulo capitulariter explendus, & fundata sit in decisionibus Gypsii de illo tempore emanatis, si postea affirmatum fuit talem actum collationis esse actum in capitulo collegialiter explendum, dicta resolutio non redditur amplius applicabilis casui nostro; ultra quod contrarium per eamdem congregationem fuisse

fuisse decisum refert Barbos. ad Concil. *sess.* 22. *cap.* 4. *de reformat. num.* 4.

Conveniebat Canonicus Guidus cum Josepho pro exclusione capituli, quod talis actus esset extra capitularis, & illi etiam collationem cessisset, si quæstio examinari deberet cum principiis juris communis tantum, quia juxta textum *in dicta Clementina, ut ii,* disponitur, ut is, qui ad Sacros Ordines promotus non fuit, privetur quidem voce capitulari, sed non privetur fructibus, aut aliis juribus ratione Canoniæ, & Præbendæ competentibus, & propterea non privetur jure conferendi, juxta *glos. in d. Clem. ut ii verb. cap.* ubi etiam Card. Zabarell. *n.* 14. cum aliis adductis per Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 34. *n.* 128. *& seqq.* sed quia in præsenti casu attendenda est principaliter constitutio Nicolai, & ista privat non promotos, non solum voce, sed fructibus, & illos habet tamquam non possessores, cum neque Stallum in Choro habeant, idcirco non promotus in Sacris dicendus est ex eadem ratione privatus etiam jure conferendi, ad tradita per Vames *consil.* 260. *n.* 2. *& seqq. de præb. lib.* 1. Rebuff. *de nomin. q.* 8. *n.* 11. *& seqq. & in prax. benef. lib.* 1 *tit. de devol. n.* 58. *& seq.* Barbos. *de Canon. cap.* 37. *n.*32. Gonzal. *ad regul.*8. *Cancel.* §. 4. *de præb. n.*6. & melius *gloss.* 56. *n.* 42. *& seqq.* Lotter. *de benef. lib.* 2. *q.* 34. *n.* 20. & Villadiei *de legat. part.* 1. *q.* 7. *n.* 20. Coras. *de benef. part.* 2. *cap.* 7. *in princ.* & Garz. *de benefic. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 690. & viceversa cum eadem constitutio Nicolai præservet intra annum Canonico in Sacris non constituto medietatem fructuum, ideo prætendebat sibi competere tale jus conferendi, tamquam descripto immediate in Turno post Canonicum de Philippis, nam sicut ex Bulla Pauli V. immediate sequenti defertur onus in casu impotentiæ hebdomadarii, ita ex eadem ratione deferri debet commodum, & emolumentum, quod militat etiam ex natura Ordinis successivi, ut stante inhabilitate antecedenter, subintret alius proximior capax, & habilis, juxta *gloss. in cap. fin. in figuratione casus, de consuetud. in* 6. cum aliis adduct. per Monet. *de opt. cap.* 1. *quæst.* 2. *n.* 21. & Barbos. *de Canon. cap.* 30. *n.* 8. *& seqq.*

Hoc autem objectum duas continens partes, quoad primam sublatum fuit ex eadem ratione, qua exclusus fuit Canonicus de Philippis, cum Canonicus Guidus non sit in Sacris constitutus, & propterea contra eum militant omnes rationes superius adductæ, & facilius quoque sublatum fuit quoad secundam, quod illi competeret tale jus conferendi tamquam in fructu.

Nam quidquid sit, an illi competat ex quodam particulari usu medietas fructuum in primo anno; cum ista in primo anno non concedatur ex Bulla Nicolai, nisi insimul residentibus, & in Sacris Ordinibus constitutis, si illa in uno immutata reperitur, non debet etiam in altero immutari; sed ulterius visum fuit, quod collatio non est in simplici fructu, sed est fructus, seu quasi juris conferendi, sicuti electio juris eligendi, ut notant Abb. *in c. cum olim n.* 4. *in princ. & n.* 7. *in fin. de caus. possess. & propriet.* Cassador. *dec.* 3. *n.* 6. *de pension.* & propterea participare non potest de simili fructu, nisi ille, qui habet tale jus conferendi, quod comprobatur ex distinctione text. *in cap. fin. de præb. in* 6. nam si darentur in una Ecclesia plura beneficia, quorum, alia jus conferendi spectaret ad certas dignitates, uti singulas, alia vero ad capitulum, sicuti quando ageretur de prima specie beneficiorum, illorum collatio esset in fructu illius certæ dignitatis, cui dd. beneficia sunt annexa; ita quando ageretur de secundis ad capitulum spectantibus, collatio esset fructus qualitatis capitularis; ideoque licet Canonicus Guidus participet de aliqua specie fructuum, non potest tamen participare de illa, quæ tantum competit capitulo, & personis in Sacris Ordinibus constitutis.

Hinc removetur alterum objectum, quod hodie omnes fructus conversi sint in distributiones quotidianas, quarum ex Bulla Nicolai capaces sint etiam non constituti in Sacris, nam cum de tali mutatione nullum exhibeatur documentum, dicendum est conversos esse in distributiones quotidianas illos tantum fructus, qui sunt possibiles, & divisionis capaces; Jus autem conferendi non potuit tali divisioni subjacere, cum non sit divisibile, & hoc fieri minime poterat contra mentem Pontificis, & naturam ipsius collationis, quæ tantum capitulariter erat facienda, & ab istis actibus capitularibus excluduntur in Sacris non constituti.

Neque talis restrictio contra non promotos ad Sacros Ordines hic fit per modum pœnæ, sed ratione incapacitatis, cum nihil retineatur quod deberetur, vel auferatur quod haberetur, sed non habilitantur ad illorum perceptionem, nisi post talem qualitatem Sacrorum Ordinum consecutam, & propterea ex hac quoque ratione cessat excusatio pro Canonico de Philippis desumpta ex necessario impedimento malæ valetudinis, quia ad istum effectum sufficit, quod non sit promotus ad Ordines.

Et tanto minus suffragari visum est indultum eidem concessum a Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnante; quia illum tantum excusabat ab interessentia propter munus votantis, quod exercebat in Signatura Justitiæ, illumque reddebat capacem omnium fructuum, ac si personaliter resideret, & propterea sicuti si resedisset, ob defectum Sacrorum Ordinum, nihil, vel quid minimum percepisset, ita ex tali indulto nihil ultra percipere potest, cum illud solum præservet jus, quod habebat, & nihil de novo illi concedat; ideoque cum Canonicus de Philippo fuerit tantum dispensatus a residentia, non censetur tamen a reliquis impedimentis dispensatus, cum tot requirantur dispensationes, quot sunt obstacula; Geminian. *cons.* 33. *n.* 8. Lotter. *de re benefic. lib.* 1. *cap.* 40. *n.*192. *cum seqq.* Franch. *in cap. non potest, de præb. in* 6. Rot. coram Gregor. *decis.* 109. *n.* 6.

Obstat denique Canonico Gudio, quod talis vacatio evenit in hebdomada non sua, cumque jus conferendi, quod habet Canonicus Turnarius a capitulo limitatum reperiatur ad tale tempus, ultra illud non debet extendi, & propterea non valent Canonico Turnario ob ejus incapacitatem conferre, remanet consumpta hebdomada eidem in Turno assignata: Gonzal. *ad reg. Cancell. glos.* 45. *n.* 57. *vers. Tertio quæro,* & subintrat ex jure proprio capitulum in locum Canonici inhabilis; Gonzal. *ibid. n.* 46. & de Luc. *de benefic. disc.* 1. *n.* 9. 11. *& seqq.* alias enim si unus Turnarius subintrare posset in locum alterius non capacis, interverteretur totus ordo, & maximæ orirentur confusiones.

Et ita omnibus auditis resolutum fuit &c.

R. P. D. PRIOLO.

Romana Clericatus Beneficiati S. Petri.

Lunæ 3. Decembris 1696.

PRo revisione Decisionis editæ coram me sub 13. Maji proxime præteriti bis proposita causa, nunquam capta fuit resolutio, immo ob gravitatem articuli data etiam facultate revidendi decisiones emanatas coram Gyptio inferius examinandas, injunctum fuit, ut omnes DD. suffragium ferrent, a quibus hodie pro recessu responsum habui.

Fundamentum præcedentis resolutionis, & Scribentium pro Hieronymo, in eo principaliter consistebat, quod cum jus conferendi Beneficia Vaticanæ Basilicæ ante turnariam divisionem totaliter resideret in capitulo, & capitulariter etiam expleretur, hinc inferebatur, idem jus distributum fuisse inter eosdem Canonicos, qui tamquam subrogati in locum capituli, eodem modo conferre debebant, ac capitulum, & consequenter incapaces remansisse illos Canonicos, qui non sunt constituti in Sacris, cum isti non minus priventur ex dispositione Bullæ Nicolai III. conformis etiam in hac parte cum jure communi *in Clement. ut ii, de ætat. & qualit.* quem ex novissima sanctione Concilii Tridentini *sess.* 22. *de reform. c.* 5. & ex resolutione etiam nostri Auditorii emanata coram Durano *dec.* 275. 290. *&* 460.

Sed cum Scribentes pro Zaino prætenderent, quod Canonici tantum nominarent ad Beneficia vacantia, non vero illa conferrent, allegando particularem observantiam ejusdem Basilicæ plusquam centenariam; Quia de tali divisione, quomodo facta fuerit, nullum apparet Statutum, Concordia, vel aliqua specialis constitutio; Ex supradictis duobus modis conferendi, DD. existimarunt, ultimum tantum, nempe simplicis, & nudæ nominationis exerceri a Canonico Turnario Basilicæ S. Petri, alterum vero collationis expleri a capitulo; nam pro illa concurrunt tot actus inferius recensendi complentes plusquam centenariam, quæ præsumere facit etiam titulum; & propterea quando collatio facta per Canonicum Turnarium non est propria, & perfecta collatio, sed simplex nominatio, & actus mere extra capitularis, tunc nullum dubium remanet, quod talis actus expleri potest etiam per Canonicum in Sacris non constitutum, immo non repugnat, quod exerceatur per personas exteras, laicas, & quod magis est, etiam per fœminas, ut passim observatur in Beneficiis patronatis, tametsi habentibus annexam Curam animarum; Ad notata per

Lap. *alleg.* 8 *n.* 3. *& allegat.* 78. *n.* 8. Gratian. *cap.* 482. *n.* 25. Rebuff. *tract. var. de nominat. q.* 8. *sub n.* 3. *§. Unde consului*; Barbos. *in Clem. ut ii*, *de ætat. & qualit. n.* 7. *in fin. & in tract. de Canon. & Dignitat. cap.* 37. *n.* 21. Garz. *de benefic. part.* 3. *cap.* 4. *n.* 31. *& part.* 5. *cap.* 1. *n.* 715. & in Colonien. Canonicatus 27. Junii 1685. & 17. ejusdem mensis 1686. coram Eminentiss. Mediolanen. & in Frisingen. Canonicatus 4. Julii 1692. *§. Prout non meretur*, coram Reverendiss. P. D. meo Molines.

Quod talis divisio ita facta fuerit, satis comprobatum remanet ex juribus noviter deductis a Scribentibus pro Zaino, quæ non solum optime declarant etiam ea, quæ jam præcedenter producta fuerant, sed ad oculum demonstrant, ita semper practicatum fuisse per spatium fere duorum sæculorum; Ideoque in casu præsenti cum non agatur de firmando in genere qualem actum exerceant, seu exercere debeant Canonici in collatione Beneficiorum, sed de cognoscendo in concreto quid vere faciant Canonici Sancti Petri; ex actibus inferius recensendis dicendum est, prædictos Canonicos tantum nominare, & hanc specialem observantiam emanare, de qua cum testentur decisiones coram Gypsio, ut *in decis.* 15. *circa princ. & num. final. part.* 3. *rec.* ibi, *& si adesset aliqua dubitatio, ex observantia subsequuta bene tolleretur*, & prius dictum fuerat *in decis.* 600. *per tot. & decis.* 603. *n.* 3. *part.* 4. *divers.* ista unice venit attendenda ad resolutionem causæ, ut omissis generalibus in individuo probat Lotter. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 21. *sub n.* 42. *§. Infert quarto, cum aliis seqq.* quapropter in præsenti casu non militat dispositio Bullæ Nicolai, neque textus *in dicta Clement. ut ii*, & minus relevant novissima dispositio Concilii, & postremæ decisiones coram Durano, quia istæ omnes procedunt in terminis veræ, & perfectæ collationis.

Primo enim exhibitæ fuerunt nonnullæ collationes factæ de annis 1562. & 1571. & 1580. per Canonicos in Sacris non constitutos, & datæ in Summario Zaini *num.* 8. cumque tales provisiones suum habuerint effectum, dicendum est, quod sint simplices nominationes; quia alias contra expressam dispositionem Bullæ Nicolai non fuissent admissæ a cæteris de capitulo, qui tamquam Canonici illius Basilicæ, quam idem Nicolaus vocat cæterarum Ecclesiarum Speculum, & exemplar, cum sint, & semper fuerint omni virtute, & rerum Ecclesiasticarum experientia summopere insignes, non tolerassent tot actus factos a Canonicis in Sacris non existentibus, si non agnovissent illos fecisse simplices nominationes, ne toties in beneficiis illius Basilicæ repetitus fuisset adeo vitiosus ingressus ad tex. *in cap. auditis, de elect.* Soccin. Sen. *cons.* 11. *n.* 4. *vers. nec obstat*, *lib.* 1. Rot. coram Manzaned. *dec.* 162. *num.* 7. *& in rec. decis.* 410. *num.* 6. *part.* 18.

Sed hoc idem declarant nonnullæ antiquæ attestationes trium Canonicorum ejusdem Basilicæ S. Petri, qui expresse testantur Canonicos Turnarios semper nominasse ad beneficia in illorum hebdomada vacantia, & collationem deinde expletam fuisse a capitulo, juxta consuetudinem ejusdem Ecclesiæ, cumque post lapsum tanti temporis, isti tantummodo actus reperti fuerint ex tot enunciatis in magna mole scripturarum in actis productarum coram Gypsio, ut videre est *in d. decis.* 15. *part.* 3. *rec.* Etiam ex istis una cum decisionibus Rotalibus dicendum est tunc temporis ita conventum, & observatum fuisse, ne error præsumatur in personis de gremio capituli bene informatis, & de re ad earum dignitatem spectante deponentibus; Felin. *in cap. veniens il primo. n.* 26. *de test. & in cap. cum causam, n.* 9. *vers. sed dicas*, *de probat.* cum aliis deductis per Rot. coram Coccin. *decis.* 1687. *n.* 22.

Immo cum hæc eadem controversia in specie orta fuerit usque de anno 1590. & ventilata in nostro Auditorio coram eodem Gypsio, similem habuit effectum, nam cum Magister Cæremoniarum de illo tempore omisisset describere in Tabella Turnaria ad collationem beneficiorum Canonicos Pallotam, & Verallum in Sacris non existentes, isti superventa vacatione beneficii, consumptis omnibus Hebdomadis in Turno descriptis, ne ad novam deveniretur, ipsis omissis reclamarunt a tali descriptione, & tunc Sacra Rota in supradictis decisionibus emanatis coram Gypsio *in* 600. *&* 603. *part.* 4. *divers. & decis.* 15. *part.* 3. *rec.* firmavit, quod attenta observantia favore Canonici in Sacris non constituti per divisionem Turnariam non erat translatum in Canonicos jus conferendi, prout juris erat, sed sola, & simplex nominatio, quæ observantia, sicuti prævaluit de eo tempore, ita magis prævalere debet in præsenti a sæculo, & ultra iterum roboratam, & postquam deperditæ sunt omnes fere justificationes illam comprobantes.

Et tanto magis, quia de eodem tempore capitulum per speciale Decretum ordinavit, quod imposterum in Tabella Turnaria omnes Canonici ordine successivo describerentur, & in litteris patentalibus expresse adnotatum fuit, quod capitulum ad nominationem Canonici Turnarii beneficium conferebat, & talis tenor litterarum semper imposterum observatus fuit, ideoque etiamsi non adessent decisiones Gypsii, & enunciata in illis, sufficeret in præsenti non minus diversus modus conficiendi Tabellam, quam alius magis clarus modus expediendi litteras patentes ad firmandam observantiam ex post introductam, quæ cum non sit præscriptiva, neque impeditiva legis, minusque de directo contraria dispositioni Bullæ Nicolai, vel *Clementinæ ut ii*, aut sanctioni Conciliari; Ibi enim nulla mentio fit de nominatione, de qua modo est quæstio, potuit introduci etiam minori tempore, & valet tribuere jus Canonico in Sacris non existenti pro futuris temporibus, ut communiter notant DD. *in cap. litter. patent. de privil.* Specul. *tit. de citat. n.* 3. *in fin.* Gonzal. *ad reg. Cancell. gl.* 59. *per tot.* Lotter. *de re benef. lib.* 2. *q.* 21. *num.* 47. de Luc. *de benef. disc.* 29. *sub n.* 16. *& disc.* 32. *nu.* 8. *cum seq.* Rota coram Bichio *dec.* 241. *n.* 19. *cum seqq.* Coccin. *dec.* 233. *n.* 2. *cum seqq.* Buratt. *dec.* 809. *n.* 3. *& seqq.*

Sed quod magis est, etiam ex actibus inde sequutis probata fuerunt ea, quæ respiciunt veram, & effectivam collationem semper remansisse penes capitulum, & ab eodem accuratissime expleta; a capitulo enim deputati fuerunt Examinatores, qui nominatos per Canonicos examinarent, & de illorum idoneitate testarentur, ut ad Examinatorum quoque relationem litteræ concederentur, sicut in quacumque vacatione factum videtur, ut ex pluribus decretis ejusdem capituli datis in Summar. Zaini *n.* 6. 7. *&* 21. sequuto namque examine, Canonici congregantur, & litteræ in loco capitulari decernuntur, & signatæ a Notario, & Secretario capituli successive expediuntur, & in omnibus his actibus Canonicus non in Sacris nunquam intervenire dicitur, quia ab illis tamquam capitularibus exclusus remanebat a Bulla Nicolai illi prohibente vocem in capitulo, sed tantum subjiciebat propriam nominationem examini, & approbationi cæterorum de capitulo. Si enim ille actus non dicitur perfectus, quando adhuc superest aliquid faciendum, quomodo dici potest vera collatio actus nominationis, quæ fit a Canonico, si postea tot, tantaque supersunt facienda ab universo capitulo, & quæ dant etiam esse rei, quia nominatio facta a solo Canonico, nullum produceret effectum; ex quo fit, ut actus capituli, non autem ille Turnarii dicatur habere vim veræ, & perfectæ collationis, ut præcedenter dictum fuit coram Gypsio *in dec.* 600. *sub n.* 3. *vers.* 2. *dicebatur*, *part.* 4. *divers.* & in dict. Frisingen. Canonicatus 4. Julii 1692. *§. Prout non meretur*, coram R. P. D. meo Molines.

Hæc autem distinctio collationis, & nominationis, & quod una exerceatur per capitulum, altera per Canonicum, comprobatur pariter ex decr. Cardinalis Archipresbyteri lato de anno 1591. in quo expresse contradistinguitur actus nominationis factæ per Turnarium ab actu collationis expletæ per capitulum, cumque talis enunciativa emanata in actu proportionato sit antiquissima excedens metam centum annorum, optime demonstrat usque de eo tempore, cujus naturæ sit actus gestus a Canonico in collatione beneficii, non obstante quod capitulum a dicto decreto appellaverit, quia reclamatio non cadit super enunciativa ibidem contenta, & nullatenus impugnata in prosequutione judicii, itaut ex isto actu etiam per appellationem suspenso, & successive revocato bene comprobari possit veritas facti, Rot. *in rec. dec.* 148. *part.* 16. *n.* 14.

Præterea Statutum jam a capitulo factum circa usum Tabellæ Turnariæ, subscriptum fuit etiam a Canonicis in Sacris non existentibus, & alia de causa subscribi non potuit, nisi ex ratione coæquali interesse, quod ipsi quoque habebant, quia alias superfluum fuisset, quod approbassent id, quod ad illos minime pertineret, non attento quod in Statuto capitulari non sint expresse nominati Canonici ad Sacros Ordines non promoti, quia ultra quod desumitur ex illorum subscriptione, nihilominus intentio Statuentium apertius remanet declarata ex subsequuta Tabella comprehendente etiam Canonicos in Sacris non constitutos.

Sed denuo totam hanc controversiam compilatam, & defi-

definitam habemus ab eodemmet capitulo; cum enim de anno 1615. vacaverit quoddam beneficium in Hebdomada Canonici Binzoni, iste illud contulit Simeoni Palutio, & quia litteras patentes sub proprio nomine expediverat, & sibi arrogaverat, non solum nominationem, sed collationem, & omnimodam ejusdem Beneficii dispositionem; Litteræ enim tali pacto conceptæ leguntur, *Paulus Binzonus &c. Cum itaque simplex beneficium &c. vacaverit, & vacet ad præsens, Nos ad quos collatio, provisio, & omnimoda dispositio dicti simplicis beneficii spectat, & pertinet, tenore præsentium conferimus, & de illo providemus &c.* Capitulum illas admittere noluit, & necessarium fuit devenire ad novam denominationem, qua capitulo præsentata, fuerunt expeditæ novæ litteræ patentes sub nomine ipsius capituli, inquibus, præmisso quod collatio, provisio, & omnimoda beneficii dispositio ad ipsum spectabat, confertur deinde idem beneficium supradicto Simeoni sub his verbis, scilicet: *Tibi qui a supradicto R. D. Paulo nominatus fuisti, & examinatus per Examinatores dictæ Basilicæ, idoneus repertus fuisti*, quæ enunciativa tamquam emanata ab ipsomet capitulo plenissime probat, cum nulla major dari possit probatio, quam proprii oris confessio.

Quod magis comprobatur, quia quando canonici independenter a capitulo providere voluerunt illa beneficia, quorum simplex nominatiu ad illos pertinebat, obtinuerunt speciale indultum a Papa, & vigore illius successive sequuta fuit collatio, & expeditæ litteræ patentes sub nomine canonici conferentis, & facta speciali mentione ipsius indulti, ut videri est *in Summ. Zaini, n. 23.* ex quo evidens desumitur argumentum, quod canonicus Turnarius non habeat jus conferendi, dum illud procuravit ex speciali indulto, & privilegio Papæ; ad text. *expressi. in leg. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* Rot. *in rec. dec. 493. n. 6. part. 13. & dec. 303. n. 11. & 17. part. 6. & in Nullius Provinciæ Tarraconen. super bono jure 3. Aprilis 1694. §. Hujusmodi quippe*, coram bon. mem. Emerix.

Ulterius data fuerunt quamplura decreta ejusdem capituli incipientia ab ann. 1623. usque ad ann. 1694. ut *in Summ. Zaini, n. 16.* ex quibus colligitur, quod occasione nominationum factarum a canonicis, capitulum se congregavit pro decernenda collatione, & interdictas nominationes, nonnullæ etiam leguntur factæ a canonicis in Sacris non existentibus, aliæ ab absentibus per simplices epistolas, & nonnullæ etiam vocationes denuncintæ fuerunt ab eodem capitulo Canonico Turnario, & in litteris responsivis successive legitur, canonicum devenire ad nominationem libi, juxta consuetudinem competentem, itaut ex his actibus contradistinctis bene dignoscatur, Turnario etiam non in Sacris competere solam nominationem, capitulo vero effectivam collationem.

Ita paritee quando capitulum voluit providere de aliquo beneficio independenter a Canonico Turnario, per speciale decretum hoc sibi reservavit, re adhuc integra, & nulla facta nominatione per canonicum, ut factum fuit de anno 1656. de quo tempore resolutum extitit, beneficium S. Elenæ conferendum esse ab ipso capitulo, etiamsi vacatum fuisset in hebdomada cujuscumque Canonici, excepta tamen hebdomada Cardinalis Archipresbyteri; quod sane decretum capitulum non fecisset, si totum jus conferendi translatum fuisset in canonicos, sed quia vere inter illos solummodo divisum fuit jus nominandi, potuit capitulum re integra, & non expectata nominatione, illud sibi reassumere vigore juris conferendi sibi spectantis, cum jus conferendi sit potentius, & magis radicatum, quam jus nominandi, ut eruitur ex Text. *in cap. in illis, §. 1. de præb. in 6.* & ex firmatis per Gonzal. *in cap. fær. sanct. 51. n. 6. de elect. & elect. potest.* & Rebuff. *de nominat. d. q. 8. n. 6.*

Quod clarius evincitur ex aliis quoque collationibus absolute factis a capitulo in casu absentiæ, vel negligentiæ Canonici Turnarii, de jure enim neglecta nominatione, eaque in tempore non facta, jus nominandi devolvitur ad Superiorem, tamquam ordinarium collatorem per text. *in c. 1. de concess. præb. & in c. irrefragabili, ibique gl. verb capitulum, de offic. ordinar.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de devol. n. 24. vers. sed etsi*, de Luc. *de benef. disc. 1. n. 28. cum seqq.* Et ideo tales collationes factæ fuerunt absque ullo decreto, ut in præcedenti, quod fieri non potuisset pet capitulum, si divisum, & translatum fuisset in ipsos Canonicos jus conferendi, quia in tali casu jus devolveretur ad subsequentem in Turno, vel ad Sanctam Sedem, & capitulum dici non posset Superior, & ordinarius Collator.

Ad cognoscendam hanc distinctionem multum demum facere visa est comparatio litterarum patentium, quæ expediuntur a capitulo cum illis Cardinalis Archipresbyteri; iste enim cum in Constitutione Nicolai expresse nominetur, & per primam divisionem habeat per alternativas hebdomadas liberam, & omnimodam collationem illorum beneficiorum in dicta Basilica ad se spectantium, illam absolute facit, & proprio etiam nomine litteras dirigit, ac testatur sibi constitisse de idoneitate provisi ad formam ejusdem capituli, non autem simpliciter nominat, nec desuper in aliquo capitulum se ingerit, prout succedit circa vacationes evenientes in hebdomadis Canonicorum Turnariorum, quæ diversitas providendi manifeste demonstrat diversitatem divisionis Turni Archipresbyteri ab illa Canonicorum, ac fuisset inter Capitulum, & Archipresbyterum, divisum jus conferendi, non sic inter ipsos Canonicos, inter quos si pariter illud divisum fuisset, utique ad instar Archipresbyteri beneficia absolute conferrent, eorumque actus nulla indigerent approbatione, seu collatione capituli, quemadmodum non indigent actus collationis, qui fiunt ab Archipresbytero.

Attenta autem hac adeo longa, & inconcussa observantia, non applicantur decisiones Durani *la 275. 290. & 460.* licet enim ibi DD. non placuerint fundamenta decisionum Gypsii, observandum tamen est, quod coram Duran. articulus fuit examinatus, prout de jure, juxta statutum Ecclesiæ Leodien. ad cujus formam in Canonicum Turnarium appatet translatum verum jus conferendi sine aliquo facto capituli, *Summ. Zaini, n. 24. lit. B.* cumque diversa sit consuetudo in Basilica S. Petri, ut superius demonstratum fuit, & in qua resolutio emanata coram Gypsio unice, & fundamentaliter insistebat, ideo in casu decisionum coram Duran. bene dictum fuit, facta mentione consuetudinis, *quod cum Turnarius dicatur providere nomine, & vice capituli, non autem uti singularis Canonicus, itant provisio habeatur, ac si a capitulo capitulariter facta fuisset, sequitur, ut subrogatus in locum capituli induat illius personam, in cujus locum subrogatur, & consequenter cum jus conferendi resideat in capitulo, & sic inter personas capaces faciendi actus capitulares, pertinere non possit ad alioquin non capacem, & sic Canonicum in Sacris non constitutum*, & in his terminis procedunt Text. *in cap. fin. de præbend. in sexto*, aliæque auctoritates allegatæ in superiori §. *Fundamentum*, & propterea Decisiones omnes in suo casu subsistunt, neque illæ Gypsii dici possunt antiquatæ, vel correctæ, sed quoad Basilicam S. Petri, sunt cæteris aliis præferendæ.

Hinc cessante æquivoco in eisdem ex adverso considerata, bene enim dici potuit in decisionibus coram Gypsio, & signanter *la 600. part. 4. divers.* quod non satis constabat, an jus conferendi spectaret ad Canonicos uti universos, vel potius ut singulos, & quod Constitutio Nicolai non esset in usu, nam cum ista emanaverit de anno 1278. per spatium trium sæculorum, de facili supponi poterat aliquod speciale indultum, ut inferius demonstrabitur, præscribens novam formam conferendi, maxime quando observantia jam per tres decisiones conformes comprobata remanebat, si non contraria, quoad collationem, prout juris est, saltem diversa, quoad nominationem, & favorabilis Canonicis in Sacris non constitutis, ad cujus justificationem levior requirebatur probatio, cum nominatio respectu Collatoris sit modici præjudicii, ut notat Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum, de Constit. aliique citati in d. decis. 600. n. 3. & n. 5. versicul. loquuntur, part. 4. diversor.* & decisiones coram Cavalerio quoad non usum dictæ Constitutionis Nicolai, ex illarum lectura recognoscitur procedere quoad alios effectus.

Et tanto minus procedit Constitutio Pauli V. in qua sancitur, quod Bulla Nicolai per contrarium usum sublata non intelligatur, quia cum in eadem Bulla Nicolai nihil dispositum fuerit, quoad modum faciendi nominationes per Canonicos, in Sacris non existentes, dum illæ per eos successivo tempore factæ fuerunt, non dicuntur factæ contra tenorem Bullæ.

Minus obstare possunt nonnullæ collationes factæ ante dictas decisiones Gypsii & modo etiam repetitæ, ex quibus desumi prætendebatur, quod Canonici absolute beneficia conferebant, ex quo in dictis collationibus adhibitum erat verbum *collationis*; nam ultra quod apud DD. semper æquivocum fuit, an tale verbum importet potius veram collationem, vel simplicem nominationem; adhuc tamen semper necessaria fuit appositio na-

manus Secretarii, & Notarii Capitularis, quæ sufficeret ad demonstrandam imperfectionem actus per Canonicum facti, ut refertur *in d. dec. 600. num. 4.* sed supponendum est adversus illas a Canonicis non in Sacris producta fuisse alia clariora documenta, quando Rota resedit in contraria opinione, & omnia acta essent exhibenda, si ex integro materia esset examinanda, sed justitia dictatum decisionum nunquam melius comprobari potuit, quam ex facto ipsius Capituli; nam ab ipso successive reformata fuit Tabella Turnaria, & litteræ patentes imposterum expeditæ fuerunt, cum expressa declaratione, quod nominatio spectaret ad Canonicum, collatio vero ad Capitulum, & quoties contigit Canonicum non in Sacris nominare, nominatio suum habuit effectum, & bene in præsenti themate applicatur decisio in dicta Frisingen. Canonicatos 4. Julii 1692. §. *prout non meretur*, coram R. P. D. meo Molines.

Neque obstat, quod in illa Ecclesia aderat particulare Statutum, quia hic concurrit particularis observantia, & plusquam centenaria per tres decisiones conformes etiam canonizata, quæ cum præbeat meliorem titulum de mundo, operatur, ut per Canonicum in Sacris non existentem allegari valeat possibilitas cujuscumque tituli etiam præsumpti ad effectum valide faciendi talem nominationem, ut in fortioribus terminis notant auctoritates allegatæ in *Cavallicen. banualitatis furni super manutentione 5. hujus mensis, §. sed ultra titulum*, coram Me.

Eoque magis, quia cum collationibus factis ante decisiones Gypsii, & datis *in Summar. Zaini, num. 3.* appareat (sunt verba ipsarum collationum) Turnarium contulisse Beneficia, nedum vigore turni, sed etiam vigore indulti dictæ Basilicæ, & collatori Hebdomadario pro tempore existenti concessorum, & successive *in d. decis. 600. sub num. 2. vers. primo responsum*, expresse dicatur, ad dictam divisionem deventum fuisse de voluntate Papæ, præsertim quia in tot litteris collationum per ipsos Canonicos factarum asseritur, dictum jus illi uti singulis ex privilegiis, & antiqua consuetudine competere, sequitur proinde, ut si modo dicta privilegia ob injuriam temporis deperdita non exhibentur, possit ex illis, juncta adeo longæva observantia, desumi possibilitas plusquam certa specialis hujus tituli ex superius deductis.

Nec ad infringendam talem observantiam allegari potest præsumptio juris favore Capituli, quia hæc procedere posset, nisi ex publicis documentis toties repetitis constaret, inter Canonicos fuisse solummodo divisum jus nominandi.

Et tanto minus dici meretur, quod usus Tabellæ Turnariæ invaluit solum pro bona ratione dirigendi functiones Ecclesiasticas, ut unusquisque proprium munus sciat, & dietim exerceat, cum de cætero Tabella non possit habilitare incapaces, & sicuti describuntur Canonici non Sacerdotes ad officium Missæ, & non Diaconi pro Evangelio, licet illi adimplere non possint proprium munus, ita pariter dicendum sit de Collatione, itant Tabella tribuat solum habitum, non actualem aptitudinem; Nam ut probatum est, cum talis incapacitas non adesset in Canonico in Sacris non existente, quia de facto nominavit, Tabella Turnaria in his, quæ a jure non abhorrent, attendenda est, & data in Canonico non in Sacris actuali aptitudine, ex eadem Tabella exercere valet etiam habitualem, nec a diversis fieri debet illatio vulgata *leg. Papinianus, ff. de minoribus*.

Minus obstat, quod nominationes factæ, tam ante decisiones Gypsii, quam post de annis 1675. 1677. & 1693. per Canonicos de Altemps, & Augustinum tunc in Sacris non existentes, non sint de Beneficiis Basilicæ, sed exteris, quodque ex observantia in uno casu introducta fieri non debeat extensio ad alium, cum tantum de potentia habere dicatur, quantum de actu; nam observandum est, quod Pius Quartus, quando univit dicta Beneficia extera, unionem fecit sub eadem lege Nicolai, ut videre est *in Summar. n. 28. litt. A.*, & propterea eodem modo sunt providenda, sed quod omnem tollit difficultatem, cum nulla videatur differentia in eadem Tabella Turnaria de una specie ad aliam, & in ea indistincte reperiantur descripti tam Canonici in Sacris, quam non in Sacris constituti; Quoties non militat aliqua peculiaris ratio, Tabella debet etiam indistincte comprehendere tam beneficia urbana, quam forensia, & cum lex non distinguat, nec etiam nos distinguere debemus.

Nec pro effugienda nominatione facta a Canonico Binzono dici potest, quod illa Collatio facta per Capitulum dicatur facta ad cautelam, quia Capitulum non expressisset in litteris ad nominationem Turnarii, & quod Palutius Collatarius idoneus repertus fuerat ab Examinatoribus, ideoque iste solus actus sufficeret post decisiones Gypsii.

Nec talis observantia dici potest abrogata per non usum, ex quo ab anno 1580. usque ad annum 1592. nulla detur Collatio facta a Canonico non in Sacris, quia ultra quod cessat objectum in facto, attentis quampluribus decretis hoc medio tempore emanatis, & supra recensitis, occasione nominationum factarum a Canonicis etiam non Sacris, adhuc tamen necessarium esset docere, quod alicujus nominatio fuisset impugnata a Capitulo, & in contradictorio Judicio non admissa, alias enim si non evenit casus, prout de facili contingere poterat, quia ut plurimum pauci sunt Canonici non in Sacris, & pluries Beneficiati sunt affecti Sedi Apostolicæ, nullum præjudicium illatum videtur Canonicis non in Sacris.

Nec pro inducenda tali abrogatione allegari potest nominatio facta a bon. mem. Cerretano, quia ultra quod fuit admissa a Capitulo, ut videre est *in Summar. Zaini, numer. 16. in finalibus*, & nominatus fuit etiam successive institutus ab eodem Capitulo, adhuc tamen si in litteris patentibus nulla facta fuit mentio de nominatione ejusdem, imo etiam si non fuisset admissa, huic tamquam unicæ semper resisterent tot nominationes, tot decreta, & deliberationes factæ ab ipso capitulo, quæ ad oculum demonstrant ita semper observatum fuisse, neque ad summum negligentia unius, alteri præjudicare posset.

Sicut autem talis observantia non fuit sublata ex non usu, ita redeundo ad principium, multo minus dici potest abrogata ex decreto irritanti, & clausula sublata in Constitutione Nicolai adjecta; quia cum illa quoad simplicem nominationem specialiter non inhabilitet Canonicos ad Sacros Ordines non promotos, ad illam non extenditur dicta clausula sublata, & decretum irritans ultra quod in hoc casu considerari etiam posset privilegium Apostolicum, de quo fit mentio in decisionibus Gypsii, & signanter *la* 600. & in Collationibus ante illas emanatis, quod tamquam posterius, & indistincte comprehendens omnes Canonicos, vel declararet Constitutionem Nicolai, vel sin minus illius obstaculum removeret.

Et demum modus iste conferendi comprobatur ex observantia, quæ practicatur in altera Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, ubi pariter Canonici etiam in Sacris non constituti nominant, & collatio fit per capitulum; & quamvis ex consuetudine unius Ecclesiæ fieri non possit illatio quoad aliam, hoc tamen non procedit in præsenti, ubi tale jus concessum legitur ab eodem Pio IV. capitulo Sanctæ Mariæ Majoris ad formam Basilicæ S. Petri.

Nec dicatur, quod talis divisio introducta fuerit ad tollendas discordias inter Canonicos, cumque Canonici non in Sacris sint a principio exclusi, ita comprehensi non remaneant in Concordia, quia inter illos nulla oriri poterat discordia, nam cum de ista ignoretur principium, super quo orta fuerit discordia inter Canonicos, an potius fuerit inter Canonicos in Sacris tantum vel etiam inter alios in Sacris non constitutos, satis est hæc sola possibilitas, ut divisio præsumatur facta, reservando collationem capitulo, nominationem Canonicis etiam ad Sacros Ordines non promotis, quibus non resistente aliqua Juris dispositione, pro eisdem faciunt tot actus superius adducti, Fagnan. *in cap. cum Eccles. Volater. num. 25. de Eccles.* de Luc. *de benefic. disc. 29. num. 16. & disc. 32. sub num.* 8.

Minus relevant attestationes Vicarii, Decani, & Secretarii, medio juramento asserentium, quod Canonici Turnarii libere conferunt, nec tenentur examinari facere Collatario, quia quidquid sit de hoc moderno usu, seu potius abusu, sufficit, quod ita a principio ordinatum, & observatum sit, mediantibus, ac præviis electione Examinatorum, Nominatorum examine, litteris patentibus, & tot decretis capitulariter emanatis, ut dicendum sit, quod satis constet de tali laudabili stylo examinandi Colla-

lata-

latarios, & expediendi litteras patentes in loco capituli, ut his dignosci posset, quod actus Canonici sit potius nominatioois, quam veræ collationis.

Et demum pro coronide prætendebant, quod etiam simplex nominatio spectare deberet ad capitulum Collatorem, cum illa originem trahat ex jure capituli, & subrogetur in locum vocis, & suffragii capitularis, ideoque sicuti Canonicus non in Sacris fuisset incapax sedendi, & votandi in capitulo, ita qooque incapax censendus veniat, quoad oominationem; nam actus, qui proveniuot ex jure capituli, considerari debent in duplici classe; nonnulli enim sunt capitulares; & qui nonnisi capitulariter, & in loco capituli expleri possunt, ita etiam exerceri non valent, nisi ab iis, qui habent vocem, & locum in capitulo, & in his terminis intelligendus est text. *in cap. fia. de præb. in 6.* & procedunt auctoritates in contrarium allegatæ; alii vero licet originati ex jure capituli, possunt tamen etiam extra capitulariter expleri, & quamvis fieri possint in communi, non repugoat, quod illi attribui possint per Turoum singulis canonicis non uti capitularibus vocem habentibus in capitulo, sed tamquam delegatis ad exercitium illorum actuum, cumque inter istos cadat etiam exercitium juris nominandi, ut demonstratum fuit, cum expleri possit extra capitulum per absentes, & etiam per epistolas; idcirco si nulla facta fuisset divisio, illud pertineret ad totum capitulum, potest tamen singolariter dividi inter siogulos canonicos, quia cum nominatio debeatur in ratione Canoniæ, solet semper extra capitulom expleri, ut bene probant Lap. *allegat.* 78. *post a.* 8. *& in Valent. præmiatentiar.* 11. *Martii* 1641. §. *pro præpositis*, coram bon. mem. Pirov. *& in Colon. Canonicatus* 27. *Junii* 1686. §. *Non obstat quod hæc*, coram Eminentissimo Mediol.

Et ita partibus acriter informantibus, & causa semel, atque iterum proposita, suffragaotibus omnibus DD. resolutum fuit &c.

S U M M A,
S I V E
C O M P E N D I U M

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hac Parte I. Lib. XII. De Beneficiis Ecclesiasticis.

I N D E X
R U B R I C A R U M.

XXXIV.

De geatiis revalidatoriis, vel novum jus tribuentibus, puta *perinde volore*, & *si neutri*; Et de forma *rationi congruit*, Et de dispensationibus, *a n.* 252. *ad* 260,

XXXV.

De exequutione litteearum Apostolicarum, & de legitimo contradictore, *a n.* 261. *ad* 273.

XXXVI.

De passessione ejusque effectibus, *a n.* 273. *ad* 276,

XXXVII.

De sequestro, *a n.* 277. *ad* 285.

XXXVIII.

De feuctibus, *a n.* 286. *ad* 291.

XXXIX.

De cemissocio, & compulsoria, *a n.* 292. *ad* 295,

XL.

De manualibus, *a n.* 296. *ad* 298.

XLI.

De Canonicis & Dignitatibus, *a n.* 299 *ad* 301,

XLII.

De Parochiis, & Parochiis. *a n.* 302. *ad* 329.

XLIII.

De Beneficiis Regulaeibus, *a n* 330. *ad* 334.

S U M M A R I U M.

1 *DE beneficiorum origine, ac divisione, aliisque generalibus remissive.*
2 *De distiuctione inter saeculario, & regularia, eorumque natura.*
3 *Do alia distinctione saecularium.*
4 *Qualia dicantur vere, & proprie beneficia Ecclesiastica.*
5 *De potestate Papa in beneficiis.*
6 *Omnia beneficia diœcesis de jure sunt ad liberom collationem ordioarii.*
7 *Nisi agatur de illis de jurepotronatus ob eodem ad prasentationem provedendis, & quando etiam ista ob eo conferuntur.*
8 *Canonicatus autem, & beneficia in Cathedrali spectaut ad simultaneam Episcopi & copiculi.*
9 *Quomodo ista simultaneo exececodo fit.*
10 *Tanta est vox Episcopi, quanta capituli, quod a majori parte constituitur, atque minor adhærens Episcopo non auget.*
11 *Episcopi, & copituli concursus requiritur collegialis.*
12 *Laudatur alternativa, sive turnaria divisio inter Episcopum, & copitulum.*
13 *De consuetudine in aliquibus partibus totum jus est Episcopi, & in aliquibur totum est copituls.*
14 *Ubi totum coopetit capitulo, an aliquod jus remancat Episcopo.*
15 *In Collegiatis collotio fit ad electionem Collegii, & quando secus.*
16 *Potest competere etiom inferiori Prælato, & quomodo.*
17 *Etiam Prælato Regulari potest competere collatio sæculorium.*
18 *Tenetur ordinarius providere infra sex meuses, olias intrat devolutio.*
19 *Impetrans ex captte devalutionis arctatur eoucludenter probare, & de rotione.*
20 *Quomodo, & ad quem fiat devolutio.*
21 *In provisionibus Ordinarii olia desideratur expressio, vel justificatio.*
22 *De nova provideodi forma inducta in parochiolibus.*
23 *Papa coocurrit cum quolibet ordinario collotore, eumque prævenit.*
24 *Quando initium habuerint Apostolicæ reservationes, vel affectiooes.*
25 *De duplici specie reservationom de jure communi, & ex Regulis Cancellariæ.*
26 *Per mortem Papæ non cessant reservationes de jure communi, sed cessant illæ ex Regulis.*
27 *Verum odhuc in realibus vel personalibus remanet affectio.*
28 *Papo in crostinum assumptioois reservot omnia beneficio vacoto tempore vocotionis Sedis Papalis noo provisa.*
29 *Si provisio ordinarii fit eadem die uon substinetur, & de preced. debet constare aliaa quam ex doto litterarum.*
30 *Ad materiam text.* in cap. si Apostolica &c. *de non provisione facta infro mensem.*
31 *In manualibus, & unitis non datur vacotio, ideoque non iutrant reservationes, & quando secus.*
32 *De indultis facientibus cessare reservotiones remissive,*
33 *De non comprehensione beneficiorum de jurepatronatus sub reservationibus.*
34 *Vacatio opud sedem, & in Curia confunduntur, cum utraque causet reservationem, atque in utroque idem procedat in beneficus de jurepatronatus.*
35 *Differunt, quia vacatio in Curia non capit beneficia loci ejusdem Curiæ.*
36 *Fallit si possessor beneficii in Urbe sit etiam curialis, & qui dicatur talis.*
37 *Quæ officia causent curialitatem, & quæ non, & de distinctione officiorum.*
38 *Curiolitos semel contracta præsumitur durare.*
39 *Moriente iufra duos dietas possessore, etiam beneficia Urbis sunt reservato.*
40 *An reservatio, quæ resultat ab officiis sit ratione ipsorum officiorum ubicumque cosus mortis contingat, vel a loco, seu ab annexis qualitatibus.*
41 *Quod ob aunexam qualitatem dota pluralitate officiorum resultet plurolitas reservatiooum.*
42 *Officiis Romanæ Curiæ inest familioritas.*
43 *De familiaritate vera resultaute a servitio Papæ, & Cardioalium.*
44 *Familiaritas Papæ absorbet illam Cardinalis.*
45 *Etiam familiares Auditorum Rotæ, & aliorum officialium cadunt sub regula.*
46 *Quæ siot requisito familiaritotis, & quando hac adesse dicoutur.*
47 *Vicarius Generalis, & alii officiales Ecclesiæ Cathedralis, vel Abbatiæ possessæ per Cordinalem non sunt familiores.*
48 *Omoes familiares cadunt sub regula, etiamsi certum officium non habeant.*
49 *Requiritur etiom ut familiaris vivat expensis Domini & cum famulatu.*
50 *Utrumque requisitum debet concurrere copulative, ac unum sine altero non sufficit.*
51 *Sed si concorrant nihil refert, quod familiaris hobitet extra domum Domini.*
52 *Familioritas contracta præsumitur durore, eoque cessato, durat affectio.*
53 *An exceptuatio familiorium ipsius Papæ concedentis indultum duret post mortem Papæ remissive.*
54 *Collectoria geoeralis sioe dubio causat reservotionem.*
55 *Idem operatur singulæ subcollectoriæ particulares diœcesum, & in quo subcollectoria differat a collectoria.*
56 *De duplici requisito unicitatis, & universa jurisdictioois ad id necessario.*
57 *An oporteat probare deputationem per litteras.*
58 *Data unius deputatione censetur revocata deputotio alterius.*
59 *Requiritur etiam, quod persono sit constituta in dignitate Ecclesiastica, quad impugnatur.*
60 *Deputatio plurium in eadem diœcese diversis respectibus non tollit unicitatem.*
61 *Minusque si plures diœceses sint sub uno Episcopo.*
62 *Capit beneficia penoente subcollectoria; vel onte, non posteo.*
63 *Non requiruntur acceptatio, & exercitium, & quando secus.*
64 *Reservatio Prothonotariorum participautium est certa, & clousa in corpore juris.*
65 *Quid de aliis inferioribus, distinguuntur plures species, & in quibus requiratur scientio cum acceptatione.*
66 *Quomodo probetur Prothonotoriatus.*
67 *Usus insignium quid operetur.*
68 *In Cathedrali mojor dignitas post Pontificalem est reservato.*
69 *In Collegiata prima, seu principali, quæ habeat curam jurisdictionalem, & si non habet ubi excedat volorem* 10. *florenoeum.*
70 *Est reservatio, quæ provenit a Regulis quibus tamen cessotis durat affectio.*
71 *Si major, vel principalis est reservationis expers, illo libera, quæ sequitur cadit sub hac reservatiooe.*
72 *Si est unica, vel duæ coæquales adhuc intrat reservatio.*
73 *Non intrat, si non est major, licet prima respectu Collegii in Cothedrali existentis.*
74 *Hac reservatio impedit optionem, & quando secus.*
75 *Quando Ecclesio dicatur Collegiata ad hunc effectum.*
76 *Monasterio Consistorialia sunt reservota, etiamsi de facto extra Concistorium provideatur.*

77 So-

77 *Solent esse exceptuati in indulto conferendi reservata.*
78 *Item monasteria non consistorialia excedentia valorem 200. ducat. vel descripta in libris Cameræ.*
79 *An, & quæ sint reservata in corpore juris, vel per Regulas, & quid referat.*
80 *Solent commendari, & commenda causat affectionem.*
81 *Beneficium litigiosum etiam de jurepatronatus non providetur, nisi per Papam, & quando secus.*
82 *Quanam lis causet hoc vitium litigiosi, & qua non.*
83 *Oppositio capituli, vel intrusi absque titulo non causat litem.*
84 *Neque lis calumniosa.*
85 *Quando lis cessata dicatur, ut hoc vitium cesset.*
86 *Durante vitio durat impedimentum quomodocumque sequatur vacatio, ac sufficit etiam in possessorio.*
87 *De alia ad materiam litis, & beneficii litigiosi.*
88 *Beneficia liberæ collationis Ordinariis sunt reservata Sede Episcopali, vel Prælatura vacante.*
89 *Declaratur, & quid ubi collatio est cum alterius participatione.*
90 *Beneficium liberæ collationis si cor. Ordinario permutetur cum reservato, vel affecto cadit sub eadem natura.*
91 *Ex Coadjutoria resultat affectio, & quando non.*
92 *De aliis effectibus ob oppositionem manuum Papæ.*
93 *Reservatio mensium est ultimo, & subsidiaria quando aliæ deficiunt.*
94 *Ideoque alia reservatione, vel affectione vigente non curatur de tempore.*
95 *Qui sint menses reservati cessante alternativa.*
96 *Capit hæc reservatio etiam beneficia electiva, & quanam de jurepatronatus.*
97 *Qui collatores excipiantur, & de differentia inter indultum, & exceptuationem remissive.*
98 *Tempus vacationis est præcise probandum, & quid ubi sequatur in nocte dividente unum mensem ab altero.*
99 *Attenditur tempus mortis naturalis, & veræ, non autem fictæ.*
100 *Alternativa acceptata, ordo mensium mutatur, illaque solis Episcopis, & Archiepiscopis conceditur, non autem Capitulis, & aliis Prælatis.*
101 *Minusque alternativa suffragatur pro beneficiis non omnino liberæ collationis.*
102 *Resultat acceptatio exhibitis litteris in Dataria.*
103 *Probatur per ipsius Datariæ librum, & illico operatur, licet non adsit Episcopi acceptatio.*
104 *Mensis ordinarius licet cœptus, illico fit Apostolicus, sed non e contra, & de ratione differentiæ.*
105 *Cessat per mortem Papæ, vel Episcopi, seu per translationem, vel dimissionem.*
106 *Si Episcopus se ingerat in providenda vacatæ in mense reservato, amittit alternativæ beneficium.*
107 *Episcopus non residens amittit etiam duos ex suis mensibus, quomvis absentia sit ex justa causa, & residentia occasionalis.*
108 *Quid de Episcopo possidente plures Ecclesias Cathedrales unitas.*
109 *Solet Sedes Apostolica concedere Cardinalibus, & aliis indultum conferendi reservata, vel affecta.*
110 *Sed non omnino eadem est formula latior, & strictior.*
111 *Prius indultarius conferebat jure ordinario, atque indultum suffragatur capitulo, & aliis, hodie secus, & intrat jus delegatum.*
112 *An indultum suffragetur ubi totum jus conferendi de jure est alterius, quam indultarii, & quid Sede Papali vacante.*
113 *Cessat indultum ex duplici reservatione, & qualis hæc sit.*
114 *Non suffragatur pro Ecclesia dimissa nisi accedente indulto speciali, & istud pro sola Ecclesia ultimo dimissa.*
115 *Neque pro monasteriis, & quibus.*
116 *De exceptuatione familiorum Pontificis concedentis eo defuncto.*
117 *De alia exceptuatione familiarium Cardinalium viventium.*
118 *De indultis concedi solitis Legatis, Prolegatis, & Nuntiis.*
119 *Præsertim de Nuntio Hispaniarum, de cujus facultatibus frequenter agitur.*
120 *Quid contineant dictæ facultates, & quam conditionem, vel restrictionem habeant.*
121 *Cui incumbat onus probandi minorem, vel majorem valorem, an provisio ab indultario, vel a Papa.*
122 *Non suffragatur indultum ad effectum faciendi uniones.*
123 *Cardinales in titulis Cardinalitiis excepti sint a Regula mensium, quod differt ab indulto reservatorum.*
124 *Competit præsentibus tantum in Curia, & quinam dicantur præsentes.*
125 *De jure nominandi competente Cardinalibus in provisione beneficiorum familiarium.*
126 *De contentione inter Cardinalem Patronum, & Cardinalem Collateralem remissive.*
127 *Concordata Galliæ non cadunt sub Regula mensium, & aliis, quod est sub quæstione in illis Germaniæ.*
128 *Cadunt illa Germaniæ extra controversiam sub reservatione primæ dignitatis, speciali privilegio non accedente in contrarium.*
129 *Qualis locus attendi debeat, an Ecclesiæ collatricis, vel beneficii in concordatis Galliæ.*
130 *An ista concordata sint odiosa, & stricte interpretanda, vel potius favorabilia latam interpretationem recipientia.*
131 *Clericatus saltem prima tonsura est præcise necessarius.*
132 *Neque pensiones super beneficiis, absque clericatu reservari solent.*
133 *Requiritur etiam qualitas legitimorum natalium, nisi super illegitimorum defectu dispensatum sit.*
134 *De idoneitate litteraturæ.*
135 *De gradu doctoratus.*
136 *Crimen, vel censura, vel irregularitas inhabilitat ab assequendo, quamvis non privet assequuta.*
137 *Quod in assequendis sola inquisitio, vel diffamatio sufficiat.*
138 *Impuritas sanguinis, vel ignobilitas, aut defectus civicæ qualitatis cessantibus privilegiis, vel statutis non præstat inhabilitatem; Et quid ubi adest filius, vel pater in eadem Ecclesia.*
139 *De jure communi in simplicibus, vel illis Collegiatarum sufficit ætas septem annorum, ex Concilio autem Tridentino hodie requiritur 14.*
140 *Etiam in illis de jurepatronatus, & quando secus.*
141 *Quid in Canonicatibus, & non primis dignitatibus Cathedralium.*
142 *Et de primis dignitatibus, ac de Abbatiis, & parochialibus.*
143 *De Canonicatu pœnitentiario.*
144 *Dispensatio ad ordines non sufficit pro beneficiis.*
145 *Qualis ordo sit necessarius, distinguitur.*
146 *Terminus ad suscipiendum ordinem currit a die pacificæ possessionis.*
147 *Non susceptio ordinis quando causet caducitatem ipso jure.*
148 *Ex voluntate fundatoris etiam in simplibus requiritur ordo sacerdotalis.*
149 *Ista voluntas in dubio non præsumitur etiamsi adsit onus celebrationis missarum.*
150 *Quomodo talis voluntas probetur.*
151 *Valor beneficii, quod obtinetur ex provisione Apostolica est narrandus, sive sit motu proprio, vel ad postulationem, ac etiam si non accedat 24.*
152 *In illis motu proprio non est necessaria justificatio, ut ad supplicationem.*
153 *Expressio, ac justificatio necessaria est in provisionibus Legatorum, & Nuntiorum, ac aliorum conferentium ex concessione Apostolica.*
154 *In provisionibus, quæ fiunt per ordinarium, etiam vigore indulti neutrum requiritur.*
155 *Obtentorum narratio, ac justificatio desideratur in provisionibus ad supplicationem non autem motu proprio.*
156 *Soli fructus certi non autem incerti, vel distributiones veniunt in valore.*
157 *Quomodo probatio valoris fieri debeat distinguitur.*
158 *De causis causantibus malam narrativam, seu excludentibus nullitatem ex isto defectu resultantem.*
159 *De materia valoris ad effectum pensionum, & jurispatronatus remissive.*
160 *Narrari, ac justificari debet causa, seu modus vacationis.*
161 *De verisimili notitia.*
162 *De clausula* sive præmisso &c. *quando suffragetur.*
163 *Ista clausula non suffragatur in provisione Ordinarii quamvis vigore indulti.*
164 *Si plures reservationes, vel affectiones concurrant, an omnium mentio fieri debeat.*
165 *Idem de loco vacationis, vel alia circumstantia, in quo sit fundamentum provisionis, & 166.*
167 *Alia narrata quando sint justificanda necne.*
168 *Resignatio exigit, ut acceptetur, ac resignans habeat unde vivere.*
169 *Et si ad beneficii titulum ordinatus est debet fieri mentio specialis.*

170. *Ubi*

170 *Ubi sit pura resignatio coram Ordinario, vel alio inferiore, non potest beneficium, quod ita vacat, conferri conjunctis resignantis, vel collatoris.*
171 *Resignatio ad favorem fieri non potest nisi coram Papa, illaque exigit etiam dicta requisita, de quibus n. 169.*
172 *De Regula de viginti, & an procedat etiam in puro resignatione coram inferiori.*
173 *De publicatione resignationis ad formam Constitutionis Gregorii XIII.*
174 *Etiam impetratio ob factam publicationem est publicanda.*
175 *De pactionibus simoniacis in resignatione.*
176 *Resignatio ad favorem dicitur conditionalis, & an abdicet jus a resignante, & ex cujus persona beneficium vacare dicatur.*
177 *Beneficium potest resignari, non obstante lite, vel unione, seu expectativa.*
178 *Consensus, vel mandatum ad resignandum potest revocari, non obstante juramento, & quando.*
179 *Resignatio meticulosa, vel dolosa non valet.*
180 *Permutatio debet etiam publicari sicuti resignatio.*
181 *Si unus non publicat, non præjudicat alteri publicanti.*
182 *In permutatione coram Papa attenditur solum subreptio, seu defectus intentionis.*
183 *Quando cor. Ordin. fieri possit permutatio, & quando non.*
184 *Si permutatio est invalida, an detur regressus, vel fiat locus vacationi.*
185 *Pro coadjutoria requiritur infirmitas, & qualis.*
186 *Gravis senectus est etiam causa sufficiens, ac habet speciem infirmitatis.*
187 *De tempore gratiæ debet beneficium esse plenum, & de antidata.*
188 *Si non habet effectum gratia coadjutoriæ, adhuc effectum habet altera successionis.*
189 *Per coadjutoriæ concessionem resultat affectio ob appositionem manuum Papæ.*
190 *De præeminentiis, & obligationibus coadjutoris.*
191 *Per commendam beneficii regularis clerico sæculari non alteratur status regularis.*
192 *Commenda an causet affectionem.*
193 *Commenda regulatur circa ætatem, ordines, & alia jura beneficiorum.*
194 *Et quandoque, ut non habeat speciem beneficiorum.*
195 *Incompatibilitas pendet a residentia vera, non autem causativa.*
196 *Incompatibilitas impedit retentionem primi, quod vacat per assequutionem secundi, & quando utrumque amittatur.*
197 *Primum non est dimittendum, si secundum non est omnino pacificum, neque vacat.*
198 *De decreto de dimittendo, vel vacationis primi ipso jure.*
199 *An etiam compatibilia possideri possint sub eodem tecto.*
200 *De dispensatione incompatibilium.*
201 *Antiquitus etiam simplicia erant residentialia, sed ex consuetudine non sunt.*
202 *Quæ sint beneficia residentialia.*
203 *Etiam non residentialia ex lege fundationis, vel consuetudine effici possunt talia.*
204 *Quando ex voluntate fundatoris dicta qualitas impressa dicatur, & de differentia inter residentiam præcisam, & causativam.*
205 *De pœnis non residentium, & quomodo contra eos procedatur.*
206 *In unione, vel divisione, aut dismembratione Papæ non quæritur de potestate nec de causa.*
207 *De regula necessaria unionum quando intret.*
208 *Unio, vel divisio, seu dismembratio per Ordinarium exigit justam causam, & solemnitatem.*
209 *Affecta, vel reservata uniri non possunt & quando secus.*
210 *Indultum conferendi reservata non suffragatur pro unione.*
211 *Unio fieri non potest pro seminario erigendo.*
212 *Facienda est præbendis singulis, non autem mensæ Capitulari, ac fieri potest dignitatibus.*
213 *Quomodo unio probetur, & de materia hujus probationis.*
214 *Unio æque principalis rara est in beneficiis, sed frequens in Cathedralibus.*
215 *Non ex eo, quod unus possideat plura beneficia, resultat unio.*
216 *Quomodo possit Ordinarius dispensare super multiplicitate.*
217 *Unio fotativa parochialium non laudatur, ideoque divisio sine solemnitate fieri potest.*
218 *Facilius datur unio, quam dismembratio, & quando huic sit locus.*
219 *Post legitime factam dismembrationem ac erectionem; quale jus remaneat matrici.*
220 *De unione æque principali, ejusque effectibus.*
221 *Beneficium subjective unitivum extinguitur, ut fit prædium, ideo non vacat.*
222 *Ex homicidio, vel alio delicto non resultat privatio beneficii, sed inhabilitas ad assequendum, seu justa causa privandi.*
223 *Criminis probatio debet esse perfecta, & quando diffamatio sufficiat.*
224 *Enunciantur aliqua crimina, ob quæ resultet privatio.*
225 *Impetrationes certo modo sunt odibiles, ac raro effectum sortiuntur.*
226 *De privatione ob non impletum decretum contentum in reservatione, & quando terminus ad implendum currat.*
227 *Vacant beneficia ipso jure per matrimonium etiam invalidum.*
228 *Per professionem in Religione.*
229 *Per militiam & officia sæcularia, & quando.*
230 *Collitiganti superstiti dari solet subrogatio in jus alterius deficientis.*
231 *Non datur de necessitate, sed ex benignitate, & arbitrio.*
232 *Denegatur calumnioso litigatori, ac impetranti certo modo.*
233 *Non datur post extinctam litem.*
234 *Quid disponat Regula de annali.*
235 *An suffragetur injusto, vel invalido possessori.*
236 *Rarus est casus verificationis Regulæ de triennali, & de ratione num 246.*
237 *Regula de triennali tuetur pacificum triennalem possessorem in possessorio, & in petitorio.*
238 *Impedit excitari litem, & tollit jurisdictionem.*
239 *Etiam contra provisum de reservato nisi sit reservatio clausa in corpore juris.*
240 *Inducit præsumptionem tituli, & suffragatur possessori possessio prædecessoris.*
241 *Constare debet de possessione vera, & an probatis extremis media præsumantur.*
242 *Inducit præsumptionem contraria probatione elidibilem.*
243 *Non impedit superiorem, ut de titulo possessionis inquirat.*
144 *Non sufficit sola possessio sine titulo colorato, quem inducit possessio decennalis.*
145 *Sed possessio infecta, & habenda pro vacua non suffragatur.*
246 *Non suffragatur simoniaco, vel confidentiario.*
247 *Cessata per litem, & qualis in proposito sufficiat.*
248 *Quando lis inducatur.*
249 *De provisione in forma gratiosa quando detur, & quem effectum tribuat.*
250 *Quid contineat provisio in forma dignum.*
251 *Quale jus tribuat, & si non est effectuata, ex cujus persona vacatio sequatur.*
252 *Gratia per mortem Papæ non expirat, & de litteris in forma rationi congruit.*
253 *De gratia perinde valere.*
254 *De gratia si neutri.*
255 *In qua consistant petita beneficialistarum.*
256 *Gratia si neutri supponit litem.*
257 *Attenditur anterior, quod generale est in materia.*
258 *Dispensatio non tollit jus tertii validum, & de invalido non est facienda mentio.*
259 *Dispensatio super uno impedimento non suffragatur pro altero.*
260 *Neque suffragatur litteris non expeditis, & quando possit.*
261 *De Brevi de capienda possessione quam justificationem requirat.*
262 *In dubio, an pro exequutione, vel contra sit respondendum.*
263 *Habens Breve prædictum tenetur expedire litteras infra sex menses, & quando hic terminus currat.*
364 *In quo differant litteræ sub plumbo, & Breve de capienda possessione.*
265 *Ubi agitur de executore mero sufficit extrajudicialis informatio, quæ præsumitur.*
266 *Quilibet oppositor, vel possessor est citandus, licet sit vere legitimus contradictor, quem dicta citatio non facit.*
267 *Intrusus omnino notorius non est citandus, sed raro datur*
268 *Ubi adest legitimus contradictor, executor fit mixtus, ac cessat processus executivus.*
269 *Quando dicatur legitimus contradictor.*
270 *Semper tamen provisus per vacationem est legitimus contradictor impetranti certo modo, cui processus executivus non conceditur.*

271 Et

271 *Et si talis impetrator sit possessor, non est legitimus contradictor proviso.*
272 *Capitulum non est legitimus contradictor, sed est quandoque oppositor.*
273 *De subrogatione gratiosa in jus, & possessionem defuncti.*
274 *Possessio Canonicatuum in Cathedrali, & Collegiata est capienda capitulariter, & quid in dignitatibus.*
275 *In aliis beneficiis quomodo capi debeat.*
276 *De effectibus possessionis, & quod etiam in beneficialibus non quæritur in possessorio de justitia; sed attenditur nudum factum, & quando secus.*
277 *De sequestro in vim Clementinæ* observantiam, *quamvis ab ea sit appellatum.*
278 *Non datur contra triennalem possessorem nisi sit simoniacus.*
279 *Datur solum in Rota causa cognita.*
280 *Privat possessione.*
281 *Non revocatur nisi in fine litis.*
282 *Neque tollitur per cautionem.*
283 *Sequestrum provisionale quando apponatur, & revocetur.*
284 *Admittit cautionem, & non privat possessione.*
285 *De causis, ob quas intrat sequestrum provisionale.*
286 *De pluribus quæstionibus cadentibus in materia fructuum remissive.*
287 *De quæstionibus super divisione fructuum inter prædecessorem, & successorem, vel inter hæredes prædecessoris, & Ecclesiam, vel Cameram.*
288 *De distinctione inter fructus, & distributiones quotidianas.*
289 *De distinctione inter beneficia curata, & non curata.*
290 *De alia distinctione inter vacationem per dimissionem, vel per mortem.*
291 *Indultum testandi Cardinalium non suffragatur pro fructibus inexactis.*
292 *Remissoria, vel compulsoria generalis non retardat, ideo non negatur,*
293 *Omnia, quæ habentur in prophanis pro denegatione ex causa calumniæ, vel irrelevantiæ, facilius procedunt in beneficialibus.*
294 *Sub nomine causarum spiritualium ad hunc effectum non veniunt nisi causæ beneficiales, & quæ.*
295 *Quæ sunt specialia in hac materia prophana.*
296 *Regularia sunt manualia, & obedientiaria.*
297 *Quando in sæcularibus detur manualitas, & quod non sint vera beneficia,*
298 *An, & quando potestas amovendi intret in manualibus.*
299 *De iis, quæ conveniunt Canonicatibus, & dignitatibus Cathedralium, & collegiatarum, & non aliis beneficiis.*
300 *Canonicatus in Cathedrali sunt ad simultaneam Episcopi, & Capituli, & in Collegiata ad electionem Collegii.*
301 *De aliis ad materiam Canonicorum, & dignitatum.*
302 *De nova forma concursus in parochialibus inducta a Concilio Tridentino.*
303 *Intrat etiam in beneficiis ad provisionem inferioris collatoris, vel electoris, aut de jurepatronatus Ecclesiastico.*
304 *Etiam in reservatis, vel affectis.*
305 *Et si extra diœcesim in loco nullius, & quando coram viciniore.*
306 *Exemptio Prælati, vel Ecclesiæ non suffragatur.*
307 *De dictis proponendis, eorumque termino.*
308 *Examen est peragendum coram Ordinario, vel ejus Vicario generali, & potest etiam uterque intervenire.*
309 *Et coram examinatoribus in ultima synodo deputatis, qui non sint minus, quam tres.*
310 *Debent præstare juramentum, quod unicum generale sufficit.*
311 *Si non adsint tot examinatores synodales, quomodo alii deputandi sint.*
312 *Interventus unius, qui non sit deputatus in synodo, vel non præstiterit juramentum, vitiat actum.*
313 *Examinatores pro una Diœcesi non interveniunt in beneficiis alterius Diœcesis æque principaliter unitæ.*
314 *Declaratur conclusio, de qua num. 312.*
315 *Ordinarius, vel Vicarius non habet votum decisivum, sed solum adhæsionem in paritate votorum.*
316 *Quomodo Examinatores suum votum proferre debeant.*
317 *Examinatores omni emolumento carere debent.*
318 *Examinatores debent solum renunciare idoneos, & non idoneos, sed ad eos non pertinet declarare magis dignum.*
319 *Sede vacante hoc jus pertinet ad Vicarium Capitularem, & non ad alium.*
320 *Prælectio fieri potest ex intervallo, & in diverso loco.*
321 *Potest Ordinarius præeligere habentem minora suffragia, quæ concludant approbationem etiam extra beneficium adhæsionis.*
322 *Ordinarius tenetur eligere digniorem, alias appellatur ab irrationabili judicio, quod non procedit in beneficiis non curatis.*
323 *Appellatio non retardat exequutionem.*
324 *Irrationabilitas non præsumitur, rarumque ac difficile est illam convincere, & de ratione & ex quibus dignior dicatur.*
325 *Rejecto datur facultas provocandi electum ad examen in Urbe.*
326 *In quibus beneficiis curatis non intret hæc forma.*
327 *Etiam ubi non intrat, accedere debet approbatio examinatorum synodalium.*
328 *Canonicatus Capituli cui annexa est cura, non tenetur habere requisita beneficiorum curatorum, & quis teneatur.*
329 *De aliis ad materiam.*
330 *Quod regularia sint manualia.*
331 *De ratione ob quam recepta Religione Hierosolymitana, non habentur in foro quæstiones beneficiorum.*
332 *Commendæ, & dignitates Religionis Hierosolymitanæ quomodo provideantur.*
333 *Aliquarum Militiarum commendæ jure prophano regulantur.*
334 *De materia sæcularizationis Regularium.*

I.

PROOEMIALIA.

BEneficiorum Ecclesiasticorum originem, sive introdu-
ctionem, divisiones, ac alia generalia, viri forensis
non est agere in compendio forensi praxi tantum adapta- 1
to, facile tamen est videre apud Tractantes. *a*

Ea vero generalis distinctio foro congrua est, quod,
Alia sunt beneficia sæcularia, Alia vero Regularia di- 2
versam naturam habentia, quoties Pontificia potestas,
aut lex fundationis legitime adjecta, sive consuetudo
aliter non suadeat, ut sæcularia sint perpetua, nonnisi
per clericos sæculares obtinenda; Regularia vero sint manualia, & obedientiaria, non obtinenda, nisi per Regulares, ideoque sæcularia sæcularibus, Regularia Regularibus.

Sæcularium vero, Alia sunt simplicia, & alia quali- 3
ficata; Et hæc subdistinguuntur in curata, & non curata; Prout generaliter, tam ex simplicibus, quam ex qualificatis, Alia sunt liberæ collationis, Alia de jurepatronatus, Illaque libertatem habentia, subdistinguuntur in reservata, vel affecta, & ad ordinariam liberam collationem, ex quibus distinctionibus resultant effectus, de quibus infra in suis distinctis Rubricis.

Beneficia item ecclesiastica dicuntur solum ea, quæ 4
cum Superioris legitima auctoritate erecta sunt, non autem, quæ ex privata dispositione, quamvis pium, vel sacrum onus annexum sit, cum tunc pii legati potius, quam beneficii nomen congruat, & de consequenti non intrent regulæ Beneficiales, sed generales, cuicumque indifferenti materiæ congruæ.

Illud quoque generaliter in uno, vel altero sæcula-
rium, ac regularium genere, vel cujuslibet generis spe- 5
ciebus prænotandum est, omnia provenire a lege ecclesiastica positiva, ideoque Papæ supremæ potestati, ac liberæ dispositioni subesse, ut perpetua facere valeat manualia perpetua, sive sæcularia facere regularia, & e contra; seu alias eorum naturam, ac leges immutare, cum totum sub ejus dispositione, ac dominio sit. *b*

a *Garz. part. 1. & seqq. Lotter. lib. 1. cap. 1, seqq.*

b *disc. 63. & 64. & sub tit. de pension. disc. 44. & sub tit. de Regal. disc. 148.*

II.

II.

De facultate conferendi beneficia sæcularia, ex juris communis dispositione locorum Ordinariis, vel aliis inferioribus competente, & de devolutione.

6 Juris communis dispositione primævoque Ecclesiæ
usu attentis, omnia beneficia quandocumque & quo-
modocumque vacantia, ad Episcopi, seu Ordinarii loci
collationem spectant, exceptis illis de jurepatronatus,
ab eodem tamen Ordinario providendis, ad præsenta-
tionem patronorum, quatenus infra legitima tempora,
servatisque aliis servandis, personam idoneam, con-
7 cordes, vel pro majori parte præsentent; Adhuc re-
manente dicto jure conferendi habituali, ad exercitium
deducibili, non facta valide præsentatione, puta extra
tempus præfinitum, seu minus digne, aut eisdem pa-
tronis in diversa vota abeuntibus, adeo ut majorem par-
tem non constituant, ut in sua particulari sede ju-
rispatronatus. *c*

In Canonicatibus vero, ac Dignitatibus aliisque be-
neficiis Cathedralis, vel Metropolitanæ Ecclesiæ, cum
provisiones fiant nomine ejusdem, repræsentatæ per
8 Episcopum tamquam caput, & capitulum tamquam
membra, hinc utriusque simultanea est collatio.

Expressa determinatio autem in jure non habetur su-
per hujusmodi simultaneæ exercitio, unde propterea
non modica lis inter scribentes desuper viget; Magis
9 autem receptum est, consuetudini, vel expressæ con-
ventioni, aut etiam particulari Apostolicæ determina-
tioni (ubi adest) deferendum esse, sin minus, coæ-
quale jus eorum esse, ut scilicet tanta sit vox solius
Episcopi, quanta totius capituli, quod a majori, seu
legitima parte illud de jure repræsentante in proposito
10 attenditur, perinde ac si omnes capitulares in eamdem
deveniant sententiam, discordantium adhæsione voto
Episcopi non curata, neque illud in aliquo augente. *d*

Simultaneus vero, seu collegiativus non requiritur con-
cursus Episcopi & capituli in hujusmodi actu explicando,
sed quilibet suum jus, diverso loco, diversoque tempore,
vel modo explicare potest; Episcopus nempe singulari-
ter, capitulum vero collegialiter, dummodo in eadem
11 persona sequatur concursus; Ubi vero sit in diversis,
neuter actus conclusus remanet, ideoque elapso statuto
tempore a jure communi, vel particulari, fit locus
devolutioni, juxta gradus ab eodem jure statutos.

Hinc laudabilis inolevit usus, hujusmodi juris exer-
citium dividendi per alternativam, seu per menses &
12 tempora, ut quilibet nomine consortis totum jus abs-
que hac discrepantia exerceat; eadem turnaria diviso-
ne laudabiliter quoque in plerisque Ecclesiis introdu-
cta inter ejusdem capituli Canonicos vocales, ac etiam
inter Patronos in jure præsentandi. *e*

In Italia frequentius illud capituli jus ab aula recess-
sit, illudque in solo Episcopo consolidatum fuit, eo
13 solum in aliquibus capitulis nimium raro remanente;
In aliis vero provinciis, præsertim in Hispania e con-
verso, totum de consuetudine consolidatum est in capi-
tulo in quo Episcopus collegiative tamquam unus ex
capitularibus habet jus interveniendi, cum voto alicubi
duplicato, alicubi vero præponderanti, juxta particu-
larem consuetudinem, qua cessante, remanet simplex
votum aliis coæquale, quo etiam in aliquibus Eccle-
siis, eadem tamen legitime inducta consuetudine, quæ
immemorabilis esse debet, etiam caret. *f*

Cadente isto casu omnimodæ carentiæ quæstione, an
Episcopo remaneat jus habituale, ad exercitium quando-
que deducibile, ad effectum ut hujusmodi beneficiorum
14 species cadat necne sub indulto conferendi reservata,
quod eisdem Episcopis per Sedem Apostolicam conce-
di solet, ut infra in particulari Indultorum rubrica.

Canonicatus vero Pœnitentiarius, ex Tridentini Con-
cilii decreto, per solum Episcopum absque capituli parti-
cipatione providetur; secus vero in Metropolitanis, & Ca-
thedralibus Hispaniarum, in quibus ex Apostolicis Indul-
tis, dicto Conciliari decreto non obstante, tam iste Pœni-
tentiarius quam Doctoralis, & Theologalis providentur
per concursum habendum cor. Episcopo, & capitulo, juxta
formam in iisdem constitutionibus præscriptam; Cadente
alias quæstione, an Baleares Insulæ, & Cathaloniæ Prin-
cipatus in proposito caderent sub hujusmodi indultis de
Hispaniis loquentes, illa vero jam sopita per Apostolica
decreta, seu declarationem pro comprehensione, quæ alias
probabilior quoque videbatur. Ac etiam alia cadente quæ-
stione super Episcopi, & capituli interventu, an disjun-
ctivus, vel cumulativus esse deberet, atque probabilius
pro simultaneo, & cumulativo respondendum est. *g*

In Collegiatis autem, Canonicatuum, & beneficiorum
provisio est ad electionem ipsius Collegii, Episcopi vero,
seu Prælati confirmationem, nisi agatur de erectis ex an- 15
tiquis beneficiis ad Ordinarii alias liberam collationem,
quæ adhuc durat, hujusmodi immutatione non obstante,
nisi uno, vel altero casu lex fundationis, seu legitima con-
suetudo, aut Apostolicum indultum aliter disponat; Ista
vero Indultorum species subjecta non est revocationibus
privilegiorum super jure præsentandi in Concilio Trident.
& Apostolicis Constitutionibus contentis. *h*

His autem casibus particularibus cessantibus, Gene-
raliter fundata est Ordinarii intentio in provisione be-
neficiorum in ejus diœcesi, vel territorio existentium,
nisi ex Apostolica concessione, seu immemorabili con- 16
suetudine, vel præscriptione, alteri inferiori Prælato
istud jus in aliquibus beneficiis quæsitum sit, eodem
modo quo supra de capitulo Cathedralis habetur; Ea-
dem pariter cadente quæstione juris habitualis ad exer-
citium deducibilis in casu quo inferior negligat, vel
male exerceat, pro comprehensione sub Indultis ut su-
pra, quasi quod inferior, ipsius Ordinarii vicario no-
mine hoc jus ex consuetudine, vel privilegio exerceat
in casu mali exercitii reassumibile.

Taleque jus residere etiam potest in inferiori Præla-
to Regulari, non immutata beneficiorum sæcularium 17
natura, ut sæcularibus conferri debeant, & e contra.

Tenetur Ordinarius, vel alter, in quem hoc jus
translatum sit, illud exercere infra terminum, qui
generaliter, non data contraria consuetudine, seu lege
particulari, est sex mensium, regulariter decurrendo- 18
rum a die vacationis in ejus diœcesi, seu territorii con-
tingentis, ob scientiæ præsumptionem in Ordinario
militantem eorum, quæ in propria diœcesi, vel terri-
torio contingunt, nisi mors possessoris diœcesim, vel
alia justa causa hujusmodi præsumptionem cessare fa-
ciat, seu justam excusationem inducat; Et ob quam
possibilitatem, inducta est in impetrante a Superiore
beneficium ex capite devolutionis, necessitas perfectæ
& concludentis probationis hujusmodi scientiæ, cum 19
sola juris præsumptio in iis quæ sunt actionis, vel in-
tentionis fundamentum, sufficiens non sit, neque dica-
tur perfecta & concludens probatio illa quæ contrariam
habet possibilitatem.

Data vero negligentia conferendi intra terminum,
sive facta provisione de scienter indigno, aut alia con-
currente in ipso collatore incapacitate ratione excom-
municationis, vel similis impedimenti, intrat gradua-
lis devolutio ad Superiores, quibus idem providendi
terminus statutus est, nempe ab inferiori non exempto
ad Episcopum, ab Episcopo non exempto ad Metro-
politanum, ac ab isto ad Papam, sive ad Primatem,
pro locorum ac regionum observantia ac privilegiis, 20
denegata devolutione ad Episcopum a capitulo Cathe-
dralis exercente de consuetudine, ut supra integrum il-
lud jus, quod ipsius quoque Episcopi est simultaneum,
ita consolidatum in solo capitulo, quod proinde nomi-
ne, ac vice ejusdem Episcopi quoque conferre dicitur,
ac successive, ad eumdem devolutio danda non est.

Hujusmodi ordinariæ provisiones, utpote non ad partis
supplicationem, sed motu proprio manantes, minus-
que cadentes sub regulis Cancellariæ, nulla indigent
valoris, vel alterius qualitatis expressione, seu justifi- 21
catione, ut in Apostolicis provisionibus desideratur. *i*

Atque respectu inferiorum collatorum, ex consuetu-
dine, vel privilegio habentium jus conferendi benefi-
cia in aliena diœcesi, vel territorio existentia, Conc.
Trid. respectu beneficiorum, quibus animarum cura
principaliter incumbit, & quæ sub parochialium nomi-
ne explicari solent, aliquam induxit restrictionem, ut
scilicet conferri non valeant, nisi iis qui in concursu
ad formam ab eo præscriptam coram loci Ordinario
habito, ab isto prælecti sint, ad hujusmodi tantum
personas restricta inferioris collatoris facultate, quæ ita
quodammodo honorifica tantum remanere videtur; Idem-
que in Prælatis non Episcopis, quamvis ordinariam &
quasi Episcopalem jurisdictionem cum territorio vere
separato habentibus, quoties de jure, vel de facto sy-
nodum non celebrent, unde coram eis forma Conci-
liaris impracticabilis remaneat, cum tunc illa coram
viciniori Episcopo servari debeat, quacumque ipsorum
Prælatorum, vel Ecclesiarum exemptione non curata,
ut infra in particulari parochialium rubrica. *l*

Quia

Quia vero Papa dicitur Ecclesiæ universalis Episcopus ac ordinarius ordinariorum, hinc proinde, seclusa etiam Apostolicarum reservationum usu, ex ipsius juris
23 ris communis dispositione cum quolibet ordinario collatore concurrere potest, eumque prævenire, nulla desuper cadente quæstione potestatis, bene tamen illa voluntatis regulariter non præsumendæ, cum non de facili soleat Papa, quamvis possit, hujusmodi potestatem exercere, nisi quando inferioris crimen, quamvis alias juris conferendi privationem non inducens, impulsum tribuat; Dicta voluntas desumi solet ex particula providendi formula, isto casu adhibita, diversa ab altera, quæ in casu provisionis de reservato, vel affecto, seu devoluto adhiberi solet, aliis probationis speciebus non præclusis, utpote in quæstione facti & voluntatis potius quam juris. *m*

De aliis vero ordinariam provisionem concernentibus sparsim habetur infra occasione agendi de reservatis, vel affectis; Magis autem de indultis, quæ ipsis ordinariis ratione Cardinalitiæ dignitatis per Sedem Apostolicam concedi solent, conferendi reservata, vel affecta.

c *sub tit. de jurepatr.* d *disc.* 1. *&* 30. *& seqq.* e *ibidem.* f *ibidem* g *disc.* 28. *&* 29. h *disc.* 17. i *eodem disc.* 1. *disc.* 90. l *num.* 302. *& seq.* m *disc.* 23.

III.

De reservationibus, & affectionibus Apostolicis in genere, & quando cessent.

Decimotertio nostræ salutis currenti sæculo, cœpit Apostolica Sedes collationem aliquorum benefi-
24 ciorum in aliena diœcesi existentium sibi reservare, prius ratione loci, in quo vacationem sequi contingeret, puta in curia, sive apud Sedem, deinde ratione personarum, puta ipsius Papæ familiarium, vel Sedis Apostolicæ qualificatorum officialium; Sive ratione qualitatis beneficiorum, quia primæ Dignitates in Cathedrali, vel in Collegiata jurisdictionem, vel Prælaturæ speciem annexam habentes; Ac demum ratione temporis, aliquos menses sibi reservando, juxta singularum reservationum rubricas, de quibus infra.

Duplex vero est hujusmodi reservationum species; Una earum quæ dicuntur clausæ in corpore juris, utpote manantes a Constitutionibus, vel decretis Apo-
25 stolicis, quæ in Decretalium libris præsertim Sexto, vel Clementinis & Extravagantibus inserta sunt; Altera vero manantium a Regulis Cancellariæ, quas Pontifex in crastinum suæ assumptionis edere solet; notabilis autem differentia est inter hujusmodi reservationum species, quoniam prima per mortem Papæ non cessat, sicuti cessat altera resultans a regulis Cancellariæ, quæ utpote editæ pro ipsius Papæ placito, per ejus mortem cessant; Ideoque Sede Papali vacante fit reversio ad primævum statum, ac juris communis dispositi-
26 tionem super jam insinuato ordinarii loci jure conferendi omnia beneficia quocumque tempore vacantia. *n*

Effectus autem hujus cessationis percutit solum reservationes accidentales (quas discontinuas dicimus) ratione mensis, vel loci, non autem reales, vel personales (quas
27 continuas appellamus) ratione scilicet qualitatis beneficii, ut sunt primæ Dignitates, Monasteria, Consistorialia, Canonicatus Basilicarum Urbis, & similia; Vel ratione personarum, quæ vacantia beneficia possederint, quia nempe Officiales, Collectores, Prothonotarii, familiares, & similes; Quamvis enim cessent quoque istæ reservationes, quæ respective in corpore juris clausæ non sint, sed a regulis Cancellariæ tantum manent, adhuc tamen ob statum reservationis, in quo extiterunt vigentibus regulis, beneficia remanent affecta, cum hujusmodi qualitas semel impressa, semper duret pro ea vacatione. *o*

Verum & in discontinuis reservationibus, eatenus Ordinariorum jus restituitur, vel aperitur, quatenus ipsa va-
28 catione durante provisio sequatur, cum novus Pontifex in crastinum assumptionis omnia beneficia vacata, & non provisa, alias sub Apostolicis reservationibus cadentia, sibi reservare soleat; Ideoque si eadem dies creationis Pontifi-
29 cis, ordinariam provisionem sequi contingat, illa utpote in tempore inhabili viribus caret, de præcedenti autem tempore extrinsecus constare debet, alias quam per ipsarum litterarum datam in proposito de antidata suspectam. *p*

Crediderunt aliqui, sub reservationum, vel affectionum cessatione, cadere casum negligentiæ Papæ nuper defuncti non providendi infra mensem, quasi quod sequuta Sedis Apostolicæ vacatione, jam impressæ reservationis qualitate non obstante, Inferior collator suam ordinariam re-
30 assumat potestatem; Erronea vero hujusmodi opinio censenda est; Vel quia canones ita desuper disponen-
(30) tes, contrario usu antiquati sint, vel quia restrictionem habeant ad sola beneficia principaliter curata, quæ alias liberæ collationis, accidentaliter sub locali reservatione caderent per obitum in Curia. *q*

Exceptuant aliqui a reservationibus, vel affectionibus beneficia manualia, vel alteri Ecclesiæ accessorie, ac subjective unita, quod pariter æquivoco laborat, 31
cum id non ratione cessationis regularum sequatur, sed non comprehensionis, cum hæc vere, ac proprie beneficia non sint, respective pia legata, vel prædia Ecclesiarum, quibus unita sunt, ideoque vacationem non recipiunt, & successive eis non cadit provisio; Verum præbente casu, quod in istis vera detur vacatio, intrant etiam reservationes, ut in unitis verificabile est in Vicariis perpetuis, quæ in titulum conferri solent. *r*

Attenta vero antiqua formula Indultorum, quæ Cardinalibus, vel aliis per Apostolicam Sedem conceduntur, conferendi reservata & affecta, cessare quoque dicebantur reservationes, vel affectiones, cum verius crederetur, Indulta nil tribuere de novo, solumque re- 32
movere accidentale reservationum, vel affectionum obstaculum, unde indultarius conferret ejus primævo jure ordinario, eo modo quo Sede Papali vacante; Hodie vero per modernas formulas, seu Apostolicas Constitutiones, jus delegatum Indulta continent, ideoque firmis remanentibus affectionibus, ac reservationibus, 33
delegato, seu Vicario jure Papæ indultarius confert. *s*

De non comprehensione autem beneficiorum jurispatronatus laicalis ex fundatione, vel donatione, aut Regio quamvis ex privilegio, habetur in sua particulari materia. *t*

n *disc.* 1. *&* 4. *&* 31. o *d. disc.* 4. *&* 31. p *disc.* 24. *&* 25. q *d. disc.* 24 *&* 25. r *infra n.* 206. *& seqq. & n.* 296. *& seqq. ubi de manual. & unitis.* s *infra n.* 123. *& seqq. ubi de indultis.* t *sub tit. de jurep.*

IV.

De reservatione ob vacationem in Curia, vel apud Sedem.

Pro synonymis ad omnes fere effectus hujusmodi vacationes in curia, & apud Sedem haberi solent, atque simul confundi, præsertim vero ad effectum reservationis, sub qua ita cadant beneficia vacantia in curia, ac apud Se- 34
dem, & e converso beneficia jurispatronatus laicalis ex fundatione, vel dotatione, sive Regio quamvis ex solo privilegio, ita non cadunt sub una, ac sub altera reservatione, sed in casu utriusque pariformiter pro ea vice derogari solet.

Differunt autem circa beneficia existentia in Urbe (quatenus juxta frequentiorem contingentiam ibi sit curia & Papæ residentia) sive in alio, ubi curiam reperiri contingat, quoniam vacatio apud Sedem etiam hæc be- 35
neficia capit, non autem vacatio in curia.

Una vero, vel altera species distinguitur, non ratione loci obitus, cujus identitas ita supponenda est, sed ex qualitate possessoris; Ubi enim ejus domicilium in Urbe, vel alio loco curiæ sequatur ex sola ratione beneficii, vel originis, seu etiam domiciliariæ civilitatis, 36
absque alia curiali qualitate, tunc vacatio sequi dicitur in curia non autem apud Sedem: Secus autem ubi domicilium esset accidentale ratione officii, vel etiam exercitii, puta Advocati, Procuratoris, Solicitatoris, Expeditoris Aulici, seu familiaris, vel alias curiam sequentis, illique addictis, cum curialitas vacationem apud Sedem producere dicatur, quamvis in eo originaria, seu domiciliaria civilitas quoque concurrat. *u*

Illa tamen officia hujusmodi curialitatis affectum producunt, quæ licet venalia, annexam administrationem, 37
vel personalem industriam habeant, secus autem ea quæ absentibus, ac etiam infantibus congrua, personali industria, vel administratione carentia, pro solo emolumento emanatur, quamvis ex privilegio annexam habeant familiaritatem, vel prothonotariatum, reservationem ex tali qualitate, seu annexione producentem, cum non exinde altera qualitas curialitatis resultet ad hunc effectum vacationis apud Sedem; Et de qua officiorum distinctione in sua materia. *x*

Semel autem contracta curialitas in dubio continuata præsumitur usque ad obitum, nisi contraria expres- 38
sa, vel adminiculativa probatio contrarium suadeat.

Atque exceptuatio beneficiorum Urbis, quæ per non curiales,

riales, sed simplices incolas possideaotur, juxta moder-
nas declarationes, locum sortitur, quatenus in ipsa Urbe
possessorem decedere contingat, secus autem si infra duas
39 diætas, quamvis infra districtum, qui in proposito ab
ipsamet Urbe, seu loco distingui solet, ut etiam ha-
betur infra in Rubrica facoltatum Cardinalium. *y*

u *disc.20. & 21 ubi dr bis exerution.* x *de offic. Rom. Curiæ, sub tit. de Regal. disc. 2.* y *infra, n. 127. & seqq.*

V.

De reservatione per obitum officialium Romanæ Cutiæ.

ALiqua majora, seu qualificata officia, nempe, Nun-
tiorum, Legatorum, Rectorum, ac Thesaurario-
40 rum, generaliter reservationem fixam, seu continuam
causant in corpore juris clausam, ubicumque officia-
lium obitum sequi contingat; In aliis vero officiis,
quorum ratione resultat reservatio, in corpore juris
etiam clausa sub quæstione erat, an ipsius juris com-
munis dispositione attenta, reservario esset etiam con-
tinua, & fixa, vel potius accidentalis, seu discontinua
ratione obitus in curia, vel intra duas diætas, quod-
que illa continua reservatio, quæ a sæculo & ultra in
hujusmodi quoque officiis intrat, ubicumque vacatio-
nem sequi contingat, resulret potius a familiaritate Pa-
pali, ver respective protbonotariatu hujusmodi officiis
per Apostolicas Constitutiones privilegiative aooexis,
oon autem a primæva officii natura, quod nimium
tefert ad effectum multiplicandi necne reservationes,
quæ ubi sunt duplices, Indulta cessare faciunt; Et
41 quamvis alias, ac forte probabilius, juxta hanc secun-
dam partem, pro accidentali, seu discontinua reserva-
tione ab ipso solo officio manante decisum sit; Aposto-
lica tamen determinatio in contrarium quæstionam sub-
stulit, ideoqoe data officiorum duplicitate, ita duplex
resultat reservatio, una ratione officii, ex ipsius tan-
tum qualitate, altera vero ratione familiaritatis, vel
prothonotatiatus, ab altero officio tesultantis. *z*

z *dis. 3.*

V I.

De reservatione ratione familiaritatis Papæ; Cardinalium, aliorumque Prælatorum.

ULtra illam proxime supra enunciatam fictam, seu
privilegiativam Papæ familiaritatem, quæ Roma-
næ Curiæ officiis annexa est, adest familiaritas vere resul-
42 tans ex actuali servitio Papæ, vel Cardinalium, seu ali-
quorum qualificatorum Curiæ Prælatorum, ex qua absque
dubio resultat reservatio, etiam in corpore juris clausa,
43 absque tamen multiplicitate, cum duplici posita major
absorbeat, ac suffocet minorem in consideratione non
habendam, ut præsertim frequenter contingit in vera,
44 vel ficta, & privilegiativa familiaritate Papæ suffocante,
seu absorbente familiaritatem Cardinalis.

Aliqua antiquiori tempore circa hujusmodi reservatio-
nis speciem cadente quæstione, super familiaribus Audito-
45 rum Rotæ, & Clericorum Cameræ, aliorumque Prælato-
rum, aliquod majus, seu qualificatum officium haben-
tium, quæ pariter cum affirmativa sopita est.

In reliquis autem frequentes pro ista materia fori quæ-
stiones facti potius quam juris esse videntur, super hu-
jusmodi qualitaris justificatione, & an concurrant necne
46 requisita mentis, & dentis desuper necessaria, mentis
scilicet ut jure illius contractus, vel quasi, qui inter
dominum & famulum iniri dicitur, super famulatu,
vel servitio concernente personam Cardinalis, vel Præ-
lati, cui sit addictus, non autem, ubi servitium non sit
47 circa personam, sed in aliis, puta in Vicariatu Gene-
rali, vel in Auditoratu, aut œconomia Ecclesiæ Cathe-
dralis, quam Cardinalis obtineat, sive monasterii, quod
commendatum habeat, jurisdictionem, vel administra-
tionem annexam habentis cum similibus.

Quinimo personale servitium adeo præcise apud anti-
quiores desiderabatur, ut ad certa munera, puta Aulæ Præ-
48 fecti, Secretarii, Pincernæ, Cappellani, & similium id
restrictum esset, non autem conveniret familiaribus, qui
absque certo ac determinato officio, honorificentiæ, ac
splendoris gratia retinentur, qui vulgo in curia dicuntur,
Gentil' uomini di spaliera, quod tamen receptum non est,
cum dato formali famulatu, indefinite hic effectus resul-
tet, quamvis certum munus annexum non sit.

Alterum est requisitum dentis, ut scilicet famulus vivat
expensis domini, & ex famulatus mercede, vel reci-
piendo integrum victum in ipsius domini domo, ut
antiquior erat usus, comedendo sc. ut vulgo dicitur *in*
tinello, & quandoque antiquitus in ipsios domini mensa, 49
vel recipiendo eundem victom, partim in diurnis por-
tionibus panis & vini, & partim menstrua pecuniaria
quantitate, obsoniorum loco subrogata, sive recipien-
do totum in salario, quod in certa uniformi summa
singulis mensibus præstetur pro servitio.

Utrumque autem requisitum copulative concurrere
debet, atque unum sine altero non sufficit, plerique
siquidem obsequium ac servitium Cardinali præstant
magis assidue, ac diligenter quam veri famuli salariati
agant, ex parentelæ, amicitiæ, vel protectionis impulsu, &
tamen non sunt famuli salariati; Et e converso plerique 50
vivunt in domo, & quandoque etiam in mensa Car-
dinalis, sive diurnas portiones panis & vioi, benevo-
lentiæ, vel subventionis jure recipiunt, & tameo ser-
vitio addicti non sunt.

Utroque autem requisito concorrente, nil refert, an
familiares in propria domo, vel in illa domini vivant,
cum domus materialis in proposito nil alteret; Mi- 51
nusque familiaritatem tollit aliqua magis honorifica,
& insolita tractatio, quam ex genio & benevolentia,
sive ex alia superventa qualitate domious faciat, quo-
ties dd. requisita perseverent.

Semel autem contracta familiaritas continuata præsu-
mitur, donec constet de dissolutione, quæ ad hunc effe-
ctum operativa est in beneficiis, quæ post dissolutionem
obtineantur, sub hujusmodi reservatione non cadenti- 52
bus, secus autem quoad ea quæ ipsa familiaritate du-
rante, vel antea obtenta sint, qooniam ob semel im-
pressam reservationem ex ista qualitate resultantem,
perpetuo pro ea vacatione durat affectio. *a*

De familiaribus autem Papæ viventis exceptuatis in 53
indulto, an continuent in exceptuatione post mortem
Papæ habetur infra in rubrica indultorum. *b*

a *de bis omnibus circa familiaritatem, disc. 3. 5. 6. & 11.*
b *infra num. 123. & seqq.*

VII.

De reservatione ex Collectoria, vel subcollectoria Apostolica.

IN Collectoribus generalibus spoliorum, aliorumque
Cameræ Apostolicæ jurium ac emolumentorum ali-
cujus provinciæ, vel ditionis, oulla cadit quæstio, cum
sit reservatio clara, in corpore juris etiam clausa; 54
Apud antiquiores autem non levis quæstio fuit, an ea-
dem reservatio oriatur ex singularum diœcesum subcol-
lectoria, quod pariter hodie remanet pro affirmativa
extra quæstionem, in eo solum cadentem, an hæc as-
similata alteri resultanti a collectoria, dici quoque de-
beat clausa in corpore juris, vel potius manans a re-
gulis Cancellariæ; Hujus tamen quæstionis modicus est 55
effectus, ideoque raro forus illam audit, quoniam licet in-
ter unam ac alteram speciem reservationis, notabilis vi-
geat differentia, ob cessationem affirmativam, seu nega-
tivam per mortem Papæ, ac Sede Papali vacante, adhuc
tamen fere idem est effectus, ob jam insinuatam affectio-
nem a semel impressa personali reservatione causatam.

Duplex autem requisitum copulative pro hujusmodi
specie reservationis verificandum est; Primo scilicet il-
lud unicitatis in ea diœcesi; Et secundo jurisdictionis
universalis in omnibus causis ac negotiis, ad illam 56
collectionem concernentibus; Hinc proinde parum re-
fert unicum esse subcollectorem ad aliqua particularia
negotia deputatum; Vel quod plures eodem tempore
existant, quamvis cum universali jurisdictione.

Atque hinc in praxi resultat quædam moralis necessitas
justificationis hujusmodi deputationis per scripturam;
Non quia hæc præcise necessaria sit, sed quia per testes, 57
vel alias species probationis nimium difficile est hoc se-
cundum universalitatis requisitum justificari cum perfe-
cta, & concludenti probatione ad id necessaria, quam so-
la contraria possibilitas cessare facit, ideoque super hoc
major esse solet difficultas, potius quam super unicitate,
quoniam data unius deputatione ad universitatem nego-
tiorum, alterius præcedentis deputationis revocatio præ- 58
sumitur, nisi pateat, secundam factam esse cumulati-
ve, & compatibiliter cum prima, quæ etiam durit.

Desideratur etiam ut subcollector in Ecclesiastica digni-
tate sit constitutus, cum nonnisi hujusmodi personis Apo-
stolica Sedes causarum cognitionem delegare soleat, ac
alias deputatio invalida sit, neque reservationem causet;

Hoc

Hoc autem, præsertim extra montes difficultate non ca-
ret, ob contrarium usum, ob quem, sicuti Episcopus,
qui ad Sacrorum canonum præscriptum non nisi per-
sonas in primaria dignitate constitutas causarum co-
gnitionem deputare poterat, Archidiaconum scilicet in
temporalibus, & Archipresbyterum in spiritualibus,
hodie simplicem clericum nullam habentem ecclesiasti-
cam dignitatem deputare potest in Vicarium Genera-
lem cum qualitate unicitatis, atque cum majori & gra-
viori causarum universitate, totiusque diœcesis regi-
mine ac administratione; Ita non videtur, cur Colle-
ctor generalis, hujusmodi subcollectores tamquam ejus
in singulis respective diœcesibus cum minori admini-
stratione Vicarios generales deputare non valeat, quam-
vis in Ecclesiastica dignitate non constitutos, dum eo-
rum deputatio non provenit directe a Papa non nisi
constitutis in dignitate reseribere soluto, sed a Collectore.

Unicitati vero non obstat illa contemporanea plu-
ralitas, quæ ex respectibus in una eademque diœcesi
facti sit, quia nempe unus sit subcollector spoliorum,
60 alter decimarum, ac alter aliorum jurium, seu reddi-
tuum, dummodo quilibet in suo genere sit unicus cum
universa jurisdictione, potissime ubi deputationes a di-
versis fontibus manant.

Minusque obstat illa quæ respectu Episcopi est plurali-
tas, respectu vero diœcesum in singularitates resolvitur,
61 ubi scilicet duæ, vel plures Ecclesiæ, ac diœceses sub uno
Episcopo æque principaliter unitæ sint, vel uni ex Apolto-
lica dispensatione commendatæ, quoniam sufficit quem-
libet in qualibet diœcesi esse unicum ac universalem.

Percutit quoque illa reservatio (adinstar aliarum perso-
nalium) ea beneficia, quæ durante subcollectoria, vel an-
62 tea, obtineantur, & quæ post illam quoque cessatam,
ob semel impressam reservationem, adhuc affecta rema-
nent, non autem ea quæ post cessationem obtineantur.

Crediderunt aliqui, desiderari quoque acceptationem
ad exercitium, quod tamen receptum non est, cum
63 hujusmodi deputationes in invitis, vel ignaris fieri non
soleant, nullaque suppetat suspicio fraudis, ubi colle-
ctor generalis nullam habeat in collatione reservato-
rum participationem, secus autem hujusmodi suspicio-
ne cadente, nisi uno, vel altero casu contrariæ veri-
tatis urgentiora argumenta concurrant. *c*

c de præmissis ad materiam hujus reservationis, dist. 8. 9. & 19.

VIII.

De reservatione ratione Prothonotariatus.

IN Prothonotariis, qui in statu qualificatæ Prælatu-
ræ, numeratum Collegium in curia constituunt, ac
64 repræsentant Notarios in primitiva Ecclesia ad marty-
rum acta scribenda deputatos, & qui ad aliorum dif-
ferentiam *Participantes* dicuntur, nulla cadit difficul-
tas super reservatione, in corpore juris etiam clausa;
Inferiorum vero prothonotariorum plures habentur spe-
65 cies; Una scilicet eorum qui per litteras Apostolicas
directe a Papa creantur, in quibus pariter extra con-
troversiam est intrare reservationem ob præsumptam
scientiam & acceptionem, nisi contrariæ veritatis ex-
pressa, vel adminiculativa probatio accedat.

Altera est species prothonotariatus, ex Apostolica quo-
que auctoritate manans non explicite ut præcedens, sed
implicite, seu ficte, ac privilegiative resultans ab ali-
quibus Romanæ Curiæ officiis, atque hanc pariter
hodie extra quæstionem est, reservationem causare.

Tertia demum est eorum, qui creantur per Lega-
tos, vel Nuntios Apostolicos, ac alios ex Apostolica
concessione ad id potestatem habentes; Et quamvis ista
quoque eumdem causet effectum, attamen exigit saltem
præsumptam, seu conjecturalem probationem scientiæ,
ac acceptationis in aliis speciebus non necessariam, ac
etiam implementum illius formæ, quæ, vel in litteris
deputationis, vel in facultatibus deputantis præscri-
pta est.

Quamvis autem frequentius, non nisi per litteras,
66 vel earum regestra hujusmodi deputatio probari soleat,
præclusæ tamen non sunt aliæ probationum species,
præsertim per testes de litterarum tenore bene depo-
nentes; Solus vero usus insignium, quæ huic digni-
tati congruunt, sufficientem probationem non præbet,
bene tamen adminiculum præstat, atque data deputa-
67 tione probat acceptationem. *d*

d *de hac specie reservationis, disc.* 3. 5. & 8.

IX.

De reservatione majoris Dignitatis in Cathedrali post Pontificalem, ac principalis in Collegiata.

IN Cathedralibus ac Metropolitanis, nulla ratione
habita valoris, indefinite prima Dignitas, seu ma-
jor post Pontificalem, ex ipsius beneficii natura per-
petuo reservata est; In Collegiata vero prima seu prin-
cipalis, quæ jurisdictionalem quoque curam ac Præ- 68
laturæ speciem annexam habeat, pariter indefinite re-
servata est; Dicta vero circumstantia cessante, non nisi 69
ubi 10. florenorum valorem excedat; Istaque dicitur
realis, & continua reservatio, quæ cessatis etiam per
mortem Papæ regulis Cancellariæ, a quibus manat,
adhuc durat ratione affectionis, a semel impressa re-
servatione resultantis, eo modo quo in personalibus 70
reservationibus dictum est.

Quatenus vero major in Cathedrali, seu principalis in
Collegiata sit, ratione jurispatronatus, vel optionis, aut ex
alio incidenti reservationis expers tunc altera illi proxima
sub ista reservatione cadit, & sic successive, cum sufficiat 71
eam esse primam inter beneficia liberæ collationis.

Si autem sit unica, quæ vulgo *monocularis* appellari so-
let, quamvis alias sub controversia fuerit, ex ea dubitan-
di ratione, quod ob aliarum non existentiam cesset ter-
minus, seu discretio majoris, vel primæ, hodie tamen 72
de plano receptum est, ut sub reservatione cadat;
Idemque, si duæ coæquales in eadem Ecclesia existant,
ut utraque sub hac regula veniat; Secus autem, ubi
ob aliarum majorum existentiam, secundum, vel ul-
teriorem locum in capitulo, seu Ecclesia occupet, quam-
vis, primæ, seu principalis figuram faciat in aliquo 73
inferiori Collegio in eadem Ecclesia existente.

Sub consuetudine vero, seu privilegio optandi, pro-
babilius est hanc majorem, seu primam dignitatem non 74
cadere, nisi verba Indulti, seu diuturna pacifica ob-
servantia, potissime ubi interpretativæ terminus ei con-
veniat, aut aliæ facti circumstantiæ contrarium suadeant,
quamvis etiam nostro moderno tempore id sub magna
quæstione fuerit. *e*

Frequenter autem super hac reservationis specie quæ-
stiones in foro habentur super collegiali qualitate Ec-
clesiæ, ex qua resultet, an ejus Rectoria, seu illud
beneficium, quod primam figuram facit, sub hujusmo- 75
di reservatione cadat; Id autem potius facti quam ju-
ris est, atque ex ipsius facti qualitate, ac probatione
collegialitatis in dubio non præsumendæ determinatio-
nem recipit, ubi explicita non habeatur collegii ere-
ctio Apostolica auctoritate facta, unde ex adminiculis,
ac signis eam deduci contingat. *f*

e de hac specie reservationis, disc. 12. *cum seqq.*
f disc. 14. & *sub tit. de præem.*

X.

De reservatione Monasteriorum.

EXtra omnem quæstionem reservata sunt ea mona-
steria, quæ utpote formalem administrationem ha-
bentia, in Concistorio provideri solent, *consistorialia* 76
proinde nuncupata, cujuscumque valoris existant, quam-
vis extra Concistorium provideantur; Adeoque certa, ac
de majoribus hæc species reservationis censetur, quod
juxta consuetam, seu ordinariam formulam Indultorum,
quæ Cardinalibus ac aliis concedi solent, conferendi re-
servata & affecta, excipiatur. 77

Quamvis autem ista reservatio expresse habeatur in
corpore juris, quia tamen sub quæstione apud antiquiores
erat an monasteria, de quibus jus loquitur, consistorialem
qualitatem, ac actualem administrationem præcise habere
debeant, hinc regula Cancellariæ prodiit, per quam 78
generaliter omnia monasteria valorem bis centum duca-
torum auri excedentia, sive in libris Cameræ descripta,
quamvis inferioris valoris existant, sub eadem reser-
vatione cadant, licet nullam habeant administrationem,
quoties collativa, non autem electiva sint; Nilque spe- 79
ctato affectu referre videtur, an de una reservationis
specie in corpore juris clausa, vel de altera a regulis
proveniente agatur, quoniam licet hæc posterior per
mortem Papæ cesset, quod in prima non sequitur,
adhuc tamen durat affectio, ut in aliis personalibus,
vel realibus reservationibus supra advertitur.

Cum autem hujusmodi collativa monasteria, ad Con-
ventus,

ventus, seu capituli electionem provideri non solita, ut plurimum, ac fere semper eorum regulari oatura in reliquis non immutata, ex Apostolica dispensatione clericis sæcularibus commendari soleant, hinc nullus fere datut casus eorum liberæ collationis per inferiorem collatorem, ob affectionem, quæ ab hujusmodi commenda ob appositionem manuum Papæ resultat. *g*

g de his disc. 2.

XI.

De reservatione beneficii litigiosi.

Litigiosi beneficii quamvis alias liberæ collationis, quinimo (quod magis) ad aliorum electionem, vel præsentationem conferri solitis, & quamvis jurispatronatus laicorum ex fundatione, vel dotatione, si-
80 ve juxta unam opinionem; etiam Regii, alteri quam Papæ collatio non conceditur, nisi in illis præsertim de jorepatronatus valida lex fundationis, aut legitima consuetudo aliter statuat.

Frequentiores autem quæstiones cadentes super ista reservatione, quæ a juris communis dispositione manat, potius facti qoam juris esse videntur. super existentia sc. litis, quæ hujusmodi litigiosi qualitatem, seu visium causes; Non enim omnis lis beneficium litigiosum efficit, sed solum illa quæ coram Judice compe-
81 tense, ac jurisdictionem in beneficialibus habente, per constitutionem, seu actum contestationi æquipollensem, iodučta sit inter principaliter contendenses de titulo, seu proprietate ac pertinentia beneficii, ideoque nil refert litem esse in solo possessorio, sive etiam super titulo coram judice incompetente, qui in beneficialibus ju-
82 risdictione careat (ut est præsertim Cameræ Auditor): Sive quod lis principaliter sit inter patronos, vel respective collatores, de jure conferendi, vel prælentati contendente, quamvis ipsi provisi, vel præsentanti accessorie pro eorum jure causæ assistant: Sicoti e contra litigiosi vitium non sollie assistentia patronorum, vel collatorum, ubi lis principaliter inter ipsos provisos, vel præsentasos existat.
83 Adeoque lis super titulo principaliter esse debeat, quod id non resultet, si de illo agatur incidenter occalione possessorii, vel executionis litterarum Apostolicatum; Et consaquenter per appositionem ejus, qui titulo caret, asqoe de beneficii pertinensia & adjudicatione non agit, lis non inducitur, ut præsertim contingit in capitulo ex inhabilisate provisi se opponente. Vel in intruso, aut altero oppositore titulum non habente.
84 Debet item lis esse talis, qood calumniam non redoleat, cum lis calumniosa, seu affectata hujusmodi effectum non producat.

Cessat autem hoc litigiosi vitium per puram cessionem litis & causæ, quæ bona, sinceraque fide non
85 autem affectate, ac in fraudem sequuta sit; Sive ob legitimam ejusdem liris desertionem, raro tamen ad praxim deducibilem; Aut per collitigantis naturalem, vel civilem mortem esiam ab incompatibilia assequutione resultantem, quoties tamen nullum collitiganti præjudicium resultet, unde omnino prohibitionis, vel impedimenti ratio cesset, quod tamen in beneficiis jurispatronatus laicorum ex fundatione, vel donatione in consideratione haberi solet, raru autem in illis liberæ collationis.

Et e converso, durante hoc litigiosi vitio, idem durat
86 impedimentum, quomodocumque vacatio per cessum, vel decessum, sive naturalem, aut civilem mortem collitigantis sequator; Istudque impedimentum inficit etiam in possessorio, aliosque producit effectus, de quibus in sua sede. *b*
87 De teliquis aotem litis effectibus, ac materia in beneficialibus, habetut infra in rubricis super regulis de subrogandis, ac de annali, & triennali, ac sub altera legitimi contradictoris, & executoris litteratum, & aliquid sub rubrica tesignationum.

h disc. 92.

XII.

De aliis reservationis, ac affectionis specitbus.

Plutes aliæ, ultra præmissas habentur reservationum, vel affectionum species; Prima sc. in beneficiis liberæ
88 collationis, vacante Sede Episcopali, seu Prælatura ordinarii collatoris, dummodo ad solum Episcopum, vel Prælatum collatio pertineat; secus aotem, si cum alterius participatione, ut præsertim est in Canonicatibus, aliisque beneficiis Cathedralium, ad simultaneam Episcopi & 89
capituli, cum una cessante, per jus non decrescendi tota facultas in altero consolidetur, cadente solum quæstione, ubi ex conventione, vel consuetudine, divisio per menses, vel turoum inducta esset, cujus decisio pendet a facti qualisate, an scilicet divisio substantiam juris conferendi, vel potius exercitium percutiat, ut hoc secundo casu intret d. consolidatio, secus autem in primo, in quo reservatio locum habes. *i*

Alteta est reservatio, quæ in beneficiis alias liberæ 90
collationis resultat ex permutatione, quæ coram Ordinario fiat cum beneficio resetvato, vel affecto. cujus mixtura alteri libero eamdem communicat naturam.

Affectio quoque resultas a coadjutoria, quoties jam
valida, & perfecta gratia executionem accidentaliter non 91
habuerit, quamvis litteræ adhuc expeditæ non essent, secus autem si ipsa quoque gratia invalida sit, nisi agasur in odium culposi, ob cujus culpam invaliditas resultet, ut infra in Robrica de coadjutoria.

Prout affectio oritur ex apposisione manuum Papæ occasione validæ ac perfectæ resignationis, per quam jus a resignante abdicetur, quamvis effectum sortita non sit; Sive a vacatione tesultante ex defectu publi-
cationis; Aut a contraventione Apostolicarum Consti- 92
tutionum, ex quibus privatio beneficii resultet, ut infra in privasionum, ac resignationis Rubrica; Sive ab alia appositione manuum ob commendam, ac alias, ubi eadem rasio appositionis manuum intret.

i disc. 1. 21. 31. & seqq.

XIII.

De reservatione ratione mensium; Et de alternativa.

Omnium teservationum, ac affectionum postrema,
sive subsidiaria est hæc reservatio mensium, ex 93
qua provisio non datur, ac successive temporis vacationis expressio negligitur, vel necessaria non est, ubi
quælibet alia reservatio, vel affectio vigeat. Dato ve- 94
to dicto casu subsidii, atque ordinario alternativa non gaudente, octo menses sub reservatione cadunt, Januarii scilicet & Februarii, Aprilis & Maji, Julii & Au- 95
gusti, Octobris & Novembris, Reliquis quatuor Ordinario, vel alteri inferiori collatori remanentibus.

Istaque Regula capit nedum beneficia liberæ collationis, sed etiam ea quæ sunt ad aliorum electionem,
nominationem, vel præsentationem, jurispatronatus 96
qualitate non curata, præterquam, ubi esset laicale ex vera fundatione, vel donatione, sive partim ex ista, partim ex privilegio, dummodo causa onerosa præponderet, vel saltem adæquet; Nullatenus curata fundatione, vel dotatione in jurepatronatus ecclesiastico, nisi lex fundationis ita stasuat, ac etiam excepto jurepatronatus Regio, quamvis jure speciali competat. *l.*

Excipiuntur ab hac regula, collatores Cardinalitia dignitate fulgentes; Ac etiam qui, vel ex concorda-
tis, vel ex indulsis jus habeant cooferendi etiam re- 97
servata, quamvis notabilis differentia dignoscatur inter casum exceptuationis & alterum Indulti, ut infra in Rubricis Indultorum, & Cardinalitiarum facultatum.

In hac autem specie vacationis, concludens probatio desideratur temporis quo illa sequuta sit, dum in eo
reservationis fundamentum est; Potissime vero ubi con- 98
tingas obisum possessoris sequi in ea nocte, quæ unum mensem alsero distinguit, an scilicet ante, vel post dimidiom sequatur. *m*

Attenditur ausem tempus mortis naturalis, ac veræ, 99
non autem illud fictæ, quam lex civilis in morientibus in captivitate induxit. *n*

Ubi vero Archiepiscopi, vel Episcopi, (quibus tan-
tum non autem Capitulis, aliisque inferioribus Præ- 100
latis id conceditur) alternativam acceptent, æqualis est divisio mensium, initiando a Papa, cujus est ille Januarii; & sic successive; in beneficiis tamen alias ad omnimodam ipsius Episcopi collationem, non autem in
aliis, in quibus alterius participatio adsit, sub alterna- 101
tiva non cadentibus. *o*

Non negatut cuicumque Episcopo illam petenti per ejus litteras, quibus præsentatis, illico relultat acceptatio, de-
scribi solita in libro Datarie, illam probante, atque ex tunc 102
operativa est. ipsius Episcopi scientia non desiderata; Cum
ea tamen differentia inter Papam & Episcopum, quod si ac- 103
ceptatio sequatur in mense ordinario, quamvis accepto, il-
lico fit Apostolicus; E converso autem mensis Apostolicus 104
incen-

104 inceptus, jam impressam qualitatem retinet, neque desinit esse talis; Hujusmodi claudicationis ratione resultante ab alia claudicatione Episcopo favorabili, qui in ejus libito repositum est quandocumque acceptare, non autem Papæ concedere. *p*

Cessat alternativa, per unius, vel alterius contrahentis mortem, vel per Ecclesiæ dimissionem, sive E-
105 piscopi translationem ad aliam, illaque Episcopus etiam redditur indignus, quoties in collatione beneficiorum vacantium in mense reservato se ingerat.

106 Cum autem hæc indulgentia Episcopis residentibus tantum, & ex motivo alliciendi ad residentiam concedatur, hic si postquam alternativam acceptavit, non resideat, una opinio credit, quod omnes etiam proprios menses amittat; Altera vero magis vera & recepta, illa aufert de propriis æquivalentiam ab alter-
107 nativa resultantem, nempe Martium, & Septembrem sibi remanentibus Junio, & Decembri, qui proinde ordinarii fixi nuncupantur.

Adeoque hoc residentiæ requisitum desideratur, ut absentia ex quavis justa causa etiam pro ipsius Apostolicæ Sedis servitio non suffragetur. Quinimo si de tempore vacationis occasionaliter, ac animo decidendi, multoque magis si studiose & affectate fit in residentia, neque suffragatur, atque adhuc pro residente habetur. *q*

Eo tamen, ex unione æque principali, vel ex Apostolica dispensatione, plures Ecclesias possidente, si pro omnibus alternativam acceptavit, residentia in una diœcesi, pro aliis quoque suffragatur; Cadente aliquando quæstione, potius facti ac voluntatis quam juris,
108 ex facti propterea qualitate ac circumstantiis decidenda, ubi sub nomine vel intitulatione unius Ecclesiæ alternativæ acceptatio sequuta sit, an pro aliis quoque suffragetur, cum possit volens pro omnibus acceptare, vel pro una & non pro altera; *r* De aliis vero hanc alternativam percutientibus, utpote in foro rarius, in sua sede videndum est.

l *sub tit. de jurepatr.* m *disc.* 15. n *disc.* 16.
o *disc.* 17 & 18. p *d. disc.* 18. q *eodem disc.* 18. r *disc.* 19.

XIV.

De indultis quæ Cardinalibus, ac aliis concedi solent, conferendi reservata, vel affecta, præsertim Nuntio Hispaniarum.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac etiam aliquibus nimium qualificatis, præsertim ultra montes Archiepiscopis, vel Episcopis, Apostolica Sedes indul-
109 tum concedere solet conferendi beneficia, quorum liberam collationem, cessantibus Apostolicis reservationibus, vel affectionibus ratione Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum quas possident, alia ipsi indultarii haberent; Non
110 omnium tamen Indultorum eadem est formula, sed magis lata, vel stricta, prout ipsi Papæ concedenti placet. *s*

Ante Urbani Octavi Constitutionem, magis receptum erat, ut hoc indultum nil tribueret de novo, solumque removeret obstaculum reservationis, vel affectionis, quo sublato, Indultarius conferre dicebatur jure suo primæ-
111 vo ac ordinario, eo modo quo ante reservationum introductionem, ac ad limites ordinariæ facultatis, inde propterea resultabat, quod indultum suffragatur quoque Capitulo aliisque inferioribus, participationem in jure conferendi de jure, vel consuetudine habentibus.

Postquam vero per dictam Urbani Constit. istud Capitulorum, aliorumque inferiorum jus est sublatum, ipsisque Indultariis tributum, hinc resultavit delegatio, ideoque delegato, seu vicario jure Papæ magis, quam proprio ac ordinario jure affecta, vel reservata conferre dicuntur; pluribus exinde resultantibus quæstionibus, præsertim ubi ex legitima consuetudine, vel præscriptione, seclusis reservationibus, vel affectionibus totum jus conferendi, abs-
112 que aliqua Episcopi, vel Ordinarii participatione, esset Capituli, vel alterius inferioris collatoris, an hujusmodi beneficia affecta, vel reservata cadant necne sub Indulto. *t* Et quid Sede Papali vacante, cessatis reservationibus quæ ab expiratis Cancellariæ Regulis resultet. *u*

Suffragantur hujusmodi Indulta, ubi unica concurrat reservatio, vel affectio, quæ expresse non sit exce-
113 ptuata, secus autem, ubi illa esset duplex, principalis & coæqualis; Cadente quæstione super hujusmodi duplicitate, an oriatur ex pluralitate officiorum, quæ easdem qualitates familiaritatis, ac Protonotariatus privilegiative annexas habeant. *x*

Dimissa Ecclesia cujus ratione jus conferendi competat, indultum, ex probabiliori sententia, pro illis beneficiis non suffragatur, nisi per aliud Indultum speciale sibi con- 114
cedatur retentio conferendi affecta & reservata; Istud vero (alio non expresso) pro sola Ecclesia ultimo dimissa ex Apostolicis Constitutionibus suffragatur, non autem pro aliis, quamvis occasione eas dimittendi, consimilia Indulta specialia obtenta sint. *y*

Excipi solent Monasteria Concistorialia, sive illa quæ 115
ratione valoris, aut descriptionis in libris Cameræ, jure Consistorialium in proposito censeri solent. *z* Necnon beneficia vacantia per obitum familiarium ipsius Pontificis concedentis, ac successorum pro tempore viventium; Cadente quæstione, an dicta supervivent qualitas in successoribus expressa, in ipso quoque concedente subintelligenda sit, in qua probabilior affirmativa videtur, quamvis 116
non extra dubitationem; *a* Prout excipiuntur beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium viventium pro istorum jure, de quo in proxime sequenti Rubrica; Non cadente certa & determinata regula super istis alis- 117
que exceptionibus, cum totum pendeat ex facto, ac tenore ipsorum Indultorum, diversam, ut dictum est, latiorem, vel strictiorem formulam habentium.

Similia, vel dissimilia Indulta, quæ Cardinalibus conceduntur, cum majoribus, vel respective minoribus facultatibus, concedi solent aliquibus nimium qualificatis 118
Prælatis, præsertim ultra montes, ac etiam ipsius Apostolicæ Sedis Legatis, vel Nuntiis, aliisque ministris, præsertim vero Legato, seu Prolegato Avenionensi, ac Nuntio Hispaniarum, super cujus provisionibus, ob frequentiam beneficiorum, in ea regione, frequentius quam in aliis in Curia habentur controversiæ, quarum decisio, aliis respective consimiles facultates habentibus con- 119
ut præsertim contingit in illis facultatibus, quæ aliquibus Academiis, vel Universitatibus concessæ sunt.

Cum enim facultates dicti Nuntii Hispaniarum restrictæ sint ad beneficia certam qualitatem non habentia, 120
quæ valorem 24. ducatorum non excedant, sub ea tamen lege, ut valoris justificatio, quamvis absque formali telæ judiciariæ necessitate procedat; Hinc proinde de controversia cadente inter provisum Apostolicum tamquam de reservato vel effecto, quod ratione majori sub Nuntii facultatibus non cadat, tunc onus est pro- 121
visi a Nuntio quamvis rei ac possessoris, contra juris regulas generales, justificare utrumque requisitum, non excessus dicti valoris, ac præviæ informationis, alias quam per ejusdem Nuntii assertionem, utpote antidatæ suspicione laborantem; *b* Idemque proportionabiliter ac respective in aliis Indultis, quæ Legatis, seu Prolegatis, aliisque Officialibus, vel Accademiis, & Universitatibus concedi contingat.

Ac demum, etiam in Cardinalibus, multo vero magis in aliis inferioribus Indultariis, Indultum quod suffragatur pro collatione, affectione, vel reservatione non obstante, non sufficit pro facultate uniendi affe- 122
cta, vel reservata. *c*

s *disc.* 1. & *seq. ad* 8. *disc.* 31. t *Ibidem disc.* 1. u *disc.* 31.
x *disc.* 3. y *disc.* 2. z *disc.* 4. a *disc.* 5. b *disc.* 26.
c *disc.* 7.

XV.

De aliis Cardinalium facultatibus, ac præminentiis in provisione Beneficiorum.

Eorumdem Cardinalium prærogativa est (cessante aliarum reservationum, vel affectionum obstaculo,) conferendi omnia beneficia in omnibus anni mensibus, 123
quorum collatio pertineat ratione sex Episcopatuum, aliorumque titulorum Cardinalitiorum, in quibus Ordinarii sunt, ob eorum exemptionem a Regula mensium reservatoria, istudque jus remanet ordinarium jure exceptuationis potius, quam Indultariæ concessionis, ideoque differt ab eo, quod jure Indulti competit.

Conceditur autem prærogativa Cardinalibus in Curia præsentibus tantum, nisi in casu justæ absentiæ, expresse ac specialiter alias concessum sit; Cadente quæstione an præsens dici debeat qui in territorio, vel districtu 124
Urbis, seu loci Curiæ reperitur, sive recreationis causa, aut alias accidentaliter ad breve tempus abest, cito reversurus, quod varias habet opiniones. *d*

Altera est Cardinalium prærogativa in beneficiis vacantibus per obitum eorum familiarium, qui ad eorum nominationem per Apostolicam Sedem provideri solent; *e* Cadente quæstione, inter istum Cardinalem, qui vulgo Pa- 125
tronus

tronus dici solet, & Cardinalem collatorem, dicta
prærogativa in casu præsentiæ veræ, non autem fictæ
competente, atque Patrono major probabilitas assiste-
re videtur.

d *disc.* 21. e *disc.* 6.

XVI.

De concordatis Germaniæ, & Galliæ.

IN pluribus hujusmodi Concordata differunt; Potis-
sime vero in illis Germaniæ cadit quæstio, quæ in
127 illis Galliæ non intrat, an eis per Cancellariæ Regu-
las derogatum sit, præsertim per illam mensium; Ex-
tra controversiam tamen est, eis derogatum esse per
Regulam reservatoriam primæ, seu majoris Dignitatis
in Cathedrali, vel Collegiata. *f*

In illis autem Galliæ, potissima quæstio cadere solet,
128 in casu quo, inter locum beneficii, ac locum Prælati
inferioris differentia vigeat, quia nempe Ecclesia Ca-
thedralis, seu altera, cujus ratione jus conferendi com-
petat, sit extra concordatorum locum, ipsum vero be-
129 neficium intra, vel e contra, de quo in sua sede; *g*
Ubi etiam, an hujusmodi concordata favorabilia, vel
130 odiosa censenda sint ad effectum eorum favorabilis ac
latæ, vel potius strictæ ac rigorosæ interpretationis.

f *disc.* 14. g *disc.* 27.

XVII.

De qualitatibus necessariis in persona providenda, ad effectum capacitatis, vel incapacitatis.

ULtra requisitum ætatis, ac alterum ordinis, de
quibus infra in eorum particularibus Rubricis,
131 ac præsupposito in beneficiis sæcularibus clericatu, sal-
tem primæ tonsuræ, qui præcise necessarius est, sine
132 quo Sedes Apostolica quamvis possit, nunquam tamen
solet beneficia conferre laicis, cum imo neque pensio-
nes super eis quamvis temporales, solumque fructuum,
non autem ipsorum beneficiorum substantiam percu-
tientes, absque clericatu serventur. *b*

133 Desideratur item de jure, ac generaliter, qualitas
legitimorum natalium, in omnibus beneficiis indefini-
te necessaria, ubi non accedat Apostolica dispensa-
tio, pro qualitate beneficiorum, facilius, vel respe-
134 ctive difficilius concedi solita; Litteraturæ quoque ido-
neitas a beneficiorum qualitate pariter normam recipit
in simplicibus, nempe pro sola habilitate ad recitatio-
nem divini officii, in aliis vero pro explendis mune-
135 ribus beneficio annexis, & in plerisque magis qualifi-
catis, puta majoribus, vel alias primis dignitatibus,
ultra litteraturam, gradus quoque Doctoratus in De-
cretis, vel Theologia, sive habilitas ad illum intra
brevem terminum assequendum desideratur.

Vitæ quoque innocentia ac morum honestas requi-
runtur, quod scilicet providendus censuris majoribus
136 innodatus non sit, neque alias criminosus, sive irre-
gularis, quamvis crimen, aut censura, vel irregulari-
tas, talis non esset, quod jam obtenti beneficii priva-
tionem causaret, ob longam differentiam inter priva-
137 tionem quæsiti, ac inhabilitationem ad assequendum,
cum ad hunc secundum effectum, etiam sola inquisi-
tio, vel diffamatio per innocentiæ canonizationem non
sublata, absque perfecta probatione ad id sufficiens re-
putari soleat, quamvis id omnimodam non causet in-
138 habilitatem, seu moralem, seu causativam, ut scili-
cet Collatori justum præbeat motivum non præeligen-
di, seu non admittendi pro facti qualitate ac scan-
dali timore. *i*

Impuritas, vel infima qualitas sanguinis in benefi-
cialibus canonicum non præstat impedimentum, cum
apud Deum personarum exceptio non detur, ideoque
nedum infidelium vel a fide apostatantium filii ac de-
scendentes, sed ipsimet ad fidem Catholicam conver-
si, illamque bene profitentes (dummodo non sint re-
lapsi.) quorumcumque ordinum, beneficiorum, ac di-
gnitatum sunt capaces; Neque ignobilis, vel advena
(cui idiomatis defectum non obstet) excluditur, nisi
Ecclesiarum, vel regionum particulares leges (quæ ju-
ri communi contrariæ reputantur) a Sede Apostolica
probatæ, sive a legitima consuetudine roboratæ aliud
statuant, sanguinis puritatem, vel civilitatem, sive
nobilitatem, aliasque accidentales qualitates exigen-
tes; Non tamen hujusmodi leges quamvis Apostolica
auctoritate munitæ eamdem restringunt, quin eis de-
roget, vel dispenset. *k*

Inter incapacitatis autem species recenseri etiam so-
let illa filii in Ecclesia, in qua pater beneficium obti-
neat, vel e contra, quod non semper procedit, sed
certis casibus.

h *sub tit. de pens.* i *disc.* 70. & 71. k *disc.* 66.

XVIII.

De ætate in beneficiis necessaria.

IN simplicibus, vel etiam in canonicatibus, ac be-
neficiis quamvis residentialibus, ac servitoriis Col-
legiatorum, ubi lex fundationis, seu legitima consue-
tudo aliud non exigat, cum sufficiat sola tonsura, quæ
ante ætatem 6. annorum non est concedenda, hinc ju- 139
ris communis dispositione attenta, receptum est hanc
eamdem ætatem ad id sufficere; Hanc autem Conc. Trid.
duplicavit, illam 14. necessariam statuendo, quamvis 140
jurispatronatus laicorum qualitas accederet, nisi lex
fundationis, vel alias etiam præsumpta fundatoris vo-
luntas sola tonsura contenta sit.

In canonicatibus aliisque dignitatibus Cathedralium
post majorem, si ad Conc. Trid. præscriptum sacrum
ordinem annexum habent, illa ætas requiritur, quæ ad 141
annexum ordinem saltem intra annexum suscipiendum
idonea sit; Dicta vero annexione cessante, ætas habi-
lis ad suscipiendum infra eumdem anni terminum, pri-
mum sacrum subdiaconatus ordinem; Nisi consuetudo
regionis, vel Ecclesiæ minori ætate contenta, ut in
plerisque Ecclesiis, in partibus ultra montes vigere
supponitur.

Majores autem dignitates in cathedrali post pontifi-
calem, vel principales in collegiata curam jurisdictio-
nalem annexam habentes; Ac Abbatiæ, vel earum 142
commendæ, quibus actualis, vel habitualis administra-
tio incumbat, necnon beneficia principaliter ac de per
se, non autem accessorie curata, ætatem requirunt ha-
bilem ad sacerdotium pariter intra annum assequen- 143
dum; Canonicatus vero Pœnitentiarius illam annor.
40. si haberi potest, sin minus, quo magis provectior;
Neque Apostolica ætatis dispensatio ad ordines susci- 144
piendos, ad beneficiorum capacitatem sufficit, sed spe-
cialis accedere debet. *l*

l *disc.* 95.

XIX.

De ordinibus in beneficiorum assecutione, vel retentione necessariis. Et quando beneficium sit sacerdotale.

EX eadem distinctione resultat ordinum inspectio, ut
scilicet in simplicibus, ac aliis, in quibus de jure
septem, vel ex Trid. Conc. 14. annor. ætas sufficit, sola
tonsura habilitatem præstet; In aliis vero qualificatis, 145
ille ordo, pro cujus assequutione ætatem requiri insi-
nuatum est, cum isto effectu spectato, ætas desideretur,
unde stylus est in Apostolicis provisionibus, cum de-
creto annullativo gratiæ ordinis, susceptionem injun- 146
gere intra certum terminum, decurrendum tamen ex
recepto stylo a die pacificæ possessionis, quamvis a die
datæ gratiæ illum currere decernatur; Atque acceden- 147
te decreto, in ipsa gratia contento, defectus implemen-
ti causat caducitatem ipso jure, secus autem eo deficiente,
ut tunc contumacia, præviis monitionibus requiratur.

Majores autem fori quæstionis desuper cadentes, fa-
cti potius ac voluntatis, quam juris esse solent, super
qualitate scilicet sacerdotali, etiam in simplicibus, seu 148
alias non qualificatis beneficiis & cappellaniis desiderari
solita ex fundatoris voluntate; Hæc autem in dubio
præsumenda non est, quamvis celebrationis missarum
aliorumque sacerdotalium munerum onus annexum sit, 149
utpote per alium explebile, quoties expressa, vel præ-
sumpta voluntas non suadeat, implementum ab ipso-
met beneficiato desideratum esse.

Super hujusmodi autem voluntatis probatione, li-
cet in verborum formulis ac in vocabuli *sacerdotis*, seu
presbyteri interpretatione, sive conceptione in latino,
vel materno sermone scribentes plura involvant; Ve- 150
rius tamen est tamquam in quæstione ambiguæ volun-
tatis, certam non cadere determinationem ex facti
qualitate pendentem; potissimum vero observantiæ
deferendo. *m*

m *disc.* 86. *ubi de his omnibus.*

XX.

XX.

De Valore.

ILlorum beneficiorum, quorum Apoſtolica proviſio
obtineatur, indefinite valoris expreſſio neceſſaria
eſt ſub decreto annullativo, quamvis ſolutionis anna-
tæ ratio ceſſet ob non exceſſum 24. Et quamvis non
151 ad ſupplicationem, ſed motu proprio ſequatur provi-
ſio; Ea differentia inter unam ac alteram ſpeciem da-
ta, ut in illis motu proprio, ſola expreſſio ſufficiat abſ-
que juſtificatione, quæ in illis ad ſupplicationem neceſ-
152 ſaria eſt; Eademque neceſſitas viget in proviſionibus
Legatorum, ſeu Nuntiorum, aliorumque inferiorum ex
153 Apoſtolica delegatione providentium, potiſſime ubi ad
certum valorem eorum delegatio reſtricta eſt, ut ſupra
occaſione facultatum Nuntii Hiſpaniarum advertitur.
Neutrum vero, nec expreſſio ſcilicet, nec juſtifica-
tio deſideratur in proviſionibus, quæ fiant per ordina-
rium, utpote motu proprio providentem, ac de ſtatu
154 beneficiorum ſuæ diœceſis, vel territorii informatum,
quamvis ex indulto, reſervata, vel affecta conferat.
Obtentorum vero, quorum retentio ex Apoſtolica
diſpenſatione concedatur in gratiis ad ſupplicationem,
155 tam expreſſio neceſſaria eſt, quam etiam juſtificatio li-
cet minor, neutrum vero in gratia motu proprio.
Sub valore, ut ſupra exprimendo, ac juſtificando,
ſoli fructus certi veniunt, non autem emolumenta in-
156 certa, ac ea quæ ratione intereſſentiæ ac perſonalis
ſervitii obtinentur, quamvis talia eſſent, quod ad
alios effectus, fructuum loco habeantur.
Majores autem fori quæſtiones deſuper cadentes, ejuſ-
dem valoris juſtificationem percutiunt, an ſc. conclu-
dens, perfecta, cum præciſa onerum deductione & coarcta-
157 tione, perfectaque ſcientiæ cauſa requiratur, vel etiam
imperfecta, ſeu levis ſufficiat; Idque pendet ab effectu,
ad quem de hujuſmodi probatione quæratur, ut ad
illum ſimplicis juſtificationis gratiæ ac litterarum pro
earum exequutione, levis ac imperfecta ſufficiat; Ad
alterum vero objectum nullitatis gratiæ, probatio per
impetrantem certo modo ob hunc effectum, omnino
concludens ac perfecta deſideretur, cum decennali ex-
perimento, ac peræquatione, ac per teſtes bene infor-
matos, omnia onera præciſe coarctata deducentes, be-
neque percutientes tempus gratiæ.
Rari autem ſunt caſus, in quibus hujuſmodi im-
petrationes ex defectu falſæ narrativæ valoris effectum
158 ſortiantur, Vel quia de ſtylo ſubſtineatur narrativa in
ſexta parte pluris; Vel quia ſuffragetur clauſula adjici
ſolita *cum facultate augendi &c.* dummodo re integra,
& ante illius conſumptionem, quæ per litterarum ex-
peditionem ſequi dicitur, facultas ad exercitium de-
ducatur; Vel quia re pariter integra, & ante jus im-
petranti quæſitum (ſecus vero poſt) nova obtinea-
tur gratia revalidatoria, vel demum quia juſta concur-
rat cauſa quæ excuſet, eaque multiplex eſſe ſolet;
Vel ſcil. reſultans a publica voce & fama; Vel a bo-
norum locationibus; Vel a conſimili expreſſione in
proviſione prædeceſſoris, effectum tamen ſortita; Vel
ob conſueti ſtatus beneficii immutationem, inde juxta
præcedentem ſtatum, cum probabili bona fide, valoris
narrativa ſequuta ſit. *n*
Frequentiores vero controverſias in hac valoris materia
159 forus audit, occaſione penſionum, quæ ſuper beneficiis
reſerventur; Et quandoque etiam pro regulanda natu-
ra juriſpatronatus, partim ex gratia, partim vero ex
juſtitia competente, ad præponderantem partem inſpi-
ciendam, de quibus in ſuis reſpective ſedibus. *o*

n *de his omnibus ac aliis ad materiam valoris, diſc. 90. ac etiam diſc. 72.*

o *ſub titul. de penſ. ſæpius, & de jurepatr. præſertim diſc. 10. & d. diſc. 90. hoc tit.*

XXI.

De aliis quæ narrari debent, vel narrata juſtificari.

VAcationis cauſa, ſeu modus omnino ſub decreto annul-
lativo narrari ac juſtificari debet, illaque veriſimili-
160 ter, narranti, ac Papæ, vel ejus officialibus cognita, cum
veriſimilis notitiæ defectus gratiam irritet; Sola tamen
161 poſſibilitas quæ ab exacta diligentia reſultet, ſufficit ad in-
veriſimilitudinis crimen tollendum, quod ab allegante pro-
bandum eſt; Et quamvis gratiæ Apoſtolicæ muniti ſoleant
clauſula, *ſive præmiſſo, ſive alio*, &c. non tamen illa ope-
rativa eſt, niſi quando primus vacationis modus, cui alii
cum dicta clauſula cumulentur, de facto ſit verus, vel non 162
omnino falſus, adeout ſaltem famæ habeat fomentum.
Non tamen iſta clauſula prodeſt in collatione facta per
Ordinarium, vel alium inferiorem, quamvis vigore In- 163
dulti providentem; *p* Atque pluribus cadentibus reſerva-
tionibus, vel affectionibus a diverſa cauſa, ſeu fonte ma-
nantibus, omnium, ex probabiliori ſententia, facien- 164
da eſt mentio, ſecus autem ſi ab eodem fonte, vel
quod una alterius conſecutiva ſit.
Temporis autem juſtificatio præciſa & concludens re-
quiritur, ubi ſit gratiæ, ſeu modi vacandi fundamen- 165
tum; Idemque pariter de ejuſdem vacationis loco; ſeu 166
alia qualitate, quæ vacationis modum inducat.
Aliæ vero qualitates, vel circumſtantiæ narrandæ,
vel juſtificandæ ſunt, ubi pars gratiæ dicendæ veniant,
ejuſque fundamentum, quia nempe ad beneficii aſſe- 167
quutionem neceſſariæ; Vel ubi illæ quamvis non ne-
ceſſariæ, attamen narratæ, cauſa, vel impulſus gra-
tiæ, ſeu proviſionis eſſe potuerunt.

p *diſcurſ. 11. & 36.*

XXII.

De reſignatione pura, vel ad favorem.

PUra & ſimplex reſignatio, ſive coram Papa, ſive
coram legitimo Superiore deſtituendi poteſtatem 168
habente, ad ejus validitatem ac perfectionem, ut jus
a reſignante abdicet, duo copulative requirit. Primo
admiſſionem; Et ſecundo, ut reſignans aliunde vivere
habeat, potiſſime ubi ad illius beneficii titulum ad ſa-
cros ordines promotus eſt, quod ſpecialem exigit men-
tionem. *q*
Quia vero coram Ordinario, vel altero inferiori col- 169
latore prohibitum eſt reſignationem fieri ad favorem,
iſtique prohibitioni fraus, ita ſub puræ ac liberæ reſi-
gnationis pallio fieri ſolet, hinc Piana Conſtitutio, ſub
nullitate actus aliiſque pœnis, vetat beneficii reſignati 170
collationem ipſius collatoris, vel reſignantis conjun-
ctis, quod tamen alicubi uſu receptum non eſt, at-
que tunc beneficium reſignatum ex eadem Conſtitutio-
ne affectum remanet. *r*
Ad favorem vero, non niſi coram Papa, vel eodem
poteſtatem habente facienda, ultra dicta duo requiſita, 171
exigit etiam alterum ſupervaventiæ reſignantis per 20. dies,
quibus non expletis, ex ipſius perſona beneficii vacatio
ſequitur; Cadente quæſtione, an hæc retrotractio per
veritatem ſequi dicatur, vel potius pœnaliter ac per 172
fictionem, unde intret affectio.
Quamvis autem illud ſupervaventiæ requiſitum, ſpecta-
ta origine regulæ ejus inductivæ reſignationi ad favorem
tantum congruat; Verius tamen eſt, ob fraudem a dicta
piana Conſtitutione ſuſpicatam, in prima quoque ſpecie
puræ reſignationis coram inferiori deſiderari. *ſ*
Poſtquam vero reſignatio ſequuta eſt, illa publicationem
juxta formam Gregorianæ Conſtitutionis exigit, qua
non ſequuta, beneficium pœnaliter ex perſona reſigna-
tarii vacat, atque affectum eſt; Pluribus cadentibus
quæſtionibus ac diſtinctionibus potius facti quam juris
ſuper hujuſmodi publicationis affirmativa, vel negativa 173
probatione. Ac etiam ſuper terminis ad publicandum
prorogatione obtentare non integra poſt reſignantis mor-
tem, ſeu litis introductionem, cujus mentio facta non
ſit, quorum omnium deciſio a pluribus pendet diſtin-
ctionibus, de quibus in ſua ſede; *t* Dictaque publicatio 174
deſideratur etiam in ea impetratione, quæ ex hoc de-
fectu fiat; Uno, vel altero caſu juſtis impedimentis
excuſantibus. *u*
Debet item reſignatio ad favorem eſſe ab omni pa-
ctione aliena, quæ ſimoniacam labem redoleat, niſi ſub
Apoſtolico placito, & non alias concepta ſit, dummodo 175
ante beneplaciti experimentum conventio effectum non
ſortiatur, nec ex æquitioni demandetur. *x*
Eadem reſignatio ad favorem conditionalis dicitur, qua-
tenus effectum in reſignatario ſortiatur, ſin minus tanquam
infecta nullum jus a reſignante abdicat, niſi ineffectuatio ex 176
culpa etiam reſignantis ſequatur, ideque ex reſignantis per-
ſona beneficium vacat, ſecus autem alio caſu culpoſo. *y*
Reſignandi facultas, per litem, vel expectativam, aut 177
unionem poſt ceſſatum jus poſſeſſoris factam, non impedi-
tur; Atque in reſignante admittitur ante perfecte accepta-
tam a Papa reſignationem pœnitentia, cum facultate revo- 178
candi quoſcumque conſenſus, vel mandata, quamvis jura-
mentum accedat, remanente quæſtione ex facti qualitate
deci-

decidenda; super refectione expensarum; z Ac demum
debet esse ex puro ac libero consensu, non autem ex
coacto, seu metituloso, vel doloso, quamvis non ab
ipso resignatario, sed a tertio vis, vel metus, aut do-
lus inferatur.

Cadentibus quæstionibus super regressu, quem resi-
179 gnans ad resignatum beneficium petat, non obstante
recepta regula, ut renuncianti non detur ad jus renun-
tiatum regressus; Hic autem dupliciter peti solet; Pri-
mo scilicet ob non solutionem, vel impugnationem pen-
sionis ad resignantis favorem reservatæ, & de hoc in
sua pensionum sede; Secundo vero, ubi de illo con-
veniatur in casu naturalis, vel civilis mortis resigna-
tarii, super qua specie plures cadunt quæstiones, per
modernos aliquos reassumptæ, inanis autem labor vi-
detur, cum Dataria hanc speciem regressus, vel nul-
latenus, vel nimium raro practicet, ideoque forus non
de facili has quæstiones audit.

q disc. 37. r disc. 65. s disc. 34.
t disc. 36. 39 & 94. u eod. disc. 92. & 39.
x eod. disc. 36. y disc. 35. & seqq. z disc. 48.

XXIII.

De Permutatione.

SPeciem resignationis ad favorem in aliquibus habet
permutatio, præsertim circa publicationis neces-
sitatem, eodem modo quo ad formam Gregorianæ Con-
stitutionis in resignatione requiritur. Unius autem ne-
180 gligentia in publicando, sibi tantum, non autem alte-
ri permutanti, qui adimpleverit, præjudicat.

In ea quæ coram Papa fiet, nulla cadit quæstio potesta-
181 tis, sed solum deficientis voluntatis ob falsam narrativam,
vel non bene expressam beneficiorum inæqualitatem, seu
182 non factam mentionem patronalis qualitatis laicorum, cui
utrumque beneficium, vel eorum alterum subjaceat. a

Coram Ordinario autem, vel alio inferiori, cadit et-
iam quæstio potestatis in beneficiis reservatis, vel af-
fectis, ac etiam in illis de jurepatronatus, sive illud
183 sit ecclesiasticum, sive laicale, ac sive ex gratia, vel
ex justitia competat; Hisque impedimentis cessantibus,
desideratur quoque justa causa utilitatis, seu majoris
servitii Ecclesiarum, quodque notabilis non adsit inæ-
qualitas, ob quam resignatio ad favorem sub hoc pal-
lio occultetur. b

Ea vero invalide facta, quæstio cadit, an permutanti-
bus detur regressus ad propria beneficia, vel potius va-
catio resultet, unde novæ provisioni, vel respectivæ præ-
184 sentationi locus aperiatur, quod determinationem re-
cipit ex facti qualitate & circumstantiis, non de faci-
li sub compendio cadentis, de quibus in sua sede. c

a disc 40. b eod. disc. 40. sub tit. de jurepatr. disc. 46.
c locis proxime supra citatis.

XXIV.

De Coadjutoria.

PRæcipuum ac essentiale coadjutoriæ requisitum (Apo-
stolica auctoritate aliter non dispensante) est coadjuti
infirmitas, quæ morale impedimentum servitio Ecclesiæ,
185 vel exercitio incumbentis muneris præstet, illaque juxta
regularem naturæ cursum, perpetua reputetur; talis au-
tem infirmitatis speciem habet senectus quamvis valida,
quoties septuagenariæ ætatis excessus accedat.

Alterum est requisitum supervivientiæ coadjuti, quod-
186 que beneficium sit plenum de tempore concessionis gratiæ,
ideoque, ubi præsertim de remota regione agitur, fertur
Datariæ stylum esse aliquam concedendi antidatam, quæ
tamen ob excellentiam officii Datarii justificabilis non est,
187 ut ita coadjutor tutus reddatur, atque elusus non maneat
aliquo notabili sumptu desuper necessario, dummodo
in statu bonæ fidei justæque credulitatis supervivientiæ
coadjuti id sequatur.

Contingente autem coadjuti morte post perfectam
188 gratiam, quamvis litteris non expeditis, illaque non
effectuata, adhuc firma remanet gratia futuræ succes-
sionis coadjutorii concessa, utpote diversa ab altera,
quæ coadjuto pro coadjutore habenda concessa erat;
Postquam vero Papa manus valide apposuit, quamvis co-
adjutoria effectum non sortiatur, beneficium tamen affe-
189 ctum remanet, ut in affectionum Rubrica advertitur. d

Plures vero, effectuata gratia, quæstiones cadunt,
coadjutorem potius percutientes circa ejus præeminen-
tias in capitulo & choro; ac circa antianitatem; sive
necessitatem adipiscendi novam capitularem possessio- 190
nem, novamque fidei professionem faciendam, seu ju-
ramentum pro Ecclesiæ usu præstandum, cum simili-
bus, de quibus in sua sede. e

d de his ad materiam coadjutoriæ, disc. 42. disc. 78.
e sub tit. de Canonicis,

XXV.

De Commendis.

QUatenus ex Apostolica dispensatione ista sequatur 191
de beneficio regulari ad favorem clerici sæcula-
ris, ut frequens Monasteriorum usus probat, ipsa re-
gularis qualitas in reliquis immutata non remanet; ipsa-
que commendatio appositionem manuum Papæ impor-
tat, ideoque affectionem adversus inferiores prætenden- 192
tes jus eligendi inducit, ut in Monasteriorum Rubri-
ca advertitur. f

In reliquis autem, commendæ beneficiorum jure re- 193
gulantur, tam circa ætatem, quam circa ordines, alias-
que qualitates ac requisita, nisi agatur de commendis
illarum militiarum, quæ fideicommissorum, propha-
narumque dispositionum potius speciem habeant, quam
Ecclesiasticorum beneficiorum sæcularium, vel regula- 194
rium, adeout sola commendæ honorifica nuncupatio,
spectato usu, quam de jure eis congruat. g

f disc. 4. g sub tit. de jurepatron. disc. 20. & sub tit. de
fideicommissis, disc. 6.

XXVI.

De incompatibilitate, ejusque dispensatione:

INcompatibilitas pendet a qualitate residentiæ veræ 195
ac præcisæ, cujus defectus, beneficii privationem
causari potest, non autem causativæ, seu occasionalis
pro aliquorum emolumentorum ex causa servitii asse-
quutione, juxta ea quæ circa residentialem qualitatem
in proxime sequenti Rubrica habentur.

Dicta vero qualitate posita, resultat altera incompa- 196
tibilitas, quæ non impedit secundi beneficii assequu-
tionem, sed retentionem primi, quod per secundum
vacat, nisi isto perfecte ac pacifice obtento, cessante
justa excusationis causa, in primi quoque possessione
cum fructuum perceptione continuetur per aliquod no-
tabile tempus, quod ex communi interpretatione duo-
rum mensium est.

Sequitur autem primi vacatio, seu necessitas illud 197
dimittendi, quatenus secundi omnino pacifica posses-
sio sequuta sit absque lite, vel molestia, sive proba-
bili timore, ideoque impetratio primi ob solam asse-
quutionem secundi non omnino pacificam, juxta ma-
gis receptam opinionem, contradictoribus tamen non
carentem, invalida est. h

Modernus tamen Datariæ stylus inolevit, adjicien- 198
di vacationis decretum ipso jure, sive demandan-
di dimissionis necessitatem infra certum terminum,
ac etiam quandoque contemporanee alium de primo
providendi, quæ tamen omnia implicitam sub se
continent eandem conditionem pacifici effectus,
vel quod per provisum stet quo minus ille seque-
tur. i

Etiam in iis quæ compatibilia sunt, cadit quando-
que dubitatio, ubi sint sub eodem tecto. l Dictæque 199
incompatibilitati solet dispensari, ubi utrique commo-
de inservari potest. m

h disc. 54. i disc. 56.
l disc. 57. m disc. 5.

XXVII.

De Residentia.

ANtiquitus omnia beneficia præcisu residentialia, ac 200
per se ipsa servitoria erant, cum hunc finem eorum
introductio habuerit; Ex consuetudine vero, ea quæ ad re- 201
sidentialium differentiam simplicia dicimus, istam non ha-
bent obligationem, vigentem solum in beneficiis qualifica-
tis, qualia reputantur, tam habitualem, quam actualem
curam animarum annexam habentia, ac etiam Cathedra-
lium, & Collegiatarum Dignitates, Canonicatus ac Por- 202
tiones, seu beneficia ejusdem Ecclesiæ servitoria, nisi lex
fundationis, seu legitima consuetudo, etiam in simplicibus
bene-

203 beneficiis, vel cappellaniis regulariter non residentia-
libus, tale onus inducat.

Quando autem hujusmodi lex, vel fundationis vo-
204 luntas adesse dicatur, facti potius quam juris, ex fa-
cti qualitate ac circumstantiis decidendum eo modo
quo supra in Rubrica ordinum, sive sacerdotalis qua-
litatis advertitur; Non tamen semper fundatoris vo-
luntas, seu lex fundatoris veram ac præcisam residen-
tiam inducit, quamvis injunctum servitium ab ipso-
met beneficiato præstari demandetur, excludendo im-
plementum per substitutum, cum sæpius id solum per-
cutiat assequutionem emolumentorum, quæ pro servi-
tio assignata sunt, ideoque dicitur residentia causati-
va, seu occasionalis, alium non producens effectum,
nisi illum amissionis emolumenti, quod inspicere ni-
mium refert, nedum pro exemptione a præcisa coa-
ctione residendi, ac a pœnis, quæ non residentibus in-
flictæ sunt, vel per Superiorem infligi possunt, sed et-
iam ob incompatibilitatem exinde resultantem, ut in
præcedenti Rubrica advertitur. *n*

Posita vera ac præcisa residentia contra non residen-
205 tes, diversimode per Sacros Canones, ac per Concil.
Tridenr. statutum est, ideoque diversæ reputantur viæ,
seu formæ, quibus mediantibus ad non residentium pœ-
nas illam præsertim privationis beneficii procedendum
est; Aliqua notabili differentia constituta inter bene-
ficia curata, & non curata, præsertim circa citationem
ac successive contumaciam, & an debeat esse persona-
lis, vel sufficiat in loco beneficii, cum aliis de qui-
bus in sua sede, cum ea quæ certum ordinem judicia-
rium potius percutiunt, utpote ex singulorum casuum
paricularibus circumstantiis cadentia, non de facili
sub compendio cadant. *o*

n de his de materia qualitatis residentialis, disc. 57. cum pluribus seqq. & disc. 96. o disc. 97.

XXVIII.

De Unione, Divisione, Dismembratione, Et nova erectione.

PApæ hujusmodi actus, vel eorum aliquos facientis,
nulla cadit quæstio potestatis, quæ plena & abso-
206 luta est; Minusque causæ requisitum desideratur, nisi
quatenus ex illa præsupposita, quæ non existat, re-
sultet surreptio, seu defectus voluntatis, cujus omnis
quæstio est; Ad illum solum effectum desiderari solita
in unionibus Apostolica auctoritate factis, causa necessi-
207 tatis, quæ præcisa esse debet, ut sub Regula unionum re-
vocatoria successoris, illa non adhuc effectuata non cadat. *p*

Ubi vero ordinaria auctoritate hujusmodi actus, vel
eorum alter sequantur, utpote speciem alienationis re-
208 dolentes, causa necessitatis, vel nimiæ utilitatis, plu-
resque solemnitates, præsertim consensus capituli, ac
interessatorum exiguntur; Hisque etiam concurrenti-
bus, quoad uniendi potestatem, desideratur etiam li-
bertas in jure conferendi, saltem sperata & eventua-
209 lis, non autem ubi jam reservata, vel affecta sint, quod
sufficit in uno ex pluribus beneficiis, unitis concurre-
re, ideoque uniendi potestas in reservatis verificabi-
lis non est nisi in ea reservatione, quam beneficialistæ
discontinuam dicunt, ratione mensis, vel loci, non au-
210 tem in reali, vel personali, quæ continua appellatur, ne-
que ad id indultum conferendi reservata suffragatur.

His autem positis, plures cadunt quæstiones super
unione ad Concilii Tridentini mentem Seminario fa-
cienda, an fieri possit nondum erecto, sed erigendo,
211 atque verior est negativa; Sive in altera pro Cathe-
dralium, vel Collegiatarum majori cultu, facienda ad
ejusdem Concilii præscriptum præbendis Canonicalibus,
212 ut singulis fieri debeat, non autem mensæ, vel massæ
capitulari; Cadente etiam quæstione, an fieri possit
Dignitatibus, affirmativa probabiliori existente.

Majores autem fori controversiæ sunt circa proba-
tiones unionis, cujus explicitus titulus non habeatur,
cum ob ejus odibilitatem, resistentiam potius quam assi-
stentiam juris habeat, potissime vero ubi de accessoria,
& subjectiva tractetur, quæ magis odibiliis, quam so-
ciativa, seu æque principalis, ideoque perfectam, ac
213 rigorosam exigit probationem per immemorabilem, vel
quadragenariam cum fama tituli, sive cum isto putativo,
nimiumque difficilis est, ubi de adminiculativa agatur ob
æquivocam qualitatem actuum, ac adminiculorum, ex
quibus deduci solet, utpote referibilium ad patronalem,
tributariam, vel censititiam qualitatem, seu alterum
subjectionis titulum ab unione diversum. *q*

Raro autem in inferioribus Ecclesiis, vel beneficiis
praxis docet magis favorabilem, seu minus odiosam 214
speciem unionis æque principalis, quæ in Cathedra-
libus est magis frequens.

Licet enim sæpius cernatur plurium beneficiorum unio
de facto penes eamdem personam quamvis incompati-
bilium, non tamen exinde ad ipsorum beneficiorum
unionem infertur, sed potius ad dispensativam facul-
tatem uni personæ concessam, plura beneficia obti-
nendi, ac retinendi, incompatibilitate, vel multipli- 215
citate non obstante, quod solum Apostolicæ Sedis est
dispensare, alia potestate Ordinariis, vel inferioribus
non attributa, nisi super duorum, compatibilium ta-
men, & non alias retentione, quoties unum ad con- 216
gruam substentationem non sufficiat. *r*

Dari autem frequenter solet in parochialibus socia-
tiva unio, per quam, absque terminorum, vel anima-
rum distinctione plures in eodem territorio, ac popu-
lo curam habeant, ac exerceant, quod parum com-
mendabile Tridentinum Concilium censuit, ideoque
ista divisionis species prohibitam alienationem non re- 217
dolet, neque aliam exigit causam, cum nimium pro-
bata sit illa, quæ ab eodem Concilio probatur, ut
oves proprium agnoscant pastorem; In reliquis autem,
præsertim in parochialibus, minus odibilis est unio
ratione paupertatis, quam divisio, vel dismembratio,
quamvis causa multiplicitatis populi accedat, ubi per
Ecclesias adjutrices, ac adjutores ministros occurri pot-
est, nisi itineris longitudo, ac asperitas, aliæque cir- 218
cumstantiæ, physicam, vel nimium moralem necessitatem
inducant, solemnitatibus tamen occurrentibus, illa
præsertim concordis consensus populi, aliorumque in-
teressatorum, quodque omnia extrinsecus justificentur
alias, quam per ipsius Ordinarii assertionem, cui defe-
rendum non est. *s*

Legitime vero sequuta divisione, vel respective dismem-
bratione, ac nova erectione, finguntur plures Eccle-
siæ ab initio diversæ, absque eo, quod una erga al-
teram subjectionem amplius recognoscat, nisi in iis,
quæ reservata sint, remanente solum antiquæ, seu ma-
trici præeminentia præcedentiæ, cadente autem quæ- 219
stione super jure decimandi, cujus expressa mentio,
vel dispositio facta non sit. *t*

E converso autem, ubi unio æque principaliter fiat
(quod ex insinuatis, præter Cathedrales, ac Metro- 220
politanas, in inferioribus nimium rarum est,) quælibet
retinet suum primævum statum, primævamque Dignita-
tem, ac jurisdictionem, perinde, ac si vere essent duæ
sub unius regimine; *u* Ubi vero est accessoria, vel sub-
jectiva, ut frequentius, ac pene semper in inferioribus
Ecclesiis, ac beneficiis contingit, Ecclesia illa, quæ
subjectivam unionem patitur, ejus nomen, ac essentiam
amittit, atque alterius efficitur nudum prædium, seu 221
membrum, nulla prioris status reliquias retinendo, ideo-
que in eo non datur vacatio, neque provisio.

p disc. 43. q de his ad materiam unionis, vel dismembrationis, disc. 44. cum seq. ad 50. & de paroch. disc. 35.

r de unione Cathedralium sub tit. de præeminent. disc. 2. & 7.

s de parochis, disc. 35. t de parochiis, disc. 36. u disc. 19. & d. tit. de præeminent. disc. 6. & sub tit. de jurisdict.

XXIX.

De privatione ob crimina, vel contraventiones.

REgula est, ut ex crimine quamvis gravi ipsoque 222
voluntario homicidio irregularitatis inductivo,
resultet quidem, ut supra, inhabilitatio ad assequen-
dum, non autem privatio assequuti, nisi in casibus in
jure expressis; Bene tamen crimina, quamvis hujus ef-
fectus non inductiva, motivum Superiori præbere pos-
sunt, inter alias pœnas crimini congruas, illam quo-
que privationis beneficiorum pro facti qualitate, præ-
sertim contra contumaces, ac inobedientes infligere;
Cadente quæstione, an solus processus contumacialis
ad id sufficiat, nisi crimen bene, & concludenter pro-
betur, quod distinctionem recipit a duratione, seu
lapsu termini annalis, qui contumacibus datur; quo-
ties ipsa sententia contumacialis privationem contineat. *x*

In casibus autem, in quibus ob crimen de jure hanc pri-
vationem incurri statutum sit, illius concludens, ac perfe-
cta probatio desideranda venit, neglecta diffamatione
quamvis gravi, vel inquisitione, cum recte attendantur ad 223

repellendum ab acquirendis, ut supra in incapacitatis,
vel inhabilitatis Rubrica advertitur, non autem ad
privandum assequutis. *y*

Crimina vero, ob quæ privatio ipso jure incurri-
tur, pleraque in jure habentur; Potissime ob simoniam,
224 vel confidentiam; Sive ob apostasiam a fide; Ob assas-
sinium; Ob sacrilegium in defloratione monialis; Ob
litterarum Apostolicarum falsificationem; Ob earumdem
litterarum transumpta præter formam a Constitutioni-
bus Apostolicis præscriptam; Ob insordescentiam do-
losam in excommunicatione ultra annum, cum simi-
libus in sua sede videndis, *z* cum nimium in foro rari
225 sint casus, in quibus hujusmodi objectæ impetratio-
nes, quas piscatorias dicimus, ob privationem ex cri-
mine, suum sortiantur effectum, utpote odibiles, id-
eoque de facili excusatio admittitur.

Ob contraventionem etiam decreto in ipsa provisio-
ne contento, ob ejus non implementum incurritur pri-
226 vatio, vel caducitas; Terminus vero ad implendum
quamvis in verbis computandus a die gratiæ; currere
incipit a die pacificæ possessionis, vel ubi per eum stet
quo minus adipiscatur. *a*

x *disc.* 73. *& de pension. disc.* 49. y *disc.* 70. *&* 71.
z *disc.* 74. *& duobus seqq.* a *disc.* 56.

XXX.

De aliis speciebus vacationis.

ULtra superius insinuatas vacationum species, per
obitum, resignationem, aut privationem ipso ju-
re, vel per sententiam ex causa criminis, vel residen-
tiæ, ut supra; Plures aliæ dantur species vacationis,
præsertim per matrimonium, per quod de facto con-
227 tractum, quamvis nulliter, ubi nullitas ex defectu
consensus non proveniat, alia non expectata declara-
tione, resultat beneficiorum vacatio ipso jure *b*

Item per solemnem validam professionem in Religio-
228 ne, utpote in statu incompatibili ad retinendum bene-
ficia sæcularia, nisi Apostolica dispensatio præcedat. *c*

Ac etiam per militiam sæcularem cum statu clericali
incompatibilem. Cadente quæstione, an idem resultet
effectus ab aliquibus sæcularibus officiis, quod a facti
qualitate, ac circumstantiis determinationem recipit,
ut advertitur in sede pensionum ecclesiasticarum, qua-
229 rum occasione frequentius forus hujusmodi quæstiones,
audit. *d*

b *de pension. disc.* 45. c *disc.* 64. *& de pension. disc.* 44.
d *tit. de pension. disc.* 46. *& seqq.*

XXXI.

De Regula de subrogando collitigantibus.

POsito vitio litigiosi, ex quo Apostolica reservatio,
vel affectio resultat, ut supra in ejus particulari
230 rubrica advertitur, ex eodem motivo, ex quo ipsa re-
servatio prodiit, novum scilicet non dandi collitigan-
tem, sed litibus finem imponendi, solet Apostolica be-
nignitas, in naturaliter, vel civiliter morientis colliti-
gantis jura, superstitem collitigantem subrogare, non ta-
men id obligationem, vel necessitatem causat, ex be-
nignitate pro arbitrio, ex facti qualitate quandoque
231 etiam denegando, provenit; Denegatur autem calu-
mniosis litigantibus, cum calumniosa lis hujusmodi gra-
tia indigna sit; Ac etiam odibilis impetrantibus viven-
232 tium beneficia certo modo (quos piscatores beneficiali-
stæ appellant;) Prout cessat subrogationis Regula, vel
stylus, post jam extinctam, seu alias cessatam litem, super
233 qua circumstantia facti potius, quam juris frequenter dis-
putari solet, ut in ipsa litigiosi Rubrica advertitur. *e*
e *de his disc.* 56. *& plur. seqq.*

XXXII.

De Regula de Annali, & Triennali.

234 REgula de Annali possessore, non ad favorem
ipsius possessoris inducta est, sed ad lites compe-
scendas in odium impetrantium certo modo beneficia
viventium, quibus proinde præscripitur necessitas in-
choandi litem infra sex menses, & infra sex alios pro-
sequendi, nisi obstent justa impedimenta, quæ in ter-
mino præfixo, non autem extra contigisset constet.
235 Cadente quæstione, an ista regula, injustum, vel in-
validum possessorem foveat, atque probabilior est affir-
mativa, ex jam assignata ratione, quod non in gratiam
possessoris, sed in odium impetrantis illa prodiit. *f*

Frequentior autem in foro est altera Regula de Trien- 236
nali, cui tamen vulgus longe majorem tribuit opera-
tionem, quam in effectu habeat, cum ob tot restri-
ctiones, ac declarationes, nimium rari sint casus, in
quibus operativa remaneat.

Tuetur etenim hæc Regula ab omni molestia trienna- 237
lem pacificum possessorem, non obstante quocumque de-
fectu, quem ejus titulus patiatur, illaque, tam in posses-
sorio, quam in petitorio operatur, atque adimendo ju-
risdictionem, impedit litem excitari, ac excitata acta an- 238
nullat, quamvis cum Apostolico proviso de reservato, 239
ubi reservatio in corpore juris clausula non sit.

Inducit etiam præsumptionem tituli, atque suffraga-
tur etiam successori, qui prædecessoris possessione ju-
vari potest; Neque illi obstat res judicata proveniens
ex unica sententia lata extra Rotam præsertim in con- 240
tumaciam, vel ubi res judicata causata sit ex culpa
procuratoris, non appellantis.

Procedunt autem hæc, quatenus possessio per alle-
gantem Regulam probetur per veram, & concludentem
probationem (licet probato initio cum vera effectuatio-
ne de facto, non autem verbali, vel instrumentali præ- 241
sumptiva, probatio continuationis, non urgente con-
traria præsumptione admittatur,) cum & ipsa Regula
in genere, etiam in casibus, in quibus, quacumque
restrictione cessante locum sortitur, inducat ad favo-
rem possessoris præsumptivam tantum probationem titu-
li validioris, vel sanationis defectus, quem titulus pa- 242
tiatur, contraria probatione, vel fortiori præsumptio- 243
ne elidibilem; Ideoque non impedit Ordinarium, vel
alterum Superiorem, quin dicta possessione non obstan-
te, de jure possessoris inquirere valeat.

Sola vero possessio non sufficit, nisi accedat quoque 244
titulus coloratus, cujus vigore constet possessum fuis-
se; Nisi ultra triennalem, concurrat quoque longa
pacifica possessio decennalis, quæ dictum titulum colo-
ratum suppleat.

Non tamen id sufficit, quando possessio adeo infecta 245
sit, quod quamvis plena, & pacifica de facto, jure ta-
men habenda sit pro vacua, ut præsertim contingit in
provisionibus, quæ ab Ordinario, vel alio inferiori col-
latore fiant de beneficiis reservatis, vel affectis ex A-
postolicis decretis, quæ continuant decretum irritans,
quamcumque inficiens possessionem, pro vacua idcirco
habendam; Atque hinc resultat dictus effectus, ut ra-
ri sint casus, in quibus hoc solum præsidium tutum
reddat possessorem. *f*

Cessat item Regula, ubi agatur de possessore simo- 246
niaco, vel confidentiario, cum iste casus expresse in ea
sit exceptuatus, quoties tamen ipse possessor esset hu-
jusmodi criminis auctor, vel conscius, aut approbator.

Prout cessat, ubi per litem qualis qualis illa sit, 247
non verificetur qualitas pacificæ possessionis, non distin-
guendo, an lis super titulo, vel super possessione, & an
per eam reddatur necne beneficium litigiosum; sive an
adsit nullitas actorum, quoties hæc non proveniat ab
omnimodo defectu jurisdictionis, quoniam sufficiunt qua-
les quales molestiæ judiciales; Quando vero inducta di-
catur lis ad hunc effectum sufficiens, & quando indu-
cta cesset, itaut conjungatur, vel denuo incipiat paci-
fica possessio, pendet ex facti qualitate, diversisque cir-
cumstantiis, de quibus in sua sede, cum videatur quæ- 248
stio facti potius quam juris, præsertim circa litis de-
sertionem, ideoque non de facili sub compendio ca-
dit. *g*

f *disc.* 57. *&* 50. g *de his, disc.* 91.

XXXIII.

De provisionibus in forma gratiosa, & in forma Dignum, in quo differat, quale jus una, vel altera tribuat.

FOrma gratiosa conceditur ei, qui cum attestationibus
Ordinarii, vel respective examinatorum Urbis, aut 249
per alias informationes, Datarii arbitrio, se probat ante
expeditionem gratiæ, tam circa idoneitatem, quam circa
vitam, & mores, habilem, ac *dignum*, atque tunc gra-
tia omnino perfecta est, & provisus acquirere dicitur jus
formatum in beneficio, cujus possessionem etiam propria
auctoritate, sive cum cujuscumque personæ in ecclesiasti-
ca dignitate constitutæ assistentia apprehendere potest,
eum

cum gratia allum actum ad sui perfectionem non expectet, ideoque etiam absque possessione, beneficium ex ejus persona vacat.

Ubi vero dicta justificatio deficit, datur provisio nuncupata in forma *dignum*, per quam Ordinario, vel alteri exequutori committitur, ut si habilem, ac idoneum reperterit, beneficium ei conferat, atque in ejus possessionem immittat.

Et quando exequutor est talis, quod cessante legitimo
250 contradictore merus potius quam mixtus dicatur, nulla praescripta est forma super justificatione idoneitatis, sed etiam extrajudicialis notitia, vel informatio sufficit, nemine citato juxta distinctionem, de qua infra ad materiam exequutionis litterarum, ac legitimi contradictoris.

Super ista vero specie provisionis in forma *dignum*, apud nostros majores, involuta quaestio fuit, an & quale jus ante exequutionem illa tribueret, & an contingente morte naturali, vel civili provisi ante exequutionem, va-
251 catio sequeretur ex istius persona, vel prior vacatio adhuc duraret, cum aliis effectibus exinde resultantibus.

Hodie autem id extra controversiam est ex recepta distinctione, super cujus applicatione cadit solum occasio dubitandi; Si enim constat provisum esse certitudinaliter minus idoneum, seu alias incapacem, itaut certum sit provisionem effectum sortiri non posse, & tunc non est provisio, sed mandatum conditionale de providendo, quod non data conditionis purificatione, nullum jus tribuit; Aut subsequuta exequutio, vel alia justificatio, quamvis exequutione ex aliquo accidenti impedita, ostendit de tempore provisionis idoneitatem, ac habilitatem adesse, & tunc provisio reputatur, ac si esset pura & perfecta in forma gratiosa, jus proviso tribuens ab initio, cum interim ex nostri intellectus imbecillitate fuerit nobis obscurum id quod subsequens probatio aperit, atque jam adesse ostendit. *h*

h *disc.* 71.

XXXIV.

De gratiis revalidatoriis, vel novum jus tribuentibus, puta perinde valere, ac si neutri; Et de forma Rationi congruit; Ac de dispensationibus.

Cum gratiae per solam supplicationem a Papa signatam, ac datam, quoties aliqua futura condi-
252 tio earum exequutionem solam, non autem substantiam percutiat, per mortem Papae concedentis non expirent; Hinc dicta morte sequuta, successor pro earum exequutione, ac effectu litteras concedit, quae appellantur in forma Rationi congruit, eandem vim habentes, ac si ab ipsomet Pontifice defuncto essent expeditae; Sive ac si ab ipso successore gratia concessa sit; Expirationis quaestionibus cadentibus in illis gratiis, quarum perfectio, ac substantia ad futuram eventualem conditionem, vel tempus incertum collata sit, non autem exequutio. *i*

Ubi vero subsit suspicio, vel etiam justus timor quod
253 gratia ob malam expressionem valoris, aut alium defectum surreptionis nullitatis vitio laboret, alia obtineri solet gratia revalidatoria, quae perinde valere appellatur, itaque operativa est ac si ab initio gratia valida sit, dummodo alteri jus valide quaesitum non sit, denegata retrotractione in tertii praejudicium.

Cum autem saepius litis progressus doceat, utrius-
254 que collitigantis jus, vel titulum viribus carere, hinc ille qui est diligentior, aliam validiorem provisionem obtinere curat per illam gratiam, quae si neutri nuncupatur; Atque in hoc magis consistere videtur professorum beneficialis materiae peritia, seu excellentia, opportune scilicet haec remedia adhibendi; Cum in reliquis, comparative ad materias prophanas, praeser-
255 tim feudales, regales, ac fideicommissarias, finita, nimiumque facilis ista beneficialis esse videatur, a practicorum traditionibus ac Datariae observantia, in magna parte pendens.

Ista vero gratia si neutri, requirit pernecesse litem
256 quae supponitur, atque justificanda est de tempore datae; Major vero controversia versatur super non juris justificatione, quod pro facti qualitate determinationem recipit; Et si ambo litigantes eam obtinere cu-
257 rant, anterior attenditur; Atque regula est generalis, ut ex duabus gratiis ab eodem fonte, & ex eadem causa, anterior attendatur, etiamsi anterioritas consistat in momento.

258 In dispensationibus autem, quae super impedimento provisi, puta natalium, aetatis, bigamiae, ac similibus, vel alias concedatur, ultra ea generalia cuicumque gratiae, vel materiae congrua super intentionis defectu, vel surreptione, aut super valido jure tertii, cujus mentio facta non sit (cum juris invalidi mentionem facere non oporteat); Illud praecipuum habetur, quod non detur extensio de uno impedimento ad alterum, quam- 259
vis rationis identitas, ac majoritas accedat, sed quot sunt impedimenta, tot esse debent dispensationes; Istae autem litteris non expeditis, nec in judicio, nec ex- 260
tra suffragantur, quamvis dispensationis obtentio etiam litteris non expeditis non omnino inutilis remaneat, ob preservativam ab ea caducitate, quae alias ab impedimento, vel diverso statu resultasset, nisi dispensatio praecessisset. *k*

i *sub tit. de pension. disc.* 1. & 2.

k *sub tit. de pension. disc.* 44. & 46.

XXXV.

De exequutione litterarum Apostolicarum; Et de legitimo contradictore.

Duplex habetur Apostolicarum litterarum species, 261
una per litteras in forma Brevis pro capienda possessione nomine Camerae; Et altera sub plumbo; Prima species non cadit nisi in casu reservationis, quae illarum fundamentum est, aliamque non exigit justificationem nisi reservationis, & clericatus provisi, ad cujus commodum sub Camerae Commissarii nomine possessio apprehenditur; Cadente quaestione in casu quo reservatio 262
dubia sit, an pro exequutione in dubio responderi debeat, vel e contra, quod determinationem recipit ab eo, an reservationi assistat regula, vel potius resistat, unde a limitatione eam deducere oporteat. *l*

Obtinenti vero has litteras, incumbit obligatio ex- 263
pediendi alias litteras sub plumbo, ob decretum gratiae annullativum in eis adjici solitum intra sex menses, quos disponitur a die datae gratiae computandos esse; Usus tamen recepit ut computatio a die adeptae pacificae possessionis fieri debeat. *m*

Altera species litterarum sub plumbo pariter exe- 264
cutiva est, cum ea differentia, quod verificari debent ea quae in ipsis narrata sunt; ubi praesertim sunt pars, vel impulsus gratiae, juxta distinctionem de qua supra in Rubrica justificationis narratorum; Haec autem justificatio, nullo existente contradictore, vel oppositore, apud executorem, qui merus dicitur, etiam per extrajudiciales informationes sequi potest, atque ex sub- 265
sequuta executione praesumitur; Ubi vero contradictor, vel oppositor existat, potissimum qui beneficium 266
possideat, sive legitimi contradictoris titulum mereatur, sive non, citandus ac audiendus est, quamvis hujusmodi citatio vel exauditio, quoties qualitas legitimi contradictoris non accedat, exequutivum processum litterarum, vel exequutoris naturam non alteret, cum tunc in terminis oppositoris potius quam contradictoris remanere dicatur; Et quamvis notorie 267
intrusum citare non oporteat, nimium tamen rarum, ac difficile est hujusmodi notorietatem concludere.

Ubi autem legitimus contradictor existat, tunc exe- 268
quutor efficitur mixtus; assumere debet judicis partes cum formali processu in judicio ordinario, non autem executivo, ideoque appellabili, donec res judicata, vel tres conformes executionis locum praebeant; Attentatorum vitio laborantes executione post appellationem, vel ejus termino durante sequuta.

Nulla vero super hac theorica videtur hodie in fo- 269
ro amplius cadere quaestio, quae tota remanet facti & applicationis, quando scilicet oppositor, vel possessor, legitimi contradictoris titulum mereatur necne; Super qua tamen, ob plures distinctiones ac declarationes, certam determinatamque regulam sub compendio cadentem dare, non de facili practicabile est, ideoque in sua sede videndum.

Praeterquam in litteris impetrantis certo modo, & ex 270
causa objectiva beneficium viventis, ut tunc semper executor sit mixtus, ac ille contra quem facta est impetratio, legitimus contradictor existat; Idque nedum ubi possideat, verum etiam ejus gratia adhuc non exequuta, 271
cum per hujusmodi impetrationem, executio in processu summario ac executivo impedienda non sit, quamvis

vis impetrator in possessionem de facto se intruserit. o

Contradictoris autem personam, regulariter non facit Capitulum, cujus nihil interest, unum, vel alterum provideri, vel vincere, nisi quando oppositio principaliter suum jus, vel interesse tangat, ob deficientes in eo qui
272 provisus est, qualitates ab ejus legibus praescriptas. Quod tamen facit oppositorem, ut audiri debeat, non tamen legitimum contradictorem ad effectum judicii ordinarii. p

Ista litterarum species quandoque aliam gratiam ex
273 ejusdem supplicationis ventre deductam, vel per separatam supplicationem continere solet, subrogationis scilicet gratiosae in jus ac possessionem defuncti, quae facilius, in oppositore non habente consimilem subrogationem, legitimi contradictoris personam excludit, atque a formali justificatione omnium narratorum eximit, cum adinstar alterius speciei litterarum in forma brevis, sufficiat justificare clericatum, reservationem, ac possessionem defuncti, cum declarationibus, de quibus in sua sede. q

l *disc.* 5. m *disc.* 17. n. *disc.* 73. o *disc.* 73. & *disc.* 55. p *d. disc.* 55. q *de aliquibus, d. disc.* 73 *& de his omnibus, etiam sub tit. de judiciis in praxi.*

XXXVI.

De possessione, ejusque effectibus.

EXclusa qualitate legitimi contradictoris, positaque facultate adipiscendi possessionem beneficii; Tunc
274 exceptis Canonicatibus Cathedralium, & Collegiatarum, ac etiam Dignitatibus, quatenus de consuetudine sint etiam de Capitulo, quorum possessio capitulariter capienda est, ac alias pro infecta habetur nisi per capitulum stet, quominus obtineatur. r

In reliquis, certa forma adipiscendi possessionem prae-
275 scripta non habetur, sufficit namque illam adipisci in Ecclesia principali, quatenus extet, vel in altera, sive in eo praedio, vel loco, in quo id solitum sit, ut exinde ad possessionem nedum praediorum, & bonorum omnium, sed etiam Ecclesiarum accessorie, ac subjective unitarum inferatur; Secus autem ubi plures aeque principaliter unitae sint, cum tunc earum distincta, vel aeque principaliter possessio capi debeat.

Quo vero ad effectus ex possessione resultante, in
276 beneficiali materia peculiares sunt resultantes a Regulis ab Annali & Triennali, de quibus supra, in reliquis vero cum regulis generalibus metiuntur, quas in prophanis indifferentibus habemus, de attendendo scilicet solo facto possessionis ad obtinendum in judicio retinendae, absque justificatione tituli, vel justitiae, nisi obstet praejudicialis ac restrictiva productio ejusdem tituli, ex quo incontinenti infectio pateat, Sive nisi clarum sit, quod decretum irritans obstet, cujus virtus est, possessionem inficere, secus autem si dubium sit.

r *tit. de Canonic. disc.* 4.

XXXVII.

De Sequestro.

DUplex habetur sequestri species, Una formalis, quae vulgo per Beneficialistas in vim Clementinae dicitur. Altera vero provisionalis.

277 Prima species non intrat, nisi ubi sententia ad favorem petitoris contra possessorem accedat, quae juxta
278 unam sententiam, debet esse Rotalis, illumque effectum operatur, quamvis ab illa appellatum sit, sive de nullitate oppositum; Nisi agatur de triennali possessore, qui ab hac sequestri specie exemptus est, prae-
279 terquam ubi cum simoniacum esse constet; Neque in alio Tribunali quam in Rota, ubi causa cognita, & praevia formali disputatione practicatur ista species se-
280 questri, quod ipsius beneficii substantiam percutit,
281 atque possessione privat; Neque revocatur, nisi in fine
282 litis, quatenus utriusque partis consensus accedat, minusque cautionis medicinam recipit.

Altera vero species sequestri provisionalis (justa acce-
283 dente causa, sine qua regulariter est prohibitum) per quemcumque judicem, & in quacumque instantia, vel judicii parte apponitur, quamvis sententia non adsit, etiam summarie ac interlocutorie; Eodemque modo pro judicis arbitrio revocatur, atque medicinam cau-
284 tionis admittit; Neque beneficii substantiam percutit, sed solum fructus, adeoque possessione non privat.

Frequentiores causae, ob quas huic sequestro locus datur, sunt, Attentatorum vitium; Possessio vacua, vel quae pro vacua de jure habenda sit; Ejusdem possessionis in utro- 285
que contendente nimia turbiditas; Probabilis scandalorum, vel dissipationis timor; Reservatio clara; Sententia in bono jure alterius judicis quam Rotae, cum similibus pro judicis prudenti arbitrio pensandis, cum arbitraria certam ac generalem determinationem non recipiant, sed a facti qualitate regulentur, cum aliis in sua sede. s

s *disc.* 98. *& sub tit. de juspatron. disc.* 51.

XXXVIII.

De Fructibus.

IStorum inspectio frequenter cadit super validitate, vel executione gratiae ad satisfaciendum Regulae de valore, & de hoc supra in ejus particulari Rubrica; Sive pro 286
pensionum capacitate, vel invaliditate, de quo in sua pensionum sede; t Aut pro regulanda natura jurispatronatus, partim ex gratia, seu privilegio, partim vero ex dotis augmento competentis; Et de hoc pariter in sua peculiari materia; u Vel super fructuum perceptione absque residentia, vel respective interessentia, & servitio, quod Canonicorum & capitulorum materiam percutit; x Vel pro ea refectione, ad quam victor victori teneatur, aut alter qui possessori, vel proviso impedimentum praestet, quod potius damnorum & interesse terminos percutit. y

Frequentiores vero sub hac materia quaestiones, post dictam materiam Regulae de valore cadunt super fructuum pertinentia inter praedecessorem & successorem in benefi-
cio; Sive inter praedecessoris haeredes & Ecclesiam, vel 287
Cameram loco Ecclesiae per Apostolicas Constitutiones subrogatam, ubi ejus collectorum usus vigeat.

In hoc autem, eadem quoque distinctio cadit, quae tam in Regula de valore, quam in Canonicatibus aliisque beneficiis servitoriis habetur, super distinctione inter fructus, quorum nomine venit illud emolumentum, quod sola ratione beneficii absque necessitate interessentiae ac personalis servitii obtinetur; Id autem quod 288
ex dicta interessentia & servitii ratione competit, non fructuum, sed distributionum nomen hanc rationem habeat, ideoque in eis non cadunt ea, quae de fructibus in jure disposita sunt, ad omnes effectus, etiam transmissionis ad haeredes tamquam merx laboris ac servitii, potius quam beneficii emolumentum lucrativum, aliosque effectus, illo excepto refectionis, quam victus victori, vel impediens impedito facere teneatur, quoniam nulla data discretione inter fructus & distributiones, indefinite restituendum est quicquid victor, vel impeditus fuisset obtenturus, si impedimentum non habuisset.

Ubi vero de iis emolumentis agitur, quae contradistincte a distributionibus sub fructuum nomine veniunt; Distinctio est inter collectos ac a solo separatos, sive pendentes, aut collectos, adhuc tamen in eodem solo existentes, ut haec secunda species naturalium, vel mixtorum, indefinite pertineat ad successorem, vel Eccle- 289
siam; Non de facili recepta in praxi distinctione (quae tamen in puncto juris probabilis est,) inter beneficia habentia annexam curam animarum, vel non, ut in curatis, utpote ex onerosa potius, quam lucrativa causa competentibus, beneficiatus marito potius, quam usufructuario assimiletur, ideoque pendentium quoque ratam oneri supportato proportionatam post dimissum beneficium obtineat, vel moriens ad haeredem prophanum transmittat, quod tamen, ut dictum est, praxis non de facili admittit; Ubi vero agitur de jam collectis, ac a solo separatis, decisio pendet a facti qualitate, & an cum reliquo beneficiati patrimonio prophano commixti, vel confusi sint.

Quo vero ad civiles, quos lex fingit singulis quibusque 290
diebus, horis, atque momentis percipi; Quando ante perceptionem cesset jus beneficiati ex causa resignationis, tunc nisi expressa reservatio accedat, indefinite ad successorem vel Ecclesiam transeunt, quasi quod beneficium renunciando, omne jus a se abdicasse videatur; Secus autem ubi per mortem, vel involuntariam translationem, quod tamen, respectu vere ac de facto inexactorum, non de facili praxis admittit, ubi praesertim Camera in locum Ecclesiae succedit, dum adeo rigorose in hac fructuum inexactorum materia procedi tur, quod etiam Indultum Cardinalibus ac aliis concedi solitum testandi de bonis quamvis Ecclesiae intuitu 291
quaesitis, vel ab intestato transmittendi pro inexactis non suffragaretur, nisi moderna Apostolica moderatio adesset, cum plerisque aliis distinctionibus ac declarationibus in sua

sua sede videndis, utpote non de facili sub compendio cadentibus. z

t sub tit. de pension. & hoc tit. disc. 90.
u sub tit. de jurepatron. disc. 10. & pluries.
x sub tit. de Canonic. plures.
y eod. tit. de pension. disc. 32.
z de his disc. 100. ac etiam disc. 81. cum plur. seqq.

XXXIX.

De Remissoria, & Compulsoria in Beneficialibus.

IN remissoria, vel compulsoria generali processum
non retardante, minusque dilationem aliquam in-
292 ducente, quaestiones non cadunt, sive in prophanis, si-
ve in spiritualibus agatur, ob cessantem dilationis ra-
tionem, ob quam collitigantis interest eas denegari,
ideoque causae cognitio non adhibetur eo modo, quo
ubi agitur de speciali dictam rationem habente.
In speciali autem, omnia quae pro denegatione ex ca-
293 lumnia, vel irrelevantia in prophanis habentur, facilius
& absque dubio recipienda sunt in hac materia spirituali
cujus vocabulum solis caussis beneficialibus, in quibus
294 de beneficii titulo, ac pertinentia agatur, congruit;
Reliquis omnibus in hoc proposito sub prophana ma-
teria cadentibus, quamvis de causis ecclesiasticis, ac
mere spiritualibus agatur; Immo etiamsi de materia
beneficiali, ubi non de titulo, ac pertinentia inter
provisos quaestio sit, sed inter collatores, vel respe-
ctive patronos, super jure conferendi, vel praesentandi.
Quando igitur causa vere beneficialis, ac spiritualis
est, tunc ob calumniae suspicionem, ratione subjectae
materiae de facili cadentem, ex eo, quod super jure
vitalitio controversia sit, quam alia accedant, ex qui-
bus in prophanis remissoria, vel compulsoria denegari
non debeat, adhuc in ista spirituali materia speciale
est, ut non concedatur, nisi cum triplici qualitate in
295 aliis non desiderata; Primo scilicet articulatae materiae
fumo vehementi; Secundo, consensus praestatione in uni-
ca sententia, nisi de tertia instantia agatur; Et tertio,
praestatione alterius consensus super appositione seque-
stri; Quibus etiam accedentibus, concessio fieri solet
cum retardatione, vel sine judiciis, praesertim Rotae ar-
bitrio, pro facti qualitate regulando. a

a disc. 99.

XL.

De manualibus.

QUalitas haec Regularibus beneficiis, utpote obedien-
tiariis connaturalis est, etiam illis Hierosolymitanae
296 Religionis, quae emerentiae ratione, atque ex justitia po-
tius quam ex gratia conferri solent, quamvis de facto,
manualitatis effectus non de facili in praxi habeatur,
sicut in aliis Religionibus.
Saecularium vero natura in oppositum est, ut posita
beneficiali qualitate, perpetua censeatur, nimiumque
rari sunt casus, in quibus vera beneficia cum Supe-
rioris auctoritate formalem erectionem habentia, ma-
nualia sint, ac ad nutum amovibilia, cum illa, quae
297 nimis frequentia habemus, potius piorum legatorum,
aliarumque piarum dispositionum speciem habeant,
ideoque sub regulis beneficialibus non cadunt; Sive
officialia, vel munia servitoria sint, beneficialem ti-
tulum non habentia, sed titulum famulatus, ac ser-
vitii, quod, ubi ex libito ejus cui serviendum est,
provenit, ad libitum quoque, seu nutum assumentis
amovibile est, adinstar quasi contractus famulatus;
298 Secus autem ubi ex civica, vel alia qualitate, seu
ex Ecclesiae consuetudine, receptio potius necessa-
ria sit.
Ubi autem receptio, seu admissio, non a nomina-
tis, sed ab alterius Superioris potestate pendet, quam-
vis in ejusdem nominantis libito positum sit nomina-
tionem revocare, non tamen ei licitum est destituere,
vel removere, cum ex eadem Superioris auctoritate,
ex qua facta est institutio, fieri debeat destitutio, quae
difficilius, quam institutio competit; Atque tunc ra-
tio haberi solet; pro Superioris prudenti arbitrio, an
justa concurrat causa necne, sive an amotio grave prae-
judicium in fama causet amoto, cum aliis, de quibus
in sua sede. b

b disc. 80, & 97. & sub tit. de Canonic. disc. 22.

XLI.

De Canonicis, & Dignitatibus.

ULtra ea quae in quibuscumque beneficiis generaliter 299
cadentia, Canonicatibus, ac Dignitatibus quoque
congruunt, circa scilicet reservationes, & affectiones, ac
alia, ut supra; In Dignitatibus, & Canonicatibus, tam
Cathedralium, quam Collegiatarum, aliqua habentur
peculiaria, reliquis beneficiis non convenientia, quae in
praecedentibus Rubricis quoque insinuata sunt, prae-
sertim circa possessionem capitulariter apprehendendam;
Sive circa fidei professionem; Aut alias qualitates, pu-
ta nobilitatis, vel puritatis sanguinis, sive civilitatis,
& similium, quae in aliis non qualificatis desiderari non
solent.
Potissima vero differentia est super jure conferendi,
dum in Cathedralibus (contraria consuetudine non ob- 300
stante) sunt ad simultaneam Episcopi, & Capituli; In
Collegiatis autem ad electionem Collegii, ut supra in
ordinarii juris conferendi Rubrica advertitur.
Reliqua vero concernunt potius Ecclesiae servitium, ac
fructuum, vel respective distributionum participationem 301
in casu justae absentiae, vel non interessentiae in choro.
aliisque divinis, sive praeeminentias super functionibus ec-
clesiasticis, ac praecedentiis, nec non vocem in Capitulo,
ac jus eligendi, aliaque similia, de quibus in sua sede. c

c sub tit. de Canon. & Capit. & sub tit. de praeminent.

XLII.

De Parochis, & Parochiis.

IN hac pariter beneficiorum specie cadunt reliqua o- 302
mnia, quae in beneficiis in genere, ut supra habentur;
illa vero potissima differentia ex Trid. Conc. in paro-
chialibus resultat, ob quam in hujusmodi beneficiorum
specie, forus frequentiores quaestiones tractat, super nova
scil. forma in illorum provisione adhibenda, ab eodem
Concilio inducta concursus habendi coram loci Ordina-
rio; Sive agatur de illis ad liberam Ordinarii collatio-
nem, sive de aliis ad provisionem inferioris collatoris,
aut ad patroni ecclesiastici praesentationem, vel electio- 303
nem; Quinimo etiam si ad Apostolicae Sedis provisio-
nem ex reservatione, vel affectione, cum adhuc ea-
dem forma concursus habenda sit coram Ordinario, ad
cujus praelectionis normam, ac testimonium, Aposto-
lica Sedes, vel alter collator provisionem faciat; Atque
si agatur de parochia extra fines dioecesis, in alterius 304
Praelati territorio, quod nullius dicitur, existente, qui
de jure, vel de facto Synodum non celebrat, coram 305
viciniori Ordinario eadem forma adhibenda est, qua-
cumque ipsius Ecclesiae providendae, vel Praelati colla- 306
toris exemptione non attenta.
Forma vero est, ut sequuta vacatione, in ipsa paro- 307
chiali Ecclesia vacante, ac in Cathedrali, seu loco con-
sueto Tribunalis, & residentiae Ordinarii concursus edi-
cta affigantur, atque affixa remaneant, durante statuto
termino, qui pluries prorogari potest, dummodo ille
20. dierum non excedatur, quoties concurrentes com-
pareant, secus autem nemine comparente, cum tunc,
dum potest Ordinarius libere absque alio concursu con-
ferre, laudabilius agere dicitur, novum edictum cum no-
vo termino affigendo.
Expirato termino, atque statutis loco, & die, compa- 308
rentibus iis, concurrere volunt, ut examini se subjiciant,
illud peragendum est coram ipso Ordinario, vel ejus Vi-
cario Generali, utriusque etiam interventu simultaneo non
prohibito, ac examinatoribus in proxime celebrata Sy-
nodo deputatis, qui non minus, quam tres esse debeant,
atque ad ejusdem Concilii praescriptum praestiterint jura-
mentum, quod opus non est in singulis quibusque concur- 309
sibus repeti, sed unicum generale initio praestitum sufficit.
Si vero ob mortem, vel absentiam, aliudque impedimen- 310
tum, dicti examinatores ad minus tres haberi non valeant,
alii in locum deficientium subrogandi sunt de consensu Ca-
pituli, dummodo id infra annum celebratae Synodus sequa- 311
tur, secus autem eo lapso, cum tunc Ordinario imputan-
dum sit cur novam Synodum non celebraverit.
Adeoque rigorose nonnisi cum hujusmodi examinatoribus 312
ista forma explicanda est, quod interventus etiam unius qui
ut supra non sit synodalis, vel si est juramentum non prae-
stiterit, actum vitiet; Quinimo etiam si esset synodalis depu- 313
tatus pro altera dioecesi sub eodem Episcopo etiam princi-
paliter unita; non sufficit; Intelligendo tamen de interven-
tu formali, quod scilicet votum decisivum proferat colle-
gialiter cum aliis examinatoribus, secus autem ubi inter-
ven-

ventus esset materialis in examine absque voto decisivo
314 quod neque Ordinarius, vel ejus Vicarius Generalis
habet nisi quando examinatorum paribus votis existen-
315 tibus neutra pars approbativa, vel reprobativa conclu-
dat, cum tunc Ordinarii, vel Vicarii Generalis adhæ-
sio conclusionem causet, atque approbatum, vel repro-
batum declaret; Istaque approbationis, vel reproba-
tionis declaratio, in ipsomet actu, & collegialiter, non
autem singulariter perficienda est, absque necessitate cer-
tæ formæ, an per vota scilicet publica, vel secreta sive
316 oretenus, vel in scriptis, sed juxta locorum stylos, aut
eorundem placitum. Omneque emolumentum ab exami-
317 natoribus abesse debet, quod simoniacum declaratur,
etiamsi ex juris communis censura tale non esset.
Examinatorum autem partes non sunt declarandi magis
318 vel minus dignum, sed solum renunciandi quem idoneum
& quem non idoneum reputent; Prælectio autem magis
digni pertinet ad ipsum Ordinarium, vel ad ejus Vicarium
Generalem id in facultatibus habentem, Sede vacante,
vel impedita ad Capitulum, cujus vice Vicarius ab eo
deputatus, & non aliter has partes explicare debet.
Dictamque prælectionem facere non oportet in ipso
319 actu scrutinii, in quo, ut supra approbati, vel repro-
bati denunciandi sunt, sed fieri etiam potest ex inter-
vallo, ac in diverso loco; Quinimo, & per diversas
320 personas, quia nempe Vicarius interveniat in concursu
Episcopus autem unum ex approbatis præligat.
Minus tenetur sequi numerum votorum, sed eligere
321 potest approbatum cum minoribus suffragiis, quæ ta-
men concludant, etiam si mediante adhæsione.
Prælectio de magis digno facienda est, neque in libera
voluntate, sed in bene regulato arbitrio id repositum est;
322 In hoc enim differunt curata a non curatis, quod in istis,
ex magis recepta sententia sufficit eligere *dignum* absque
necessitate eligendi magis *dignum*, secus vero in illis.
Hinc proinde rejecto magis digno, conceditur jus appel-
landi ad Superiorem, qui detecta irrationabilitate judicii
prælectum destituere, ac appellantem instituere poterit.
Solum tamen devolutivum effectum, non autem sus-
323 pensivum dicta appellatio operatur, ideoque non im-
pedit executionem provisionis; Atque irrationabilitas
non præsumitur; Rarum tamen ac difficile est illam
convincere, cum non ex singularibus qualitatibus ma-
324 jorem dignitatem regulariter præseferentibus, puta,
gradu, ætate, nobilitate, civilitate, & similibus, id
resultet; sed ex omnibus simul junctis; Sæpius enim
minus doctum, vel non graduatum, seu juniorem, (po-
sita sufficienti idoneitate) doctiori, nobiliori, seniori
vel graduato præferre congruit, ratione majoris pru-
dentiæ, seu vitæ, & morum, sive quia populo magis
gratus existat, cum similibus.
Appellanti autem, etiam non docto de irrationabilitate
325 judicii, conceditur jus provocandi prælectum ad novum
examen in Urbe, nisi ratio nimium remotæ regionis, vel
gravis ætas promoti, vel alia justa causa judicis arbi-
trium regularet, illud decernendo in partibus.
Non in omnibus autem beneficiis animarum curam
326 annexam habentibus illa forma concursus adhibenda est,
sed solum in illis quæ sunt principaliter talia, atque
in provisione sponsi, seu *rectoris* Ecclesiæ parochialis
ideoque non intrat in vicariis pro exercitio curæ in
illa parochiali, quæ accessorie alicui Capitulo, vel
Monasterio, vel alteri corpori, sive alicui Dignitati,
vel Canonicatui annexa sit, quamvis aliquando id so-
litum fuerit; Minusque in parochialibus de jurepatro-
natus laicali, nisi quando pluribus in paritate votorum
vel cumulative præsentatis, mediante concursu, magis
idoneum præeligere congruat.
His tamen casibus nominatus ab eo cui habitualis cura
327 incumbat, sive a patronis laicis præsentatus, ab Ordinario
examinandus, ac approbandus est, quamvis de Ecclesia
exempta agatur, vel exemptus esset ille cui provisio, vel
nominatio competit, atque approbatio sequi debet prævio
examine coram eisdem examinatoribus synodalibus.
Multo vero minus dictus concursus, vel approbatio,
328 sive alia requisita in parochialibus, necessario desideranda
veniunt, in Canonicatibus, & Dignitatibus, aliisque be-
neficiis Ecclesiæ Collegiatæ, vel Cathedralis cui Ecclesia
parochialis annexa sit, præterquam in illo Canonicatu
vel beneficio, cui fixe, ac perpetuo cura, & exercitium
demandatum sit, in quo dicta approbatio, cum ætate;
ac ordine, ut in curatis desideratur.
Reliqua vero potius præeminentias, vel jura parochia- 329
lia, sive congruam, aliaque hujusmodi percutiunt, quam
materiam beneficialem, & de quibus in propria sede. d

d *de his omnibus sub tit. de Parochis, disc. 1. & seqq. & per totum, & disc. 47. ubi de praxi concursus.*

XLIII.

De Beneficiis Regularibus, eorumque provisione, ac Sæcularizatione.

Superius, in Rubrica manualium, insinuata est hu- 330
jusmodi regularium beneficiorum, manualis, ac obe-
dientiaria qualitas, etiam in Dignitatibus, & com-
mendis Hierosolymitanæ Religionis, quibus exceptis,
nimium raro forus audit Regularium Beneficiorum con-
troversias, præsertim citra montes, ubi Religionum sta- 331
tus ad talem Monasteriorum, ac regiminis communio-
nem per speciem universitatis redactus est, quod potius
officiorum mere temporalium, quam beneficiorum Præ-
laturæ naturam sortiantur in Monasteriis actualem con-
ventum habentibus; Alia vero clericis sæcularibus ex
Apostolica authoritate commendari solita, quamvis
non exinde eorum regularis natura immutetur, gene-
rali jure beneficiorum, vel commendarum regulanda
videntur; Ultra montes autem pleraque adsunt Mona-
steria, quæ singulariter administrantur, eorumque Præ-
latura beneficium importat frequentius electivum. e
In commendis autem, ac dignitatibus Hierosolymi- 332
tanæ Religionis, in quibus, ut dictum est, solum fo-
renses quæstiones haberi solent, ea dignoscitur diffe-
rentia inter Commendas, & dignitates, quod in illis,
posita in reliquis capacitate, ac non obstantia stabili-
mentorum, cum sola antianitatis prærogativa proceditur;
In dignitatibus autem, non curata antianitate,
principaliter attenditur benemerentia, circa quam, utpote
in quæstione facti potius quam juris, certa, & determinata
regula dari non potest, sed pro facti qualitate deci-
denda est. f
Aliarum vero militiarum commendæ potius cum pro- 333
phanis quam cum beneficialibus regulis ut plurimum me-
tiri solent. g
Prout facti etiam est, ex ejus qualitate pariter & cir-
cumstantiis decidenda altera quæstio sæcularizationis
eorumdem regularium beneficiorum, eorumque status im-
mutationis, unde propterea id certam ac generalem deter-
minationem non recipit, ut in sua sede advertitur. h
Extra controversiam autem est, Regulares professos in-
capaces esse beneficiorum sæcularium, quinimo pensio-
num ecclesiasticarum super eis; E converso autem sæcu-
lares esse incapaces regularium, ubi Apostolica dispen-
satio non accedat, ut in proœmialibus advertitur, ubi
quod sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus;
Adeout per professionem in religione beneficia sæcularia
vacent, ac pensiones amittantur, idemque e converso,
ut vacent beneficia regularia, non sequuta professione
statuto tempore, vel ea irritata.
Supponebatur autem apud antiquiores Canonicos Regu-
lares Lateranenses, eos beneficiorum sæcularium capa-
ces esse, atque a dicta incapacitate immunes; Contra-
rium tamen verius est, præterquam quoad exercitium
curæ in illis Ecclesiis sæcularibus curatis, quæ eorum-
dem Canonicorum congregationi annexæ sint; Vel quia
ita canones, vel canonistarum traditiones intelligen-
dæ sint; Vel quia antiquam habilitatem alias compe-
tentem cessare faciant Apostolicæ Constit. ad Concil. Trid.
præscriptum, vel ejusdem editæ. i
Pleraque alia sub hac generali beneficiorum materia
cadunt, in præsenti non contenta; Vel quia in foro
sint rara; vel quia eorum disputationem, occasio non
dederit, cum non totius materiæ tractationem, sed eo-
rum quæ in foro disputari concessum est, institutum
sit principaliter insinuare compendium, sub quo neque
facile est omnia complecti.

e *disc. 4.* f *disc. 68. & 69.*
g *sub tit. de jurepatr. disc. 20. & sub tit. de fideic. disc. 8.*
h *disc. 63.* i *disc. 75. & habetur actum etiam sub tit. de donationibus disc. 24.*

Finis Partis Primæ Libri Duodecimi.

JO:

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Duodecimi Pars Secunda,

DE CANONICIS, ET CAPITULO.

JANUEN. PRÆBENDÆ THEOLOGALIS, PRO CAROLO NUCETO CANONICO THEOLOGO, CUM CANONICIS DIACONIS, ET SUBDIACONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

Casus disputatus in Congregatione Concilii, & resolutus ut infra.

An Episcopus annectere possit alicui Canonicatui Diaconali, vel Subdiaconali ordinem Presbyteralem cum loco fixo, in præjudicium Canonicorum Diaconorum, & Subdiaconorum antiquorum habentium jus optandi primas sedes post dignitates; Et de materia dictæ annexionis ordinum; Et quomodo Capituli consilium attendi debeat; Et an illud semel præstitum sit revocabile.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Quod prabenda Theologalis dicatur qualificata, & conferenda personæ idoneæ.*
3 *De modo providendi prabendam theologalem, & doctoralem in Hispania.*
4 *De dispositione Concilii Tridentini super ordine presbyterali annectendo Canonicatibus.*
5 *Quod Canonicatus theologalis exæquetur Canonicatui pœnitentiario.*
6 *Dignitates non sunt de Capitulo.*
7 *De distinctione ordinum in Collegio Cardinalium.*
8 *In arbitrariis non de facili intrat injustitia.*
9 *Consensus semel præstitus, an sit revocabilis.*
10 *Consilium Capituli tenetur Episcopus petere, sed non tenetur sequi.*
11 *Quando statui possit per Episcopum contra id quod per Papam est concessum per privilegium.*

D I S C. I.

1 CApitulum Ecclesiæ Januensis constitutum est ex 17. Capitularibus, hoc est quinque Dignitatibus, & duodecim Canonicatibus, quorum sex presbyteralem, tres diaconalem, & tres subdiaconalem ordinem annexum habent, inter subdiaconales secundum locum habente Canonicatu theologali, cum ascensu, seu optione in quolibet ordine respective, qui ascensus, seu optio de anno 1660. ex decreto Capitulari approbato, tam per Ordinarium, quam per Sedem Apostolicam, exceptis Dignitatibus, communicatus fuit omnibus Canonicis trium ordinum, itaut adinstar Collegii Cardinalium, canonicis Diaconis, vel Subdiaconis liceret optare canonicatus sacerdotales, atque ad primos locos, seu sedes habita ratione antiquitatis ascendere, Canonico theologo inferiori loco relicto; Cum autem Archiepiscopus incongruum reputaret, ut Canonico theologo talis inferior locus daretur, Hinc proinde prævio Capituli consilio, ad præscriptum decreti Sac. Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. dicto canonicatui ordinem presbyteralem annexuit, itaut propterea Diaconis, ac Subdiaconis quamvis antiquioribus præcedere deberet; isti ægre ferentes recursum habuerunt ad Sacr. Congregationem Concilii, pro infirmatione gestorum ab Archiepiscopo favore recurrentium responsum fuit ex motivo attentatorum, stante recursu ad ipsam Sacr. Congregationem.

In hac igitur disputatione pro dict. Canonico theologali scribens dicebam, justam ac rationabilem videri dictam provisionem conformem intentioni dicti Socr. Concilii *sess.* 5. *de reform. cap.* 1. *vers. de cætero, vero*, dum hujusmodi præbenda theologalis plusquam in aliis desiderat 2
personas idoneas, & qualificatas, cum irritatione provisionis alias factæ; Quod etiam comprobari advertebam ex indultis Sixti IV. & Leonis X. circa provisiones canonicatuum Theologalis, & Doctoralis in plerisque Hispaniarum Ecclesiis, ut per Ordinarium cum Capitulo fiant per concursum juxta ea, quæ habentur supra *in tit. de Beneficiis* in genere in Barchinonen. & Majoricen. canonicatus pœnitentiarii *disc.* 28. & 29. & de consequenti, quod stanre qualificatione possessoris, & muneris, magis honorificus, & congruus locus inter alios statuatur.

Pluribus etiam considerationibus accedentibus; Pri- 3
mo scilicet, quod dum idem Concilium, *d. cap.* 12. *sess.* 24. ordinem sacerdotalem saltem in dimidia præcepit, credidit potius onus, & gravamen injungere possessoribus præbendarum, vinculum presbyteratus alias 4
effugientibus, unde præcise obligare noluit, nisi solam dimidiam, laudabilius tamen declarando, ut omnes, vel pro majori parte eumdem ordinem habeant, ibi; *ubi vero consuetudo laudabiliter habet, ut plures, vel omnes sint presbyteri, omnino observetur*. Ergo congruum, rationabile, ac menti Concilii adaptatum est, ut huic ita qualificato canonicatui presbyteratus annectatur.

Secundo, ducto argumento ab indulto Gregoriano pro Ecclesiis Hispaniarum edito, de quo in dictis *disc.* 28. & 29. *sub tit. de Beneficiis*, ita enim patet canonicatum theologalem exæquatum esse canoncatui pœnitentiario, 5
ideoque cum canonicatus pœnitentiarius annexum habeat presbyteratum, hinc arguere licet, quod si non ex eadem ratione necessitatis, saltem ex ratione congruentiæ rationabile videatur eumdem ordinem huic etiam canonicatui annexum esse.

Tertio, quod cum canonicatus pœnitentiarius ob ejus fere continuam occupationem in confessionibus reputari possit pro non existente quoad servitium chori, ac celebrationem Missarum præsertim solemnium, aliasque functiones, exinde resultat, quod de facto inter canonicos remaneret major numerus subdiaconorum, & diaconorum, quam presbyterorum contra expressam dispositionem Concilii pernecesse exigentis ordinem presbyteralem saltem in dimidiam, laudantis tamen ultra eam, imo etiam in omnibus talem ordinem annecti.

Et quamvis replicaretur, quod adessent dignitates, attamen id non videbatur obstare, Tum quia de jure, ac cessante particulari consuetudine, dignitates non dicun- 6
tur de Capitulo, ut infra in Bitecten. Archipresbyteratus *disc.* 4. Tum etiam quia illæ sunt exemptæ a turno missarum conventualium aliarumque quotidianarum provisionum sacerdotalium solis Canonicis incumbentium, cum Dignitatibus distributæ sint aliquæ majores solemnitates, aliæque functiones.

Atque ad probandum quantum congruat majorem 7
numerum presbyterorum adesse, dabam exemplum Collegii Cardinalium, qui apud Papam tamquam Episcopum Ecclesiæ universalis eamdem figuram facere videntur, dum ex 70. solum 14. constituti sunt in ordine diaconali, sex in ordine Episcopali tamquam species Dignitatum, reliqui autem quinquaginta in presbyterali. Atque dum S. Concilium totum remittit arbitrio, ac judicio Episcopi; Hinc dicebam, quod pro sublinendo ea, quæ ab Episcopo gesta sunt, sufficere deberet, quod per oppositores non doceretur de omnimoda irrationabilitate, a qua tantum, & non alias in arbitrariis li- 8
citum est appellare, vel recursum habere juxta ea, quæ habemus præsertim de appellatione ab irrationabili judicio Episcopi super approbatinne in concursu ad Parochiales, ut infra *sub tit. de Paroch*, cum similibus, ex regula quod in arbitrariis non datur gravamen, vel injustitia positiva, Castrens. *cons.* 99. *n.* 4. *in fin lib.* Gregor. *dec.* 106. *n.* 2. Rovit. *super pragm. in rubr. de appellat. n.* 25. *cum seqq.*

Dę

De duobus autem potissimum ex parte Canonicorum objiciebatur. Primo scilicet quod Capitulum revocasse per alterum decretum ejus consensum, seu consilium; Et secundo, de litteris Apostolicis in forma Brevis editis super confirmatione dicti decreti Capitularis super ascensu, seu optione inter omnes canonicos tam presbyteros, quam diaconos, ut supra, stantibus decreto irritanti, & clausula sublata contentis in eisdem litteris inficientibus quemcumque actum contrarium.

Neutrum tamen videbatur habere subsistentiam; Quatenus enim pertinet ad primum, ubi etiam ageretur de
9 consilio de necessitate sequendo, & quod potius saperet consensum, adhuc ille semel valide præstitus re non integra non est amplius revocabilis, quinimo etiam non præstitus, absque justa causa denegari non posset, atque denegatus per judicem suppleti, ex deduct. per Greg. *dec.* 117. *n.* 8. & 9. Mantic. *dec.* 238. *n.* 9. & est in foro quotidianum; Ac etiam quia S. Concil. exigit consilium quod sufficit exquiri, neque opus est illud sequi, ex deduct. per Felin. *in cap. cum omnes*, *n.* 19. *cap. cum ex*
10 *parte de Constit.* Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 34. *n.* 24. Menoch. *conf.* 69. *n.* 17. Adden. ad Burat. *decis.* 29. *in fin.* Et in his specialibus terminis Barbos. *ad idem Concil. cap.* 12. *num.* 45. *in fine*; Quodque ubi committitur Episcopo cum consilio Capituli, dicatur actus ad solum Episcopum pertinere, neque Capitulum in eo habeat aliquam participationem, Rot. *decis.* 79. *de rescriptis antiquis* bene in Taraconnen. Sacristiæ 23. Januarii 1602. coram Justo.

Et quoad alterum objectum, tunc illud intraret, quando ageretur de destruendo substantiam contentorum in
11 eisdem litteris, nempe de tollendo facultatem optandi, sed quod ubi numerus diaconorum, ac subdiaconorum sit major, ita fiat alicujus ordinis immutatio, id non est contrarium, sed diversum, & sic est casus omissus non cadens sub decreto irritanti, & clausula sublata, quæ non impediunt allegari non comprehensionem, atque de ea cognosci, Royas *dec.* 410. *n.* 12. Orthob. *dec.* 229. *n.* 17. & pluries *sub tit. de benefic.* cum sit propositio quotidie in foro volitans; Ideoque ubi articulus fuisset integer, ita probabiliter pro meo judicio resolvendus videbatur, ut etiam scio quod esset sensus notabilis partis S. Congr. a qua tamen decretum Archiepiscopi improbatum fuit utpote editum in spretum recursus, seu cujusdam inhibitionis, neque res ulteriorem progressum habuit, quia Carolus aliam obtinuit Dignitatem, ac etiam sequuta fuit Archiepiscopi mutatio, unde propterea continuatur in statu primævo.

ANNOT. AD DISC. I.

AD materiam Præbendæ Theologalis videri poterunt deducta in Annot. ad Sacr. Conc. Trid. *disc.* 2. & *sub tit. de benefic. disc.* 112.

NEAPOLITANA CAPPELLANIARUM, PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ, CUM ANGELO SCIARRA, ET ANGELO FASSANO CANONICIS.

Casus disputatus in S. Congreg. Concilii sub ignoto exitu

De divisione Capituli ejusque Canonicorum in plures ordines, An de uno ad alterum detur transitus, vel communicatio jurium, quæ per turnum inter eos divisa sunt.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Ad essentiam electionis est libertas, quæ sit exercibilis inter plures.*
3 *De aliquibus ponderationibus, electio deberet esse libera cadens inter plures.*
4 *Etiam ubi non agitur de vera electione, intrant illius termini ex voluntate fundatoris.*
5 *Dictio, videlicet, est declarativa, seu explicativa.*
6 *Ubi facultas eligendi restringitur ad certum genus, sufficit illud non egredi.*
7 *Observantia interpretativa, quando attendatur.*
8 *De materia turni, & quando hic dicatur consumptus.*
9 *De distinctione, an Cappellania, vel aliud emolumentum spectet ad canonicatum separabiliter, ac accidentaliter, vel econtra inseparabiliter.*

D I S C. II.

CApitulum Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ, 1
constitutum ex 30. Canonicis, divisum est in quatuor ordines, qui Chori nuncupantur, quorum primus est septem presbyterorum præbendatorum; Secundus octo presbyterorum non præbendatorum; Tertius septem Diaconorum; Et quartus octo subdiaconorum; Dictique ordines inter se distincti sunt, ut Canonici unius ordinis non transeant ad alium, itaut quamvis antiquissimi non occupent nisi primum locum sui ordinis respective; Cum autem Franciscus Brunus ejusdem Ecclesiæ Canonicus, ex ejus bonis erexisset quatuor cappellanias pro quatuor cappellanis ad nutum amovibilibus, eligendis singulis annis a Capitulo de tempore quo officialium Capitularium electio fieri solet, & qui esse deberent sacerdotes, & canonici ex dictis quatuor choris, seu ordinibus per girum, unus scilicet pro quolibet.

Hinc sequuta morte Fundatoris, capitulum in primo anno elegit ad has cappellanias quatuor Canonicos antiquiores, quemlibet scilicet antiquiorem sui ordinis, seu chori, ita servando in annis subsequentibus ordinem successivum antianitatis usque ad ultimum; Contingente autem hoc medio tempore morte unius canonici præbendati, ac unius canonici diaconi, quorum uterque utpote ex antiquioribus dictis cappellaniis potitus fuerat, cum de istis Canonicatibus provisi essent Angelus Sciarra, & Angelus Fassanus, atque Capitulum de anno 1654. tamquam expleto jam turno, novum incipiendo, dictas cappellanias duobus istorum ordinum Canonicis antiquioribus contulisset, præfati novissime provisi, prætendentes dici non posse turnum expletum, nisi etiam ipsi eisdem cappellaniis potirentur, nemine citato obtinuerunt a Sacr. Congregatione Concilii rescriptum *provisos de cappellaniis participare debere de emolumentis a die admissionis*, cujus rescripti vigore prætendebant cappellanias eis debitas esse, ac propterea provisos coram Ordinario molestabant; Quare adita per Capitulum eadem Sacr. Congreg. pro declaratione,

Scribens Ego pro Capitulo, cum sensu etiam veritatis, dicebam, improbabilem esse dictorum Canonicorum prætensionem, quoniam attenta dispositione fundatoris, tam in littera, quam in sensu Capitulum adstrictum non est ad hujusmodi turnarium ordinem servandum cum singulis dictorum ordinum Canonicis, cum ejus necessitas restricta esset ad ipsos ordines, seu choros, ac æqualitatem inter eos servandam, ut nempe ex singulis quatuor ordinibus unus eligi deberet, intacta remanente libertate inter singulas ejusdem respective generis personas gratificandi, dum fundator usus est verbo *eligere*, quod ex sui natura, & proprietate cadit inter plures eligibiles, itaut sit verificabilis libertas magis unum quam alterum eligendi, quæ est essentia, & principale requisitum electionis, cujus terminus non 2
cadit in una persona, adeout non leviter dubitatum fuerit, an possint electores se coarctare ad duos tantum, ex plene, ac magistraliter deductis in celebri Toletana Canonicatus pœnitentiarii coram Otthobono inter suas *decis.* 29. & 37. & in eadem coram Cerro, *decis.* 210. & 279. *part.* 9. *recent. ubi concordantes.*

Quod etiam probari observabam ex duplici demonstratione; Primo, quia testator voluit eligi Canonicos, qui essent etiam sacerdotes, ergo noluit servari ordinem, seu turnum necessarium in singulis, inter quos plures esse possunt non sacerdotes, præsertim in ordine Diaconorum, & subdiaconorum, ac etiam in utroque presbyterorum, inter quos possunt esse provisi, cum obligatione assumendi ordinem infra annum, sive per indultum ad id dispen- 3
sati; Et secundo clarius, quia frustratorium fuisset committere toti Capitulo electionem singulis annis, præscribendo etiam certam diem, in qua aliorum officialium electio fieri solet, ita enim hic actus esset superfluus, dum juxta antiquitatis ordinem, tamquam per speciem optionis, quilibet singulo quoque anno ex vocatione fundatoris absque alia electione subintrare deberet; Et quamvis veri, ac rigorosi termini electionis intrent, ubi agitur de illa facienda ad Prælaturam, non autem in hujusmodi officiis, vel beneficiis *ad notat. in cap. quia propter, de election.* 4
cum concordant. in dicta Toletana Canonicatus pœnitentiarii coram Otthobono, & Cerro, & habetur infra ad materiam actuum Capitularium, ac electionis; Attamen, dum fundator adhibuit hunc terminum electionis, ille fa-

tis

tis attendendus est, non ex dispositione juris, sed ex voluntate fundatoris, atque pro ista interpretanda.

Neque alicujus momenti videbatur illud verbum *per giro*, quod idem est, ac *per turnum*, quoniam illud adjectum non est personis, sed ordinibus, seu choris; ut clare idem fundator explicavit cum dictione *cioè*, quod
5 idem importat, ac *idest*, seu *videlicet*, quæ est declarativa, ex late deductis per Barbos. *diction.* 423. *num.* 1. *& diction.* 145. *num.* 4. Bellon. jun. *cons.* 56. *num.* 4 *& seqq.* Gregor. *decis.* 286. *n.* 9. *decis.* 62. *n.* 12. *part.* 15.
6 *recent.* ita explicando, ut Unus esset præbendatus, Alter non præbendatus, Alter Diaconus, & Alter Subdiaconus, itaut omnes ordines honorarentur, non tamen sublata Capitulo libertate inter eos præeligendi, cum sufficiat non egredi genus, juxta terminos text. *in l. unum ex familia, ff. de legatis secundo*, cum ibi communiter notatis, ut habetur pluries *sub tit. de fideicommiss.* præsertim in Romana hæreditatis de Spatis *disc.* 57.

Constituebatur magnum fundamentum in observantia tamquam interprete; Verum id videbatur leve fundamentum, quoniam interpretatio cadit in ambiguis, ac omnino dubiis, secus autem in claris, quibus non cadit terminus interpretationis, ideoque tali casu ob-
7 servantia non dicitur interpretativa, sed præscriptiva, indigens requisitis necessariis ad formalem præscriptionem, juxta receptissimam distinctionem, de qua *decis.* 219. *part.* 6. *recent.* Barbos. *in leg. quæ dotis*, *n.* 41. *ff. solut. matrim. ac passim*, cum sit propositio quotidiana cum hac distinctione practicata, & de qua supra, *sub tit. de Benefic. in Romana quindenniorum*, *disc.* 89. & alibi sæpius; Potissime quia magis verisimili testatoris voluntati ita consultum remanebat, ut scilicet a toto Capitolo eligerentur qui magis digni, vel indigentes hoc subsidio reputarentur.

Verum ubi etiam girus, seu turnus in singulis personis de singulis ordinibus esset servandus, adhuc tamen dicebam injustam esse dictam prætensionem, quoniam turnus fruitionis cappellaniæ jam consumptus erat
8 in ipsis Canonicatibus, qui propterea ex mutatione possessoris non debebant in eodem turno bis, vel pluries & sic inæqualiter cum aliis admitti; Adinstar turni existentis inter Episcopum, & Capitulum, quoniam si Episcopus confert in suo turno, iste dicitur consumptus, & non ex eo, quod per Episcopi cessum, vel decessum, alter in Episcopatu succedat, denuo collationem prætendere potest; Ista pariter in eo turno, qui servatur inter plures compatronos ratione officii, & castri, vel majoratus, quibus jus patronatus, ac præsentandi annexum sie, quoniam sufficit ipsius majoratum, vel feudum explicasse suum turnum, non curata variatione possessoris, cum similibus, dum successor in hac parte repræsentare videtur eamdem personam prædecessoria jam admissi, ut in sua materia *sub titul. de jurepatron.* ac etiam de ista materia turni habetur *sub tit. de regularibus*.

Ponderando etiam plura inconvenientia alias resultantia, unum præsertim interversionis ordinis annorum, faciendo istorum girum ad normam numeri fixi in quolibet choro existentis; Et demum quia dari posset casus, ut aliquibus Canonicatibus pluries vacantibus, semper successive juniores, noviterque provisi eligendi essent, absque eo, quod seniores ad novam fruitionem admitti possent, atque, ut dictum est, facultas eligendi data Capitulo cum lege illam faciendi occasione aliarum electionum, quæ singulis annis fiunt de Capituli officialibus, esset fatua, & de vento; Et juxta præmissa credo fuisse resolutum, eum tam rationi justitiæ, quam illa congruentiæ, ac verisimilis testatoris voluntas, ita exigere viderentur, firma remanente necessitate se restringendi inter turnos, seu ordines.

Putabam, primum rescriptum nemine opponente editum fundatum esse in præsupposito, quod hujusmodi cappellaniæ essent inseparabiliter annexæ canonicatui, quo
9 casu recte dictum fuisset, noviter provisos a die admissionis debere de cappellaniarum emolumentis participare tamquam de fructibus canonicatus, sed fallacia recurrentium consistebat in applicatione, dum istud est emolumentum accidentale, ac separabile, quod non computatur in fructum canonicatus, juxta distinctionem, quæ circa dumos canoninicales, vel predia, & præbendas temporales habetur apud Adden. ad Gregor. *disc.* 378. Cavaler. *disc.* 116. in Romana pensionis, 29. Januarii 1646. Cerro, & supra, *sub tit. de benefic.* ad materiam valoris *disc.* 90. *sub tit. de pension. disc.* 6. *&* 15. & in aliis, ac in specie cappellaniæ, quam habeat Rector Ecclesiæ *decis.* 75. *part.* 8. *rec. d. decis.* 90. *sub tit. de benefic.*

ANNOT. AD DISC. II.

De materia electionis, & signanter, quando turnus dicatur consummatus, habetur *sub tit. de jurepatron. disc.* 41. *& sub tit. de Regul. disc.* 3. 6. *&* 10.

MEDIOLANEN. ASSISTENTIÆ,

PRO CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ SANCTI LAURENTII MAJORIS, CUM ARCHIPRESBYTERO.

Responsum pro veritate.

An Canonici præstare debeant assistentiam Dignitati celebranti, vel etiam alteri Canonico, quomodo & quando.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Canonico celebranti debent assistere alii Canonici.*
3 *In materia cæremoniarum satis defertur consuetudini.*
4 *Nisi consuetudo sit contra cæremoniale ultimum ob decretum irritans.*
5 *De consuetudine, ut Canonicus assistat Canonico.*
6 *Cæremoniale non tollit statuta.*
7 *An actus assistentiæ dici possit facultativus.*
8 *Si variæ sint consuetudines, quænam debeat prævalere.*
9 *Consideratur aliqua ratio particularis in secunda Dignitate.*
10 *Datur cautela, quæ præservet a præjudicio.*
11 *De primariis functionibus primæ Dignitatis, & de aliis præeminentiis Dignitatum, & Capituli remissive.*

DISC. III.

In Ecclesia Collegiata S. Laurentii Majoris Mediolani, cujus principalis Dignitas est Præpositura, 1
aliquam etiam jurisdictionem, ac prælaturæ speciem habens, adest secunda Dignitas Archipresbyteralis, atque observantia dedit, quod solis Præposito, & Archipresbytero celebrantibus, duo Canonici assistentiam in munere diaconi, & subdiaconi facerent, Decano autem & Canonicis in eodem munere assisterent beneficiati, seu Cappellani.

Cum autem Decanus, & Canonici incongruam reputarent hujusmodi Archipresbyteri prærogativam, utpote soli Præposito tamquam Prælato debitam, quodque inter alios de collegio æqualis deberet esse conditio; Hinc desuper pro veritate consultus,

Respondi, Archipresbytero probabilitatem assistere ex regula, quod celebranti assistere debent alii ejusdem ordinis, vel collegii, ut pluies resolutum fuisse per Sacr.
Congregationem de more collegit Barbos. *in summa Apo-* 2
stolica decisionum, verbo *Canonici collect.* 42. *num.* 4. *& in tract. de Canonicis*, *cap.* 34. *num.* 2. *&* 3. cum quibus declarationibus tamquam in re plana pertransit Rota in his terminis in Majoricen. celebrationis Missarum 28. Junii 1652. & 4. Januarii 1653. coram Bichio, quarum prima est impressa, *decis.* 186. *part.* 11. *recent.* ibidem ex errore repetita, *decis.* 380.

Fortius autem accedente observantia, quæ in hujusmodi cæremoniarum, ac præeminentiarum materia satis attendenda est, atque totum facit, ut cæteris rela- 3
tis admittitur tamquam certum in proxime allegando Mediolanen. substentationis libri, & habetur pluries *sub tit. de præeminentiis*; Quoties tamen expresse non adversetur cæremoniali moderno confirmato per Clem. VIII. quo casu, ob decretum irritans contentum in Bulla confirmationis, quod inficit quamcumque contrariam pos-
sessionem, tollitur consuetudo, seu verius impeditur, ne 4
oriatur, ut ultra generalia, de quibus in Cæsenaten. seu Sarsanaten. Laudemiorum coram Ghislerio, & Albergato *decis.* 400. *part.* 9. *& decis.* 599. *part.* 12. *recent.* In his specialibus terminis assistentiæ, vel obsequii præstandi

per

per unum Canonicum alteri, habetur in Mediolanen.
5 substentationis libri coram Ghislerio, *disc*.102. *part*. 10.
recent. & in eadem 30. Maji 1650. Dunozetto inter
6 suas *decis*. 885. quæ videntur magistrales in materia cœ-
remonialis, atque firmatur, quod cœremoniale non
tollit statuta scripta, ac laudabiliter ordinata.

Hinc dicebam currere motivum, in quo ex parte
Decani, & Canonicorum totum fundamentum consti-
tuebatur, quod scilicet hujusmodi observantia tamquam
facultativa non causaret præscriptionem, neque obliga-
ret in futurum invitos, quoniam stante dicta juris di-
7 spositione, ac etiam longo temporis intervallo, & a-
ctuum frequentia, excluditur facultas, atque actus, neces-
sitati potius, quam voluntati tribuendus est, ut in spe-
cie huic objecto plene respondetur in allegatis *decis.*
Majoricen. coram Bichio.

Magnum fundamentum quoque constituebatur in præ-
fata consuetudine respectu Decani, & Canonicorum,
8 quodque propterea prævalere deberet consuetudo magis
generalis, sed pariter dixi id nullam habere subsisten-
tiam. Tum quia Archipresbyter habens intentionem fun-
datam in dispositione juris, seu cœremonialis, dicere
possit illud potius esse abusum, & corruptelam, ideo-
que nulla juris ratione dicendum est, ut potius prava,
quam consuetudo servari debeat, ac tollere jus tertii,
qui titulum, ac possessionem habet; Tum etiam quia
ex iis, quæ habentur in specialibus terminis actuum
capitularium in Majoricen. Canonicatus *sub titul. de be-*
nefic. disc. 30. ac decisionibus in ea causa editis, *decis.*
278. & 304. *part*. 12. *recent.* ubi concordantes; In his
specialibus terminis consuetudinis in Capitulo, seu
actibus capitularibus, & canonicalibus, consuetudinis
natura est, ut attendi debeat in solo individuo, non
9 extendenda de casu ad casum, vel de persona ad per-
sonam, seu de loco ad locum; Potissime vero in
hac facti specie, quod cum Archipresbyter esset secun-
da Dignitas, cui frequentius, absente, vel impedito
Præposito, incumbit explicare primarias functiones,
hinc proinde non improbabiliter in aliquo differre de-
bet a reliquis Canonicis.

Et propterea, quando tam Præpositus, quam Canoni-
ci hujusmodi prærogativam in hac dignitate ægre fer-
rent, timentes forte, ne ita lapsu temporis Archipres-
byter prætendere posset se esse Dignitatem coæqualem
10 cum Præposito, ac supra Canonicos, ut ex parte Ca-
pituli insinuabatur; Dicebam alio modo melius con-
sultum non videri, nisi introducendo contrariam obser-
vantiam, juris dispositioni ut supra conformem, quod
scilicet, tam Decano, quam reliquis Canonicis eadem
assistentia æqualiter præstaretur; Licet enim id Præpo-
siti prærogativæ quodammodo præjudicare videretur,
attamen non videbatur præjudicium considerabile, dum
etiam Episcopo celebranti assistunt iidem Canonici,
qui concanonico quoque ex jure assistentiam faciunt,
ideoque ex duobus præjudiciis minus considerabile vi-
debatur istud, quam alterum continuandi in retroacta
observantia, per quam Archipresbyter ita potiendo di-
cta singulari prærogativa supra Decanum, & Canonicos
ad instar Præpositi, aliquam æqualitatem cum isto suc-
cessive prætendere posset; incertum est autem quid
sequutum sit.

De præeminentia vero faciendi primarias functiones
11 pontificales absente, vel impedito Episcopo, an spectent
ad primam Dignitatem, vel ad eum, qui deputaretur
a Capitulo, & de præcedentia inter ipsas Dignitates,
præsertim inter Archidiaconum, & Archipresbyterum
cum similibus, habetur actuum in Parmen. in Majori-
cen. & in aliis, *sub tit. de præeminentiis*, *disc*. 19. &
20. & *infra*, *disc*. 30.

ANNOT. AD DISC. III. & IV.

DE iis quæ principaliter discussa fuerunt in his duo-
bus discursibus nulla postmodum suppetiit occasio
disputandi; Circa autem ea quæ concernunt Cæremo-
niale, videri poterunt deducta *sub titul. de Præbend.*
disc. 44. & *sub tit. de jurisd. disc*. 31.

BITECTEN. ARCHIPRESBYTERATUS, PRO TIBERIO SPERAINDEO, CUM JOANNE BAPTISTA DE JANNINIS.

Casus decisus per Rotam pro Joanne Baptista.

Dignitates an, & quando sint de Capitulo; Et an possessio Dignitatis, vel Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata, capi debeat capitulariter, necne.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Possessio anterior etiam per horam est manutenibilis.*
4 *Possessio Canonicatus, vel Dignitatis in Cathedrali, vel Collegiata debet capi a capitularibus.*
5 *Dignitates non sunt de Capitulo.*
6 *Fallit de consuetudine.*
7 *Ex consuetudine potest capi possessio beneficii capitularis etiam non capitulariter.*
8 *Quando hæc nullitas possessionis non captæ capitulariter sit considerabilis.*
9 *Impetrans certo modo non potest capere possessionem non citato proviso.*

D I S C. IV.

SEquuta resignatione Archipresbyteratus secundæ Di- 1
gnitatis Cathedralis Bitecten. per Jo: Baptistam Jan-
ninum seniorem ad favorem alterius Joannis Baptistæ ex
fratre nepotis, atque signata supplicatione, Tiberius
Speraindeus eundem Archipresbyteratum impetravit tam-
quam vacantem ex Constit. Gregor. XIII ob non fa-
ctam publicationem infra sex menses, & de qua Con-
stit. habetur *sub tit. de benefic.* expeditisque litteris,
curavit apprehendere possessionem, in qua tamen per
horam a dicto Joanne Baptista resignatario præventus
fuit; Atque introducta causa in Rota coram Meltio,
datoque dubio in possessorio retinendæ, cui scilicet dan-
dum esset mandatum de manutenendo, sub die 4. Julii
1646. ad favorem Joannis Baptistæ prodiit resolutio ex
motivo anterioris possessionis, quæ in hoc judicio at-
tenditur, etiamsi esset per horam, vel brevius inter-
vallum, & ex iis quæ ad satietatem collecta habentur
per Posth. *hoc tract. de manut. observ*. 71. cum aliis
in hujus causæ decisione, & passim, cum sit princi-
pium satis vulgare.

Scribens ego pro Tiberio circa initia Curiæ, dum ad- 2
huc determinatus non essem, an huic laborioso Advoca-
tionis muneri me addicere deberem, potissimum funda- 3
mentum constituebam in dictæ anterioris possessionis
infectione, cum capta non esset capitulariter, ut requi-
ritur in Beneficiis collegialibus, juxta traditionem Inno-
centii, Butrii, Joannis Andreæ, & aliorum *in cap. cum*
litteris, de restitut. spoliatorum, Cassador. *dec*. 8. *de caus.*
possess. & propriet. Gregor. & Adden. *decis*. 364. Buratt.
decis. 318 *n*. 11. ubi late Adden. *n*. 17. Rot in Trid. 4
Canonicatus 17. Maji 1645. Cerro frequenter.

Replicabant scribentes in contrarium (& bene) atque
replicationem Rota admisit, dictam conclusionem recte 5
procedere in Canonicatibus, non autem in Dignitatibus,
quoniam istæ regulariter non sunt de Capitulo constituto
per solos Canonicos, juxta doctrinam Compost. Ilan. *in c.*
4. *de elect*. ubi testatur de observantia Romanæ Curiæ sub-
stinentis hanc opinionem, & sæpius firmavit Rot. *præser-*
tim dec. 708. *part*. 2. rec. & *dec*. 33. apud Martin. Andr.
utrobique n. 3. ac in aliis in hujus causæ decisione relatis.

Et licet, ut in eadem decisione admittitur, recepta et- 6
iam sit limitatio, ubi accedat consuetudo, quæ in hac
facti specie in effectu vigebat, cum fere per totam Ita-
liam, præsertim vero in illis partibus Dignitates sint et-
iam de Capitulo, nedum votum in ea habentes, sed et-
iam in plerisque Ecclesiis cum aliqua prærogativa,
quoniam ipsi in actionibus capitularibus, negotia, vel
personas eligendas proponere solent. Attamen id proba-
tum non erat, unde propterea nil suffragabatur, potis-
sime in hoc summariissimo judicio possessorio.

Major autem difficultas contra Tiberium resultabat ex
eo, quod sua possessio pariter non erat Capitularis, unde
propterea licitum non erat opponere illius defectum, quo 7
etiam actus proprius laborabat, cum exinde, si non suffi-
ciens probatio, saltem vehemens adminiculum resultaret
contrariæ consuetudinis, quod scilicet hujusmodi possessio-
nes

nes etiam non capitulariter apprehenderentur, & quæ consuetudo, ubi viget, attendenda est, Ferrer. *cons. ult. in fin. lib.* 2. Addeo. ad Gregor. *d. dec.* 364. Seraph. *dec.* 1044.

Potissime quia hujusmodi nullitas satis considerabilis esse solet, quando objicitur per ipsum Capitulum, quod
8 ex ista causa denegaret proviso fructus, aliosque actus possessorios, cum eidem Capitulo principaliter intersit, noviter provisum ab eodem, capitulariter, ac non alias admitti; Tum ad effectum inspiciendi, an in eo concurrant qualitates ad formam Statutorum, vel privilegiorum necessariæ in admittendis, & super quibus qualitatibus, seu requisitis frequentes habentur controversiæ in Hispania, frequentiores vero in Germania; Tum etiam ob juramentum per noviter admissos præstandum de servandis Statutis, & Constitutionibus Capitularibus, seu juxta Ecclesiarum consuetudinem ob solutionem aliquorum emolumentorum sacristiæ; Secus vero ubi id objicitur per tertium, in quo nulla ex dictis rationibus vigeat, & quia, ut dictum est, eumdem stylum in ejus possessione adipiscenda servavit.

Ac etiam quia cum ageretur de impetratione certo modo, non poterat apprehendi possessio de facto, non citato priori proviso, quamvis non possidente, juxta ea quæ habentur pluries *sub tit. de benefic.* & presertim in Melphiten. Cantoriæ, *disc.* 55. Cumque agnoscerem, quod etiam in bono jure non levis supererat dubitandi occasio, idcirco consului Tiberio, ut acquiesceret, ut sequutum fuit.

LAURETANA CANONICATUS, PRO CAPITULO LAURETANO, ET DOMINICO MACCHIATO, CUM ANGELO BERTANTIO.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ, & in Rota sine resolutione, postea concordatus.

De ætate requisita in Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis, quibus expresse nullus ordo sit annexus, & an ætas præscripta per Sac. Conc. Trid. requiratur in illis canonicatibus, qui sint de jurepatronatus laicorum, atque dispensatio ætatis ad suscipiendum sacros ordines, an suffragetur ad canonicatum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In canonicatibus Cathedralis, etiamsi non sit annexus ordo requiritur ætas ad primum ordinem sacrum idonea.*
3 *Ubi ordo est annexus, ille est necessarius.*
4 *Dispensatio ad unum effectum non suffragatur ad alios effectus.*
5 *Præsertim in Papa dispensationes non extenduntur.*
6 *De differentia dispensationis super ætate ad ordines, & ad canonicatus in Cathedrali.*
7 *Quod ætas requiratur etiam in canonicatibus de jurepatronatus laicorum.*

D I S C. V.

Angelo Bertantio ad præsentationem Protectoris Almæ Domus Lauretanæ proviso per Sedem Apo-
1 stolicam de canonicatu illius Cathedralis Capitulum denegavit pacificam possessionem, ac participationem fructuum, & distributionum, ob invaliditatem suæ provisionis resultantem a defectu legitimæ ætatis, dum præsupponebatur de tempore provisionis eum constitutum esse in ætate 19. annorum, atque reportata per Capitulum sententia favorabili ab Ordinario, introducta per Appellationem causa coram A. C. hic, suspenso petitorio, manutentionem in summario retinendæ possessorio concessit Angelo, unde propterea ex parte Capituli adita fuit signatura justitiæ, quæ varie rescripsit de appellatione in Rota; prima enim vice rescripsit ad utrumque simpliciter; Secunda vice, recedendo a decisis, cum clausula *sine præjudicio*; Et tertia vice, recedendo a secundo, stetit in primo loco decisis, unde Macchiatus de eodem canonicatu ex dictis, & aliis nullitatibus ab eadem Sede provisus, præsentavit litteras in eadem Rota coram Celso, datoque dubio, an litteræ essent exequendæ, processum non fuit ad disputationem, eo quia concordia litem terminavit.

In disputationibus autem habitis in Signatura, ac etiam
2 in illa quæ præparata fuit in Rota, totus punctus erat super dicto defectu ætatis, licet disputatione habenda in Rota, actum etiam esset de pertinentia patronali juxta deducta in sua materia *sub tit. de jurepatr.* Quatenus ergo ad hunc ætatis punctum pertinet, Dicebam scribens, tam pro Capitulo quam respective pro Macchiato secundo proviso Apostolico, quod cum agatur de canonicatibus Cathedralis, quamvis etiam admitteretur nullum ordinem eis expresse annexum esse, adhuc tamen verius, receptum est quod ex dispositione Sacr. Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. necessaria ad minus est ætas habilis ad subdiaconatum suscipiendum infra annum ex pluribus declarationibus S. Congregationis ejusdem Concilii interpretum, ut firmant Azor. *instit. moral. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. Garz. *Benefic. part.* 7. *cap.* 4. *n.* 20. *cum seqq.* Lotter. *lib.* 2. *q.* 47. *n.* 83. Barbos. *ad idem Conc. ubi supra, n.* 58. *& de Canonicis, c.* 13. *n.* 9. *&* 10. & cæteri communiter, ac firmavit Rota in Monasterien. Canonicatus 2. Junii 1648. coram Ghislerio, *dec.* 205. *part.* 10. *rec.* ubi bene declaratur, quod qui contrarium dicunt intelligendi sunt de stylo particulari Germaniæ; secus autem alibi, præsertim vero in Italia, ubi id est receptissimum, ut etiam habetur *sub tit. de Benefic. disc.* 95. ubi de materia ætatis in genere.

Et quamvis aliqui dixerint istam Conciliarem dispositionem procedere in illis Cathedralibus, in quibus, per Episcopum juxta idem Conciliare decretum annexi fuerint ordines sacri, attamen est æquivocum, quoniam illa duas continet partes, unam annexionis ordinis sacri omnibus Canonicatibus Cathedralium in genere, ad quem effectum sufficit ætas habilis ad obtinendum subdiaconatum, alteram vero annexionis, seu distributionis ordinum, atque in isto casu non sufficit talis ætas, sed omnino requiritur illa, quæ necessaria est ad illum ordinem infra annum assequendum, ut litteraliter probat idem Concilium ubi supra, dum præcipit Canonicos per se, non autem per substitutos divina obire debere, & sic pernecesse requiritur habilitas ad illum ordinem, quem exercere debent, ut advertitur Campanil. 3
divers. juris Canonici, rubr. 7. *cap.* 7. *n.* 26. Garz. *part.* 7. *c.* 4. *n.* 21. *cum seq.* bene Ventrigl. *in praxi fori Eccles. notabil.* 6. *de ætate in Benefic. requisita*, §. 1. *n.* 15. & supra *sub tit. de Benefic. disc.* 95.

Unde propterea clarius resultabat infectio hujus provisionis, dum non solum concurrebat defectus generalis juxta primam partem decreti conciliaris circa ætatem necessariam ad obtinendum subdiaconatum, verum etiam in secunda, dum in facto supponebatur ex Constitutionibus Synodalibus, sive hujus Ecclesiæ particulari instituto caveri omnes Canonicos debere esse sacerdotes, itaut ordo presbyteralis omnibus annexus esset, idque summa ratione ob magnum peregrinorum concursum ad illam almam Domum; ubi necessaria est copia sacerdotum pro missis tam solemnibus, quam privatis assidue celebrandis, quod institutum non adversatur Concilio *loc. cit.* ex eo quod continetur ordinem presbyteralem annexum esse medietati canonicatuum, quoniam ita disponitur, ut ad minus Canonici in eo ordine constituti sint, desiderat tamen, ut quo major numerus fieri potest, etiamsi omnes eumdem ordinem habeant ex ea clara ratione, de qua in Januen. Primiceriatus *disc.* 1. quod scilicet constituti in ordine presbyterali possint etiam explere munus diaconale, vel subdiaconale, non autem e converso; unde propterea sic resultat majus Ecclesiæ servitium.

Atque ex hac circumstantia magis de plano resultare videbatur non suffragari dispensationem, quam idem provisus obtinuerat super ætate 13. mensium deficiente ad suscipiendum ordinem subdiaconatus, quoniam si requirebatur presbyteratus, nullus exinde effectus proficuus resultabat. Verum ubi etiam ista particulari circumstantia cessante essemus in casu regulæ generalis, quod scilicet sola habilitas ad subdiaconatum sufficeret, dicebam non inde sufficere dictam dispensationem; quæ obtenta ad unum actum, seu finem non suffragatur quoad alios, nisi ad eos, qui veniunt in consequentiam primi, super quo dispensatum fuit, ut puta disponunt Ecclesiæ statuta, ut Canonicus non habens certam ætatem non possit obtinere Canonicatum, & participare de fructibus, si Papa dispensat super ætate ad effectum obtinendi 4
Canonicatum, ista dispensatio suffragatur etiam adversus Statutum circa fructuum participationem, quoniam est casus consequutivus juxta *dec.* Terulana Statutorum 11. Aprilis 1644. cor. Carillo, quæ non est inter suas impressa cum similibus, secus autem ubi est super diversis.

Præterea quidquid sit in aliis Principibus, & quando dispensando super impedimento ad unum effectum dispensatum

satum censeatur super eodem ad alios, quod neque dici potest sine scientia, sine qua non datur voluntas, quæ non trahitur ad ignorata juxta Glos. *in cap. Statutum de rescript. in 6. cum concord.* per Gomez. *ad reg. de jure tertio quæsito non tollend. n.* 4. & per Greg. *dec.* 109. *n.* 8. *cum seq.* Attamen in Papa hujusmodi tacitæ, ac illativæ dispensationes non dantur propter obstantiam *Regulæ* 51. *Cancell.* ex deductis per Gonzal. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *n.* 29. Adden. ad Gregor. *d. dec.* 109. *n.* 13. præsertim vero attenta subjecta materia ob stylum Cancellariæ, ex quo voluntas Papæ regulatur, quoniam dispensationes super ætate quoties non est ultra 13. menses, ad ordines dantur passim cuicumque petenti per Secretariam Brevium cum modica impensa quatuor ducatorum de Camera, illæ vero ad obtinendos Canonicatus in Cathedrali dantur per viam Datariæ cum magna difficultate, & ex gratia speciali, pro qua solvitur componenda, seu fit alia nobilis impensa, illa præsertim novæ provisionis Canonicatus, quando iste ab inferiori collatore datus esset, & sic absque dubio ab una dispensatione ad alteram inferri non potest.

Objiciebatur controversum Canonicatum esse de jurepatronatus ex fundatione, & donatione facta per laicum, 6 unde propterea intrare non debebat dicta Conciliaris dispositio, seu particulare Statutum Ecclesiæ, stante quod in eorundem Canonicatuum erectione Apostolica auctoritate sequuta, dicebatur illos conferendos esse alicui presbytero, seu clerico, unde propterea inferebatur etiam clericum in minoribus esse capacem, ex conclusione in materia jurispatronatus recepta, quod in limine fundationis, Superiore approbante, adjici possunt leges & conditiones juri contrariæ, ac effici capaces illi qui alias incapaces essent; Verum istud quoque motivum currere videbatur, quoniam receptum est dictam Conciliarem dispositionem regulariter in quibuscumque bene-
7 ficiis indefinite locum habere etiamsi de jurepatronatus laicorum, Vivian. *lib. 6. cap. 6. n.* 7. Garz. *p.* 6. *cap.* 4. *n.* 85. Campanil. *div. jur. rubr.* 7. *cap.* 6. *n.* 6. Barbos. *de Episc. alleg.* 60. *n.* 70. Duran. *dec.* 228. & habetur *disc.* 95 *supra tit. de Benef.* ac etiam habetur non semel in sua materia *sub tit. de jurepatr.* quod in hac facti specie declaravit etiam Papa in quo juris ignorantia non datur, dum contulit istum Canonicatum huic secundo proviso tamquam vacantem ex dicto capite invalidæ provisionis in persona non habente congruam ætatem; Conclusio autem prædicta de lege fundationis cessabat ex defectu applicationis ad factum; Nil obstante quod in fundatione diceretur hujusmodi Canonicatus presbyteris; vel clericis conferri posse, quoniam id suffragatur ad effectum, ut in actu collationis non requiratur pernecesse qualitas sacerdotalis, itaut sufficiat clericatus in minoribus, sed cum terminis habilibus, & compatibiliter cum dicta conciliari dispositione pro hujus derogatione ad hunc effectum, quoties agitur de patronatibus erectis post Concilium requiritur mentio specialis, ut apud Duran. *d. dec.* 228. & habetur *in d. disc. 95. de Benef.* Non habuit autem causa ulteriorem prosecutionem ob obicquutam concordiam, quam egomet pro secundo proviso contuli ob occasionem obtinendi aliam pacificam provisionem, & quia non expedit hujusmodi lites beneficiales ex impetrationibus quodammodo piscatoriis ac odiosis sustinere, unde non omnino certum judicium desuper efformari potuit, dum ob causam non disputatam in Rota, incertum est quid in contrarium deduci posset.

ANNOT. AD DISC. V.

De ætate requisita in Canonicatibus, aliisque Beneficiis, ultra ea quæ habentur in enunciato *disc. 95. de benef.* videri poterunt Adnot. ad Sac. Conc. Trid. *disc.* 24.

COLLEN. DISTRIBUTIONUM, PRO CANONICIS ANTIQUIORIBUS, CUM CANONICIS JUNIORIBUS, SEU MODERNIS ECCLESIÆ COLLEN.

Casus varie resolutus per Sacr. Congr. Concilii.

Novi Canonicatus ultra consuetum numerum, an, & quando in Cathedrali, vel Collegiata per ordinarium erigi valeant, & quomodo talis erectio facienda sit.

Et an Canonici novi, vel supranumerarii gaudeant voce in Capitulo, aliisque juribus, & emolumentis canonicalibus, sicuti antiquiores.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti controversi.*
3 *In Ecclesia non numerata possunt per Ordinarium erigi novi Canonicatus, & Dignitates.*
4 *Idem in Ecclesia numerata per ipsum Ordinarium: secus si per Papam, & num. 8.*
5 *An per mutationem Ecclesiæ de uno statu in alium inducatur omnimoda immutatio.*
6 *Quomodo fiat erectio Cathedralium.*
7 *Quid requiratur, ut dici valeat Papam voluisse erigere novos Canonicatus.*
8 *Etiam in Ecclesia numerata per Papam fieri potest erectio nova ob novos redditus.*
9 *De alio casu Canonicatus noviter erecti.*
10 *Coadjutor non est verus Canonicus.*
11 *De nova erectione Canonicatus approbata non obstante numero præfinito.*
12 *Votum in capitulo est prærogativa annexa Canonicatui.*
13 *Canonici noviter erecti non participant de antiqua massa, quando secus.*
14 *Quid de distributionibus minutis anniversariorum, & funerum.*
15 *Quibus accrescant fructus, vel distributiones absentium, vel vacantium noviter erectorum.*

DISC. VI.

Ecclesiam alias parochialem, seu plebaniam Collensem, Leo X. erexit in Collegiatam, cum tribus 1 dignitatibus, nempe Archipresbyteratu, quæ esset principalis, Decanatu, & Archidiaconatu, & 12. Canonicatibus, & Clemens VIII. sub eodem numero, ac ordine Dignitatum, & Canonicorum eam erexit in Cathedralem, ut liquet ex bulla erectionis registrata *in 3. tom. Italiæ Sacræ sub Archiepiscopatu Florentino fol.* 265. De anno autem 1659. ex conventione, vel respective ultima voluntate quorundam de Usimbardis, ordinaria auctoritate cum Capituli consensu, erecti, seu additi fuerunt sex alii Canonicatus dotati ex bonis præfatorum de Usimbardis (ideoque Usimbardi nuncupati) sub ea lege, quod loco fructuum, ac distributionum contenti esse deberent 100. stariis frumenti, ex fundatorum bonis obtinendis, dictaque erectione sequuta, ac successive provisione, inter hos novos Canonicos, ac antiquos, plures exortæ fuerunt controversiæ per Sanctissimum ad Sacr. Congregationem Concilii remissæ, præsertim vero, ultra alias in facto potius, quam in jure consistentes: Quoad ea quæ juris sunt, dubitatum fuit; Primo an isti novi canonici haberent vocem in Capitulo; Secundo an participare deberent de distributionibus massæ antiquæ Capitularis; Tertio quid de 2 distributionibus provenientibus a mortuariis ac funeralibus, & anniversariis, & similibus, sive ex novis piis dispositionibus adauctis, vel quas in futurum augeri contingeret; Et quarto an Canonici antiqui participare deberent ex beneficio juris accrescendi, de illis distributionibus, quas in dictis 100. stariis frumenti amitterent Canonici additi absentes, seu pro tempore vacationis.

Scribens pro Canonicis antiquis, prævidendo, quod admissa dictorum Canonicatuum valida erectione, in aliquibus succumbentia esset certa, credidi in primis assumendum esse punctum invaliditatis dictæ erectionis, seu superadditionis; In ea enim quæstione, an Canonico- 3 rum numerus augeri valeat, necne, distinctio est, quod aut agitur de Ecclesia non numerata, & tunc nihil prohibet novam superadditionem, quæ si pure fiat per Ordinarium cum consensu Capituli, tunc novi Canonici in nihilo differunt ab antiquis, sed omnibus præeminentiis, ac emolumentis gaudent, cum dicatur unum, & idem Capitulum, nisi sub aliquibus limitationibus, ac legibus nova erectio facta sit, quia tunc ista lex servanda, cum non possint noviter erecti plus prætendere, quam eis concessum est, sed intra limites suæ installationis debent se continere, juxta magistralem doctrinam Abbatis *in cap. cum M. Ferrariensis sub n. 29. de constitution.* Barbos. *de Canonicis, cap. 3. num.* 14. *&* 15. Fagnan. *in cap. dilectus in primo de præben. num.* 21. *&* 24. & admittitur in Pistorien. coram Verospio, & Buratto, *quarum prima est 720. part. 3. recent.* & secunda inter suas *dec.* 193. in quibus agitur de erectione Dignitatis factæ per Papam, quod

si ali-

si aliquam habere restrictionem illa servanda est; Et generaliter habemus in materia jurispatronatus, ut leges cum superioris consensu in limine erectionis adjectæ servari debeant, quamvis juri contrariæ, ut in sua materia *sub tit. de jurepatr.*

Aut vero agitur de Ecclesia numerata, & tunc si numerus est præfinitus per ipsummet Ordinarium, eidem denegata non videtur potestas illum augendi de consensu
4 Capituli; Aut præfinitus est per Papam, & tunc, scribens tamquam Advocatus, negabam potestatem, ex iis quæ post Abbatem *in cap. cum accessissent, de constitut.* habentur apud Barbos. *dicto c. 3. n. 3.* atque hunc dicebam esse casum nostrum, dum ex dicta Bulla erectionis in Collegiatam Leonis X. coustabat de præfinitione numeri Canonicorum, & Dignitatum; Positoque defectu potestatis, ac successive nullitate erectionis, absque ulteriori disputatione singulorum dubiorum resultabat decisio antiquioribus in omnibus favorabilis, quoniam isti dici non poteraot Canonici, & consequenter nullum jus canonicale, seu capitulare prætendere poterant.

Respondebatur per scribentes in contrarium, quod præfinitio numeri continebatur in Collegiata in prima erectione, qualis in Ecclesia amplius non erat, utpote erecta in Cathedralem, in cujus erectione, enunciatis tantum Canonicis, & Dignitatibus in ea existentibus, nulla leguntur verba certam præfinitionem numeri denotantia; Verum istud erat leve fundamentum, quoniam immutatio status Ecclesiæ per erectionem de Collegiata in Cathedralem, sive de Regulari in sæcularem
5 operatur circa incompatibilia, secus autem quoad compatibilia, cum tunc prior status potius approbatus, atque confirmatus in omnibus remaneat, Rota apud Seraph. *dec. 1444. n. 9. cum seq.* & admittitur in Vicen. jurisdictionis 2. Martii, & 15. Decembris 1650. Cerro *dec. 33. & 97. p. 9. & in aliis.*

Ea potissimum consideratione accedente, quod ad erectionem Ecclesiarum in Cathedralem non proceditur per
6 simplicem gratiam signatam in aula, Et per unicum actum juxta provisiones beneficiorum, aliasque gratias, sed prævsis precibus ab aliquo Principe Papæ porrectis negotium remittitur mature examinandum Congregatio. [Con]cistoriali, ubi singulæ circumstantiæ inspiciuntur, istæ præsertim numeri Dignitatum, & Canonicorum, & an congruam provisionem haberent, ut se substentare possent in eo meliori statu Capituli Cathedralis, deinque dictæ Congregationis voto negotium proponitur; ac perficitur erectio in Concistorio, ut patet ex deductis *sub tit. de præemin. disc. 5 & 6.* atque ita numerus alias præfinitus, absque dubio confirmatus remanet.

Altera erat responsio, quod isti novi Canonici haberent provisionem Apostolicam; Sed pariter responsio nullius momenti erat, quoniam id casu contigerat ob discordias patronorum in præsentando, seu ex alio casu dicta provisio prodierat tamquam de Canonicatibus legitime erectis, atque cum isto præsupposito, eoque retento in quibuscumque litteris provisionis, juxta consuetam formulam, dicitur, quod ille noviter provisus vocem in Capitulo, ac stallum in choro habere debeat, atque emolumentis, & juribus canonicalibus participare, cum præsupposito tamen, quod de his omnibus participaret prior possessor, in cujus locum nova provisio sequitur; Non tamen exinde inferri potest ad novam erectionem, seu approbationem erectionis ab alio factæ,
7 cum ad hunc effectum requiratur, quod Papa sciens numerum præfinitum, illi derogare voluerit, atque novos Canonicos augere, Fagnan. *in d. c. dilectus*, *n. 26.* Barbos. *de Canonicis*, *d. c. 3. n. 14.*

Solida vero erat responsio, quam Sacr. Congregatio admisit, tam in ista causa, quam in Eugubina, de qua infra, quod scilicet regula prædicta de non augendo numerum Apostolica auctoritate præfinitum, procedat novis redditibus non superventis, itaut superadditio in an-
8 tiquorum Canonicorum præjudicium tendat, quod etiam in illud cultus Ecclesiæ redundare solet; Secus autem ubi erectio fiat ex novis redditibus sub hac lege datis, itaut ratio prohibitiva omnino cesset, ut ex Abb. Butr. Imola, & aliis *dict. cap. cum M. Ferrariensis*, habetur apud Gratian. *discept. 819. n. 21* quoniam confirmatio, seu præfinitio Apostolica intelligitur, rebus in eo statu permanentibus, ideoque tacitam habet conditionem, nisi fructus excrescant, unde ex hac responsione motivum invaliditatis erectionis, quod ab initio causæ videbatur alicujus momenti, reflectendo ad veritatem, leve, ac minus tutum remanebat.

Majoris soliditatis, non obstante dicta limitatione, credebam istud motivum esse in Eugubina præcedentiæ disputatam in S. Congregatione Rituum inter Hyacinthum 9
Fabianum Canonicum coadjutorem, & tres Canonicos noviter erectos cum dote assignata per illum Episcopum; Cum enim posita valida erectione, non dubitaretur, quod isti tamquam veri Canonici præcedere deberent dictum Coadjutorem, quamvis antiquiorem, ex eo quod vivente coadjutore non dicitur verus Canonicus, qualis 10
efficitur post sequutam coadjuti mortem, ex quo tempore jus canoniæ assequitur, ut apud Martin. Andr. *dec. 102. dec. 456. p. 1. rec. dec. 259. n. 15. p. 9. rec. & in aliis.*

Pro eodem Coadjutore autem scribens, principaliter insistebam super hoc motivo invaliditatis dictæ erectionis in Ecclesia jam numerata, non obstante dicta limitatione, ex ea circumstantia, quod Innocentius X. ab ista Civitate originem trahens, Canonicis concessisset indultum 11
deferendi cappam, & rocchettum more Canonicorum Basilicæ Vaticanæ, ideoque dicebam superadditionem illorum, qui eadem prærogativa gaudere debent, faciendam non esse nisi auctoritate ejusdem Sedis Apostolicæ, ad effectum examinandi, an novi Canonici ita congrua dotentur, quod eis conveniat iste status honorificus; Verum hoc non obstante S. Congregatio Concilii, cui Dataria dubium decidendum remisit, erectionem validam declaravit, ex eo quod dictum Indultum Innocentii restrictum non esset ad solos Canonicos tunc existentes, sed expresse diceret pro illis, ac aliis in futurum canonice erigendis.

Posita valida erectione in ista causa Collen. Quatenus pertinet ad primum dubium vocis in Capitulo, affir- 12
mative resolutum fuit, ac resolutio mihi quamvis in contrarium scribenti, justa visa est, quoniam si erant Canonici legitime erecti, atque in erectione ista restrictio adjecta non erat, nil prohibebat eos gaudere dehere hujusmodi prærogativa, quæ canoniæ de sui natura annexa est, juxta dictas decisiones in Pistorien. Prioratus cnam Verospio, & Buratto, & est communis sensus Canonistarum *in dec. cum M. Ferrariensis*, solumque remanebat difficultas resultans ex quodam decreto, seu Statuto particulari, quod ex hac parte deducebatur, sed difficultas tollebatur ex facto.

Super secundo dubio distributionum ac participationis emolumentorum antiquæ massæ, processum fuit cum di- 13
stinctione tradita per Castren. *cons. 170. l. 1* reassumpta per Grat. *discept. 867. per. tot.* quod scilicet dum novis Canonicis proprii, ac particulares fructus assignati sunt, illis contenti esse debent, neque prætendere possunt participationem massæ antiquæ, ubi præsertim erectio, seu consensus erectioni præstitus a Capitulo non est purus, sed cum præservativa proprii præjudicii.

Et e converso juste mihi videbatur responsum esse pro junioribus quoad participationem distributionum incertarum resultantium a funeralibus, seu mortuariis, ac anniversariis, aliisque Ecclesiasticis functionibus a populi devotione resultantibus, juxta dictam distinctionem Castrens. plene reassumptam a Gratian. ubi supra, cum quo processum fuit, idque cum summa ratione, quoniam participatio noviter additorum non præjudicat antiquis, sed 14
solum auget præjudicium, seu impensam populi volentis illas functiones Ecclesiasticas facere, quod tamen considerabam recte procedere quoad illas distributiones, seu emolumenta, quæ certam taxam non habent in singulis; Si enim e.g singulis Canonicis in funere intervenientibus quædam certa portio pecuniarum, vel candelarum dari soleat, non alterabilis, sive major, sive minor sit Canonicorum numerus, tunc recte id procedit, quoniam nihil interest singulorum, majorem, vel minorem esse numerum participantium, dum cessat jus accrescendi; Secus autem ubi pro illa functione, ex consuetudine datur quædam summa Capitulo indistincte, sive major, sive minor numerus Canonicorum interveniat, ut scio practicari in Cathedrali propriæ patriæ, quoniam in exequiis, seu funeralibus ordinariis, vel minus solemnibus, ad quæ pro libito partium Canonici Cathedralis, vel omnes, vel in parte invitantur, certa portio pecuniaria inalterabilis, unde interessentium nihil interest, an major, vel minor numerus interveniat; Ubi vero agitur de funere solemni, quod ibi dicitur Capitulare, datur certa summa in universum distribuenda cum jure accrescendi interessentibus, quibus major numerus Capitularium præjudicat, quoniam ita antiquiores non obtinerent illam majorem distributionem, quam prius habebant, quod tamen in præsenti causa disputatum non fuit ex cessante facto.

Demum quoad ultimum punctum, pro junioribus reso- 15
lutum,

lutum; Antiquiores non prætendebant participationem per jus accrescendi, dum e converso juniores eandem participationem prætendere non poterant in distributionibus massæ antiquæ, sed dicebant, quod denegato jure accrescendi, deficientes portiones cedere deberent ad commodum Ecclesiæ, atque prætensio videbatur juridica, stante quod in erectione dictis novis Canonicis assignatæ erant distributiones in certa taxa dictorum centum stariorum, ex distinctione, de qua apud Mantic. *decis.* 226. Coccin. *dec.* 500. Bellon. jun. *de jure accresc. c. 6. q. 47.* quod scilicet jus accrescendi detur quando distributiones pro singulis Canonicis in certa summa taxatæ non sunt, secus autem dicta taxa accedente; itaut præfinitum sit quid Canonicus toto anno inserviens obtinere debeat, cum tunc cessante jure accrescendi, portiones deficientium spectare debeant ad ipsam Ecclesiam, ut in Cæsaraugustana distributionum *disc. seq.* & hic erat casus; Attamen Sac. Congregationi visum est contrarium determinare ex eadem ratione, ob quam Sac. Concil. Trid. introduxit in distributionibus jus accrescendi, cum prohibitione, ut neque a volentibus illud remitti, seu condonari valeat, pro majori scilicet Ecclesiæ servitio & cultu, & ne istud alias negligatur, atque interessentes spe majoris emolumenti ad illud alliciantur; Reliqua vero, ut supra dictum est, potius in facto, quam in jure consistebant, quamvis quædam juridica quæstio habita sit consimilis illi, de qua in Cæsaraugustana portionum *disc. seq.*

ANNOT. AD DISC. VI.

De canonicis supranumerariis, actum quoque est *in hoc tit. disc. 37.*

Ad materiam erectionis novi Canonicatus vide Decisionem Maceraten. impressam in fine hujus Voluminis.

CÆSARAUGUSTANA PORTIONUM, PRO CAPITULO S. SALVATORIS, CUM PORTIONARIIS EJUSDEM ECCLESIÆ,

Casus varie decisus per Rotam.

An Capitulum sit dominus, vel solum administrator illorum bonorum, quorum fructus assignati sunt distributionibus, quæ sunt etiam communes portionariis, vel beneficiatis, ad effectum videndi, cujus commodo cedat dictorum fructuum excrescentia; Et an hæc dividi debeat, si distributiones habent taxam uniformem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De impracticibilitate dandi portiones in speciebus.*
4 *De differentia inter dominum, & administratorem.*
5 *Quod Capitulum sit dominus bonorum mensæ Capitularis.*
6 *Quod Bulla sæcularizationis nihil immutaverit.*
7 *Beneficiati, & Portionarii non sunt de Capitulo.*
8 *Famulus contentus esse debet sua mercede.*
9 *In distributionibus habentibus certam taxam non intrat jus accrescendi.*
10 *Quomodo capitulum dici possit dominus, & administrator.*
11 *De Regula subrogatorum.*
12 *De eodem compatibili concursu administratoris, & domini.*
13 *De rationibus, ex quibus curandum non est de excrescentia, sed distributiones debent esse uniformes in summa consueta.*

D I S C. VII.

1 Postquam juxta seriem, de qua in *Cesaraugustana Cathedralitatis, sub tit. de preem. disc. 3.* istius Ecclesie Capitulum assumpsit statum regularem, unde canonici, ac dignitates, & portionarii quamdam collegialem, seu claustralem vitam ducebant, inolevit usus, ut singulis quibusque diebus, eorum singulis darentur quædam portiones panis, vini, & carnium, seu aliorum obsoniorum, & ad quem effectum a reliquis bonis mensæ capitularis, quædam prædia, aliaque bona separara fuerunt ab eodem capitulo, & concessa in administrationem duodecim, qui *Præpositi* nuncupabantur, tractuque temporis aliquas canonicatuum, seu dignitatum nuncupationes assumpserunt, quorum onus erat, ex bonis cuilibet respective assignatis, in omnibus 12. anni mensibus, uno scilicet pro quolibet, dictas diuturnas portiones suppeditare; Quia vero earumdem portionum præstatio tractu temporis incongrua forte reddita erat, hinc proinde de an. 14 7. dictæ portiones dari consueverunt in pecunia, in septem sc. mensibus cuilibet canonico 15. denarii, Portionario autem octo, in reliquis vero quinque, canonico 14. & portionario 7. ut enunciatur apud Seraph. *dec.* 211. & est factum, quod ab initio causæ ex parte Portionariorum non controvertebatur; & licet postmodum negaretur, attamen in progressu causæ detectum fuit esse certum.

Cum autem de an. 1604. ista Ecclesia per Clem. VIII. secularizata fuisset, hinc in Bulla secularizationis ex dictis 12. Præposituris, seu Dignitatibus, aliquæ suppressæ fuerunt, applicando bona eisdem, ut supra, assignata ipsimet capitulo, seu mensæ capitulari, cum eodem tamen onere suppeditandi in suis mensibus dd. diurnas portiones, seu distributiones, juxta solitum, & ut de præterito fieri consuevit; Reliquis autem Præposituris, seu Dignitatibus non suppressis injunctum fuit onus solvendi in suis mensibus respective distributis eidem capitulo scuta mille pro qualibet, ad hoc ut pariformiter in toto anno per capitulum dd. portionum quotidiana distributio fieret, atque ita post sequutam secularizationem plurium annor. spatio sequutum fuit, usquequo Portionarii prætendentes, quod cum d. summa mille ducator. majores portiones distribui possent prætendere cœperunt etiam summam excrescentem, & sic quod integri mille distribui deberent: Introductaque causa in Rota coram Albergato & dato dubio, an capitulum teneatur distribuere integros mille duc. menstruos a prædictis Præpositis, seu Dignitatibus non suppressis præstandos; sub die 16. Junii 1659. negativa prodiit resolutio reformata sub die 28. Junii 1660. quod scil. dd. portiones a solito non alteratæ, non
in pecunia, sed in speciebus distribui deberent; Verum 2
cognito, quod hæc reformatio, seu declaratio non esset practicabilis, idcirco reproposita causa sub die 11. Februarii 1661. recedendo in omnibus a primo, & secundo loco decisis, dictum fuit capitulum teneri ad distribuendos integros mille, atque ad formam hujus ultime decisionis prolata sententia, & commissa per appellationem causa in eadem Rota coram Taja, datoque dubio, an dicta sententia esset confirmanda, vel infirmanda, pro confirmatione prodiit resolutio sub die 16. Junii 1662. confirmata 23. Februarii 1663. sed concessa nova audientia, & reproposita causa sub die 15. Decembris 1664. recedendo a decisis, atque amplectendo denuo fundamenta primæ resolutionis coram Alberg. pro infirmatione d. sententiæ responsum fuit, atque quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit, nisi mutaverit defensores, ut frequenter in his præsertim causis exteris ob ultroneos, vel mendicantes Advocatos, sequi solet.

Reflectendo igitur ad istius causæ veritatem, dictarumque resolutionum subsistentiam; Quatenus pertinet ad secundam, decisio edita sub die 28. Junii 1660. coram Albergato, nulli videbatur facti, vel juris fundamento innixa; Tum ob contrariam observantiam duorum sæculorum, & ultra, ab anno scil. 1447. etiam pro tempore quo
Ecclesia fuit in statu regulari; Tum potissime post sæcula- 3
rizationem, quando canonici & portionarii, aliique ministri, sæculares effecti, in propriis domibus per Civitatem more sæcularium sparsim vivere cœperunt, unde prorsus incongrua erat d. distributio in speciebus, stante præsertim antiquissima observantia, de qua licet dubitatum esset in decisionibus antiquis cor. Seraph. attamen ex concordia aliisque juribus, ac probationibus postea factis, ac etiam ponderatis in ultima decisione 15. Decembris 1664. coram Taja, ista facti veritas clara remanebat.

Et demum clarius ob impossibilitatem praxis, quoniam expresse disponente Bulla sæcularizationis, ut portiones consuetæ præstandæ essent, si juxta antiquum solitum in ipsis speciebus præstari deberent, ob notabiliter ubique excretum a sæculo citra victualium, omniumque aliarum rerum pretium, neque bis mille ducati singulo quoque mense sufficerent, ita ut iidem scribente pro Portionariis hac impracticabilitate agnita, super motivo non insisterent, sed solum super integra distributione omnium illa, de qua proprie erat quæstio.

Hujus autem puncti determinationem in prima disputatione, dicebam scribens pro capitulo, pendere ab eo, an ipsum capitulum gereret personam domini bonorum, de quibus agebatur, vel potius administratoris; Isto enim secundo casu intraret prætensio Portionariorum, secus au-
tem primo, cum in hoc differat dominus ab administrato- 4
re,

re, seu executore, quod hic tenetur totum distribuere, neque aliquid pro se retinere potest, illi autem sufficit injuncta onera implere, quod autem superest in proprios usus convertere potest ad text. *in l. Lucius, Titius, §. a te peto, ff. de leg.* 2. Rom. *conf.* 227. *cum concord.* collect. per Add. *dec.* 25. *n.* 35. *cum seq p.* 3. *rec.* & habetur etiam actum *sub tit. de legat.* super puncto, an quis censendus veniat legatarius, vel executor, propter illam differentiam exinde resultantem.

Quod autem capitulum esset dominus, atque penes ipsum resideret dominium bonorum, quæ dd. Præpositis administranda, ut supra, data fuerunt, in indivi-
5 duo firmatur apud Seraph. *dec.* 179. 196. *&* 211. atque comprobari observabam ex consuetudine plurium Ecclesiarum Hispaniæ, in quibus administratio bonorum capituli demandari solet quibusdam Præpositis, seu alio nomine nuncupatis, in singulos menses distributis, qui tamen dicuntur administratores, continuante dominio penes capitulum, ut de Ecclesia Gerund. habetur apud Pæn. *dec.* 757. *&* 814. & apud Greg. *dec.* 29. *ac dec.* 45. *p.* 2. *rec.* Et de Ecclesiæ Barbion. habetur in Barchinon. Alimentorum, cor. Cocc. *dec.* 537. *p.* 5 *rec.* in ead. 16. Maji 1647. 15. Decembris 1649. & 31. Maji 1655. Dunozett. *inter suas dec.* 775. 841. *&* 965. *cum similibus*.

Quo dominio posito, incongruum esse dicebam titulum administrationis, qui per Scribentes in contrarium deduci prætendebatur ex Bulla sæcularizationis, dum Bulla prædicta nullatenus immutare voluit antiquum Ecclesiæ statum quoad dominium, ac possessio-
6 nem, aliaque jura, præterquam circa conversionem de statu regulari ad sæcularem, ut ibi expresse disponitur, & in simili advertitur apud Merlin. *dec.* 547. *n.* 5. *& dec.* 252. *n.* 4. *p.* 5. *rec.* Unde quando bona, quæ per eorum dominum data sunt alteri in administrationem, illa sublata, ad eumdem redeunt, ita reverti dicuntur ad suam primævam causam, tamquam ex cessante accidentali circumstantia administrationis alteri demandatæ, quoniam implicat in re propria dari titulum mere administratorium sonantem quendam famulatum, seu negotiorum gestionem in re aliena.

Neque favore actorum prætendi poterat distributio ratione juris accrescendi, quod intrat inter ca-
7 pitulares ratione fructuum excrescentium, quoniam illud recte procedit ad favorem canonicorum, qui dicuntur de capitulo hujusmodi bonorum domino, non autem ad favorem beneficiatorum, qui non sunt de capitulo, sed istius nudi ministri, ac servitores dicuntur per glos. Butr. & Abb. *in c. pen. de Cleric. non resid.* Caval. *dec.* 57. *dec.* 136. *&* 351. *p.* 6. *& dec.* 75. *p.* 7. *rec.* & sæpius.

Et ideo cum eisdem tamquam famulis ac ministris assignatæ sint ab initio diurnæ, seu menstruæ portiones in taxa certa, ac determinata, tamquam merces,
8 seu salarium laboris, ac servitii, hinc proinde ad famulum pertinere non debet inquirere de excrescentia fructuum bonorum domini, sed contentus esse debet convento stipendio, cum quo conductus est, juxta parabolam Evangelii Matthæi c. 20. in quo dicitur, *Tolle quod tuum est, & vade*.

Accedente etiam recepta distinctione, de qua apud Mantic. *dec.* 226. Coccin. *dec. ult.* & Bellon. *jun. de*
9 *jure accresc. c.* 7. *quæst.* 47. ut scilicet jus accrescendi intret, ubi bona, seu eorum fructus indefinite assignantur pro distributionibus, absque certæ quantitatis taxa, secus autem hac accedente, cum tunc id quod superest cedat ad commodum Ecclesiæ.

Maturius autem in progressu causæ, ad veritatem reflectendo, agnovi illud fundamentum, in quo satis insistebam, vere non subsistere; probabilioremque esse intellectum, qui dabatur per scribentes in contrarium, amplexum etiam per Rot. *in 3 dec.* quod scil. quamvis
10 dominium resideret penes Ecclesiam, atque de consequenti quodammodo penes capitulum directive ad prælatos Præpositos; qui revera non domini, sed simplices administratores dicendi sunt; Attamen ad effectum, de quo agitur, capituli persona reduplicative consideranda est, tamquam subrogata se. loco dictorum Præpositorum in illis mensibus, in quibus aliquæ Præpositurae suppressæ fuerunt, circa administrationem bonorum, non autem super distributione mille ducatorum ut supra, dum distributio non solum facienda erat Portionariis, in quibus recte procederent dictæ considerationes de certo stipendio famulis assignato, sed etiam ipsis dignitatibus, & canonicis de capitulo, quorum respectu eadem uniformis taxa constituta est, alia differentia inter canonicos, & portionarios non constituta, nisi quod isti haberent mercedem dimidiatam, illi vero in duplo, ut in Basilicis Urbis videmus inter canonicos, & beneficiatos.

Hinc proinde, stante repartitione per quotas, nulla videtur suppetere ratio, cur augmentum, seu excrescentia cedere deberet ad commodum canonicorum, non autem Portionariorum, ut de facto praxis docet in Basilicis Patriarchalibus Urbis, ubi pro commodiori substentatione canonicorum ac beneficiatorum, & clericorum, distributiones quamvis obvenientes a fructibus, qui certis anni temporibus, ex bonis percipiuntur, distributæ sunt in singulos menses in certa summa æquali, & per quotas, dando, ex. gr. scuta 60. quolibet mense canonicis, 30. beneficiatis, & 15. clericis, eandem quotam, æqualiter, ac proportionabiliter singulis annis immutando in plus, vel minus, juxta fructuum, seu redditunm excrescentiam, vel decrescentiam ut infra, *disc.* 9.

Adhuc tamen, reflectendo etiam ad eandem veritatem, credebam injustam esse Portionariorum prætensionem, ac successive probabiliores esse, primam & ultimam, minus autem probabiles intermedias supra enunciatas resolutiones; Siquidem admissa etiam dicta reduplicatione personarum, quodque capitulum censendum esset subrogatum loco antiquorum Præpositorum, adhuc tamen, cum illorum obligatio antiquitus, ac præambula hora sæcularizationis, essent adimplendi solum injunctum onus in singulis *respective* mensibus dandi dictas distributiones in uniformi quantitate pecuniaria loco specierum subrogata, itaut neque ad Portionarios, minusque ad ipsos canonicos inquirere spectaret de fructuum excrescentia, vel decrescentia, *ita pariter* continuandum erat, ex regula, ut subrogatus regulari debeat eodem 11
jure quo is regulabatur, in cujus locum subrogatio facta est juxta regulam subrogatorum, de qua Barbos. *axiom.* 213. cum aliis *in prima dec.* coram Albergato.

Non obstante titulo administratorio, cujus effectus est, ut administrator nihil pro se retinere valeat, ut supra quoniam non implicat, aliquem esse administratorem in exclusionem domini, & tamen per quandam speciem appaltus, seu partiti eundem in se suscipere 12
aleam futuri commodi, & incommodi resultantis ex incerta uberrate, vel sterilitate bonorum; Et hic erat casus præcisus, quoniam alias practicari non posset actorum prætensio in terminis veræ ac simplicis administrationis, dum attentis puris terminis administrationis oporteret singulis quibuscumque mensibus, imo diebus, cum maxima confusione dd. distributiones variare, dum non semper est idem canonicorum, ac portionariorum numerus, tam respectu absentium, quam durante provisione vacantium.

Item quia, quemadmodum simplex administrator nihil sibi applicare potest, sed de omnibus rationem reddere tenetur, ita pariter e converso, nihil de suo tenetur erogare, sed solum distribuere id quod exigit in 13
illis temporibus, in quibus exactio sequitur; Hoc autem pariter magna produceret inconvenientia, cum sæpius contingat ex bonis Præpositurarum suppressarum, ob sterilitatem, seu alia accidentia, non percipi fructus, qui sufficiant pro distributionibus; Sive quod a reliquis Præpositis non suppressis, non de facili exigi possunt statutis temporibus, ac mensibus scuta mille, sed exactio frequenter in longum protrahi solet, unde propterea capitulum recte dicere posset, nolle de proprio dictas diurnas distributiones facere, sed expectare exactionem, quod involveret maximam confusionem, atque interverteret antiquissimum Ecclesiæ ordinem: Et sic emolumentum, quandoque resultans ab excrescentia dd. ducat mille, vel bonorum assignatorum, compensatum remanet ab incommodo, ac periculo subministrandi singulis diebus, ac etiam de proprio supplendi, quatenus exactio, vel nullatenus sequatur, vel illa diminuatur, Adinstar appaltatorum, seu suscipientium partitum aliquorum effectuum, cum onere subministrandi exercitui, seu domui Principis victualia, vel stipendia taxata in singula capita pro mercede excrescentiæ, ac juxta eam mercedem, quæ datur depositario capitulorum Basilicarum Urbis, ut infra *d. disc.* 9 Accedente prætertim longissima observantia interprete hujus veritatis, quæ ex ista ratione videbatur clara, non indigens interpretatione, ac propterea non videbatur, quod casus exigeret tantum variationem.

TROJANA JURIS ACCRESCENDI, PRO ARCHIPRESBYTERO, ET CANONICIS ANTIQUIORIBUS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ FOGGIÆ, CUM CANONICIS JUNIORIBUS.

Casus disputatus in S. Congregatione Concilii, & resolutus pro junioribus.

De decreto Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 14. & de Constitutione 104. Pii V. prohibentibus applicationem fructuum canonicatuum, seu aliorum beneficiorum vacantium ad commodum capituli, & canonicorum pro admissione noviter provisi, & quomodo procedant; Et an canonico successori denegari possint illi majores fructus, quos jure optionis, vel juris accrescendi obtinebat ejus prædecessor.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones S. Congreg.*
3 *Concilium derogat statutis, & conventionibus capitularibus, non autem concordiis.*
4 *De differentia, an statutum sit antiquum, & in limine erectionis, vel modernum.*
5 *De quo casu proprie loquantur decretum Conciliare, & Constitutio Pii V.*
6 *Id quod obtinetur jure optionis ratione antianitatis, non est in fructu.*
7 *Dantur exempla.*
8 *Considerantur motiva congruentiæ hinc inde pro consuetudine toleranda, vel infirmanda.*
9 *De doctrina Zabarella circa hujusmodi consuetudines.*

D I S C. VIII.

1 ORta controversia inter Episcopum Trojen. & Archipresbyterum, & canonicos Ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Foggiæ, super prætensa exemptione ab Ordinarii jurisdictione, post aliquas sententias in causa emanatas ad favorem Episcopi de anno 1347. deventum est ad concordiam a Sede Apostolica sub Clemente VI. in forma specifica inserto toto tenore confirmatam, per quam Episcopus erexit d. Ecclesiam in Collegiatam, cum principali dignitate Archipresbyterali, & Cantore, & sexdecim canonicis, sub ea lege inter alias, ut quandocumque aliquis canonicatus vacaret, bonæ quæ pro ejus præbenda, seu portione canonicus, naturaliter, vel civiliter mortuus possidebat, dividi deberent, atque communicari inter alios superstites, & sic successive, per quoddam jus accrescendi, istaque concordia suam habuit inconcussam observantiam, unde propterea resultabat, quod juniores canonici noviter provisi satis modicum haberent emolumentum, in dies tamen excrescens, juxta vacationum contingentiam, itaut antiquiores, ac primi canonicatus redderentur valde pingues, quod causabat magnam hujus Ecclesiæ, ejusque canonicatuum existimationem.

Cum autem de an. 1576. ob pestem in eo loco crassatam, vacassent septem Canonicatus, atque noviter de istis provisi non acquiescentes dictæ inæqualitati, prætenderent hujusmodi consuetudinem adversari decreto S. C. T. *sess.* 24. *de ref. c.* 14. & Constit. 104. Pii V. hujusmodi consuetudines aunullantibus; Hinc proinde causam introduxerunt contra Canonicos antiquiores coram Episcopo, quo consulente S. Congr. Concilii; ista de anno 1660. respondit successoribus in canonicatibus deberi red-
2 ditus præbendarum ad eorum canonicatus spectantes, sed cum hujusmodi oraculum non terminasset controversiam, prætendentibus antiquioribus quod illa emolumenta, quæ sub dicto jure accrescendi cadebant, saperent potius de distributionibus ratione optionis, quam de fructu præbendæ, ut infra, idcirco denuo adita eadem Congregatione, ista censuit hujusmodi observantiam decreto Conciliari, & Constitutioni prædictis adversari, proindeque omnes canonicatus esse debere æquales, quæ immutatio deinde ansam dedit alteri controversiæ super invalida impetratione facta juxta formam antiquam per non excessum 24. ob falsam expressionem, ut *in Trojana canonicatus, sub tit. de benef. disc.* 72.

In utraque disputatione prædicta, Quatenus pertinet ad primum punctum, an sc. dictum jus accrescendi adversaretur præfatis decreto Conciliari, & Constitutioni Pianæ; Dicebam scribens pro antiquioribus, quod per ea derogaretur Constitutionibus, & consuetudini- 3 bus, seu etiam privilegiis, & Statutis, non autem concordiis, quibus Concilium derogare noluit, nisi ubi expresse dixit, ut pluries decisum ab eadem S. Congr. testantur Lotter. *l.* 1. *q.* 25. *n.* 88. *& seq.* Barbos. ad Conc. *d. sess.* 24. *de refor. c.* 20. *n.* 82. *& seq. & sess.* 25. *de refor. c.* 6. *n.* 57. Rota in Barchinon. jurisdictionis 8. Aprilis 1647. Bich. *dec.* 44. *n. fin. p.* 10. *rec. & in aliis.* Unde propterea cum ista lex edita sit per viam concordiæ confirmatæ etiam in forma specifica per Sedem Apostolicam, potissime vero in ipso limine erectionis Collegii, ita videbatur casus omissus, dum Concilium, & Constitutio abolere voluerunt consuetudines, & statuta introducta ab ipsis capitulis, jam in esse productis, quæ paulatim per speciem corruptelæ irrepserunt, atque ita istud fundamentum non videbatur improbabile.

Verum quia eadem S. Congregatio, Episcopo quoque consulente, de anno præcedenti irritaverat quoddam consimile Statutum Ecclesiæ Cathedralis Trojanæ, idcirco istud exemplum, atque ut reliquæ Ecclesiæ Diœcesis jure Cathedralis regularentur, fuit causa, 4 ut prodiret conttaria resolutio non obstante, quod diceretur casum esse omnino diversum, cum ubi ageretur de Statuto voluntarie facto per capitulum jam in esse productum a moderno tempore, in forma communi tantum cum confirmatione circa ea tempora, in quibus plures irrepserant abusus, quibus Conc. providere voluit, utpote pro eis tollendis convocatum, quod in præsenti dici non poterat ex dicta diversitate, unde propterea sæpius causarum resolutiones, temporum, vel casuum contingentiis, seu opportunitatibus referendæ videntur.

Præterea dicebam, tam in prima, quam in secunda disputatione, etiam cum aliquo sensu veritatis, quod neque versaremur in casu decreti Conciliaris, vel Bullæ Pianæ procedentium, ubi militat ratio, vel suspicio simoniæ, ne scilicet ratione collationis canonicatus vacantis, vel receptionis, seu admissionis noviter provisi ad posses- 5 sionem, aliquid recipiatur, ut decisum testatur Barbos. ad idem Conc. *d. c.* 14. *n.* 9. *& de canonicis c.* 15. *n. fin.* Et sic vere, & proprie procedunt in illis fructibus, qui canonicatui, vel præbendæ perpetuo annexi sunt, & qui aliquo tempore per alium, quam per provisum percipiantur, ita tamen, quod supponatur tunc pertinere ad dictum provisum; Provisiones autem quæ fiunt circa fructus beneficiorum, beneficio, seu præbenda vacante, non dicuntur simoniacæ, neque talem suspicionem habent, dum ista fundatur in actu collationis, seu admissionis, vel receptionis noviter provisi, inter quem, & capitulum pro actu prædicto spirituali, saltem supponitur im- 6 plicita conventio, quod est essentiale simoniæ requisitum, ut per Paril. *de confident. quæst.* 38. *n.* 44.

Ille siquidem major redditus, quem habebat Canonicus prædecessor, per cujus cessum, vel decessum canonicatus vacavit, non proveniebat a præbenda, seu fructibus canonicatui annexis, sed ratione ejus antiquitatis, quæ ob dictum jus accrescendi paulatim suum canonicatum impinguaverat, & sic fuit species optionis ratione antianitatis, quæ importat quid mere temporale, ac separatum ab ipso canonicatu, & præbenda, quamvis sine earum possessione obtineatur, unde propterea non venit in fructu, ut de domibus canonicalibus, vel aliis bonis, quæ ratione antiquitatis optantur, Cavaler. *dec.* 7 116. Adden. ad Greg. *dec.* 478. Romana pensionis 19. Januarii 1446. Cerro, & habetur actum in Romana pensionis Canonicatus Sancti Angeli *sub tit. de pensionibus, disc.* 6. & supra, *sub tit. de beneficiis ad materiam valoris, disc.* 90.

Dabam ad id duo exempla, Unum Collegii Cardinalium, quoniam ille, qui de novo ad Cardinalatum promovetur, non obtinet emolumenta Ecclesię Hostinen. vel Portuen. quæ obtinebat ille, per cujus obitum locus in collegio vacavit, cum id proveniat ab optione ratione antiquitatis, sed solum obtinet consueta, & communia emolumenta rotuli, seu galeri Cardinalitii; Et alterum lectorum Sapientiæ, quibus ratione lecturæ assignatum est certum moderatum salarium, quod ex laudabili usu, deficientibus antiquioribus solet juxta antianitatem, ac ordinem servitii augeri, proindeque moriente antiquo lectore, cujus emolumentum (e. g.) importabat scuta 300. successor in lectura non obtinet dictam summam, sed solum fixam ab

initio

initio assignatam, quam prædecessor in ejus ingressu obtinebat.

Idem quoque comprobari observabam ex observantia Nuntiaturæ Apostolicæ colligentis fructus beneficiorum pro tempore vacationis beneficii juxta Constitutionem Julii III. & aliorum Pontificum, quoniam nunquam aliquid percepit ex hujusmodi emolumentis, ex ea clara ratione, quod dici non poterant fructus spectantes ad illum canonicatum, cujus vacatione sequuta, tam-
8 quam per cessationem personæ antiquioris, quæ ratione antiquitatis, ac longævi servitii illa obtinuerat, illico aliis accreverunt, unde propterea reflectendo ad veritatem resolutio non placuit; Potissime quia hæc observantia potius bonos, quam malos effectus producebat; Tum ex eo, quod istam Ecclesiam satis conspicuam, ac celebrem reddebat; Tum quia ita etiam personæ qualificatæ hujusmodi canonicatus libenter suscipiebant, modico emolumento in primis annis contentæ, ob eam considerationem, quod in senectute, quando majus subsidium est potius necessarium, remanerent bene provisi.

Magnum impulsum dictæ resolutioni dedit casus vacationis tot canonicatuum, ob eam considerationem, quæ tam per Episcopum, quam per juniores nimium exaggerebatur, quod juniores nullos fructus ex canonia percipientes, de facili negligerent cultum, unde propterea consuetudo prædicta, utpote concernens Ecclesiæ præjudicium improba censenda esset. Verum videbatur leve motivum, quoniam stante fertilitate regionis, etiam illud emolumentum quod ratione distributionum quotidianarum, ac massæ communis ab omnibus percipiebatur videbatur congruum, ac æquale canonicatibus plurium Ecclesiarum Cathedralium adjacentium; Ac etiam quia ob dictam spem augmenti in dies assequendi ratione dicti juris accrescendi, quilibet libenter inserviebat, ne servitii desertio in d. distributione sibi præjudicaret; Cumque omnium potissimum dicatur argumentum a posteriori, seu ab effectu, dicebam istud convincere hanc veritatem, dum retroacta observantia docebat nunquam istud inconviens ex dicta ratione contigisse; Et quoad magnam accidentalem vacationem ratione pestis sequutam, dicebam regulam de raro contingentibus operari quidem, ut lex super eo ferenda sit, non autem, ut cessare faciat legem generalem, seu consuetudinem jam vigentem.

Ad quod probandum in specie adducebam auctoritatem Zabarellæ *in c. dilectus n. 13. de consuetud.* ubi
9 loquitur per hæc verba præcisa, Oppono *ad idem de consuetudine, quæ est in Urbe, ubi etiam si portiones sunt non privilegiatæ receptionem percipientes, nisi post certum tempus portionem, &c. si contingit plures canonicos ex habentibus plures portiones, decedere, non tamen noviter recepti recipiunt portiones, nisi finito tempore, quo debent expectare hujusmodi consuetudinem, & in hoc dicit Innocentius valere talem consuetudinem, etiamsi non sit ibi numerus canonicorum, vel portionum, quod nota, &c.*

ANNOT. AD DISC. VII. & seqq.

Ad materiam fructuum, & distributionum quotidianarum habetur *disc. 40. sub tit. de Benef. disc. 44. & 90. sub tit. de Jurepatr. disc. 10. de Pens. disc. 61.* in Add. ad S. C. T. *disc. 15.*

Et de aliquibus quæstionibus in proposito participationis Massæ communis habetur *eod. tit. disc. 34. & 36.*

Prima ex decisionibus proditis in casu, de quo, *disc. 7. est impress. dec. 93. p. 13. rec.*

Decisiones coram Bich. ennunciatæ in casu, de quo, *disc. 12. sunt inter ejus impress. dec. 567. & 626.*

ROMANA CONTRIBUTI, PRO CANONICIS JUNIORIBUS, CUM CANONIS ANTIQUIORIBUS, ET CUM DEPOSITARIO BASILICÆ VATICANÆ.

Discursus pro veritate.

An pro debitis capituli contractis de tempore prædecessorum, capi possint fructus, vel distributiones currentes in præjudicium canonicorum juniorum non existentium in capitulo de tempore contracti debiti; Et de concursu inter ipsos canonicos juniores, & creditores.

SUMMARIUM.

DISC. IX.

Vaticanæ Basilicæ consuetudo est, aliis Urbis Basilicis & Ecclesiis forte communis, quod omnes bonorum capituli fructus, ac redditus, quamvis provenientes ex casalibus, aliisque bonis stabilibus, sublato præbendarum usu, pro meliori Ecclesiæ cultu, & servitio, redacti sunt ad distributiones quotidianas, de quibus nonnisi interessentes ratione servitii, & per punctaturas participent; Ut autem singulis mensibus, tam Canonicis, quam beneficiatis, & Clericis, subsidium pro congrua substentatione præstetur, hinc inolevit etiam usus deputandi sub certa mercede idoneum campsorem, qui sive redditus capituli exacti fuerint, sive non, singulis quibusque mensibus solveret canonicis, ac beneficiatis, & clericis quamdam uniformem summam, verisimiliter redditibus Ecclesiæ respondentem; Verum quia propter lites habitas cum conductoribus casalium, aliorumque bonorum capituli, seu ob debitorum deficientiam, depositarius non potuit se reintegrare de menstruis solutionibus ut supra factis, unde remanebat creditor in notabili summa, atque S. Cong. Visitationis Apostolicæ decrevit, quod dictum debitum extingui deberet ex redditibus, & fructibus currentibus; Hinc proinde se opposuerunt canonici juniores prætendentes, quod cum istud debitum provenerit ab excessivis indebitis distributionibus exactis per canonicos antiquiores, idcirco ex eorum portionibus, ac distributionibus, ac etiam a canonicorum defunctorum hæredibus, d. debitum solvi deberet, ita ut ex fructibus currentibus, integræ remanerent distributiones, vel portiones ipsorum juniorum de hoc debito non participantium, atque desuper ex parte eorumdem juniorum pro veritate consultus, 1

Respondi duplicem desuper cadere inspectionem, Unam inter ipsos canonicos antiquiores, ac juniores respective super contributione ad istius debiti solutionem; Alteram vero inter ipsos canonicos juniores, ac depositarium, an sc. iste actionem habeat ad fructus, ac redditus currentes in præjudicium dd. canonicorum juniorum, quorum portiones, seu distributiones ita diminutionem pati valeat. 2

Primo casu, pro junioribus probabilius dixi respondendum videri, quoniam non agebatur de debito contracto ex causa publica capituli in universum, ut frequenter contingere solet pro litibus ad substinendam jurisdictionem, aliaque jura ipsius capituli, vel pro aliis extraordinariis occurrentiis, quo casu intrare posset quæstio, quæ habetur in materia collectarum, an sc. cives noviter allecti collectari possint pro debitis jam contractis per communitatem ante allectionem, & super quo, stante præsertim communi usu, probabilius contra juniores respondere debere videbatur, (quod tamen utpote non necessarium examinatum non fuit;) Sed agebatur de debito proveniente ex causa particulari, atque male contracto pro excessivis distributionibus, quod fieri non poterat, cum ita intrarent termini usufructuarii, vel fideicommissarii, ac mariti, seu conductoris, & similium ac etiam beneficiati præmature percipientis fructus anni sequentis, seu temporis, in quo ad ipsum amplius non pertineant, in supplantationem successoris.

Non negabantur hæc per canonicos antiquiores in puncto juris: Dicebant autem debere excusari ex consuetudine, ob quam ipsi quoque, vel eorum aliqui idem damnum cum eorum prædecessoribus passi fuerant; Verum ista responsio non videbatur subsistens, cum hæc dicenda veniret potius corruptela, & consuetudo prava, per quam resultaret locuple-

cupletatio de alieno, ac etiam resultaret desertio cultus divini, ac servitii Ecclesiæ, per juniores ita negligendi
3 ut in specie hujusmodi consuetudinis super distributionibus destinatis pro Ecclesiæ servitio, Dec *cons.* 279. *n.* 4. *& n.* 5. *in fin. vers. ult. non obstat consuetudo*, & conferunt deducta apud Pat. *cons.* 33. *n.* 24. *l.* 4.

Clarius vero ac extra omnem difficultatem ob supervenram dispositionem S. C. T. *sess.* 24. *de ref. c.* 12. *vers. distributiones vero*, ubi revocantur quæcumque statuta, & consuetudines, adeout neque volentes alii
4 canonici, vel beneficiati eas absentibus, vel non inservientibus remittere valeant, ut advertitur infra *in Novar. disc. seq.* & alibi, culpa enim positiva fuerit exigere in summa excessiva.

Et quamvis ad excusandam culpam diceretur id provenisse ab accidentali inopinata deficientia conductorum
5 aliorumque debitorum; Attamen non videbatur bona responsio, quoniam ubi etiam ille dicendus esset casus fortuitus, ille referendus erat ad fructus illorum annorum, ex quibus debita hæc proveniebant, & consequenter non debebat refici hujusmodi damnum cum fructibus futuris; Cadentibus in idem iis, quæ notantur ad materiam text. in *c. propter sterilitatem extra locati, & l. licet, C. eodem*, ut sc. subsequuta sterilitas, ita resultans a necessitate extinguendi istud debitum, compensetur cum ubertate annorum præcedentium, in quibus excessiva emolumenta obtinuerunt.

Quo vero ad alteram inspectionem super concursu cum dicto depositario creditore capituli, dicebant Canonici juniores, quod cum non ageretur de fructibus, sed de distributionibus ratione servitii per punctos, ita esse deberent potiores cuicumque creditori utpote pro eorum alimoniis, dum fructus Ecclesiæ dicuntur principaliter destinati pro alimoniis ministrorum, aliisque
6 expensis currentibus illius anni pro cultu Ecclesiæ, ne alias ista, cultu, ac servitio destituta remaneat, ad text. in *c. fin. §. porro, de Off. Ordin. in sexto*, ex cujus dispositione deducitur conclusio, quod licet pro decursis annualitatibus pensionis extra culpam pensionarii qui debitas adhibuerit diligentias, affecti sunt fructus etiam annorum sequentium, attamen id intelligitur sine præjudicio congruæ, quæ prius detrahi debet, ut *dec.* 352. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* Greg. *dec.* 507. *n.* 5. cum aliis per Add. ad Burat. *dec.* 448. *n.* 11. & in sua materia *sub tit. de pension.*

Quinimo neque ad instantiam creditorum ipsiusmet Canonici, vel Beneficiati exequi, vel impediri potest
7 congrua necessaria tam pro alimonia possessoris, quam pro aliis expensis necessariis ad cultum, idque ex dicta ratione præjudicii Ecclesiæ, ne alias cultu destituta remaneat, ea deduct. per Salgad. *in labyr. p.* 1. *c.* 42 *n.* 10.

In hoc autem dicebam præmissa recte procedere pro ea rata, quæ congruæ sublentationi Canonici necessaria est, secus autem in exuberante, quoniam creditor obli-
8 gatum habebat Capitulum, quod tamquam universitas seu corpus politicum semper dicitur unum, & idem, neque mutatur ex mutatione Canonicorum, juxta celebre *cons.* 21. Calder. *de Præb. cum concord.* per Rot. *dec.* 3. *n.* 64 *cum seq. p.* 7. *rec.* quæ est eadem apud Merlin. *dec.* 663. Id etiam comprobante convincenti ratione, cum alias d. depositarius, qui Capituli fidem sequitur, ita elusus remaneret, dum pro hujusmodi debitis non permittitur distractio bonorum capituli in sorte principali, ideoque in hoc sentiebam difficultatem contra dictos Canonicos juniores, quibus dicebam remanere actionem contra antiquiores ad restituendum indebite perceptum pro eorum reintegratione, non autem quod se opponere possint creditori habenti obligatum ipsum corpus capituli, ejusque effectus, quæ obligatio non erat in alto verificabilis.

Nil obstante quod ageretur de distributionibus quotidianis, quoniam cum istæ pendeant a fructibus certis capituli, dicuntur tales in sola ratione modi percipien-
9 di, sed in effectu sunt fructus, ut distinguendo habetur in *Lucana Prioratus, sub tit. de jurepatr. disc.* 10. ubi distinguitur hæc materia fructuum certorum, ac incertorum, & quando etiam distributiones quotidianæ jure fructuum certorum haberi debeant; De alio autem puncto cum pensionariis *sub tit. de pensionibus, disc.* 23.

NOVARIEN. DISTRIBUTIONUM. PRO CAPITULO CATHEDRALIS.

Casus decisus per S. Congreg. Concilii, ut infra.

An, & quando substineatur consuetudo, ut Canonici intervenire debeant pro loco distributionum, quibusdam horis canonicis tantum, non autem in aliis, ad interpretationem S. Conc. Trid. *sess.* 24. *de refor. c.* 12. in illis verbis (*statis horis.*)

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ, ut illa verba* (statis horis) *intelligantur de omnibus.*
3 *Quando decretum irritans contentum in constitutione confirmatoria Concilii intret, ac obstet.*
4 *Quod valeat consuetudo, ut pro distributionibus sufficiat servitium in aliquibus horis.*
5 *An, & quando consuetudo probetur per scripturam.*
6 *De ratione, ob quam consuetudo, de qua n.* 4. *debeat substineri.*
7 *In quo casu dicta consuetudo sit tolerabilis, & quando non*
8 *Tempore Quadragesimæ completorium est functio principalis.*
9 *In quibus horis desideranda magis veniat interessentia.*
10 *De constitutione* 104 *Pii V. quem casum percutiat, illum scilicet applicandi capitulo fructus, vel distributiones pro admissione noviter provisi.*

DISC. X.

Vigente antiqua consuetudine in Cathedrali Nova- 1
rien. canonizata etiam per Cardinalem Papiensem Legatum de latere de anno 1518. ut pro integra assequutione distributionum sufficeret Canonicorum interventus in matutino, laudibus, missa conventuali, ac vesperis; Ortaque difficultate in visitatione facta per Episcopum, an dicta consuetudo adversaretur dispositioni *Sac. Conc. Trident. sess.* 24. *de reform. c.* 12. vers. *Distributiones vero*, ubi disponitur distributiones percipi solum debere per eos, qui statis horis interfuerint, absque eo, quod neque a volentibus condonari, vel remitti possint non intervenientibus; Hinc idem Episcopus consuluit desuper Sacram Congregationem Concilii, quæ de anno 1660. censuit hujusmodi consuetudinem improbam, dictoque decreto adversantem, proindeque distributiones, ac respective punctaturas singulis horis assignandas esse, dictaque resolutio innixa fuit declarationibus ejusdem S. Con-
gregationis relatis per Garz. *de Benefic. p.* 3. *cap.* 2. *n.* 488. 2
ut illud verbum *statis horis* intelligi debeat de omnibus in quibus divina celebrantur, atque cum eo pertransit Barbos. *ad Conc. ibid. n.* 74. Illam præsertim circumstantiam considerando, quod pro hora Completorii assignatæ essent distributiones cum punctaturis, unde propterea magis convinci videbatur dictæ consuetudinis irrationabilitas, dum negliguntur Tertia, Sexta, & Nona, quæ sunt horæ diurnæ celebrari solitæ de tempore, quo major adest populi frequentia.

Ponderando etiam quod videretur quoque obstare Constitutioni 104. Pii V. per quam fortius, ac per verba magis ampla improbantur consuetudines circa fructus, vel distributiones.

Scribens pro capitulo, quoad primum fundamentum dicebam, quod cum per dictum decretum expresse non declararetur; an sufficiat necne pro integra assequutione distributionum interventus in aliquibus horis, ac functionibus majoribus, itaut tamquam in casu claro intraret de-
cretum irritans contentum in Constitutione Pii IV. edita 3
super confirmatione Concilii, quod utpote inficiens quamcumque contrariam possessionem, tollit consuetudinem, quinimo ejus principio se opponit, ac impedit ne nascatur, ut pluries alibi advertitur: Sed solum id proveniat ab interpretatione, vel Sacr. Congr. vel DD. exinde resultat, ut contraria possessio, seu consuetudo non dici possit
ita infecta; Ut ultra generalia, in his specialibus terminis 4
consuetudinis, ut distributiones dentur iis, qui aliquibus Horis dumtaxat interveniunt, non in omnibus, post Rocch. de Curte, Ojedam, Graffium, & alios allegatos firmat Moneta *de distrib. p.* 2. *q.* 3. *n.* 53. *cum seq.* ubi *n.* 47. certum dicit, quoties consuetudo habet spatium quadraginta annorum, quod etiam affirmat *eadem p.* 2. *q.* 12. *n.* 42. atque

cum

eum eo pertransit Barbos. *de Canonicis*, *c*. 21. *n*. 22. & 23. *n*. 15. Unde cum ista consuetudo esset antiquissima, nedum 40. annorum, sed etiam plurium sæculorum, utpote attestata, & approbata tamquam antiqua per Cardinalem Legatum usque ab anno 1518. hinc proinde substinenda videbatur.

5 Licet enim consuetudines non probentur per scripturas quoad introductionem, seu principium, bene tamen probantur per easdem scripturas enunciantes, seu supponentes, aut canonizantes eas jam introductas, ac vigentes, ex iis, quæ in fortioribus terminis consuetudinis, seu præscriptionis immemorabilis habentur collect. *in Bonon. Archipresbyteratus 23. Martii 1648*. Corrado *dec. 68. par. 10. rec.* & pluries *sub tit. de jurepatr.*

6 Potissime vero quia eadem consuetudo aliquam rationabilitatem continere videbatur; Cum enim nimis grave esset istius Ecclesiæ servitium ob necessarium interventum omnium Canonicorum quotidie in matutino, ac laudibus, & Prima, & in missa solemni, seu conventuali, hinc proinde permittenda est absentia in illo intermedio spatio, in quo celebrari possint missæ extra Ecclesiam ad satisfaciendum oneribus forte incumbentibus, sive ut alia negotia explicari valeant.

Ista vero non valuerunt, quoniam dicebant PP. Congregationis, & bene, quod hujusmodi consuetudo reputari potuisset sustentabilis, quando respectu istarum Horarum contineret aliquam moderationem illius ma-
7 joris oneris, quod habetur quoad alias functiones majores, ut scilicet in istis necessarius non esset interventus omnium, ut in aliis, sed sufficeret ille aliquorum tantum per turnum, seu hebdomadam divisorum, qui punctaturis subjacerent, ut in aliquibus Ecclesiis practicatur, cum ita consulatur dictæ necessitati atque cultus non remaneat omnino destitutus: Secus autem ubi ita indefinite hujusmodi horæ non subjacent punctaturis, cum ita casus dare posset, ut omnes abessent, sive illæ per unum, vel duos recitarentur, atque hoc fuit principale & non improbabile motivum resolutionis

Aliud vero motivum deductum a punctatura adjecta completorio, ut supra, videbatur leve, utpote fundatum in æquivoco facti, quoniam huic Horæ punctatura adjecta erat in solo tempore quadragesimali,
8 quando recitatis vesperis una cum missa conventuali ante prandium; completorium dicitur functio principalis stans de per se, atque faciens figuram vesperarum in reliquis anni temporibus, in quibus completorium dicitur functio principalis stans de per se, atque faciens figuram vesperarum in reliquis anni temporibus, in quibus completorium dicitur functio accessoria vesperis, cum quibus continue recitatur in Ecclesiis sæcularibus.

Ideoque dicebam, principaliter per hujus Ecclesiæ majores invigilatum fuisse super illis functionibus, seu Horis, pro quibus Canonici, vel alii inservientes, spretis negotiis, vel commoditatibus, cogantur ad Ecclesiam accedere, non autem pro aliis intermediis inter functiones principales, ut sunt dictæ Horæ diur-
9 næ, vel pro accessoriis, & consecutivis, ut est completorium, quoniam cum canonici, & alii, occasione dictarum functionum principalium jam reperiantur in choro, & Ecclesia, hinc sequitur, quod istas alias Horas frequentius negligere non soleant, sic & longe diversa ratio est inter unam functionum speciem, & alteram.

Aliud demum motivum deductum ex Constitutione 104. Pii V. nullius considerationis videbatur, quoniam illa prodest, non ad observantiam, & majorem decla-
10 rationem istius decreti Conciliaris contenti *in sess*. 24. *cap*. 12. sed alterius contenti *in eadem sess*. 24. *cap*. 14. ne scilicet propter electionem, aut præsentationem, vel nominationem, seu propter admissionem ad possessionem possint Prælati, vel capitulum etiam sub nomine dulciariorum, sibi applicare fructus, vel distributiones Beneficii vacantis, atque prohibitio percutit solum commodum privatum ipsorum Prælati, & Canonicorum, eorumque mensæ; secus si dicta applicatio fieret in fabricam Ecclesiæ, vel in subsidium hæredum Beneficiati defuncti, seu in alios pios usus, ut advertitur per Rot. *dec*. 660. *p*. 4. *divers*. ac firmant Garz. Ricc. Campanil. & alii collecti per Barbos. *ad idem Concil. d. c.* 14. sed hæc extranea erant a casu controversiæ.

HYERACEN. DISTRIBUTIONUM; PRO CAPITULO CATHEDRALIS.

Casus etiam disputatus in Sacra Congr. Concilii, credo resolutus pro Capitulo.

De eadem materia servitii necessarii pro consequendis distributionibus; Et an sit tolerabilis consuetudo super modico servitio turnario ob distributionum tenuitatem,

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod turnaria divisio servitiis per dies, vel hebdomadas non adversetur Concilio Tridentino.*
3 *Expenditur decisio* in Novarien. *super illis verbis* statis horis.
4 *De alio casu consimilis consuetudinis tolerandæ, & de ejus rationabilitate.*
5 *Qualis videatur proprius casus, de quo agit Concilium.*
6 *Habens immemorabilem, vel centenariam potest allegare titulum meliorem.*
7 *Quadragenaria cum titulo bonæ fidei putativo sufficit.*
8 *In hac materia sola scientia, & tolerantia Papæ sufficit.*
9 *An obstet decretum irritans, vel improbatio contraria consuetudinis.*

D I S C. XI.

Cum Ecclesia Cathedralis Hyeracen. esset etiam juxta frequentiorem consuetudinem Cathedralium, & Collegiatarum, ac etiam parochialium matricium Regni Neapolitani, recepticia omnium civium certas qualitates habentium, qui ad illius servitium adscribi velint; Hinc proinde, forsan potius ad evitandum forum, ac publica onera laicalia, quam ex devotione, usque ad satis damnabilem abusum excrescente numero clericorum, ac presbyterorum, adeout pluries S. Congregatio Episcoporum, & Regularium coacta fuerit inhibere Episcopis nimium abutentibus potestate appositionis manuum, ne tonsuram, vel ordines ipsa inconsulta conferant, in ista Ecclesia ultra præfinitum numerum octo Dignitatum, & sexdecim canonicorum, magnus excrevit numerus presbyterorum, qui cappellani vulgo dicuntur, ultra diaconos, subdiaconos, & clericos, quod stante redditum exiguitate causavit, ut computatis fructibus certis, & incertis, seu distributionibus massæ, imo etiam eleemosynis pro oneribus celebrationis missarum; quilibet canonicus, vel dignitas vix obtineat annuos ducatos viginti illius monetæ, quasi adæquantes decem ducatos auri de Camera; Ex hac igitur causa, ac etiam ob Ecclesiæ humiditatem, & intemperiem, inolevit antiqua consuetudo, quod Dignitates, & canonici haberent solum onus interessendi horis canonicis, aliisque divinis in omnibus Dominicis, aliisque festivis diebus, in feriatis autem per turnum cum certa distributione temporum intervenirent solum quidam numerus. 1

Credens autem Episcopus id adversari *Sac. Conc. Trid. sess*. 24. *de ref*. c. 12. desuper consuluit S. Congreg. Concilii, in qua scribens Ego pro Capitulo, jam conscius sensus dictæ Congregationis super interpretatione illorum verborum *statis horis*, ut de omnibus horis intelligi debeant occasione disputationis habitæ *in Novarien. de qua disc. præc.* Dicebam non prætendi assequutionem distributionum pro servitio, ac interessentia in aliquibus horis, & in aliis non, sed ratione servitii in omnibus horis, ac functionibus illorum dierum ferialium, in quibus, juxta turnum, distributum est servitium; Consuetudinem vero consistere in dicta turnaria divisione eximente necessarium interventum omnium singulis diebus, etiam simplicibus, ac feriatis absque aliqua requie, quod per Concilium non est prohibitum; Ita docente omnium fere Ecclesiarum Catholici Orbis usu, etiam Patriarchalium Basilicarum Urbis, quod servitium, vel per dies, vel per hebdomadas, vel per menses ita alternatim, ac turnarie divisum est, quo casu non dicitur, Canonicos vel alios percipere distributiones pro tempore, quo non inserviunt; sed pro eo servitio, quod ita in suis respective temporibus integre præstatur, cujus etiam est modica merx; ideoque credo, quod ita certe rescriptum fuerit, dum potissime, ultra emolumentorum tenuitatem, accedebat etiam altera justa causa parum salubris qualitatis Ecclesiæ. 2

Neque ad rem facere videbantur considerationes habitæ in d.

in d. Novarien. disc. præced. quoniam ibi dari poterat casus, quod nullus Canonicus, vel Beneficiatus interveniret in illis horis, quæ a punctatura erant exemptæ, quod inconveniens in præsenti non dabatur, dum illi qui alternatim ac per turnum suis diebus as-
3 signati sunt, subjacent punctaturis, atque in omnibus horis, ac functionibus interesse debent.

Et in quodam alio casu alterius Cathedralis, in qua modicus est numerus Canonicorum in magna existimatione ibi existentium, & qui, utpote frequentius personæ satis qualificatæ, in quampluribus pietatis officiis occupati esse solent, adeout etiam Divinum servitium, ac animarum beneficium talis occupatio concernere videatur, magnus vero adsit numerus Beneficiatorum, seu Portionariorum, qui forte majorem figuram faciunt, quam faciant Canonici plurium Cathedralium Italiæ, medii, vel infimi ordinis; Dicebam, stante præsertim centenaria jam completa post publicationem Concilii, substentabilem videri consuetudinem, ut Canonici in diebus feriatis non nisi Missæ conventuali, in festivis autem missæ solemni, ac vesperis, & quandoque etiam matutino, aliisque horis pro majoris, vel minoris solemnitatis qualitate interesse teneantur.

4 Idque ex pluribus rationibus; Primo, ob quandam majestatem, majoremque decorem canonicalis dignitatis, quod redundat etiam in honorificentiam, ac majestatem ipsius Ecclesiæ, quæ in aliis horis, ac functionibus, cultu, ac servitio destituta non remanet, sed potius bene provisa cum interessentia Beneficiatorum, seu Portionariorum, aut alio vocabulo nuncupatorum, qui honorificam, ac decentem figuram faciunt, ut supra; Et sic cessat præcipua ratio considerata *in d. Novarien. disc præc.* quod Ecclesia remanere possit in illis horis cultu destituta.

Secundo, quia vere, ac proprie decretum conciliare percutere videtur exemptiones particulares aliquorum ab
5 eo onere, quod alias supponitur incumbere canoniæ, itaut Canonici minus potentes magisque devoti, ac residentes, & obsequentes cogantur portare totum pondus servitii, alii vero licentiam sibi assumant non residendi, seu Ecclesiæ non inserviendi, atque hoc non obstante integra emolumenta percipere, & hic videtur proprius casus de quo Concilium loquitur, non autem ubi agitur de consuetudine generali ex aliquo justo motivo, dum etiam in Urbe cernimus aliquas Ecclesias Collegiatas, quibus per Canonicos non præstatur servitium, nisi diebus festivis saltem aliqua parte anni.

Tertio, quia consuetudo non solum habet dictum probabile motivum majoris decoris, ac majestatis canonicalis dignitatis, & consequenter ipsius Ecclesiæ, sed etiam alterum publicæ utilitatis, etiam in spiritualibus resultantis ob occupationibus Canonicorum in aliis pietatis operibus in aliis horis non adeo solemnibus.

Quarto, quoniam centenariæ, fortius autem immemorabilis præscriptionis, vel consuetudinis virtus, ac operatio est, ut ejus vigore allegari valeat quicumque
6 titulus de mundo melior absque necessitate illum justificandi, quoniam ipsa immemorabilis, vel centenaria observantia stat loco probationis, ejusque præsumptionem inducit, ut de immemorabili, cæteris relatis late Specul *dec.* 37. Burat. & Add. *dec.* 435. & 673. Ceis. *dec.* 110. Apont. *dec.* 2. *dec.* 101. *p.* 10. *rec.* & *passim*; Et de centinaria Merl. *dec.* 593. n. 28. Menoch. *consf.* 1023. n 3. & 4. Capoblanc *toto ejus tract. de Baron.* & communiter, unde allegari potest specialis indulgentia Apostolica.

Et quinto, quia concurrit etiam quidam bonæ fidei putativus titulus super dicta speciali indulgentia, qui ubi
7 solus, ac de per se consideratus aliquas pati posset difficultates, an sufficeret necne, attamen junctus cum subsequuta adeo longæva observantia abundare videtur, cum etiam in iis, quibus jus expresse resistit, & in quibus alias necessaria est centenaria, vel immemorabilis, sola quadragenaria cum titulo bonæ fidei putativo sufficiat *ad not. in c.* 1. *de præscript. in* 6. Caputaqu. *dec.* 361. *p.* 1. *dec.* 1. *n.* 4. *rec. tom.* 2. & *sæpius*.

Potissime vero ubi sumus in materia, in qua non urgeat vehemens, vel omnimoda juris resistentia, quo-
8 niam ad id solam scientiam, ac tolerantiam Papæ sufficere firmant Hojeda, Moneta, & alii collecti per Barbos. *ad idem Conc. sess.* 24. *de ref.* c. 12. *n.* 62.

Ideoque dicebam idem, quod supra in alio casu, quod scilicet Canonici non dicuntur percipere distributiones pro horis, quibus non inserviunt, sed quod illæ distributiones quas percipiunt, sunt condigna merx illius tantum servitii, quod præstant, plus assequuturi, si in omnibus aliis horis, ac functionibus interesse deberent, quoniam alias tantus numerus Beneficiatorum, seu Portionariorum introductus non esset, & per quorum distributiones, ac emolumenta minuuntur illa Canonicorum.

Et quamvis in Constitutione Pii IV. confirmatoria Concilii Tridentini contineatur decretum irritans, cujus natura est inficere possessionem, & consequenter impe- 9
dire consuetudinem ne nascatur, ut alibi sæpe advertitur, fortius vero ubi ipsum Concilium expresse damnat consuetudines, cum tunc istæ non possint induci. Attamen id recte procederet, quando allegatur sola consuetudo tamquam purum beneficium temporis, seu tamquam præscriptio, secus autem ubi allegatur specialis concessio Apostolica, ad cujus probationem adducitur observantia, tamquam probatio præsumptiva, cum tunc non sit de directo ferire decretum irritans, sed agere de ejus non comprehensione.

SULMONEN. DISTRIBUTIONUM,

PRO JULIO MEZARA ARCHIDIACONO, CUM CAPITULO CATHEDRALIS.

Casus decisus per Rotam pro Capitulo.

An Canonicus, qui de tempore valetudinis non est solitus residere, ac servitio Ecclesiæ interesse, gaudeat privilegio de jure competente infirmis, ut habeatur pro præsente, & lucretur distributiones massæ grossæ, vel minutas; Et quid ubi absentia fuit ex justa causa.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *Infirmus habetur pro interessente, & lucratur distributiones.*
4 *Limitatur, si in statu valido non esset solitus residere, seu non inservire.*
5 *An absentes pro servitio Cameræ Apostolicæ lucrentur distributiones.*
6 *Quod non credatur doctori attestanti de aliqua Constitutione Apostolica.*
7 *Quando procedat limitatio, de qua n. 4.*
8 *Absens pro servitio Papæ, vel Episcopi non lucratur distributiones.*
9 *Quod aliud sit absentiam non sufficere pro lucro distributionum, aliud vero quod sit justa, vel injusta.*

D I S C. XII.

CUm Julius Mezara provisus de anno 1634. de Ar- 1
chidiaconatu prima Dignitate Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Sulmonæ ejus patriæ, plurium annorum spatio a residentia abfuisset utpote occupatus in munere Auditoris, ac etiam Advocati Fiscalis Nuntiaturæ Apostolicæ Neapolis, deindeque ad patriam de anno 1648. regrediens, atque morbo podagræ affectus impeditus esset interesse divinis, ac propterea prætenderet non subjacere punctaturis, ac distributiones quotidianas obtinere, Capitulum vero id denegaret; Hinc proinde orta lite coram Ordinario, prodiit sententia ad favorem capituli, in gradu appellationis confirmata per A. C. commissaque causa in Rota cor. Bichio, in prædictarum sententiarum confirmationem pro capitulo duæ prodierunt resolutiones sub diebus 20. *Junii* 1653. &
11. *Decembris* 1654. neque causa ulteriorem progressum 2
habuit ob subsequutam dicti Julii mortem.

Non negatur in decisionibus desuper editis, minusque negabatur per scribentes pro capitulo, regula ad favorem infirmi deducta ex text. *in c. unico de Cler. non resident. in* 6. ut haberi debeat pro præsente, ac etiam interessente pro lucro, nedum fructuum, sed etiam distributionum massæ, ut post *Repetentes in eod. c. unico*, Quaranta *in*
summa Bullar. verbo *Absentia*, *seu Residentia*, late Bar- 3
bos. *de Canonicis*, c. 24. *n.* 27. *cum seq.* de Marin. *resol.* 40. *l.* 1. Pænia *dec.* 1129. & communiter.

Verum dictum fuit dictæ regulæ locum esse quatenus infirmus, seu alias juste impeditus, de tempore valetudinis,
aut cessante impedimento esset solitus residere, atque Ec- 4
clesiæ inservire, secus autem in casu converso, quod non esset solitus, ob præsumptionem, quod si non haberet impedimentum, neque interesset, ideoque non potest nec debet

bet fictio operari ultra veritatem, Felin. *in Apostolicæ, n.12. de except.* Covar. *l.3. var. c.* 13. *n.* 8. & cæteri collecti per Barbos. *de Canonicis*, *dicto* 24. *n.*35. *& seqq.* Adden. *ad dec.* 576. *n.* 126. *p.* 4. *rec. tom.* 3. Coccin. *dec.* 108. *n.* 8. cum aliis in utraque decisione.

Cumque Ego scribens pro Archidiacono allegarem Constitutionem Sixti V. disponentem, ut absentes pro
5 servitio Cameræ Apostolicæ haberi debeant pro præsentibus, etiam ad effectum lucrandi distributiones, quam Constitutionem referunt Moneta *de distribut. p.* 2. *quæst.* 11. *n.* 111. & Barbos. *de jur. Eccles. l.* 3. *c.* 18. *n.*39. Respondetur in decisionibus cum conclusione, quam in materia consuetudinis receptam, ac frequentem ha-
6 bemus, quod in iis, quæ facti sunt, credendum non est Doctorum assertionibus, & propterea cum ista Constitutio non reperiatur in Bullario, neque exhiberetur in forma authentica, nullatenus dictæ assertioni deferendum erat.

Scribens ego pro Archidiacono, admittebam omnia præmissa generaliter, ac in abstracto, dicebam tamen, etiam in sensu veritatis, fallaciam consistere in applicatione ad factum, ac in istius male conceptis præsup-
7 positis; Allegati enim auctores, ac alii dictam limitationem præbentes, duos præsupponunt casus; Unum scilicet quando Canonicus absque justa causa, & sic indebite non esset solitus residere, atque infirmatus extra locum residentiæ ad istam affectate regrediatur, ad effectum gaudendi hoc privilegio; Et alterum quando, licet præsens, ac sanus, non erat solitus inservire, neque in choro, aliisque functionibus interesse, atque in his casibus, vel in alio simili admittebam dictam limitationem esse veram.

Neutrum tamen subsistere videbatur in facto, unde propterea in decisionibus potius factum legi, quam lex facto adaptari videtur, quoniam concludenter justificabatur, quod tam in primis annis ante discessum, quam etiam ab anno 1648. in quo dictis muneribus expletis ad residentiam rediit, usque ad annum 1652. in quo, morbo nimium aggravante, orta fuit controversia, semper quod omnino impeditus non erat, fuisset in servitio assiduus; Imo etiam podagra, quandoque adeo graviter non detentus, interesse cum incommodo curabat, expleto etiam hoc medio tempore per annum satis laudabiliter munere Vicarii Capitularis sede vacante, & sic revera secundus casus supra exemplificatus non verificabatur; Et quamvis in dictis decisionibus præsertim secunda nimium subtilizando consideraretur ea circumstantia, quod in Civitate Neapoli adhuc retineret conductam quandam domunculam, ubi vivebat famula solita illi inservire, unde arguitur animus redeundi, non videbatur tamen circumstantia considerabilis, stante continuata residentia per tempus adeo notabile cum tot actibus positivis absque dubio suffocantibus hanc satis levem, ac vagam præsumptionem referibilem ad accidentalem, ac modicam moram.

Tota ergo difficultas residere videbatur in eo, an verificaretur dictus alter casus supra exemplificatus, quod scilicet in statu valetudinis non esset solitus residere stante diuturna absentia annorum duodecim circiter; Verum, & in hoc mihi videbatur dictam limitationem male applicari, cum ea procedat retento præsupposito, ut culposè, ac sine juxta causa non resederit, quodque infirmitas fuerit causa regressus, alias verisimiliter non sequuturi, quorum neutrum non subsistebat, dum ut supra, regressus fuit ob cessatas occasiones munerum, atque in statu potius valido, in quo, nedum per notabile tempus inservierat, sed etiam dictum aliud munus Vicarii exercuerat.

Quo vero ad non residentiam pro tempore notabili dicebam neque verificari casum limitationis, pro qua
8 supponitur absentia illicita, & sine justa causa, quod in præsenti dici non poterat, dum absentia fuerat pro servitio Sedis Apostolicæ; Nil obstantibus motivatis in decisionibus, quod tale servitium non sufficiat, nisi etiam accedat speciale indultum Apostolicum, sine quo etiam servitium Romani Pontificis non sufficiat, ex deductis per Barbos. *de Canon. dicto c.* 24. *n.* 1. *&* 3. Monet. *de distribut. p.* 2. *c.* 9. *n.*8. *&* 23. Tondut. *quæst. Beneficial. quæst.* 102. *n.*28. ubi *n.* 26. *&* 27. agit de existentibus in servitio Legati, seu Episcopi.

In hoc enim mihi videbatur versari equivocum clarum, quoniam aliud est, an dicta absentia sufficiat ad effectum lucrandi distributiones quotidianas; Aliud vero ad effectum judicandi, an absentia sit justa, vel injusta; seu verius, quod Aliud est quærere, an aliqua causa faciat Canonicum præsentem ad effectum fructuum; Aliud vero, an eum faciat interessentem ad effectum lucrandi distributiones; Stant enim simul, absentiam esse justam, ut illa reputetur præsens pro lucro fructuum, quodque non residens dici non valeat culposus, & tamen quod dici non possit interesse ad effectum distributionum, ut habemus in dictis supra exemplificatis casibus absentis pro servitio Papæ, seu Legati, vel Episcopi, sive in absentibus ex causa studiorum, cum similibus; Et sic non ex eo quod absentia non est apta ad lucrum distributionum, & ad faciendum aliquem interessentem, resultat, quod ille dicatur culposus non residens, qui redeundo ad residentiam, debeat in casu infirmitatis dicto beneficio privari, ac propterea intellectus non acquiescebat resolutionibus.

FLORENTINA INDULTI, PRO ABB. NERLIO, CUM CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ.

Responsum pro veritate.

De Indulto Apostolico eximente canonicum ex causa studiorum a residentia cum jure percipiendi etiam distributiones in absentia, an suffragetur post susceptum Doctoratum; & de aliis hujusmodi Indultorum ad materiam pertinentibus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De doctrina Geminiani, ut indultum ex causa studiorum procedat etiam post doctoratum.*
3 *Doctus fieri potest doctior studendo.*
4 *Post doctoratum est magis studendum.*
5 *An doctoratus possit conferri non omnino provectis.*
6 *De gradibus Regularium in hac materia.*
7 *De licentiatis Hispaniarum, ac etiam Doctoribus illius regionis.*
8 *Quod Doctori Decretorum congruit vacare studiis theologiæ.*
9 *De alio casu indulti concessi studentibus, an suffragetur adversus statutum Ecclesiæ.*
10 *Dispensationes sunt stricte intelligendæ, & non extenduntur.*
11 *Quando detur extensio, vel comprehensio.*
12 *Laudantur statuta excludentia a participatione eos qui non sunt in sacris.*
13 *De alio casu dispensationis ex causa studiorum, & quod indultarius debeat probare studuisse in publica universitate.*
14 *De decreto in litteris provisionis suscipiendi doctoratum infra annum, an causet amissionem fructuum.*
15 *Quid in hac materia veniat sub nomine fructuum, vel distributionum.*
16 *De alio casu indulti percipiendi distributiones in absentia, an prosit adversus Ecclesiæ statuta jurata.*

D I S C. XIII.

Concesso Indulto Apostolico Abbati Nerlio Canonico Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ, ut ex causa 1
studiorum in Decretis, vel sacra Theologia in aliqua publica universitate, per triennium a residentia abesse possit, ac interim percipere, nedum fructus, sed etiam distributiones, Cum illinc ad paucos menses Indultarius Doctoratus lauream in decretis in Urbe suscepisset, hinc motivatum fuit ex parte Capituli, Indultum prædictum utpote expleto ejus fine, non suffragari; Quare desuper ab eodem Indultario pro veritate consultus,

Respondi casum in puncto disputari, ac decidi per Ge- 2
minian. *in cap. cum ex eo, de Elect. in sexto* cujus hæc sunt præcisa verba; *Sed pone quod data est licentia clerico ratione studii, ut absens sit per 10. annos, & medio tempore efficitur Doctor Decretorum, & vult studere legibus, sed revocatur per Superiorem ad Ecclesiam, an liceat ei sic revocare &c. Alanus cui hoc accidit, disputavit, quod non &c.*

Duplicem satis probabilem rationem habet ista decisio; Primo scilicet, quod Papa non concessit indultum limitate ad tempus, quo Indultarius esset scholaris, sed solum pro 3
certo, ac determinato tempore adjicit conditionem studiorum, quam non implicat posse adimpleri etiam post doctoratum; Quemadmodum enim justus justior, ac perfectus perfectior effici potest, ita doctus doctior, ut observat Geminn.

min. ubi supr. Quinimo magis post Doctoratum studendum
4 esse exemplo Bart. aliorumque majorum bene admonet
amicus meus Prat. in Add. ad Muscatell. *de præstan. Doctor.*
p. 1. *in fine fol.* 783. atque communis praxis comprobat.
Et secundo in idem, quia licet plurium sententia sit
Doctoratus gradum conferendum non esse scholaribus
mediocris doctrinæ, sed tantum eminentibus, ac omnino
provectis, qui alios docere valeant, ac leges inter-
5 pretari; Contraria tamen opinio est magis recepta, ut
sufficiat mediocris doctrina, seu introductio, ac probabilis
spes, quod studendo proficere valeat, ex Innoc.
in cap. cum in cunctis de elect. Alexand. in addit. ad Bart.
in l. medicos, C. de profess. & medic. l. 10. Prat. *ubi supra,*
vers. penult. incipien. quæstio tamen; Atque absque auctoritate
comprobat praxis totius Orbis, præsertim vero
in Italia, ubi etiam attento rigore non denegatur
Doctoratus iis, qui ordinarium cursum studiorum impleverunt,
& forte frequentius confertur iis, qui neque
studia initiarunt, quamvis deinde docti efficiantur,
adeout videatur potius quædam introductio ad studia,
præsertim practica, & forensia, quæ hodie magis proficiunt
pro fine, seu effectu ex eo frequenti dicterio,
quod leges in scholis deglutiuntur, in Palatiis autem,
seu Tribunalibus digeruntur.
Dictus autem rigor non concedendi Doctoratum, nisi
6 jam provectis, quibus Magistri titulus conveniri valeat,
servatur in aliquibus Religionibus, in quibus
Baccalaureatus in Theologia est figura nostri doctoratus
sæcularis in Italia; Ac etiam in Legibus, & Decretis
servatur in Hispania, ubi post expletum ordina-
7 rium cursum scholarum, est in usu licentiatura æquipollens
doctoratui in Italia, & de qua licentiatorum
specie intelligendum venit Sacr. Concil. Trident. *sess.* 24.
de reform. c. 12. circa primas Dignitates, ac etiam *c.*
16. circa Vicarium a Capitulo sede vacante deputandum,
adeout licentiatura sufficiat pro omnibus illis
muneribus, & Magistratibus, pro quibus de jure necessarius
est Doctoratus, cujus gradus non confertur,
nisi eminentibus, ac provectis, post diuturnum exercitium
in foro, vel in cathedra, adeout cum Magister
meus Arias de Mensa Regius Consiliarius, ac primarius
in horis vespertinis in Neapolitanæ Civitatis studiis,
solitus esset in subscriptionibus adhibere pro dignitate
titulum Doctoris, atque ab amicis monitus esset quod
id causaret quamdam speciem irrisionis, respondit quod
attentis moribus patriæ, magis existimabat illum titulum,
quam alterum Consiliarii, dum pauci nationales,
in majoribus etiam magistratibus constituti, de
illo gloriari poterant.
Et propterea (applicando ad rem) ubi etiam indultum
taxative concessum esset pro studiis in una scientia
tantum, puta in Decretis, in quibus Doctoratus se-
8 quutus erat, adhuc illud suffragari deberet, cum etiam
post Doctoratum recte detur studiorum continuatio,
ut supra; Multo magis quia per alternativam in hac
materia in copulativam potius sonantem, posita erant
quoque studia Sacræ Theologiæ, quæ in viris Ecclesiasticis
nimium proficiunt, unitim cum studiis
Decretorum, seu Canonum, & consequentes Indultarius
recte dicere poterat velle incumbere studiis
theologiæ.
In proposito autem hujusmodi Indultorum, quæ
concedi solent absentibus ex causa studiorum, in una
Comen. pro Capitulo S. Fidelis cum Francisco Suavio,
9 hic ex causa studiorum consimile indultum obtinuisset,
atque in ea Ecclesia adesset statutum, ut Canonici non
existentes in sacris, quamvis præsentes, & interessentes
participare non possent de quadam massa grossa,
dictusque Indultarius, quamvis non in sacris, non
obstante Statuto in vim dicti Indulti participationem
prætenderet; Dicebam scribens pro Capitulo in Signatura
Justitiæ, improbabilem esse hujusmodi prætensionem,
ex duplici ratione; Primo quia non potest
plus operari fictio, quam veritas, & propterea cum
hic Indultarius, quamvis vere interesset, participare
non posset ex defectu ordinum, idcirco suffragari non
poterat indultum, quod solum ficte reddit aliquem præsentem,
ac interessentem.
Et secundo clarius quia dispensationes dicuntur stricti
juris, stricteque intelligendæ sunt, atque concessæ super
10 uno defectu, vel obstaculo, non suffragantur quoad alterum,
quinimo neque pro casu mixto, quamvis identitas,
quinimo majoritas rationis accederet, Caputaq.
dec. 8. *p.* 1. Gregor. & Add. *dec.* 109 *n.* 6. & 13. & Add.
ad eum dec. 87. *n.* 17. stante potissimum regula Cancellariæ,
quæ in dispensationibus Apostolicis cessare facit
difficultates, alias, in terminis generalibus juris communis
cadentes.
Et quamvis nimium in contrarium urgere videretur
decisio Rot. in Terulana Statutorum 11. Aprilis 1644.
coram Carillo, quæ non habetur inter ejus impressas, 11
utpote extensa ob ejus discessum per Peutingerium, ubi
quod dispensatus super ætate necessaria ad obtinendum
Canonicatum, censeatur etiam dispensatus ad perceptionem
fructuum, non obstante particulari Ecclesiæ Statuto
prohibente perceptionem fructuum in Canonicis
in præfinita ætate non constitutis. Attamen quidquid
sit de dicta decisione in casu suo, ea non videbatur
obstare ad rem, cum Statutum in hac parte non videatur
disponere quid novum, sed sit solum excitativum
ejus, quod est de jure, ideoque non est extendere dispensationem
de casu ad casum, sed iste dicitur effectus
accessorius, seu consequutivus.
Dictum vero Statutum esse validum, ac rationabile 12
cæteris relatis firmat in specie Monet. *de distribut. p.* 2.
q. 19. *n.* 28. & 35. & *q.* 20. *n.* 12. ubi testatur ita servari
in omnibus Ecclesiis Collegiatis Mediolani, atque ita
statutum esse per Synodum, seu Concilium Provinciale;
Et generaliter de validitate statutorum Capitularium,
circa participationem distributionum, vel massæ, Rot.
dec. 32. & 107. *p.* 7. *rec.* cum aliis per Add. *ad dec.* 20.
n. 37. *p.* 3. *rec.* & conferunt quæ habentur infra in Nazarena
disc. 15.
Et in una Fundana pro Capitulo Cathedralis cum proviso
Primiceriatu habente simile Indultum, dicebam 13
coram A. C. illud non suffragari, non solum quia non
docebam de studiis in aliqua Universitate, in ea scientia,
de qua indultum loquitur, ut de jure requiritur,
ac probandum est per se fundantem in indultum, Grat.
discept. 283. *n.* 38. Barbos. *de Episc. alleg.* 56. *n.* 21. &
22. sed etiam quia in ejus provisione continebatur decretum
super susceptione Doctoratus infra annum, quod- 14
que alias gratia esset nulla ipso jure, quo casu absque
sententia declaratoria resultare videtur effectus amissionis
fructuum, ex deduct. per Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 15.
n. 150. & generaliter per Lotter. *lib.* 3. *quæst.* 33. *n.*
68. & *seqq.* Quidquid enim sit de ista quæstione ad alios
effectus, id in proposito attendi debere observabam
contra actorem innitentem indulto, seu dispensationi
exorbitanti.
In hac item materia absentiæ ex causa studiorum ob
quam quis reputatur præsens ad effectum perceptionis 15
fructuum, cadere solent quæstiones, quidnam sub fructuum
nomine veniat, quoties non adsunt præbendæ
distinctæ, quibus existentibus cessat omnis difficultas,
an scilicet illæ distributiones quæ rediguntur ad massam
grossam distribuendam in singulos annos, vel menses, succedere
dicantur loco præbendæ, sine qua Canonicus stare
non potest, de hoc autem aliquibus agitur infra in
Anglonen. *disc.* 16. & pluries *sub tit. de pensionibus*,
ac etiam in Luccana Prioratus *sub tit. de jurepatr. disc.*
10. ubi distinguitur materia fructuum certorum ab incertis;
Ubi tamen vivitur per punctos, seu punctaturas,
ad quarum proportionem intrat participatio, quæ
nulla detur servitio, ac effectivæ interessentiæ, tunc
receptum est, ad illum præsertim effectum fictæ præsentiæ
ex causa studiorum, vel simili, hujusmodi distributiones
non venire, cum dicta causa suppleat præsentiam,
non autem interessentiam, quæ ad hunc effectum
necessaria est, ut in dicta Anglonen.
In alio autem casu consimilis indulti, ex alia tamen
causa concessi possessori Dignitatis, & Canonicatus insignis
Metropolitanæ Ecclesiæ Toletanæ percipiendi distributiones,
& emolumenta in absentia ultra alia mo- 16
tiva, quæ in congressu habito ex parte Capituli adversus
indultum ponderabantur in facto magis consistentia,
illud considerabatur nimium relevans juramenti ab eodem
indultario de more præstiti super observantia Constitut.
& Statut. capitularium disponentium, neque hæc indulta
obtineri posse, vel concessis uti, licet enim idem
indultum amplam contineret derogationem quibuscumque
statutis, quamvis Apostolica auctoritate, vel juramento
firmatis, attamen requiritur mentio specialis
juramenti præstiti per ipsum indultarium de non impetrando
talem facultatem, vel impetrata utendo, cum id
sub dicta generali derogatione non veniat, ut punctualiter
Puteus *dec.* 103. *l.* 1. Duran. *dec.* 5. *n.* 4. &
fuit etiam dictum in Pisana distributionum 4. Junii 1663.
coram Bevilaqua, adhuc tamen punctus ad forum deductus
non est in Curia.

ROMANA JURIUM CANONICALIUM, CUM COLLEGIO POENITENTIARIORUM EJUSDEM ECCLESIÆ.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Visitationis Apostolicæ, & resolutus, ut infra.

Sub concessione jurium, ac emolumentorum Canonicalium, quænam veniant, & quæ non; Et de differentia inter actus Capitulares, & actus chorales.

S U M M A R I U M.

1 *De pœnitentiariis trium Basilicarum Urbis, & præsertim illis S. Mariæ Majoris reputandis tamquam possessoribus unius Canonicatus.*
2 *Casus controversiæ cum resolutione.*
3 *Donatoris declarationi est deferendum.*
4 *Quid sint quindennia, & quam speciem emolumentorum importent.*
5 *Quid de laudemiis.*
6 *De differentia inter actus chorales, & actus Capitulares.*
7 *In Actibus Capitularibus requiritur interessentia vera cum jure votandi in Capitulo.*
8 *Datur exemplum officiorum Cancellariæ Apostolicæ.*
9 *Declaratur conclusio, de qua nu.6. & 7. super emolumentis Capitularibus.*
10 *De distinctione quod aliud est jus votandi in Capitulo, aliud participatio emolumentorum.*
11 *Canonicus pœnitentiarius, dum est in Confessionario habetur, ac si esset in choro.*
12 *Quod ad effectum participandi de augmento distributionum, ob aliorum absentiam requiratur vera, & realis interessentia, & de ratione.*

D I S C. XIV.

1 In tribus Basilicis particularibus Urbis, loco Canonici Pœnitentiarii, qui in Cathedralibus, vel insignibus Collegiatis esse solet ex Apostolica provisione, adsunt Collegia pœnitentiariorum Regularium, hoc est in Lateranensi, Minorum strictioris observantiæ, in Vaticana Societatis Jesu, & in Liberiana, seu Sanctæ Mariæ Majoris Prædicatorum, atque in ista præsertim pro dicti Collegii substentatione assignata fuerunt omnia jura, & emolumenta unius Canonicatus, & quantum percipiat quilibet alterius Canonicatus possessor, qui interesset, aut inserviret; Observantia vero dedit quod Collegium participaverit solum de fructibus, seu distributionibus massæ grossæ, juxta eam menstruam repartitionem, quæ enunciatur supra, *disc. 9.* Recurrente vero Collegio prædicto ad Sacram Congregationem Visitationis Apostolicæ, ac prætendente participationem quorumdam aliorum emolumentorum, de quibus in
2 præteritum participare non consuevit, hoc est de anniversariis aliisque functionibus pro devotione Regis Catholici in ista Ecclesia fieri solitis, nec non de laudemiis pro consensibus, qui præstantur in alienationibus bonorum emphyteuticorum, ac de quindenniis ratione eorumdem bonorum existentium pœnes manus mortuas, ac etiam de distributionibus, quæ ob absentiam, vel vacationem aliquorum Canonicorum aliis interessentibus ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini accrescunt, aliisque emolumentis extraordinariis;

In omnibus autem Sacra Congregatio decrevit ad favorem dicti Collegii Pœnitentiariorum, præterquam quoad dicta Anniversaria, aliasque functiones sub nomine Regis, in quibus totum remissum fuit declarationi Regis Oratoris ob decretum, vel constitutionem Innocentii X. per quam dispositum fuit hujusmodi emolumenta a dicti Regis munificentia provenientia pertinere solum ad interessentes juxta quotidianarum distributionum naturam, præservando dicto Oratori facultatem declarandi casus dubios, quod juris fomentum habet ex recepta propositione, de qua apud Otthobon.
3 *dec. 119. n. 8. & 195. n. 18. dec. 77. & 90.* post Colluct. Bonden. & frequenter, ut donatoris declarationibus deferendum sit, potissime vero ubi ipse nullum habet interesse.

Quo vero ad alia jura, & emolumenta, ea distinguendo; Quatenus pertinet ad quindennia debita per manus mortuas possidentes bona emphyteutica, & de quibus habetur in Neapolitana *sub tit. de emphyt. disc. 50.* & in Romana, seu Portugallien. *quindenniorum, sub tit. de benefic. disc....*; Mihi quamvis scribenti pro Capitulo, resolutio justa, & probabilis visa est, quoniam illa speciem fructuum certorum habere videntur, cum sint certa, & invariabilia tamquam 4
species censuum, seu canonum, & sic habent eandem naturam, quam habent fructus casalium, & domorum, aliorumque bonorum, quamvis laudabiliter pro majori Ecclesiæ cultu ad formam distributionum redacti sint.

Quo vero ad laudemia; dicebam scribens tamquam advocatus, quod ista importent emolumentum præstandum ratione consensus, qui per Dominum directum datur alienationi rei emphyteuticæ, seu pro recogni- 5
tione novi emphyteutæ, ut talis a Domino admittatur, juxta veriorem opinionem, de qua Clar. *in emphyt. qu. 23. n. 4.* Rota apud Caval. *dec. 121. n. 1.* in Romana domorum 18. Aprilis 1644. coram Ghislerio, Rovit. *dec. 73. n. 12.* & habetur pluries in sua materia *sub tit. de emphyt.* & consequenter quod sit actus capitularis potius quam choralis, in quo non attenditur præsentia, vel interessentia ficta, sed requiritur vera, & realis, quæ neque sola sufficit cum qualitate canonicali, nisi etiam accedat altera habendi vocem in Capitulo, glos. & DD. *in Clement. ut ii, de ætat. & qualitat. cum concordan.* collectis per Barbos. *de Canonicis, c. 37.* Rota in Valentina præeminentiarum 19. Novem- 6
bris 1640. coram Coccino, & 21. Martii 1641. coram Pirovano, Adden. *ad dec. 16. p. 3. rec. n. 22. cum seqq.* per quos recensentur, ac distinguuntur actus chorales a capitularibus, vel e contra, ad effectum videndi quinam conveniant, & qui non, Canonicis non habentibus votum in Capitulo; quales sunt illi, qui non sunt constituti in sacris; Et propterea cum istud Collegium non interveniat in Capitulo, neque in eo votum habeat, sed solum habeatur pro Canonico præsente, ac interessente in actibus choralibus, non deberet partici- 7
pare de istis actibus Capitularibus.

Ad quod comprobandum adducebam practicum exemplum officiorum Cancellariæ Apostolicæ, quoniam plures officiales dispensati sunt ab interessentia personali in Cancellaria, & tamen ad instar in- 8
teressentium participante de emolumentis ordinariis, & consuetis, non tamen de illis extraordinariis, ac accidentalibus, quæ obtinentur ratione Congregationum, tamquam pro actibus Capitularibus, seu Collegiativis.

His tamen non obstantibus, adhuc resolutio probabilis 9
visa est, ex eadem ratione in quindenniis supra considerata, ut scilicet istud sit emolumentum ratione bonorum, & tamquam pars eorum fructuum, licet ad perceptionem requiratur actus capitularis, ad instar emolumentorum jurisdictionis feudi, vel castri, pro quibus obtinendis oportet justitiam administrare, atque actus jurisdictionales exercere, sed non per hoc dicuntur mera emolumenta actuum jurisdictionalium, sed potius dicuntur fructus feudi, seu castri, cum similibus; Unde propterea etiam Canonici, qui non existentes in sacris non habent votum in Capitulo participant, quoniam, 10
Aliud est non posse intervenire in Capitulo, neque habere præeminentiam participandi de actibus capitularibus, ut sunt collationes Canonicatuum, seu electiones, & similes, aliud vero participare, vel non participare de emolumentis, ac fructibus bonorum, quamvis ad eorum perceptionem actus capitulares requirantur.

Demum quoad tertium, & ultimum punctum, fundata videbatur de stricto jure intentio dicti Collegii ut- 11
pote repræsentantis Canonicum Pœnitentiarium, qui assistendo confessionario in audiendis confessionibus habetur pro vere interessente in choro, aliisque divinis, ad effectum participandi de distributionibus, juxta plures declarationes Sac. Congregationis relatas per Monet. *de distribut. p. 2. q. 11. num. 64. cum seqq.* Barbos. *in Collect. ad Concil. sess. 24. de reform. cap. 8. n. 28. cum seqq.*

Verum iste videbatur nimius rigor, quoniam istud augmentum a Sacro Concilio Tridentino rigorose decretum est illis, qui vere intersunt, ac inserviunt in præmium ma- 12
joris, ac extraordinarii laboris, quem sufferunt illi qui vere, & realiter intersunt, ac inserviunt, ideoque convenire non debet illis, qui ex legitima causa impediti, pro præsentibus, ac interessentibus ex juris fictione habentur, ut satis bene ex Castro Palao, Bonacina, Barbos. & aliis firmatur per Rotam *dec. 117. n. 5. & seqq. p. 9. rec.* Et sic hujusmo-

jusmodi Canonico fictio sufficere debet, ut obtineat omnia emolumenta canonicalia, cum præsupposito quod omnes alii Canonici intersint, ac inserviant, quoniam aliquorum absentia a choro non alterat munus Pœnitentiarii, quod æqualiter est idem, sive aliqui Canonici absint, sive non; Et consequenter non congruit, neque adaptatur ratio, ob quam hoc jus accrescendi decernitur, vere, ac realiter interessentibus, & inservientibus, quorum labor, & incommodum ita majora redduntur, ideoque augeri debet emolumentum, ex regula, quam habemus in materia salarii angendi, quando augetur labor, vel servitium ex deductis per Zacch. *in ejus tract. de salario*, & habetur *dec.* 154. *p.* 1. *rec.* Buratt. & Add. *dec.* 508. in Neapolitana funeralium 27. Junii 1661. cor. Verospio, edita in causa, de qua *sub tit. de Paroch. disc.* 28. & in sua materia *sub tit. de credit.* vel sub altero *de Administratoribus*, quæ ratio, ut dictum est, non congruit Pœnitentiariis, quorum onus, vel servitium ex interventu majoris, vel minoris numeri Canonicorum in choro nullam recipit alterationem, ideoque resolutio in hac parte non captivavit intellectum.

ROMANA CONCESSIONIS INDULTI
AD PETITIONEM
OCTAVII BOCCAPADULI.

Responsum pro veritate.

Sub nomine Decani Canonicorum, & Capituli, quoties agitur de Decanatu sonante in Antianitatem, non autem in Dignitatem, ad effectum præeminentiarum ac exemptionis a servitio; An veniat ille qui vere, & de facto est talis tamquam antiquior Canonicus, vel potius qui ob aliquod impedimentum senioris occupat primum locum, ac nuncupationem Decani; Et an ratione longævi servitii concedenda sit exemptio ab interessentia, & servitio.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod privilegia emerentiæ concedenda sint iis, qui vere magis servierunt.*
3 *Canonicus antiquior, seu antianus dicitur ille qui prius est receptus.*
4 *Non attenditur fictio, quod ob aliquod accidens junior occupet primum locum, & datur exemplum.*
5 *In majoratibus, & fideicommissis, ac aliis quis veniat appellatione majoris natu.*
6 *Frater major retinet claves, & scripturas, ac facit partes in divisione.*
7 *An senectus importet exemptionem a servitio ad effectum distributionum.*

D I S C. XV.

1 CUm Alexander VII. concessisset indultum antiquiori Canonico, qui Decanus nuncupari solet, Basilicæ Vaticanæ, ac etiam alteri Basilicæ Lateranensis, haberet autem in animo idem concedendi in altera Patriarchali Basilica Liberiana, seu Sanctæ Mariæ Majoris, orta est dubitatio, cuinam tale indultum congrueret, an scilicet Octavio qui naturaliter, ac de facto erat primus, magisque antianus Canonicus, vel alteri post eum venienti, qui ob neglectam ab Octavio optionem forte ob defectum Ordinis præsbyteralis, primum locum tamquam Decanus in choro, & Capitulo obtinebat, (quod tamen fuit causa, ut neuter obtineret;) Hinc proinde desuper pro veritate consultus,

Respondi, probabilius gratiam concedendam esse Decano vero, seu per naturam ratione majoris antianitatis, cum enim non agatur de aliquo jure, seu præeminentia debita ex juris, vel hominis dispositione Decano, seu primo Canonico, sed de gratia, contra dispositionem juris, ac in præjudicium aliorum Canonicorum, ipsiusque Ecclesiæ ita diminutionem in cultu recipientis; Hinc proinde supponenda est justa causa concessionis, referenda ad longævum servitium, ducto exemplo ab illis emerentiæ privilegiis, quæ per Prin-
2 cipes, vel militiæ Duces veteranis militibus conceduntur, & sic ratione majoris oneris, ac antiquioris servitii, spectata naturali veritate, non autem juris fictione juxta text. *in l.* 2. *in fin. C. de offic. Magistr. offic.* ibi, *ut is gratia cæteros antecedat; quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit enteire*, cujus textus verba in proposito optionis inter Canonicos registrat Gonzal. *ad regul.* 8. §. 3. *proœmial. n.* 25. Et generaliter, ut antiquitas desumenda non sit ab ætate, vel alia circumstantia, sed ex tempore receptionis in Canonicum ex eo quia honores, ac privilegia debentur antiquiori propter majora onera, & servitia, quæ in Ecclesia præstitit glos. 3
in cap. fin. verbo antiquior de consuetud. in 6. ubi Giminian. *n.* 11. *in princip.* ubi advertit esse notandum pro privilegiis & statutis, vel litteris Apostolicis mentionem facientibus de Canonico antiquiori, sequuntur Felin. *in cap. cum omnes p.* 35. *de Constitut.* Chassaneus *in Catalogo glor. mundi p.* 11. *considerat.* 17. Gonzal. *ubi supra & glos.* 34. *n.* 100. Monet. *de option. cap.* 4. *quæst.* 1. *n.* 15. *cum seq.* Barbos. *de Canon. cap.* 30. *n.* 9. *& seqq.* & communiter.

Neque obstare dicebam, quod digniorem locum in choro, & capitulo occuparet alter Canonicus postea receptus, ac provisus, qui de facto Decani nomen, ac præeminentias habebat, quoniam non per hoc illi dicta ratio 4
conveniebat, cum frequentius id contingat ex aliquo accidenti, seu qualitate; Ut inter plura exempla, quæ adduci possent, deducebam illud practicum, & actuale Collegii Advocatorum Concilitorialium, quoniam naturaliter ac de facto antiquior est eximius ille Juris Consultus Cameræ Advocatus, de quo habetur mentio *sub tit. de feudis disc.* 5. ac alibi, qui fuit dicti Collegii plurium annorum spatio Decanus; sed quia ex laudabili stylo, qui plerisque aliis Collegiis communis est etiam Rotæ, hanc præeminentiam Decanalem habere non potest, nisi qui sit eodem ordine, secus autem si de diverso, puta Episcopali, vel respective prælatitio &c. dictusque Decanus statum prælativum assumpsit, hinc proinde de primo factus est secundus, primumque Decani locum, ac vocabulum (satis etiam digne) occupat alter, qui forte minus habet ætatis, quam alter habeat Advocationis, seu Collegii; Ideoque ubi ratione antiquitatis servitii aliquod benemerentiæ privilegium concedendum esset, utique dicto naturaliter antiquiori convenire deberet.

Ponderabam quoque in idem ea, quæ habentur *sub tit. de fideicommissis disc.* 1. *cum pluribus sequent.* supra quæstione majoratus, an scilicet vocato natu majori, id intelligatur de eo qui tamquam senior, seu primo natus vere, ac naturaliter est talis, vel potius de illo, qui ex prærogativa lineæ primogenitæ dicendus est major natu, quamvis junior; Atque ubi agitur de muneribus personalibus, seu actibus ratione ingenii, aut prudentiæ faciendis, receptum est attendi majorem natu per naturam, non autem illum per legis fictionem ratione lineæ ex ibi deductis. 5

Et conferunt in idem, quæ ex Abb. *in cap.* 1. *de pœnis*, & Felin. *in cap. cum omnes de Constit.* cum aliis per Michalor. *de fratribus p.* 3. *c.* 36. Andreol. *contr.* 152. *n.* 3. habentur de fratre majore retinere debente scripturas, seu claves castri, aut in divisione facere debente partes, cum similibus, quod intelligitur de fratre majore per veritatem, & per naturam, non autem per fictionem. 6

In proposito idem antianitatis, ac longævi servitii, ad effectum obtinendi exemptionem a servitio, ac interessentia, atque ut vulgo dicitur effici jubilatus, ingeniosissimus Jurisconsultus Andosilla, qui prius eximius, ac primi ordinis Advocatus, deinde ad statum prælaturæ evectus, effectus Canonicus antiquior, seu Decanus Basilicæ Vaticanæ, dicebat percipere non posse quomodo Jus canonicum, quod æquitatem longe supra jus civile profitetur, illud emerentiæ privilegium non concesserit Canonicis, vel Beneficiatis veteranis, eo modo quo conceditur militibus, ac etiam lectoribus Universitatum, 7
& similibus; Verum ei respondebam ego, quod Beneficiati, vel Canonici de hoc conqueri non debent; Tum quia eorum jus, seu emolumentum ratione beneficii, vere, & proprie consistit in fructibus, pro quibus, ubi etiam Beneficium sit residentiale, sufficit residentia absque necessitate servitii interessentiæ, emolumentum vero distributionis est per accidens, seu causativum pro illis, qui inserviunt, ideoque illi, qui inservire non possunt obtinere non debent, cum major æquitas suffocare debeat minorem, illaque major assistere videatur Ecclesiæ ejusque cultui, qui ubi casus præberet plurium Canonicorum longævam vitam, posset ita remanere derelictus; Tum etiam quia provisum est, quoniam ubi senectus sit talis, quod impediat servitium, vel in totum, vel in parte juxta functionum qualitates, cum æquipolleat infirmitati, quoties de tempore valetudinis, seu robustæ ætati-

ætatis consuevit interesse, ac inservire, itaut non intret difficultas, de qua supra in Sulmonen. *disc.* 12. excusatur atque habetur pro interessente, adinstar infirmi, ut apud Barbos. *de Canonicis*, *c.* 24. *n.* 37. ubi alii cumulantur.

Ac etiam quia, ubi agitur de senectute, quæ de jure reputatur infirmitas, quoties est gravis, quæ decrepitam attingat, in ætate scilicet septuagenaria, tunc etiam absque alia infirmitatis justificatione non denegatur coadjutor, quo mediante ipse senex eximitur, Ecclesia vero recipit suum servitium; Sive quod ipsa Sedes Apostolica, concurrente hac benemerentia diuturni servitii, solet benigne se gerere, concedendo particularia indulta, ut supra, quale eidem Andosillæ concessum fuit, non autem, quod ex ista solum ratione exemptio prædicta possit de jure prætendi.

ANGLONEN. PARTICIPATIONIS MASSÆ, PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM LEONARDO ANTONIO ZOTTA ARCHIPRESBYTERO.

Casus disputatus coram Prælato judice commissario sub incerto exitu.

An distributiones massæ grossæ, vel alia emolumenta Canonicatus, vel dignitatis veniant sub nomine fructuum, ita ut debeantur absenti ex legitima causa; Et quando huic, quamvis non interessenti, neque inservienti etiam distributiones debeantur; Et de speciebus massæ grossæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quæ emolumenta veniant sub nomine fructuum, ac debeantur residentibus, seu legitime absentibus etiam sine servitio.*
3 *Quæ sint distributiones minutæ, ac vere quotidianæ non debitæ, nisi servientibus.*
4 *Quando etiam non inservientibus istæ distributiones debeantur, & de ratione.*
5 *Quod distributiones massæ grossæ succedant loco præbendæ, ac habeantur tamquam fructus.*
6 *Declaratur quomodo, & quando id procedat, & distinguuntur diversa emolumenta massæ grossæ.*

D I S C. XVI.

1 Illemet Archipresbyter Cathedralis, de quo ad materiam residentiæ habetur actum in alia Anglonen. Archipresbyteratus *sub tit. de benefic. disc.* 77. cum ex illius litis prætextu licentiam obtinuisset a S. Congregat. Concilii, ad determinata tempora pluries prorogata, ut a residentia abesse posset, litem excitavit contra Capitulum super participatione massæ grossæ, quasi quod ista veniret sub nomine præbendæ, atque obtenta in contumaciam quadam sententia, ejusque executorialibus, assumente Capitulo defensionem coram Prælato judice appellationis; Cum scribentes pro eodem Archipresbytero actore in hac materia plura inculcarent cum copioso cumulo doctrinarum, ac decisionum, quæ licet diversos terminos percutientes, de facili mentem judicum non adeo versatorum, involvunt; Hinc proinde scribens pro Capitulo, etiam pro veritate ipsi judici aperienda, dicebam in hac materia pro tollendis æquivocis, plures fructuum, ac distributionum species distinguendas esse, prout etiam distingui debere personas, cum quibus agatur, non autem generaliter, ac indefinite propositiones in uno casu, vel ad unum effectum loquentes, cuicumque alteri applicandas esse.

2 In possessore siquidem Canonicatus, vel Dignitatis aut alterius beneficii residentialis, vel servitorii respective, in Cathedrali, vel Collegiata, plures dantur fructuum, seu emolumentorum species, quarum prima est illa proveniens ex bonis, vel juribus fixe, ac perpetuo ipsi beneficio annexis, ac beneficiato ex sola ratione beneficii, absque alio onere, vel servitio debitis, & qui in jure, contradistincte a distributionibus, dicuntur fructus præbendæ, atque isti vere, ac proprie veniunt sub nomine fructuum juxta *cons.* 118. Oldrad. cum aliis pluries deductis *sub tit. de Benefic.* ad materiam valoris in genere, præsertim *disc.* 90. ac etiam habetur pluries in præcedentibus, & *sub tit. de jurepatr.* præsertim in Lucana Prioratus *disc.* 10. istorumque fructuum respectu, attenditur, ac sufficit præsentia ficta, seu justa causa, quæ excuset a culposa non residentia; ob quam vel ex intentione juris communis, vel ex dispositione Sac. Conc. Trid. beneficiatus, qui non residet, eos in totum, vel in parte amittit, atque ad hunc effectum suffragantur hujusmodi licentiæ, utpote excusantes a culposa absentia; Ideoque cum hic Archipresbyteratus haberet suam præbendam reddentem in tructu ducatos circiter octo monetæ illarum partium, ut firmatur in alia Anglonen. *dec.* 242. *n.* 3. *p.* 12. *rec.* hinc proinde in ista fructuum specie admittebam bonum jus actori assistere, quodque ubi Capitulum dictam fructuum speciem percepisset, restituere teneretur.

3 Altera est species distributionum vere quotidianarum, ac minutarum, quæ in dies præstantur pro servitio, ac labore mere personali, ut frequentius sunt illæ, quæ obtinentur pro exequiis, vel associatione cadaveris, cum similibus, juxta locorum consuetudinem, & tunc extra principium dubitandi est, illas nullatenus per non interessentes, quamvis vere & realiter, ac naturaliter residentes, justeque impeditos prætendi posse, multo minus per eos, qui vere, ac naturaliter absentes, ficte pro præsentibus, ac residentibus habentur.

4 Et licet quandoque etiam adversus Capitula, illis qui de facto non inservierunt, neque in choro intervenerunt, hujusmodi distributiones decretæ fuerint, ut præsertim habetur apud Royas *dec.* 173. ubi de condemnatione Capituli præstantis impedimenta; Et de condemnatione spoliatoris, vel intrusi de facto impedientis beneficiatum, ne beneficii possessionem adipiscatur, vel ne adeptam retineat, cæteris relatis habetur in Romana Beneficiatus Sancti Petri coram Bevilacqua *dec.* 260. *n.* 20. *p.* 12. *rec.* Ac etiam *dec.* 247. *p.* 10. ubi contra attentantem, ac in aliis; Attamen id non provenit ratione pertinentiæ, seu juris percipiendi ob justam causam excusantem a præsentia, vel non interessentia, sed debentur tamquam damna, & interesse ratione justi impedimenti, quo non præstito, Beneficiatus possidendo pacifice beneficium, ut juris erat, illis functionibus interfuisset, istaque emolumenta percepisset. Adinstar illius refectionis damnorum, & interesse, quæ per injuste impedientem, debentur impedito, ne alias suam artem, vel professionem exerceret, cum similibus.

5 Tertia demum species est illarum distributionum, quæ ad massam vulgo grossam nuncupatam redigi solent, atque in fine anni, seu alias statutis temporibus dividi, & tunc ob propositionem in Rota frequentem, quod hujusmodi distributiones massæ grossæ succedant loco præbendæ, atque sub fructuum nomine veniant, frequens cadit involutio, ut apud Buratt. *dec.* 694. cum aliis collectis per Add. *ad dec.* 576. *n.* 28. *cum seq. p.* 4. *rec. tom.* 3. & *sub tit. de pension.* Et in specialibus terminis, ut veniant sub condemnatione fructuum habetur in dicta Romana Beneficiatus Sancti Petri coram Bevilaqua *dec.* 160. *n.* 19. *p.* 12. magisque in individuo ad favorem ejusdem actoris dictum fuit in Anglonen. Archipresbyteratus coram Melcio *dec.* 242. *n.* 6. & 7. *eadem p.* 12. istæque præsertim decisiones judicis mentem involvebant.

6 Verum & in hoc consistit frequens æquivocum, pro quo elucidando advertebam, reflectendum quoque esse ad diversas emolumentorum species, ex quibus hujusmodi massæ grossæ constitui solent; In plerisque enim Ecclesiis, etiam vere quotidianæ, ac minutæ distributiones pœnes Capituli, seu Collegii Æconomum cumulari solent, certis temporibus distribuendæ, sed prorsus fabulosum est, ut istis quamvis in massam redactis fructuum vocabulum, vel effectus applicari debeat; His autem absque dubio seclusis, massa grossa, quæ ex decimis, vel responsionibus, ac fructibus bonorum, seu etiam ex annuis censibus, ac livellis, aliisque redditibus constituta ob triplicem causam Canonicis, ac Beneficiatis distribui soleat; Unam scilicet ob onera missarum privatarum ex piis dispositionibus Capitulo incumbentia, & quorum onerum implementum inter ipsos Canonicos, vel Beneficiatos distribuitur, puta quod quilibet unam, vel duas missas in hebdomada pro satisfactione onerum Ecclesiæ celebrare, vel celebrari facere teneatur, & pro hac rata, ut alibi supra advertitur, ne dum ex identitate, sed ex majoritate rationis fortius procedunt eadem, quæ de vere minutis ac quotidianis distributionibus habentur, cum sit nudum salarium laboris personalis, seu eleemosyna pro celebratione Missæ.

Altera distributionis causa est illa actualis servitii, ac interessentiæ in choro divinis officiis & horis cum onere cele-

brandi missas conventuales, & solemnes per turnum, & cum punctaturis, ad quarum rationem, seu proportionem, major, vel minor sit participatio, & tunc in effectu dicuntur vere distributiones quotidianæ; quæ singulis diebus, ac horis percipi dicuntur, dilata solum exactione in fine anni, seu in aliquibus temporibus, ideoque prorsus erroneum est, dictam conclusionem de massa grossa succedente loco præbendæ huic massæ applicare, quamvis hujusmodi distributiones proveniant, non ab oblationibus, & anniversariis, sed a fructibus prædiorum, ac bonorum ipsius Ecclesiæ, quoniam id est quidem considerabile ad illum effectum, de quo agitur in dicta Lucana Prioratus *sub tit. de Jurepatr. disc.* 10. regulandi scilicet augmentum dotis, quod reddat concessionem juris patronatus ex causa onerosa, adeout non subjaceat reservationibus Apostolicis necne, secus autem ad hunc effectum, quoniam semper quod participatio massæ est per punctos ac ratione servitii, absolutum remanet, distributiones, eisque non convenire vocabulum, vel terminum fructuum, ut plene cæteris relatis habetur *dec.* 135. *num.* 7. *p.* 10. *rec.* ac etiam *sub tit. de pension.* cum ad effectum substinendi, vel impugnandi pensiones, vel translationes de his frequentius agi soleat in ea materia.

Tertia demum est sola causa Canonicatus, seu beneficii absque alia necessitate servitiis, vel interessentiæ, & tunc recte procedit dicta conclusio de massa grossa succedente in locum fructuum, seu præbendæ, adeout jure fructuum censeatur ex cumulatis per Add. *ad dec.* 586. *n.* 30. *p.* 4. *rec. tom.* 3. Verum præsertim in Italia rari sunt casus hujusmodi massæ, cujus participatio absque punctis, ac onere servitii ex sola ratione Canonicatus, vel Beneficii competat; Et propterea applicando ad rem, cum istius Ecclesiæ massa esset juxta primam ac secundam speciem, pro onere scilicet celebrationis missarum, ac pro actuali servitio in divinis per punctos, etiam cum sensu veritatis dicebam improbabilem esse dictam pretensionem, quæ merito, ut credo, nullum effectum sortita fuit, cum dicta Rotæ decisio ad ejusdem actoris favorem edita contra collitigantem, aliam habeat diversam causam damnorum, & interesse ut supra.

NAZARENA PARTICIPATIONIS,

PRO

ANTONIO MASELLO ARCHIPRESBYTERO CUM CAPITULO.

Casus decisus per S. Congregationem Concilii pro Capitulo.

An provisi de Dignitatibus, vel Canonicatibus subjaceant Ecclesiæ statuto, vel consuetudini super gratuito servitio Ecclesiæ præstando, vel aliis implementis pro admissione ad participationem massæ communis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione causæ.*
2 *De conclusione quod massa grossa succedit loco fructuum, & præbendæ.*
3 *Damnatur consuetudo, ut dignior serviat inferiori, ac minus digno.*
4 *Laudatur resolutio, ut serventur statuta, & de ratione.*
5 *De alia ratione, ob quam ista statuta sunt servanda.*
6 *Quomodo practicari debeat servitium a statuto demandatum.*
7 *De alio casu, & an illa major participatio massæ quam habent Canonici, & Dignitates dicatur importare fructus, & an debeatur etiam sine requisitis statuti.*

DISC. XVII.

1 Cum in ea Ecclesia, quæ in aliena Diœcesi constituta, proprium habet Archiepiscopum cum plena Episcopali jurisdictione, utpote in locum Metropolitanæ Nazarenæ subrogata juxta seriem, de qua in alia Nazarena, seu Trabanen. *sub tit. de Jurisdict. disc.* 20. ita illarum partium consuetudine prabente præsertim vero adjacentis Cathedralis Adriensis, ac etiam Ecclesiæ matricis, seu Collegiatæ ejusdem Oppidi Barolitani; adessent quinque Dignitates in titulum collativæ, nulli vero Canonici, quorum nuncupationem habent, atque figuram faciunt illi cappellani, seu presbyteri, qui Ecclesiæ servitio adscripti post adimpleta requisita, ex ejusdem Ecclesiæ statuto necessaria, admittuntur ad massæ communis participationem, in qua nedum dictorum simplicium presbyterorum nullum titulum collativum habentium, sed etiam ipsarum Dignitatum absque alia præbenda emolumentum consistit, adeout Dignitates, supra alios solam honorificam præeminentiam habere dicantur; Atque ex ejusdem Ecclesiæ statuto, vel recepta antiqua consuetudine, ad prædictæ massæ participationem non admittantur, nisi cives certas qualitates habentes, qui postquam in gremio recepti sunt, certo determinato tempore in acholitatus, subdiaconatus, ac diaconatus, & forte etiam presbyteratus ordinibus gratuitum servitium præstiterint, quod Statutum fere omnibus illarum partium Ecclesiis, etiam Cathedralibus uniforme videtur.

Provisus Antonius a Sede Apostolica ob vacationem in mense reservato de hujus Ecclesiæ Archipresbyteratu secunda Dignitate, prætendere cœpit dictæ massæ participationem, quamvis statuto satisfecisset circa gratuitum servitium præstandum, cui prætensioni se opponente Capitulo, provisus recursum habuit ad S. Congregationem Concilii, datoque dubio, an dicto Archipresbytero obstaret Statutum pro massæ communis participatione, contra eum affirmativa prodiit resolutio Capitulo favorabilis, cui recurrens cum aliquo concordiæ temperamento acquievit, dum quod sciam, amplius de causa disputatum non fuit.

In hac autem disputatione, scribens pro Archipresbytero, ex duplici fundamento dicebam, ut quoad istas Dignitates in titulum collativum provisas, locum habere non deberet hoc statutum, intelligendum solum de simplicibus presbyteris, seu cappellanis nullum habentibus titulum collativum ab Ordinario, vel a Sede Apostolica, ideoque habentibus solum titulum servitii, cujus ratione, & sub qua lege ad hanc participationem admittuntur; Secus autem in habentibus Dignitatis, vel Canoniæ titulum collativum sine aliqua præbenda, sine
qua canonia stare non potest, nec debet, ideoque suc- 2
cedit recepta conclusio, quod hujusmodi participatio distributionis massæ grossæ succedit loco præbendæ ac habetur loco fructuum Beneficii glos. *in cap. unico de Cler. non residen. verbo receperit, & in cap. licet præben.* verbo Distributiones. Geminian. *cons. fin. n.* 1. Quarant. *in summ. Bullar. verbo Distributiones, seu verbo Absens.* Buratt. *dec.* 694. *n.* 2. Rot. *dec.* 242. *n.* 6. & 7. & *dec.* 260. *n.* 19. *p* 12. *rec.* & in aliis.

Ac etiam quia incongruum, & indecorum est, ut ita Dignitates in minoribus ordinibus servire deberent simplicibus presbyteris, & cappellanis, nam esset dare
absurdum, quod caput serviret pedi, ac dignior minus 3
digno, & inferiori, ideoque contraria observantia potius corruptela reputatur, ut advertitur apud Greg. *dec.* 310. *n.* 5. ex Abbat. *cons.* 21. *l.* 1. cum aliis ibi allegatis; Et in puncto improbæ consuetudinis, quod Archipresbyter thurificare debeat mansionarios, & cappellanos firmatur per Rotam in Brixien. thurificationis cor. Remboldo *dec.* 647. *p.* 4. *rec. tom.* 3.

Reflectendo autem ad veritatem, resolutio placuit, ac probabilis visa est, cum temperamento tamen, de quo
infra, quoniam hujusmodi massa, vere ac proprie non 4
constatur ex fructibus, & dotibus ipsorum Canonicatuum, vel beneficiorum, qui ita laudabiliter pro majori Ecclesiæ cultu, ac divino servitio, quod alias negligebatur, redacti essent ad formam distributionum quotidianarum, per punctaturas, ut præsertim sunt massa Basilicarum Urbis, provenientes a fructibus casalium, & domorum aliorumque prædiorum, quæ originarie sunt dotes Canonicatuum, & Beneficiorum, ex concessionibus Pontificum, & Imperatorum, aliorumque Principum. Sed proveniunt, ut plurimum a piis legatis aliisque dispositionibus cum onere missarum, & anniversariorum, ac tamquam per speciem cujusdam societatis, seu communionis clericorum sub his legibus constitutæ, ac introductæ inter ipsos presbyteros, absque peculiari ratione beneficii, seu Dignitatis, adeout istæ Dignitates deinde ad quamdam majorem Ecclesiæ honorificentiam erectæ fuerint, absque status antiqui dictæque massæ alteratione cum solis honorificis præeminentiis, ac etiam cum aliquibus majoribus emolumentis in distributionibus quotidianis, & minutis loco præbendæ, seu fructuum tamquam in Dignitatibus potius abusivis quam veris quodammodo stantibus loco præbendæ, & consequenter qui vult ad societatem admitti, ipsius societatis leges, ac statuta servare tenetur, eaque adimplere, quæ alii adimpleverunt, vel adimplent, ad æqualitatem inter socios servandam.

Eoque magis in hac materia stricte, ac rigorose merito pro-

ta procedendum videtur, quoniam licet hujusmodi Ecclesiarum statuta ad participationem non admittant nisi originarios, qui certas qualitates habeant, & quatenus aliis ita videatur, juxta ea quæ habentur in Rhegien. Consortii *disc.* 21. Attamen talia statuta non habent confirmationem Apostolicam, ideoque non afficiunt Ordinarios, multoque minus Sedam Apostolicam, ne Dignitates, & Canonicatus, aliaque Beneficia conferat exteris, seu aliai non habentibus qualitates ab iisdem staturis, vel consuetudinibus requisitas; Hinc propterea esset revolvere hujusmodi Ecclesiarum statum, si sola Dignitas, vel Canonicatus absque prævia servitiorum præstatione ad id sufficeret, atque id laudabiliter conservat civicam prærogativam, dum seclusa participatione massæ exteri, seu illi cives qui necessaria requisita non habent, non affactant istos Canonicatus, vel Dignitates absque emolumento, ideoque laudabilis est hujusmodi statutorum observantia.

Alicujus ponderis tamen esse videtur dicta ratio absurdi, seu inconvenientis, ut constitutus in Dignitate superiori
6 rioti præstet obsequia, & servitia inferioribus minusqua dignis, unde proptarea, ut egomet practicavi, cum essem Vicarius Capitularis, ac Generalis in patria, tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis istius Diœcesis, ac scio per alios Episcopos, seu Vicarios practicatum esta, istius requisiti implementum discrete exigendum est in iis quæ sunt compatibililia cum Dignitate, procurando cum terminis benevolis a Capitularibus, seu participantibus, gratiosam, ac benevolam remissionem alicujus partis temporis præfiniti.

Cumque in dicta Cathedrali propriæ patriæ, in qua ultra 20. Canonicos, & quatuor Dignitates, utpote receptis a civium certas qualitates habentium, adsint et-
7 iam illi præsbyteri, seu cappellani participantes, consuetudo autem præbeat quod illi, qui adimpleto gratuito servitio merentur ad participationem admitti, si sunt Canonici, habeant terciam partem pluris ejus quod habent simplices presbyteri; Hinc alias apud me vigebat dubitatio, an dici posset, quod ista tertia pars esset amolumentum Canonicatus, & consequenter quod sola rationa beneficii concurrente tamen interessentia, ac servitio per punctos, juxta naturam distributionum necessariarum, non esset necessarium implementum statuti, quod propterea non deberet obstare; Verum comperto quod in contrarium esset antiquissima inconcussa consuetudo, cum traditione quod ista prætensio aliar excitata fuerit, rejecta, considerabam idem quod de duplicata, seu majori participatione Dignitatum, habetur in Murana Congruæ *sub tit. de Parochis disc.* 20. quod scilicet totum proveniat, non a beneficio de per se considerato, sed ab ipsa communia, retentis terminis habilibus; Qualitas autem canonicalis, utpote inducens quandam necessitatem majoris impensæ pro majori decore dignitatis, ac etiam ob majora onera, quibus subjacent Canonici circa assistentiam Episcopo, ac celebrationem solemnitatum, ita detur hæc major participatio, non tamen, ut dictum est ex sola ratione beneficii, ac propterea quod consuetudini deferendum esset, potissime vigente dicta ratione conservandi dictum ordinem, alias de facili intervertendum per Episcopos, qui proprios familiares exteros, de Canonicatibus, ac Dignitatibus providerent, quod ex illarum regionum consuetudine magna pareret inconvenientia.

CONVERSANEN. PARTICIPATIONIS, PRO DIGNITATIBUS, ET CANONICIS, CUM PRESBYTERIS PARTICIPANTIBUS CATHEDRALIS.

Casus disputatus coram A. C.

An Præsbyteri participantes de massa communi etiam cum Dignitatibus, & Canonicis, dicantur de Capitulo in omnibus, & præsertim circa participationem emolumentotum Parochiæ, quæ annexa est Capitulo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In possessorio manutentionis non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis.*
3 *Quod in receptis, ac notoriis propositionibus incongruæ sint allegationes.*
4 *An in judicio possessorio laudabile sit gustare, ac agere de meritis.*
5 *Quod beneficiati, Cappellani, & Clerici debent participare de legatis factis Capitulo pro anniversariis.*
6 *Dicti Beneficiati, Cappellani, & Clerici non sunt de Capitulo, cujus ministri, ac servitores dicuntur.*
7 *Quod observantiæ tamquam interpretanti in casu dubio sit deferendum.*
8 *Distinguuntur species emolumentorum, ac distributionum in funeribus, & anniversariis.*
9 *Distributio candelarum in funeribus dicitur distributio quotidiana, sed vere non est talis.*
10 *De alia distributione, quæ fit parocho ratione juris parochialis.*
11 *De cera competente parocho ratione ejusdem juris parochialis.*
12 *Quod dignitates cessante consuetudine non sunt de capitulo.*
13 *Per consuetudinem induci potest, ut simplices presbyteri, seu beneficiati habeant vocem in Capitulo, sed non per hoc sunt de capitulo.*
14 *Consuetudo attendenda est in individuo, & non extenditur.*
15 *A consuetudine in non jurisdictionalibus inferri non potest ad jurisdictionalia.*
16 *De distinctione inter actus chorales, & actus capitulares.*

D I S C. XVIII.

PRæsupposito pluries illarum partium insinuato usu, 1
quod scilicet in Ecclesia Cathedrali, ultra Dignitates & Canonicos in numero præfinito in titulum collativos, adsint simplices clerici, seu cappellani patrimoniales, seu cives, post expleta aliqua servitia, admissi ad participationem massæ grossæ, aliarumque distributionum quotidianarum; cum in Civitate Convarsanen. juxta illarum partium pariter usum frequentiorem, non adessent parochiæ distinctæ, sed cura animarum esset penes Capitulum, juxta casum, de quo in Melphiten. congruæ *sub tit. de Parochis*, *disc.* 18. Atque ex ratione assignata in Tranen. *eod. tit. de Parochis*, *disc.* 27. observantia dederit, quod in exequiis, seu funeribus, cerei, & candelæ feretri, seu castri doloris, aut alias in Ecclesia super cadavere tumulandi existentes pertinerent ad solum Capitulum constitutum ex Dignitatibus, & Canonicis, absque eo quod venirent in massa, seu participatione cum aliis presbyteris participantibus, qui contenti extiterunt illis cereis, seu candelis, quæ singulis in associatione funeris, seu cadaveris distribui solent, excitassent autem dicti presbyteri prætensionem dictæ participationis de anno 1213. coram Ordinario, hic manutentionem Dignitatibus, & Canonicis concessit; Introductaque per appellationem causa coram A. C. longissimo tempore silui usque ad annum 1665. in quo dicti presbyteri eam reassumpserunt.

In his autem ultimis disputationibus habitis in hoc Tribunali, seu Prælato deputata, ultra generales satis
vulgares, & quotidianas propositionas, quas habemus 2
in interdicto retinendæ, quod vulgo summariissimum judicium manutentionis dicimus, ut in eo, in quo Dignitaees & Canonici insistebant, non quæratur de justitia, vel injustitia, sed attendatur nudum factum possessionis, potissime vero, ubi est diuturna, & temporis valde considerabilis, cum tunc procedat etiam in iis quæ habent juris resistentiam, præsertim ubi non agitur de subdito contra Superiorem, ut ad nimiam satietatem chartas desuper replevit alaboratus collector Postbius *in ejus tractatu de manutenenda*, magnusque numerus decisionum Rotalium desuper habetur; adeout satis displiceat, quod in decisionibus Rotæ loqui debentibus more Magistri, hodie desuper hujusmodi ac simi- 3
lium propositionibus etiam apud callentes prima principia notoriis, desuper fiant allegationum cumuli, damnabiles quoque, sed magis excusabiles, in Responsis, seu informationibus Advocatorum pro satisfactione ignari leguleici vulgi ad has inanes chartarum repletiones respicientis.

Quatenus pertinet ad merita negotii principalis, de quibus incidenter, atque pro gustu, etiam in hoc summariissimo judicio, tam in Rota quam in hoc tribunali, ac in aliis laudabiliter deduci solent, damnabiliter autem cumu-
lantur per judices sportulantes, cum in judicio manuten- 4
tionis ad excludendam appellationem suspensivam procedatur per decretum interlocutorium, non autem per sententiam deffinitivam, juxta distinctionem, ac distinctionis rationem, de quibus bene *dec.* 20. *p.* 10. *rec.* & in sua mate-

ria

ria *sub tit. de judiciis*; Cum enim pro decretis non debeantur sportulæ, debitæ solum pro sententia deffinitiva, hinc magnus irrepsit abusus, cui mirum est quod non provideatur, quod scilicet judices nolunt decernere in possessorio, nisi etiam eodem tempore cum cautela servandi diversos terminos *ad primam*, *& ad secundam*, sententiam quoque proferant, ex quo multa resultant inconvenientia,& partium prejudicia,*ut sub dicto tit.de judiciis*.

Scribentes pro presbyteris auctoribus magnum funda-
5 mentum constituebant in iis quæ firmantur per Rotam apud Merlin. *dec.* 685. *repetita dec.* 59. *p.* 7. *rec.* super puncto, quod facto legato, seu alia dispositione ad favorem Capituli pro funeribus, seu anniversariis, aliisque Ecclesiasticis functionibus, participare quoque debeant beneficiati, & Clerici.

Quod in hac facti specie fortius procedere dice-
6 bant, quam in casu, de quo agitur in dicta decisione, ac etiam in alia decisione Merl. 697. *repetit. dec.* 76. *eadem p.* 7. & in eadem causa *dec.* 32. *ad par.* 7. in quibus omnibus presbyteri cappellani, & clerici dici non possunt de Capitulo, neque in eo votum habent, sed in eisdem decisionibus firmatur esse potius Capituli ministros, ac servitores; in præsenti autem isti presbyteri participantes, non solum habent coæquale jus cum Canonicis, & Dignitatibus in participatione massæ grossæ capitularis, aliarumque distributionum, sed etiam habent votum in Capitulo, adinstar earumdem Dignitatum, & Canonicorum, idque faciebat magnam impressionem.

Scribens ego pro Capitulo Dignitatum, & Canonicorum, etiam cum sensu veritatis, dicebam huic parti justitiam assistere, etiam in solo puncto juris, multo magis assistente tam diuturna observantia, quæ juxta pariter satis vulgarem, & quotidianam receptam propositionem dicitur optima interpres, eique satis deferendum est juxta deducta præsertim in his terminis
7 distributionum supra in Cæsaraugustana *disc.* 7. quoties, ut ibi advertitur, non agitur de observantia mere præscriptiva, in qua rigorosa præscriptionis requisita desiderantur, sed de mere interpretativa.

In funeribus siquidem, ac anniversariis, aliisque parochialibus functionibus advertebam, ut pluries habetur
8 in sua materia *sub tit. de parochis*, præsertim in Neapolitana funerum *disc.* 28. duas dari speciei emolumentorum, unam scilicet cereorum & candelarum, ac etiam alicujus pecuniariæ quantitatis, quæ juxta locorum mores distribuuntur inter singulos clericos, tam sæculares, quam regulares ad funus voluntarie invita-
9 tos, atque in eo intervenientes ex ratione laboris personalis, & quæ species emolumentorum, licet vere, & proprie de stricto jure non importet distributiones quotidianas, attamen ex communi usu sub earum vocabulo explicari solet, earumque jure regulatur, quoties diversa consuetudo non obstet, ut cæteris relatis habetur *dicta dec.* 31. *n.* 7. *p.* 7. *rec.* & plenius *d. dec.* 59. *n.* 2. *cum seq. eadem part.* 7. alias apud Merlin. *d. dec.* 685.

Altera vero emolumentorum species est non ex sola ratione laboris personalis, ac interessentiæ hinc in-
10 de voluntariæ, sed ratione juris parochialis habentis reciprocam necessitatem, & quoddam jus, quod jurisdictionale dicitur, juxta text. *in c.* 1. *cap. relatum*, *& c. cum liberum*, *de sepulturis*, cum concordan. apud Mantic. *dec.* 294. Barbos. *de Parocho*, *cap.* 15. Rota *dec.* 348. *p.* 11. *rec.* cum aliis, quæ habentur pluries *di-*
11 *cto tit. de Parochis*, ubi quod inter jura parochialia computatur illud sepeliendi cum emolumento ceræ, quæ apponitur super cadaver, vel in feretro, quatenus sepeliri contingat in ipsa parochiali, vel in quarta, seu alia quota, quæ portio canonica dicitur, quatenus in alia Ecclesia sepeliatur, ut præsertim *in Romana quartæ*, *eodem tit. disc.* 25. Et consequenter cum jus parochiale residéat penes Capitulum, quod de jure sine dubio constituitur a solis Canonicis, quinimo
12 neque a Dignitatibus, nisi ubi consuetudo præbeat, ut supra in Bitecten. *disc.* 4. rationabile est, ut de hoc emolumento participare non deberet, nisi solus parochus a Capitulo repræsentatus.

Et quamvis admittendo conclusionem juris, negaretur
13 applicatio ad factum, ex eo quod isti presbyteri participantes haberent vocem in Capitulo, & consequenter de illo dicendi essent; Attamen id pro meo sensu continebat fallaciam claram, quoniam ut advertitur infra in Baren. juris votandi *disc.* 20. de consuetudine induci potest, ut illi, qui non sunt Canonici, habeant votum in Capitulo, sed non per hoc dicuntur de Capitulo, ejusque corporis membra dici possunt, cum nullum habeant titulum a Papa, vel ab Episcopo formalis Beneficii, sed sint simplices presbyteri ad servitium recepti, neque ex eo quod habeatur votum in Capitulo, resultat, ut dicatur esse de Capitulo, ut ex Geminian. *in cap. fin. de præben. in* 6. & alias Rota apud Martin. Andr. *dec.* 35. *n.* 8. *repet. dec.* 708. *n.* 6. *p.* 2. *rec.* & in aliis collectis per Add. *ad dec.* 27. *n.* 52. *& seqq. p.* 3. *rec.* Cumque hujusmodi jus habendi votum non proveniat a dispositione juris communis, sed a particulari consuetudine a jure potius exorbitanti, hinc proinde intrat recepta propositio, de qua præsertim in Majoricen. Canonicatus 14
sub tit. de Beneficiis, *disc.* 30. quod consuetudo stricte attendi debet in suo casu præciso, ac individuo, non autem extendenda de casu ad casum.

Et in specie, quod a consuetudine inducta in non jurisdictionalibus, inferri non possit ad jurisdictiona- 15
lia habetur *dec.* 708. *n.* 6. *p.* 2. *rec. dec.* 321. *n.* 8. *&* 351. *n.* 5. *&* 6. *p.* 9. *rec.* cum collectis per Add. *ad dec.* 27. *n.* 52. *p.* 3. *rec.*

In idem conferente alia propositione, de qua supra in Romana jurium Canonicalium *hoc eodem tit. disc.* 14. 16
quod alii sunt actus chorales, alii vero actus capitulares, neque ab unis ad alios infertur; Cumque in hac Ecclesia juxta communem illarum partium usum, actus chorales sint communes hujusmodi presbyteris æque inservientibus in divinis, ideoque pro servitii labore æque participantibus de massa, in qua principaliter sunt æqualiter interessati, idcirco rationabiliter admittuntur ad votum in Capitulo, frequentius congregati solito pro massa, ac redditum administratione, ac electione officialium idem interesse concernentium, ut sunt præsertim œconomi, seu procuratores, ac punctatores & similes, non tamen inde inferri potest ad actus mere capitulares, aliaque jura capitularia, quoties in eisdem quoque legitime inducta consuetudo non assistat ut supra, incertum autem est quid sequutum sit, ut frequenter in Advocatis sequitur.

MERITONEN. STATUTI, PRO DIGNITATIBUS, ET PRESBYTERIS, PARTICIPANTIBUS, CUM NON PARTICIPANTIBUS ECCLESIÆ MATRICIS, SEU COLLEGIATÆ GALATONÆ.

Casus decisus per Rotam pro Participantibus.

An in Ecclesiis receptitiis omnium civium, seu naturalium præfici possit certus numerus, qui de massa communi aliisque emolumentis participare debeat, exclusis aliis supra numerum, quamvis Ecclesiæ servitio adscriptis, atque in gremium legitime receptis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Episcopus non potest erigere Ecclesiam Collegiatam, vel erectam dissolvere.*
4 *Tres constituunt Collegium.*
5 *Presbyteri, vel cappellani quamvis participantes de massa non habentes titulum non faciunt Capitulum, vel Collegium.*
6 *Nuncupatio Canonicorum non facit veros Canonicos.*
7 *Habere vocem in Capitulo non facit, ut sint de Capitulo.*
8 *Declaratur conclusio, de qua n.* 3. *quod aliud est erigere Collegium, vel erectum destruere, aliud autem in Collegio jam erecto aliquos Canonicatus erigere, vel minuere.*
9 *Quod ex causa tenuitatis redditaum possit diminui numerus.*
10 *De jure quod habent cives, ut admitti debeant ad servitium Ecclesiæ, & massam.*
11 *Sed quod hoc non obstante recusari possit ex causa receptio.*
12 *Dantur exempla ad id probandum.*
13 *Assignatur ratio, ob quam dicta recusatio fieri possit.*
14 *Ex observantia longissima resultat præsumptio solemnitatum.*

15 De

15 *De regula text. in leg. si quis conductionis, Cod. locat. procedente in omni materia.*
16 *De decisione damnante restrictionem numeri in Ecclesia receptitia.*
17 *Quod invalida sint hæc statuta, vel decreta sine consensu Episcopi, & quando secus.*
18 *Imo quod requiratur beneplacitum Apostolicum.*
19 *Expenditur decisio, de qua n. 16. & distinguuntur, qui sint actus canonicales, ac emolumenta ratione Canonicatus necne.*
20 *An Episcopus invito Capitulo possit adscribere servitio in his Ecclesiis.*
21 *Quod Episcopi male agant providendo exteros.*

DISC. XIX.

1 PRæsupposito eodem usu (de quo *disc. præced.* ac in aliis) pluries illarum partium, admittendi ad servitium Ecclesiæ Matricis, seu principalis loci etiam Cathedralis, vel Collegiatæ, omnes cives, seu patrimoniales certas qualitates habentes, certaque onera ferentes, juxta singularum Ecclesiarum particularia Statuta, vel consuetudines; Cum in Ecclesia matrice Oppidi Galatonæ, quæ ab antiquo in titulo ac statu Collegiatæ existit, ultra quatuor Dignitates in titulum collativum provideri solitas excrescere inciperet presbyterorum numerus, adeout eis in dies excrescentibus, emolumenta massæ ad quid modicum reducerentur, ac efficerentur omnino insufficientia ad congruam substentationem; Hinc proinde de anno 1626. cum auctoritate ac decreto Episcopi, præfinitus fuit presbyterorum participantium numerus vicenarius ultra dictas quatuor Dignitates, juxta antianitatem, itaut per istos tantum haberentur votum in Capitulo, ac participatio massæ capitularis, seu grossæ, reliquis presbyteris supra numerum participare debentibus de solis distributionibus quotidianis minutis funerum, ac anniversariorum & celebrationis missarum, eisdem juxta ordinem antianitatis in locum deficientem subintrare quoque debentibus.

Post longevam vero dictę reductionis numeri observantiam annor. 34. presbyteri non participantes, in magno quinquagenario circiter numero excreti, de anno 1660. a dicto decreto ipsis inauditis emanato appellantes, litem introduxerunt coram Ordinario, a quo prodiit sententia absolutoria pro ejusdem decreti observantia, introductaque causa in Rota coram Taja, & dato dubio, An presbyteri ad Ecclesiæ servitium & gremium jam admissi debitas qualitates habentes admittendi essent ad vocem inCapitulo, ac participationem massæ capitularis, sub die 18. Febr. 1662. negativa prodiit resolutio, sententiæ Ordinarii confirmatoria, cui puto quod actores acquieverint, dum quod sciam, causa ulteriorem progressum non habuit.

2 In hac igitur disputatione habita in Rota, scribentes pro actoribus cum longo apparatu allegationum examinabant quæstionem potestatis Episcopi erigendi nova Collegia, vel erecta dissolvendi, seu diminuendi: probare conantes, quod licet apud antiquos Canonistas magis communiter recepta videatur affirmativa; Atta-
3 men Curia Romana constanter tenet negativam, quam praxis docet esse hodie receptam, ex iis, quæ in hac materia habentur deducta *sub tit. de præminentiis*, præsertim in Messanen. erectionis Collegiatæ *disc. 9.* ac etiam habetur supra *sub tit. de beneficiis, disc. 14.* occasione agendi de reservatione *Regulæ quartæ, seu quintæ* super prima Dignitate in Collegiata.

Verum inanis videbatur iste labor, ac extra propositum, quoniam in præsenti non agebatur de nova erectione, minusque de jam erectæ distructione, ideoque scribens pro capitulo reo convento, admittebam veritatem dictæ conclusionis supra insinuatis locis, jam firmatæ, negabam vero congruam applicationem, super qua, ut sæpius insinuatum est, totæ sunt partes consulentis, vel judicantis, dum cuilibet tyroni juris prima rudimenta mediocriter callenti, ob collectorum copiam, hodie satis facile est magnam, sed indigestam conclusionum, ac allegationum molem construere.

Admissa siquidem qualitate collegiali hujus Ecclesiæ quam ego constanter tuebar ex eo titulo, quem sibi præbet antiqua possessio; Dicebam Collegium, seu Capitulum vere & proprie constitui a quatuorDignitatibus in titulum col-
4 lativum provideri solitis tamquam de veris Beneficiis, seu Canonicatibus ita nuncupatis, dum tres sufficiunt ad efformandum Collegium, ex deductis per Lotter. *de benef. lib. 1. qu. 14. n. 3. & seq.* & admittitur in Venusina Archipresbyteratus coram Carillo *inter suas decis. 41. & 60.* quarum prima est repetita *decis. 143. p. 7. rec.* & in Materanen. coram Corrado *dec. 147. part. 10.* quamvis ex statu contrario, aliisque circumstantiis in illis casibus negetur collegialitas.

Reliqui vero presbyteri, quamvis æque cum Canonicis, vel Dignitatibus participantes de massa communi, quinimo de consuetudine votum in Capitulo cum eis habentes, non constituunt Collegium, seu legitimum, ac 5
verum Capitulum, utpote nullum titulum collativum habentes, sed potius quandam congregationem, seu communiam clericorum, ut habetur apud Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 19. num. 12. cum. seqq.* & in supra allegatis Venusina & Materan. ac etiam in Rheggien. Communiæ coram eodem Carillo, *dec. 66. & 102.* inter suas, *quarum prima est repetit. dec. 232. part. 7. & altera dec. 67. part. 8. recent.* & in aliis, quoniam cessante titulo Canoniæ, vel alterius beneficii non datur legitimum Collegium.

Et quamvis isti presbyteri participantes in numero præfinito nuncupentur Canonici, unde propterea concurre- 6
re videantur præcipua collegialitatis requisita in supra allegatis decisionibus enunciata, ac in dicto titulo de Beneficiis, præsertim illud numeri præfixi Canonicorum; Attamen illud erat æquivocum clarum, quoniam Canonicus dicitur ille qui habet canoniam in titulum collativum ab Ordinario, vel a Sede Apostolica juxta vaca- 7
tionum contingentias, non autem qui sine aliquo titulo solam habeat nuncupationem impropriam ac abusivam de facto, quæ non facit Canonicum, ut *dec. 633. n. 14. & 15. p. 4. rec. tom. 3.* in Placentina Archipresbyteratus 2. Junii 1636. coram Panzirolo, *& in aliis*; Atque habere votum in Capitulo non facit Canonicum, cum de consuetudine etiam simplices presbyteri possint hujusmodi prærogativam obtinere, ut infra in Baren. juris votandi *disc. seq.* cum ibi deductis.

His igitur ita constitutis, de consequenti resultare dicebam non intrare dictos terminos erectionis, vel respectivè suppressionis Collegii, cum ipsumCollegium antiquum, ut supra de jure per solos quatuor Canonicos, seu Dignitates constitutum, nullam in hoc reciperet alterationem.

Et nihilominus, ubi etiam reliqui cappellani, seu presbyteri haberent titulum collativum, unde constituerent quoque Collegium, essentque illius pars, vel membra, adhuc ob alterationem majoris, vel minoris numeri, novos scilicet erigendo Canonicatus, seu Beneficia ob reddituum ac emolumentorum incrementum, seu aliquos supprimendo ob decrementum, non concernit novam erectionem, minusque destructionem, sed solum accidentalem alterationem numeri, quæ ex justa causa, & consensu Capituli Episcopo permittitur; Ut de augmento novorum Canonicatuum habetur actum supra in Collen. distributionum *disc. 6.* Et de diminutione, quod scilicet Episcopo liceat ex justa causa diminutionis redditvum, adeout alias clericalis dignitas vilesceret, at- 9
que Ecclesiæ cultus negligeretur, supprimere aliquos Canonicatus, vel Dignitates sine præjudicio possessorum, atque recusari valeat noviter provisorum receptio, firmat Abb. *in capit. cum M. num. 1. de Constit. & in cap. ex parte, numer. 4. de concessione prædendæ*, ubi Imola *numer. 10.* Felin. *in capit. cum accessissent, num. 3. eodem tit. de Constit.* cum concordant. per Lotter. *lib. 1. quæst. 14. numer. 19. & 21. cum seq.* Rot. apud Mantic. *dec. 114. num. 2. & 229. num. 3.* Cæsaraugustana distributionum 7. Junii 1649. Cerro & in aliis; Multo igitur magis licitum esse dicebam diminuere numerum hujusmodi simplicium presbyterorum nullum canoniæ, vel beneficii titulum habentium, sed illum meri famulatus ac servitii.

Licet enim ex Statutis, vel receptis consuetudinibus hujusmodi Ecclesiarum, illi qui habent civicam, seu patrimonialem qualitatem, aliaque requisita dicantur 10
habere aliquod jus, itaut non sit admissio mere voluntaria ad servitium, eo modo quo est illa cappellanorum mere manualium & conductitiorum, quæ dicitur jure simplicis famulatus, ut distinguendo habetur infra in Materan. & Rheggien. *disc. 21. & 22.* & habetur etiam insinuatum *sub tit. de benef. disc. 76.* ad materiam manualium; attamen istud jus considerabile videtur, ad effectum, ut non concurrente justa causa, non possit civibus præscriptas qualitates habentibus denegari receptio, seu admissio ad servitium & massam, stante qualitate Ecclesiæ receptitiæ, & non numeratæ, ut advertitur in dictis Rheggien. consortii & Materanen.

Verum inter justas causas, illa potissima esse videtur, indiscretæ excrescentię numeri, seu discrescentiæ redditvum, 11
ac emolumentorum, ne alias verificaretur oppositum ejus quod in Evangelio dicitur, *messis multa, operarii pauci*, quod

quod scilicet in modica messe multi adessent operarii, Et quemadmodum licitum est etiam in Ecclesia Collegiata, seu numerata supprimere numerum Canonicorum, vel Beneficiatorum canonicorum titulum habentium ut supra, ita multo magis in præsenti, eodem modo quo per Sacros Canones, & Sacr. Concil. Trid. ob Ecclesiarum depauperationem præcipitur earum suppressio, vel unio respective.

12 Ad quod ponderabam etiam a simili ea quæ habemus ad materiam text. *in cap. Suggestum, de decimis*, ac in ea sua materiam *eod. tit. de decim.* circa privilegii exemptivi cessationem ob notabiliter immutatum rerum statum; Ac etiam habemus in contractibus mere correspectivis habentibus tractum successivum, quod ubi ex vacatione temporum, aliarumque circumstantiarum contractus reducatur ad nimiam injustitiam ac inæqualitatem, tunc cessare, seu reformari debet, atque ad æqualitatem reduci, ex deductis *eod. titul. de decimis*, & altero *de contractib. in genere*, ac alibi.

Isti autem termini recte ad rem congruere videntur; quod scilicet Ecclesiarum Rectores, vel Collegia, ita antiquiori tempore omnes cives certas qualitates haben-
13 tes libenter recipiebant ob penuriam clericorum, ut tra melior haberetur Ecclesiæ cultus, ac divinorum ministerium, dum tunc ob majorem populi devotionem, majoresque divitias, majores erant oblationes, & eleemosynæ, piæque dispositiones, ac emolumenta; Cum igitur modernis temporibus res sit in oppositum, quod scilicet populus sæcularis, ultra devotionis diminutionem, ob temporum calamitates, ac onerum molem depauperatus est, clericorum autem numerus, magis forsan ex motivo obtinendi exemptionem a publicis oneribus laicalibus, quam spiritu Dei, sit adeo excessive ac indiscrete excretus, hinc resultat dictum inconveniens, quod ob diminutionem messis, & multiplicitatem operariorum, satis exiguum redditur singulorum emolumentum, ideoque omnio congruæ, & commendabiles videntur hujusmodi provisiones super præfinitione certi numeri participantium, cum imo sancta, nimiumque commendabilis videretur generalis præfinitio numeri etiam simplicium clericorum ac presbyterorum in universa Ecclesia Catholica ob tot inconvenientia ex clericorum, ac sacerdotum multiplicitate resultantia pro locorum qualitate.

Facilius vero observabam ista procedere in hac facti
14 specie, non solum quia totum gestum erat cum auctoritate Episcopi, atque accedebat longissima observantia annorum 30. & ultra, ex qua resultat solemnitatum præsumptio, etiam illa Beneplaciti Apostolici in iis, in quibus jus expresse resistit, ut satis frequenter in aliis advertitur, & in sua materia *sub titul. de alienationibus & contractibus &c.* Sed clarius quia illi qui reclamabant, non erant in rerum natura de tempore quo hujusmodi numeri præfinitio facta fuit, ideoque dicebam quod conqueri non poterant, ut illis tolleretur jus jam quæsitum, cum de tempore quo recipi ad servitium petierunt ac obtinuerunt, Ecclesia jam constituta esset in hoc statu recte eis cognito; Et consequenter quod cum hac lege quasi contraxisse viderentur, acceptando admissionem ab ipso Capitulo in hoc statu numerato jam constituto, ideoque esset alias re-
15 fricare quæstionem proprio auctori contra dispositionem text. *in leg. si quis conductionis, Cod. locati*, quam receptum est procedere in omni materia, omnique casu, in quo eadem intret ratio, ex plene collectis per Adden *ad decis.* 420. *part.* 4. *recent. tom.* 2 *num.* 50. *cum seqq*

Difficultatem aliquam in hac disputatione inferre potuisset, quatenus per scribentes in contrarium deducta esset
16 Rotæ decisio in Melphicten Statuti & censurarum 26. Novembris 1640. coram Ghislerio, in qua agitur in individuo consimilis Statuti Ecclesiæ Cathedralis Melphicten. habentis ultra sex Dignitates, & 18. Canonicos hujusmodi simplices presbyteros ad formam Ecclesiæ receptitiæ non numeratæ, ut stante eorum magna excrescentia præfinitus esset numerus sexagenarius participantium de massa; ac habentium vocem in Capitulo, quod Statutum improbatur, at-
17 que invalidum declaratur ob defectum consensus, seu auctoritatis Episcopi ex traditione Abbatis, Felini, Ancharani *& aliorum, de quibus in eadem decisione*, ac apud Buratt. & Adden. *decis.* 758 super deficiente facultate Capituli statuendi sine Episcopo super mutatione status Ecclesiæ alias receptitiæ, & non numeratæ ad numeratam. Cum Capitulo concedatur tantum jus statuendi super concernentibus temporale interesse, ac bonorum administrationem, ex iis quæ habentur in Gerunden. jurisdictionis *decis.* 32. *&* 76. *part.* 7. *recent.* quarum secunda est apud Merlin, *decis.* 697. secus autem derogandi antiquis Statutis, vel antiquæ consuetudini favore civium inductæ; Quinimo in eadem decisione advertitur, quod neque sufficeret Episcopi auctoritas, sed requireretur Apostolica, ad effectum excludendi Canonicos in titu-
lum a Sede Apostolica, vel Ordinario provisos a par- 18
ticipatione distributionum, ac a voce in Capitulo, cum hæc dicatur canoniæ annexa.

Adhuc tamen (quatenus dicta decisio deducta esset,) licet juxta modernum abusum insistendo simpliciter in punctualibus auctoritatibus absque alio examine, magnum dedisset obstaculum; Vere credebam illud non intrare, ubi etiam ejusdem decisionis omnimoda subsistentia admittenda ex pluribus diversis circumstantiis; Primo scilicet quod in hac facti specie accedebat Episcopi auctoritas, quæ ibi deficiebat; Secundo, quod ibi agebatur de Statuto recenter condito de ann. 1634. in præsenti autem concurrebat longissima observantia trigenaria major, per quam justificatio causæ tenuitatis emolumentorum, aliæque solemnitates etiam illa approbationis Pontificiæ, vel Sacr. Congregat. præsumuntur; Et tertio, quod in eo casu agebatur de Canonico in titulum proviso a Sede Apostolica; Ac etiam quod ibi conquerebantur illi qui de tempore Statuti jam admissi erant, si non ad massam, saltem ad gremium ac servitium in minoribus ordinibus, ideoque dici poterat eis quæsitum esse aliquod jus, quod in præsenti non concurrebat ut supra, ideoque ex pluribus decisio diversificat.

Ponderando autem, disputationis occasione dictam decisionem, illa mihi probabilis videbatur in ea par-
te, in qua firmatur, ut etiam quoad simplices pres- 19
byteros non sufficiat Capituli consensus pro statuendo numero, nisi accedat Episcopi auctoritas cum causæ cognitione; Tum ex juris regula in genere quod soli Capitulo non conceditur statuere sine Episcopo super iis quæ concernunt statum, ac servitium Ecclesiæ, quoniam esset præjudicare sponsæ absque scientia, & consensu sponsi; Tum etiam quod efformato Ecclesiæ corpore ex Episcopo tamquam capite, & Canonicis ac aliis de Capitulo tamquam membris, esset dare inconveniens, quod membra sine capite corpus tegerent, illiusque naturam, vel statum immutarent; Ac etiam quia stante antiqua consuetudine, vel Statuto, ita omnibus civibus, saltem habitu, vel spe jus quæsitum est, & quamvis hoc non obstante, concurrente dicta causa diminutionis emolumentorum, juste ac rationabiliter hæc reductio numeri fieri valeat, attamen ista causa probari, atque cognosci debet per Superiorem, non autem per partem jus dicentem in causa propria, Et consequenter factum Episcopi, vel Prælati requiritur, non solum ad effectum solemnitatis, sed etiam ad effectum causæ.

Quatenus vero in eadem decisione firmetur, quod cum sit de directo contra jus excludere Canonicum provisum in titulum ab iis præeminentiis ac emolumentis, quæ de sui natura annexa sunt Canoniæ, requiratur auctoritas Apostolica, eo quia inferiori non conceditur juri dispensare, seu contra illud statuere; Considerabam principium ita generaliter sumptum esse verum de jure, non tamen ita generaliter ac indefinite applicari ad factum, sed procedendum esse cum aliqua distinctione, de quo etiam supra *in Collen. distributionum, disc.* 6.

Aut enim agitur de iis, quæ pernecesse annexa sunt Canoniæ, ut sunt habere vocem in Capitulo (quatenus deficientia ordinis Sacri ad normam juris, vel aliud Statutum Apostolica auctoritate probatum non est,) Sive habere stallum in choro, aliave jura Canonicalia exercere, & tunc de plano procedit dicta propositio, quod Episcopus, & Capitulum desuper statuere non possunt.

Aut vero de participatione massæ aliorumque emolumentorum, & distributionum, & tunc, ut in eadem Collen. advertitur, si agitur de veris, & quotidianis distributionibus ratione funeris, vel alterius solemnitatis capitularis, & neque ille qui est Canonicus, atque cum aliis invitatur, & intervenit laborem personalem æque sufferendo, a participatione excludi debet, atque alias esset statuere contra jus; Aut vero de participatione massæ capitularis, tunc retenta distinctione, de qua supra in Anglonen. & in Nazaren. *disc.* 16. *&* 17. & in aliis, si agitur de emolumentis provenientibus a celebratione missarum, quarum onus inter illos de Capitulo, vel Clero per dies, vel hebdomadas distribuatur, & nulla suppetit ratio, cur Dignitas, vel Canonicus in titulum provisus, si est in sacris, excludi debeat; Aut vero de aliis distributionibus ratione servitii in

cho-

choro, & tunc ut advertitur præsertim in dicta Nazarena, quemadmodum ex antiqua consuetudine, iste qui non sit civis, non debet participare, vel ille qui licet civis, non habet necessarium requisitum gratuiti servitii, seu aliud ab eadem consuetudine, vel Statuto desideratum juxta declarationem Sacr. Congregationis, ejusque fundamenta ibi recensita, ita pari ratione excludendus videtur ille qui non sit de numero; ita habendus, ac si non esset civis, & consequenter quod sola canonia ad id non sufficiat, cum istud non dicatur jus præcise ac pernecesse canoniæ annexum, sed potius dicatur quædam communia, seu societas independens a qualitate canonicali, dum etiam illa carentes de tali massa æque participant, atque alias esset dare, quod etiam exteri, vel alias desideratas qualitates non habentes eo ipso quod de Canonicatu provisi sunt, deberent admitti ad participationem massæ, quod pro moribus ac statu illarum regionum magna pareret scandala, & inconvenientia.

Adeo siquidem tenaciter in illis partibus, fortius vero in Hispania, & in Germania insistitur in hujusmodi consuetudinibus, vel Statutis super qualitate personarum, quod per Capitula prætendatur, ut neque Episcopo licitum sit adscribere Ecclesiæ Cathedralis servitio clericos in minoribus, seu ad alios ordines promotos, absque prævia licentia, & consensu ipsius Capituli; Verum super hoc pluries consultus respondere
20 consuevi, fabulosam videri hujusmodi prætensionem, quoniam aliud est, ut clericus admittatur ad Capituli, seu Ecclesiæ gremium, ad effectum, ut per gradus, ac adimpletis requisitis admittatur ad participationem massæ, & in hoc bene dicitur id pertinere ad Capitulum, vel Congregationem, neque Episcopum desuper posse se ingerere, vel statuere; Aliud vero quod ordinetur clericus, vel presbyter, atque adscribatur servitio ad satisfaciendum requisitis Concilii Tridentini pro fori privilegio, vel ut cappellaniam sive in titulum, sive manualem contradistinctam a massa capitulari obtinere valeat, ibique missas privatas celebrare, & secus; Imo ut pluries praxis docuit, etiam exteri, quandoque in hujusmodi Ecclesiis per Episcopos, vel Sedem Apostolicam honorificentiæ gratia, seu ob alios proficuos fines obtinere consueverunt Dignitates, Canonicatus, & contenti modica præbenda ipsi Canonicatui annexa, necnon distributionibus quotidianis minutis ratione funerum, aliarumque functionum, ac eleemosynis missarum absque participatione massæ grossæ Capitularis, ad cujus effectum qualitates desiderantur, quod tamen est rarum, pluraque producit inconvenientia, ob quæ, stantibus moribus regionis, male agunt tam Episcopi providentes, quam ipsi exteri, qui
21 a Capitulo non acceptati providentur; Ad instar eorum qui per Hierosolymitanam Religionem non admissi ad receptionem habitus militaris justitiæ, illum obtinent in gradu appellationis a Rota, juxta pluries casus, de quibus *sub tit. de præeminentiis*, quoniam, excepta honorificentia familiæ circa legalem canonizationem nobilitatis in genere, quoad ipsos admissos, longe melius esset, quod non fuissent admissi.

ANNOT. AD DISC. XIX. & seqq.

Agitur in his discursibus de Ecclesiis receptitiis, de quibus postmodum actum alibi non fuit, præterquam incidenter *in Miscell. Eccles. disc. 1. numer. 123.* Decisio prodita in casu de quo *disc. 19. est impress. decis. 32. part. 14. recent.*

Aliæ duæ priores decisiones enunciatæ *in disc. 21.* sunt impress. *decis 37. & 176. part. 15. recent.* ultra quas postmodum emanarunt aliæ, nempe 15. Decembris 1670. 10. Aprilis 1671. coram Bevilacqua & 26. Junii 1671. 30. Maji 1672. 16. Januarii 1673. coram Bourlemont, & 21. Junii 1673. 5. Martii 1674. & 1. Februarii 1675. coram Vicecomite, cum sententia ad istius normam favore Mautitii, a qua interposita appellatione, & denuo commissa causa coram Emerix cum dubio, an constet de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam fuit resolutum sub die 20. Aprilis 1676. coram eodem Emerix.

BAREN. JURIS VOTANDI, PRO DIGNITATIBUS ET CANONICIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ OPPIDI JOVIÆ, CUM PRESBYTERIS PARTICIPANTIBUS.

Casus decisus per Rotam pro Dignitatibus, & Canonicis.

An simplices presbyteri, qui post adimpleta Statuta Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, quæ sit aliorum civium receptitia, admissi sunt ad æqualem participationem massæ Capitularis, aliorumque emolumentorum æqualiter cum Dignitatibus, & Canonicis, habeant quoque votum in Capitulo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *In quo consistat scribentis, seu consulentis peritia.*
4 *An portionarii, vel beneficiati sint de Capitulo.*
5 *Distinguuntur species portionariorum, beneficiatorum, & simplicium presbyterorum participantium.*
6 *Beneficiati non sunt de Capitulo, neque in eo habent votum.*
7 *Induci potest per consuetudinem, & qualis ista esse debeat.*
8 *Etiam simplices presbyteri ex consuetudine possunt habere vocem in Capitulo.*
9 *Quomodo debeat constare de dicta consuetudine, ac distinguuntur actus Capitulares.*
10 *De conclusione super causa universali.*
11 *Consuetudo attendenda est in specie, & non extenditur de casu ad casum.*
12 *In quibus casibus admitti debeant presbyteri simplices, & in quibus non, ac sit abusus.*

D I S C. XX.

Cum in Ecclesia Collegiata, & matrice Oppidi Joviæ, ultra tres Dignitates, & decem Canonicos in titulum collativum provideri solitos, juxta pluries insinuatam illarum partium consuetudinem, adessent plures presbyteri patrimoniales, post adimpleta solita requisita, æque cum Canonicis & Dignitatibus de massa communi, aliisque emolumentis participantes, orta est controversia, an & quale jus habere deberent circa votum in Capitulo, atque introducta causa in Rota coram Verospio per appellationem a sententiis Ordinariis, & A. C. ad favorem Dignitatum & Canonicorum latis sub die 22. Febr. 1663. prodiit resolutio eisdem Dignitatibus & Canon. favorabilis in exclusionem dictæ prætensionis simplicium presbyterorum. 1 2

In ista disputatione expertus sum idem quod insinuatur infra in Materanen. deputationis Vicarii *disc. 26.* ac alibi pluries, quod scribentis doctrina, seu excellentia non consistit in faciendo magnas allegationum, & conclusionum sarcinas extra propositum, cum id apud peritos potius convincat imperitiam, seu judicii imperfectionem, 3
sed consistit in applicatione congrua eorum, quæ stricte feriunt casum præcisum: Siquidem cum magno labore scribentes pro dictis presbyteris examinabant fere omnia, quæ apud DD. ac in plerisque Rotæ decisionibus habentur de Portionariis, an sint de Capitulo, atque in eo votum habeant, seu alias illis conveniant ea quæ de Capitularibus disponuntur actum in Hispalen. juris votandi coram Cantuccio *dec. 4. part. 2. divers. in Tirasonen. juris votandi, dec. 397. & 640. part. 2. recent. in Calciaten. conjudicum, dec. 296. part. 1. & dec. 708. part. 2. pariter rec.* ubi concordantes, & in aliis. 4

Scribens autem pro Canonicis, & Dignitatibus, dicebam id continere clarum æquivocum desumptum ex verbo *participantium*, quasi quod idem importaret, ac *Portionarios*, isti siquidem ita pro locorum consuetudine vocati 5
sunt veri Beneficiati in titulum collativum provisi a Sede Apostolica, vel ab Ordinario, quos frequentius in Italia, præsertim in Basilicis Urbis dicimus *Beneficiatos & Clericos*, duos ordines cum aliqua subordinatione constituentes, in Hispania vero dicuntur *Portionarii, & medii portionarii*, & in aliis locis *hebdomadarii*, seu *mansionarii, &c.* ac alibi *consortiales* juxta casum, de quo *sub tit. de præeminentiis, disc. 21.* semper tamen cum præsupposito tituli collativi; Et consequenter ea quæ in jure de istis habentur, male applicantur hujusmodi presbyteris nullum titulum habentibus, sed solum jure cujusdam famulatus adscriptis Ecclesiæ servi-

servitio, pro cujus mercede admittuntur ad participationem massæ, ita nuncupati participantes, ad differentiam aliorum, qui utpote adhuc necessaria requisita non habentes, non participant; Ideoque totus labor remanebat mere inanis ac extra propositum.

Et nihilominus, etiam in ipsismet Beneficiatis, seu Portionariis provisis in titulum, regula est eos non esse de Capitulo, neque votum habere, quoniam Capitu-
6 lum constituitur solum a Canonicis, adeout cessante consuetudine, neque Dignitates de illo dicantur, ut habetur supra in Birecten. *disc*. 4. & in aliis, multo minus Beneficiati, qui in jure dicuntur Capituli ministri ac servitores, ut in supra allegatis decisionibus, & apud Cavaler. *dec*. 57. *dec*. 423. *p*. 4. *rec*. 136. & 351. *p*. 6. *dec*. 32. & 76. & 112. *p*. 7. cum aliis apud Barb. *de Canonicis c*. 37. & Adden. *ad dec*. 27. *p*. 3. *rec*.

Est bene verum, quod per consuetudinem introduci potest, ut habeant votum in Capitulo, atque de illo dicantur, sed cum sit consuetudo contra jus, requiri-
7 tur, vel immemorabilis, vel centenaria, vel saltem quadragenaria cum titulo putativo, seu colorato, ejusque fama bene probata, ut in supra allegatis decisionibus.

Quinimo dicta consuetudine accedente, etiam hujusmodi simplices presbyteros, vel cappellanos sine titu-
8 lo collativo habere jus votandi supponitur in Oritana vota cor. Remboldo *dec*. 8. *part*. 5. *recent. repetit. dec*. 201. apud Posth. *de manut*. ubi in possessorio decernitur hujusmodi presbyteris manutentio in jure votandi, in cujus possessione reperiebantur ob possibilem dictæ consuetudinis justificationem in petitorio; Hæc autem consuetudo, seu possessio in præsenti non aderat, sed potius erat in contrarium, dum a 30. annis & ultra, nullus dabatur actus interventus hujusmodi presbyterorum in Capitulo; aliqui etenim actus quamvis rari, erant antiqui, & supra dictum longissimum spatium trigenarium, unde duo resultabant; Primo, quod quæcumque possessio, quam alias habuissent, ita amissa erat; Et secundo, quod improbabilis reddebatur probatio immemorabilis, in eo præsertim primario ac essentiali requisito depositionis de visu per annos 40. post pubertatem, cum impossibile esset habere testes talis ætatis, ac talis memoriæ, & discursus; quod de aliis immemorabilibus requisitis bene deponere possent, præsertim in hujusmodi parvis Oppidis, in quibus juxta fere generalem Regni Neapolitani usum, Civitatibus etiam communem, major pars populi est rusticorum ac plebis, ita in Civitatibus & oppidis viventis, dum ob bannitorum incursiones ruri cum familia vivi non potest.

Et ulterius etiam dicti actus antiqui, de quibus docebatur, erant nimium rari, cum notabili spatio temporis, seu intervallo inter unum & alterum, quod potius excludit jus essendi de Capitulo, ac in eo votan-
9 di, quoniam cum Capitulum frequenter, tam pro actibus jurisdictionalibus, seu præeminentialibus, quam pro œconomicis fere in qualibet hebdomada congregari soleat, ita interventus debuisset esse frequens, & continuus, ideoque potius resultat argumentum, quod Capitulum eos aliquando admiserit, seu vocaverit tamquam peritos, seu informatos, ut audiret eorum votum tamquam consultivum, seu informativum potius quam quod essent capitulares, ut in specie advertitur *d. decis*. 620. *part*. 2. *recent*. & habetur a simili apud Cavaler. *decis*. 419. circa illud votum consultivum, seu dominationem, quæ per Episcopum petatur a parochianis in provisione parochi, ut istum populo gratum præberet cum similibus; Cum enim hujusmodi presbyteri sint æque interessati in massa, seu ejus participatione cum Canonicis & dignitatibus, quamvis id non sufficiat, ut exinde dici debeant de Capitulo, seu quod haberent jus administrationis bonorum mensæ Capitularis, ex *deduct. discurs. præcedent*. Attamen de congruo in illis Capitulis, quæ congregantur pro negotiis œconomicis, audiri debent, ad tollendas querelas super mala administratione ipsis præjudiciali.

Iidem scribentes pro actoribus, magis se involvendo in æquivocis nimium se diffundebant super conclusione causæ universalis, de qua præsertim *sub tit. de præe-*
10 *minentiis*, *in Cæsaraugustana Cathedralis disc*. 5. ac etiam *in Toletana jurisdictionis sub tit. de jurisdictione disc*. 1. ac pluries *sub tit. de decimis* & alibi, quod scilicet possessio aliquorum actuum conservet jus in omnibus; Sed pariter, ut dictum est, id continebat æquivocum manifestum, quoniam id recte procedit in eo qui habeat juris assistentiam ac fundatam intentionem in universum, ut est Episcopus in jurisdictione Episcopali in sua Diœcesi, & parochus in jure decimandi, cum similibus; Secus autem dicta juris assistentia non concurrente, adeout totum jus possessoris aliquorum actuum fundetur in sola consuetudine, seu præscriptione, quoniam tunc id suffragatur ad limites possessionis; ac in illis actibus particularibus tantum, ut in his terminis advertitur *dict. dec*. 423. *part*. 4. *rec*. ubi Portionariis data fuit manutentio in illis actibus, in quibus probatur possessio; Cadente in idem conclusione, de qua supra *sub tit. de beneficiis in genere*, *in Majoricen. Canonicatus disc*. 30. super consuetudine attendenda in individuo, & non extendenda de loco ad locum, vel de casu ad casum, seu de actu ad actum.

Hinc proinde, cum plerisque Ecclesiis, ita patrimonialium receptitiis, etiam Cathedralibus, vel Collegiatis consuetudo præbeat, ut hujusmodi presbyteri votum habeant in Capitulo, pluries desuper consultus dicere consuevi, id esse quidem tolerabile in iis Capitulis, quæ congregantur pro negotiis œconomicis, ac recta administratione massæ, in qua tales presbyteri sunt æque interessati, & consequenter etiam in electionibus 11
Officialium in idem tendentibus, puta procuratorum, seu syndicorum, & punctatorum; Manifestum autem abusum esse juris vehementem resistentiam habentem, ut intervenire debeant ac votum habere in actibus jurisdictionalibus, seu præeminentialibus, ut e.g. sunt, electio Vicarii Capitularis Sede vacante provisio, seu nominatio Canonicatuum, aliorumque beneficiorum ejusdem Ecclesiæ jure simultaneæ, seu ex alio titulo, cum similibus; Illo etiam magno inconvenienti con- 12
currente, quod in plerisque Ecclesiis hujusmodi presbyterorum numerus esse solet longe major, etiam in duplo, vel triplo, quam Canonicorum, & dignitatum, unde propterea cum nimia juris resistentia, Capitulum potius ab hujusmodi presbyteris, quam a Dignitatibus & Canonicis constitui dicitur, seu ab eis pendet conclusio Capitularis, quo nil absurdius.

RHEGIEN. CONSORTII, PRO CONSORTIALIBUS OPPIDI HERBERIÆ, CUM MAURITIO BAROTIO.

Casus varie decisus per Rotam.

An Collegium, seu Congregatio simplicium presbyterorum alicui Ecclesiæ inservientium, teneatur recipere omnes cives, seu patrimoniales in consortium, seu gremium Ecclesiæ, habentes requisita per ejusdem Consortii statuta desiderata, vel possit receptionem aliquibus denegare; Et quando ad hunc effectum dicatur concurrere qualitas civilitatis, seu naturalitatis per eadem statuta desiderata.

SUMMARIUM.

1 *Facti series*.
2 *Resolutiones causæ*.
3 *Quæ placeant, sive quæ sit bona earum ratio*.
4 *De decisionibus probantibus receptionem esse arctativam & necessariam*.
5 *De contraria decisione illarum revocatoria, seu quando illæ procedant*.
6 *Quod filii advocatorum, vel aliorum Collegialium debeant admitti in locum patris*.
7 *De jure patronatus passivo, seu de beneficiis debitis certo generi personarum remissive*.
8 *De obligatione admittendi cives ad massam, seu communiam, vel consortium*.
9 *Quod termini, de quibus n. 6 & 7. sint extranei ab illis, de quibus num. præcedenti*.
10 *Laudabile est beneficia civibus potius quam exteris conferri*.
11 *Quod aliud sit data necessitate recipiendi in genere ad locum vacantem potius recipere cives quam exteros, aliud vero agere de necessitate recipiendi in genere*.
12 *De filiis, vel conjunctis Consiliarii defuncti subrogandis in locum patris, vel conjuncti*.
13 *De errore scribentium evagandi circa incongruam applicationem*.
14 *De jure prohibendi negativo producente jus affirmativum*.
15 *Necessitas cooptandi ad Collegium, vel massam tamquam servitus non præsumitur*.
16 *Ubi receptio facienda est per verba secreta, & prævia informatione super vita, & moribus illa non est necessaria, seu arctativa*.

17 De

DISC. XXI.

IN Ecclesia parochiali Oppidi Herberiæ, ultra Paro-
chum, seu Rectorem se ingerentem in curia anima-
1 rum, ac perceptione jurium, seu emolumentorum paro-
chialium, adest quoddam improprium Collegium, seu
Congregatio, sub Consortii vocabulo explicata, aliquo-
rum simplicium presbyterorum civium, qui juxta plu-
ries in præcedentibus insinuata, adinstar Ecclesiæ Col-
legiatæ illi inserviunt, ac de quadam massa communi
participant, dictumque consortium propria habet Sta-
tuta antiqua ab Episcopo approbata, præscribentia
qualitates concurrere debentes in iis, qui ad illud ad-
mitti debeant, quod scilicet congregatis omnibus Con-
sortialibus, vel saltem tribus partibus, a quodam offi-
ciali, qui massarius nuncupatur, proponatur ille qui
admitti velit, ipsi vero Consortiales diligenter indagare
ac investigare debeant, an sit bonæ, honestæque vitæ
ac famæ, ut cæteris Consortialibus, ac universo po-
pulo exemplum esse posset, quodque esset per tres men-
ses antea sacerdos, ac servierit in choro, & sit natus
2 in dicto Oppido ex parentibus, qui per decennium sal-
tem antea in eo habitassent, ibique eum educassent,
nec aliter absque dictis requisitis recipiatur; Cum au-
tem Mauritius institisset ad consortium admitti, atque
negativam in scrutinio desuper habito reportasset, hinc
introducta desuper lite, prius coram Ordinario, deinde
vero in Rota coram Taja sub die 28. Februarii 1667.
ad ejusdem Mauritii favorem prodiit resolutio conformis
sententiæ per Ordinarium ad ejus pariter favorem latæ,
ad cujus resolutionis normam expedita sententia, &
commissa causa appellationis in eadem Rota cor. Ottalo-
ra, sub die 23. Januarii 1668. pro dictarum senten-
tiarum infirmatione ad favorem Consortialium prodiit
resolutio, solo motivo non probatæ civilitatis cum re-
quisitis dicti Statuti, ad cujus resolutionis normam ex-
pedita etiam sententia, & commissa denuo causa ap-
pellationis in Rota coram Bevilacqua sub die 23. Junii
1670. pro hujus ultimæ sententiæ ad favorem Consor-
tialium confirmatione responsum fuit.

Mihi scribenti pro Consortialibus in dicta secunda in-
stantia cor. Ottalora, & in altera cor. Bevilacqua, etiam
in fronsu veritatis, videbatur bonum jus illis assistere,
dictasque ultimas resolutiones esse probabiliores, non
3 tamen placebat dictum motivum, cui resolutio cor. Ot-
talora innixa fuit, ac etiam altera cor. Bevilacqua satis
adhæsit non justificatæ civilitatis, sed potius alterum,
quod Statutum non esset arctativum, neque consortiales
tenerentur invitii aliquem recipere, sive formiter in ju-
dicio justificare causas recusationis, nisi ob notoriam
habilitatem personæ petentis admissionem; tam circa
servitium, quam circa vitam & mores, aliasque cir-
cumstantias, concludens, vel saltem præsumptiva seu
adminiculativa probatio concurreret, quod recusatio
esset mera animosa, nullique justæ causæ innixa.

Duo igitur erant hujus causæ puncti, unus generalis
an scilicet tenerentur consortiales quamvis inviti, omnes
cives ad consortium recipere, & alter particularis, an
constaret de civilitate cum suis requisitis hujusmodi
4 collitigantis, & quatenus constaret, an adesset causa
particularis recusationis.

Quatenus pertinet ad primum, Scribentes pro actore
cum quibus processit prima decisio coram Taja, procede-
bant simpliciter cum decisionibus editis in Bonon. aggre-
gationis ad Collegium cor. Merlino inter suas *dec.* 832. &
882. ubi firmatur quod Collegiales quamvis inviti tenen-
tur recipere in Collegium illum qui habeat qualitates ab

ejusdem Collegii statutis præscriptas, quasi quod ita ha-
beretur casus decisus in propriis, ac præcisis terminis.

Verum istud fundamentum parvi momenti videbatur;
Tum quia a dictis decisionibus, etiam in eo casu reces-
sum fuit in secunda instantia coram Ghislerio, ut patet 5
ex *decis.* 180. *part.* 11. *recent.* Tum etiam quia earum-
dem decisionum Merlini fundamentum consistit in Sta-
tuto arctante admissionem filiorum Collegialium, qua-
tenus habeant necessaria requisita, & sic in peculiari
qualitate Statuti, quod fomentum habere videtur juris
communis, ex iis quæ in filiis Advocatorum, quatenus
essent idonei, admittendis ad Collegium, ac in locum
patris subrogandis disponitur per text. *in leg. jubemus*
& leg. petitiones, Cod. de Advoc. divers. judic. leg. ne-
mini, & leg. petitionem, C. de Advoc. divers. judicio-
rum; Et generaliter disponitur *in leg.* 2. *C. de Decurion.* 6
lib. 10. *& l. unic. C. de potior. ad munera nominan. eo-*
dem lib. 10. & habetur deductum in Forolivien. admis-
sionis ad Concilium *sub tit. de præemin. disc.* 31.

In aliis vero instantiis alii scribentes ex parte actoris de
novo assumpti cum copiosissimis allegationibus insistebant
in conclusionibus quas habemus in materia Jurispatrona-
tus passivi debiti certo generi personarum, ut habentes
patronatum activum, ac jus præsentandi, teneantur quam-
vis inviti præsentare personas de illo genere, alias rejecta
extraneorum præsentatione, instituendas, ut in sua ma-
teria *sub tit. de jurepatr.* pluries; Quod etiam habetur
sub tit. de benef. in materia juris conferendi beneficia,
quæ ex privilegio, vel fundatione, seu antiqua consue-
tudine debita sunt certo generi personarum.

Atque ego scribens pro Collegio reo convento, pon- 7
derabam ad favorem actoris magis proximas ac pun-
ctuales esse decisiones in Reginen. communiæ coram Ca-
rillo inter suas *decis.* 32. 66. & 102. quarum in secunda
est reperita *decis.* 232. *part.* 7. & tertia *decis.* 67. *part.* 8
8. in quibus in individuo agitur de casu necessariæ re-
ceptionis ad consimile consortium, seu massam, quæ
ibi in illis partibus communia dicitur.

Sed pariter dicebam omnes dictas conclusiones in suis
casibus veras, non facere ad rem, ideoque fallaciam 9
esse in applicatione; Extranei siquidem sunt termini
jurispatronatus, tam activi, quam passivi, cum non
ageretur de beneficiis, minusque de una & altera pa-
tronali qualitate; Prout etiam extranei sunt termini be-
neficiales, cum quibus proceditur in dictis decisionibus
Carilli, præsertim in secunda, ubi plene deducuntur
ea, quæ habemus de consuetudine, vel Statuto non con-
ferendi beneficia nisi civibus, quod *num.* 7. & 8. ex Di-
vo Thoma & aliis, dicitur, quod sit res justa & lau-
dabilis, cum ita Ecclesiis ac divino cultui sanctius, ac
diligentius ministerium exhibeatur, Verum id pariter
extraneum videbatur, tam ab illo casu quam ab altero,
de quo ibi agitur, Tum quia ubi sumus in beneficiis Ec-
clesiasticis, illa vacare non possunt, sed pernecesse con-
ferri debent unde propterea sola quæstio est, an uni
potius quam alteri personarum generi conferri debeant,
firma remanente necessitate conferendi, seu providendi,
quod in præsenti non cadit, cum ista non essent be- 10
neficia, neque Ecclesia esset numerata, adeout oporte-
ret implere locum vacantem, solumque agitur de ad-
mittendo, vel non admittendo in genere.

Tum etiam, quia aliud est agere, an in concursu civium,
ac exterorum, sive civium habentium ac respective non
habentium qualitates, posita substantia cooptationis in
Collegium faciendæ, debeat unus alteri præferri, & 11
tunc a simili recte intrant dicti termini, cum quibus
proceditur in dictis decisionibus Carilli; Aliud vero est,
an adsit necessitas in genere recipiendi in Collegium quos-
cumque ingredi volentes ex sola civica qualitate, absque
illa necessitate, quæ resultet a præfinitione numeri, quem
implere oporteat; Atque in hoc versatur pro meo judicio
æquivocum, cum quo in ista materia proceditur, quo-
niam, Aliud est agere de accidenti prælationis, posi-
ta substantia necessariæ provisionis, seu cooptationis
juxta casum disputatum in dicta Forolivien. admissio-
nis ad Consilium *sub tit. de Præeminentiis, disc.* 31. 12
ubi agitur de certo, ac præfinito numero Consiliorum,
ideoque certum erat, quod de necessitate subrogandus
esset alius in locum deficientis, solaque controversia
erat, an filius, vel conjunctus deberet præferri: Aliud
vero agere de necessitate aggregandi, seu cooptandi in
genere, ita ut ipsa substantia cooptationis sit in quæstione, 13
ideoque quotidie ac fere in omnibus forensibus quæstio-
nibus experimur illud malum, merito frequenter dete-
standum ac inculcandum, quod toti insistimus in consarci-

nando conclusiones, ac allegationes, nullatenus autem reflectimus ad congruam applicationem ad facti circumstantias, atque ad casum præcisum, an scilicet conclusiones, & auctoritates congruant necne.

Dicebam igitur, quod pro methodica hujus controversiæ decisione, præsupposito tamquam absoluto, ac per scribentes in contrarium non negato principio juris generali assistente libertati, ac resistente servituti non præsumendæ, neque inducendæ, nisi legitime probetur per Statutum conditum per habentem potestatem, vel per consuetudinem immemorabilem, & cum cujus præsupposito proceditur in dictis decisionibus Carilli, præsertim *decis. 66.* Duæ constituendæ veniebant inspectiones, Una scilicet super intelligentia Statuti hujus Ecclesiæ, quod solum absque alia lege fundationis, vel probata consuetudine præbebat causam edicto, an scilicet illud esset necne arctativum Collegii, seu Consortii, quamvis inviti, recipiendi quemcumque habentem desideratas qualitates; Et altera, posito quod esset arctativum, an etiam non obstante concursu qualitatum, ex justa particulari causa licitum esset necne recusare admissionem hujus petentis.

14 Quoad primam, attento tenore Statuti, etiam reflectendo ad solam veritatem, mihi certum videbatur, quod Statutum esset quidem arctativum, seu restrictivam facultatis Consortii non recipiendi nisi cives habentes qualitates ibi præscriptas; adeo ut neque volentes possent Consortiales recipere exteros, vel cives non habentes qualitates, atque in hoc consistit prærogativa civium qualificatorum, quod loca Consortii per alios impleri, seu occupari non possunt; unde implicite, ac de consequenti resultat necessitas eorum receptionis in genere, non autem in individuo, Ad instar illius juris affirmativi, quod resultat ad favorem habentis furnum, vel molendinum, ex jure negativo, seu prohibendi, ne ad alia molendina, seu alios furnos accedatur, ex deductis in Cornetana *sub tit. de regalibus disc.* 144. & in aliis *eod tit.*

15 Non tamen exinde resultat alia arctatio Consortii circa individuum, recipiendi scilicet, talem, vel talem personam recipi volentem; id enim in Statuto non disponitur, quod sufficit, stante dicta juris regula generali assistente libertati, donec probetur servitus tamquam limitatio in dubio non præsumenda; Et clarius, quia id potius ex Statuti contextu excluditur, dum in eo disponitur, quod Consortii negotia tractari debeant per vota secreta, ac etiam injungitur Consortialibus, ut diligenter inquirere, ac investigare debeant, an illi, qui petunt admitti, sint bonæ. honestæque vitæ, & 16 famæ, ac tales, quod cæteris Consortialibus, & universo populo exemplum, ac speculum esse possint.

Ita enim ad evidentiam excluditur necessitas præcisa, quoniam super vita & moribus, aliisque animi dotibus, & qualitatibus non formantur processus judiciales, sed proceditur per secretas informationes, ob plura scandala & inconvenientia, quæ alias resultare possent, publicando, ac patefaciendo vitia, malosque mores, qui petit admitti, ut advertitur in dicta Forolivien. admissionis ad Consilium *sub tit. de præeminentiis, disc.* 31. Stant enim bene simul, quod Collegiales per informationes extrajudiciales secretas essent conscii de mala & scandalosa vita illius, qui admitti petit, & tamen quod non possit formiter justificari, & quatenus possit, quod non expediat; ideoque non videtur, quomodo hujusmodi Statutum dici valeat præcise arctativum recipiendi certam personam ob solam naturalem civicam qualitatem, dum præscribitur inquisitio circa vitam & mores, ac animi dotes, atque receptio facienda est per vota secreta.

Ut docet praxis omnium fere Collegiorum & Congregationum, frequentius autem illa Monasteriorum 17 Monialium, ac etiam virorum, quod scilicet per Monasterium recipi non potest nisi puella, quæ certas habeat qualitates, certamque solvat dotem, & tamen quamvis omnia hæc concurrant, quinimo admittatur etiam ad habitum monasticum, adhuc tamen priusquam admittatur ad professionem, & sic ad cooptationem in Monasterio recipiantur vota secreta Monialium, atque majori parte concludente pro negativa, oportet quod 18 illa puella exeat a Monasterio, cum similibus.

Tunc etenim causa exclusionis alleganda & probanda est quando deduceretur per viam objecti, ad effectum scilicet excludendi a jure quæsito, seu ab eo jure, quod positis qualitatibus naturalibus negari non potest; ut puta providetur, quis a Papa, vel Ordinario de Canonicatu in Cathedrali, vel Collegiata, Capitulum vero ex Statutis, vel privilegiis recusat illum recipere, eique tradere possessionem propter objectum naturale resultans ab impuritate sanguinis, vel a defectu natalium, sive ab ignobilitate, aut forensitate &c. Tunc enim illud objectum tamquam exclusivum a jure quæsito est formiter justificandum ab excipiente, qui in hac exceptione est actor, cum objectum non præsumatur, ut cæteris relatis, Rot. *dec.* 494. *part.*1. *recent. num.*2. & 335. *num.* 1. *part.* 2. quæ est eadem apud Greg. *dec.* 498. Merlin. *dec.* 368. Rot. *dec.* 319. & 333. *part.* 11. & habetur actum in Melevitana, seu Hispalen. habitus *sub tit. de præeminentiis, disc.* 33.

Sive habemus in Religione Hierosolymit. quæ generaliter non negat habitum Justitiæ habentibus qualitates naturales a stabilimentis præfinitas, etiam pueris, in quibus non datur requisitum animi dotium, vel an sit præditus bonis, malisque moribus, neque admittuntur secretæ informationes, ideoque ubi sine causa denegatur admissio, datur appellatio juxta plures casus, qui habentur *sub dict. tit. de præeminentiis* in hac materia.

Vel etiam in his præcisis terminis, intrare quoque 19 videtur imploratio officii judicis per viam recursus, quando ex facti circumstantiis, concludens probatio, seu vehemens fumus haberetur, quod recusatio proveniat a malignitate, seu æmulatione, quia nempe recipiendus, ultra qualitates naturales, publice reputaretur bonæ vitæ, & famæ, nullusque haberetur malus odor, 20 de quo Superior cum eisdem extrajudicialibus informationibus certificari potest; Vel ubi idem Superior agnoscat id fieri ex avaritia Collegialium, cum præjudicio, nedum admittendorum, sed Ecclesiæ, ac populi, ut ita ob minorem numerum major sit emolumentorum portio, cum similibus pro Superioris prudenti arbitrio ponderandis tamquam pro limitatione, non autem pro regula; nam alias data dicta arctatione generali, esset dare inconveniens ponderatum supra in Neritonen. Statuti *disc.* 19. quod adeo multiplicari posset numerus Consortialium, ut ipsa consortialis qualitas vilesceret, omnesque fame perire cogerentur, ex rationibus & auctoritatibus ibi deductis, ex quibus posita etiam regula generali, quod hujusmodi Statuta, vel consuetudines essent arctativa, recte limitatio resultaret, ut esset justa causa denegandi novam admissionem, quoties jam admissi ac existentes constituunt numerum congruum, Ecclesiæ, & populi servitio, ac emolumentorum quantitati proportionatum, ut infra.

Quo vero ad secundam inspectionem particularem an 21 scilicet posita etiam dicta arctatione generali, juste recusari potuerit ista persona particularis, Advertebam quod theriaca resultabat ex ipsomet veneno actoris, qui ad ostendendam irrationabilitatem suæ exclusionis, deducebat admissionem aliorum ejus fratrum, quod ego retorquebam; Siquidem ubi agitur de sola justificatione qualitatis naturalis, puta nobilitatis, vel civilitatis, seu puritatis sanguinis, cum similibus, tunc recte intrat conclusio, de qua præsertim in Melevitana, seu Hispalen. habitus *sub d. tit. de præeminentiis, disc.* 33. ut canonizatio qualitatum in uno fratre germano, faciat statum quoad alterum; Secus autem quoad vitam & mores, ac animi dotes, cum frequentissime experiamur quod inter fratres eosdem natales habentes, oppositi sint mores, quodque unus sit dignissimus, alter indignissimus; ut etiam de gemellis docet sacra Scriptura de Jacob, & Esau, vel de primis Mundi fratribus, Abel & Cain, ideoque ita convinci dicebam justum motivum resultans a secretis informationibus illum excludendi absque suspicione mali animi erga domum, cum fratres admissi fuerunt.

Et ulterius, ubi etiam nulla concurreret causa ex- 22 clusionis ob vitam & mores, adhuc ipsa aliorum fratrum existentia erat justa & rationabilis causa eum excludendi, ut servaretur justitia distributiva inter alias domos ac familias loci, non autem quod una familia tot loca occuparet; An etiam ob monopolia, quæ plures fratres & conjuncti facere possent, ac solent, unde propterea in plerisque Capitulis, & Collegiis, etiam in ipso Cardinalium, prohibita est plurium fratrum receptio, quod habemus etiam in Monasteriis Monialium super prohibitione plurium sororum ultra duas, cum similibus.

Alter punctus civilitatis totus erat potius facti, quam 23 juris super illius probatione cum requisitis a Statuto desideratis, quibus non concurrentibus, certum est de jure admissionem denegari posse, ut in specie firmatur apud Carillum *dicta dec.* 102. quæ ex hoc fundamento deficien-

tis

tis civilitatis cum suis requisitis est revocatoria alterius
præcedentis *disc. 66.* editæ ad favorem admittendi, &
generaliter firmatur etiam in terminis civicæ qualitatis
seu nationalitatis requisitæ ad Beneficiorum assequutio-
nem apud Burart. *dec. 682. & decis. 67. & 105. part. 12.*
recent. & insinuatur in nullius, vel Syponrina Archi-
presbyteratus *sub tit. de benefic. disc. 12.*

24 Verum quoad ea, quæ facti sunt, reflectendo ad veri-
tatem, credebam justitiam actori assistere, cum consta-
ret parentes esse originarios, ipsumque in loco natum
esse, ac etiam accederet admissio germanorum fratrum;
Et quamvis ex hac parte nimium insisteretur, quod
deficeret qualitas decennalis educationis factæ per paren-
tes in loco, ob parentum absentiam per tempus notabile,
attamen non videbatur motivum solidum, cum dicta
absentia fuisset occasionalis, pro exercendis scilicet ali-
25 quibus Magistratibus, seu judicaturis, quod non immutat
domicilium, neque tollit veram ac naturalem civilitatem
etiam quoad eos, qui ex dicta occasione vere, ac de
facto nascuntur extra patriam in alienis locis, ut ad
materiam civilitatis pluries advertitur *sub tit. de præ-*
eminentiis, præsertim *disc. 36. cum seqq.* ac etiam ha-
betur *sub tit. de regalibus* in Anconitana onerum *disc.*
104. & alibi, idenque dictæ posteriores resolutiones in
secunda & tertia instantia coram Ottalora, & Bevilac-
qua infirmativæ prioris sententiæ, placuerunt quidem,
ac justæ probabilesque sunt, non tamen placuit istud
fundamentum, seu ratio.

Et quamvis in decisione 20. Junii 1670. cor. Bevilac-
qua, dicatur quod aliud est vocabulum *incolatus*, aliud
vero vocabulum *habitationis*, quasi quod istud non ad-
mittat fictionem, sed intelligi debeat per veritatem ex
deduct. per Menoch *lib. 6. præsumpt. 42. n. 2.* Carleval.
de judic. lib. 1. disp. 2. quæst. 1. n. 12. Ac etiam quod
requiratur in utroque parente qualitas originaria, quę
hic deficiebat in matre: Attamen id non placebat, Tum
ob contrariam observantiam in ipsis germanis fratribus
istius concurrentis: Tum clarius quia cum recte pro-
cedat argumentum a Statutis, ad viventium, vel mo-
rientium dispositiones, procedendum videtur cum eadem
26 regula, de qua pluries *sub tit. de fideicomm.* ac etiam
sub altero *de contract. & pact.* ut non cortex, & for-
mula verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat
spectato principaliter fine, seu effectu, ut scilicet non
admittantur cives ficti, & ex privilegio, seu alias no-
viter allecti, non autem ut in vere originariis, ita ac-
cidentaliter absentibus iste rigor litteralis attendi de-
beat, cum ita ad hujusmodi ac similes honores admitteren-
tur filii rusticorum, & artificum, excluderentur autem filii
insignium Jurisconsultorum, & professorum, qui ad ca-
thedras, & munera invitantur, ac etiam filii militum, &
mercatorum patriam decorantium, quo nil absurdius.

MATHERANEN. JURIS AMOVENDI CAPPELLANOS,

PRO CAPITULO METROPOLITANÆ, CUM ALIQUIBUS PRESBYTERIS, seu CAPELLANIS

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura resolutus pro Cappellanis.

An simplices prebyteri pro Ecclesię consuetudine admissi ad gremium Ecclesię, ac participationem massę, utpote nullum titulum habentes, ac manuales dimitti possint per capitulum ac expelli a servitio, & participatione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod manualia sint ad nutum amovibilia etiam sine causa.*
3 *Declaratur in qua specie manualium id procedat, & quando etiam Cappellani non habentes titulum collativum non possint amoveri.*
4 *Quod civica qualitas præbeat jus receptionis in Ecclesiis receptitiis, & quando intret, vel cesset necessitas admittendi.*
5 *Ubi sequuta est receptio, illa importat quandam speciem tituli, ad quem fit etiam promotio ad ordines.*
6 *De distinctione inter jus quæsitum, & quærendum, ac inter admissos, & admittendos,*
7 *Quod etiam in manualibus esset facultas removendi ad nutum, si id præbeat grave præjudicium in fama.*

Card. de Luca, Lib. XII.

D I S C. XXII.

Cum Ecclesia Metropolitana Matheranen. eamdem ha- 1
berit consuetudinem in præcedentibus pluries enun-
ciatam, frequens omnibus illarum partium Cathedralibus
& Collegiatis, ac etiam matricibus parochialibus commu-
nem, quod ultra præfinitum Dignitatum, & Canonicorum
numerum, qui in titulum collativum providentur, sit et-
iam receptitia civium certas qualitates habentium, qui,
præstito quodam gratuito servitio, aliisque adimpletis,
juxta singularum Ecclesiarum Statuta, ad participationem
massæ, distributionum, aliorumque emolumentorum
admittuntur; Ob aliquam autem indignationem a ma-
jori parte capituli conceptam adversus quosdam ex his
presbyteris, seu cappellanis factionatis partes aliorum
Canonicorum sede vacante sequentes, cum Capitulari
decreto dimissi essent, atque ab albo, seu rotulo presbyte-
rorum deleti; Hinc adeuntes isti per appellationem, seu
recursum, Tribunal A. C. manutentionem in eorum quasi
possessione obtinuerunt, a Signatura Justitiæ etiam ca-
nonizatam cum clausula *sine præjudicio*, suspensivæ ap-
pellationis exclusiva, atque ita, ut frequentius contin-
git, lis finem habuit.

In his autem disputationibus in utroque Tribunali præ-
dicto habitis, scribens ego pro Capitulo dictam ejectio- 2
nem substinere volente circa professionis initia, quando
in materia beneficiali, utpote extra Curiam rara, non
multum versatus eram, edoctus ex pluribus auctorita-
tibus ac decisionibus, de quibus *sub tit. de benef. disc.*
97. præsertim in Hispalen. juris amovendi curatos 20.
April. 1640. 21. Junii 1641. & 22. Junii 1642. cor. Peu-
tingerio, quæ circumferuntur in Curia magistrales fre-
quenter canonizatæ, ut hujusmodi cappellaniæ manua- 3
les, sint ad nutum amovibiles etiam sine causa, hinc
non acquiescebam resolutis, in dicta propositione firmiter
inhærendo, etiam cum sensu veritatis; Verum deinde
agnovi claram esse meam fallaciam in applicatione, cir-
ca quam frequens esse solet juvenum, quamvis ingenioso-
rum, ac elaboratorum defectus, ita in generalitate, seu pri-
mo aspectu conclusionum insistendo, non autem bene per-
pendendo casuum diversitates, factique circumstantias.

Dicta siquidem conclusio est vera in suis casibus, ubi sci-
licet juxta deducta *d. disc. 97. sub tit. de benef.* agitur de il-
lis manualibus, quæ alium titulum non habeant nisi
illum conductitium, seu famulatus, ideoque recte dicta
facultas dimittendi quandocumque ad libitum etiam sine
causa, eo modo quo famulos conductos dimittimus.

Non tamen erat iste casus controversiæ, quoniam cum
Ecclesia ex Statuto, vel consuetudine esset civium recepti- 4
tia, hinc proinde hujusmodi clericorum, seu presbytero-
rum receptio non provenit a libera facultate Capituli,
quod posset non recipere, seu conducere istos potius quam
alios, sed ex jure civico, quod sine dubio præbet jus ne-
cessarium, arctativum Capituli, quod volens non potest
recusare admissionem ad servitium, & massam civium
habentium præscriptas qualitates; Difficultas enim ca-
dit quoad individua, an scilicet præcise teneatur recipe-
re Titium, vel Sempronium, in quibus per occultas
informationes de vita & moribus, sive alias concurrere
potest probabile motivum non admissionis, quæ recusa-
ri etiam quandoque potest in universum ad tempus ob
nimium excretum numerum, *discurs. praced.* sed quoad
ipsam receptionem in universum, atque cessante justa cau-
sa, dictum jus civicum habet quamdam speciem tituli;
Et consequenter admissio non est mere voluntaria, ita-
ut pendeat a nutu Capituli, sed habet fundamentum
in eo jure quod tribuit Statutum, vel consuetudo ha-
bentibus præfinitas qualitates.

Quidquid vero sit ubi agitur de admittendo, vel non ad-
mittendo; Attamen ubi versamur in jam receptis & admis-
sis ad gremium ac servitium, cum actuali, vel habituali par-
ticipatione massæ, tunc talis admissio præseferre videtur
quamdam speciem tituli, adeout in plerisque Ecclesiis, ut
scio præsertim practicari in Ecclesia Melphit. admissi pro-
moveantur ad sacros Ordines ad titulum servitii, ac parti- 5
cipationis massæ, quæ posito servitio, eis negari non potest,
Quinimo, ut advertitur supra in Nazarena *disc. 17.* in ali-
quibus Ecclesiis etiam Cathedralibus, titulus collativus Di-
gnitatis, vel Canonicatus importat solum quasdam præemi-
nentias, seu quædam alia extraordinaria majora emolumen-
ta, participatio autem massæ provenit potius a qualitate
Cappellani, seu presbyteri participantis ratione juris civici

 quali-

qualificati, adeout qui non est talis, quamvis obtineat Dignitatem, vel Canonicatum, non participet juxta distinctionem *eod. disc.* . . . . deductam.

Hinc proinde talis facultas Capitulo, vel Collegio, seu Communitati tribuenda non est, quamvis tribueretur
6 arbitrium pro *facti* qualitate non admittendi, quoniam post admissione, remotio esset quædam species privationis juris quæsiti, quæ sequi non potest, nisi ex delicto bene probato, & causa cognita juxta distinctionem, quæ habetur in Calaguritana Beneficii de Bilbao *sub tit. de benef. disc.* 70. ac in decisionibus in ea causa editis, quarum aliquæ sunt impressæ *dec.* 78. 172. 267. 301. *&* 366. *part.* 12 *recent.* ac etiam *disc.* 71. distinguendo inter exclusionem a jure quærendo, ac privationem juris quæsiti; Intrante quoque vulgari dicterio, quo Juristæ in proposito hujus distinctionis etiam utuntur, quod turpius ejicitur, quam non admittitur hospes, Surd *cons.* 274. *n.* 13. *& cons.* 175. *n.* 42. & frequenter; Ac etiam quia, ut advertitur *d. tit de benef. disc.* 97. ad materiam manualium, etiam in iis quæ ad nutum manualia sunt, si remotio, infamiam, vel aliud notabile præjudicium causaret, adhuc intrat Superioris arbitrium pro hujusmodi facultatis refrænatione, quod absque dubio adaptatur hujusmodi ejectionibus nimium insolitis, infamiam, atque grave præjudicium præseferentibus, quia nonnisi ex crimine, vel alia indignitate fieri solent, vel ex æmulatione, seu ex factionariis determinationibus.

ANNOT. AD DISC. XXII.

DE manualibus actum est in sua Sede *sub tit de benefic.* præsertim *disc. generali* 97. Et continent deducta *sub tit. de regal. disc* 20. ubi in hoc fit in specie mentio hujus causæ.

CONCHEN. TERTII ADJUNCTI. PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM EPISCOPO.

Casus decisus per S. Congregationem Concilii, & per Rotam pro Capitulo.

An in causis Capitularium decidendis ad præscriptum Sac. Concilii Trident. sess. 25. de reform. cap. 6. per Episcopum cum duobus adjunctis, in casu discordiæ, tertius debeat esse capitularis, vel potius deputari valeat quicumque alter quamvis non capitularis; Et in quibus Capitulis dicta procedendi forma servanda sit, ac procedat.

SUMMARIUM.

1 *FActi series, seu casus controversiæ super tertio adjuncto.*
2 *Resolutiones Sacræ Congregationis, & Rotæ.*
3 *Quomodo S. Congregatio Concilii procedat in interpretando.*
4 *Quod tertius non possit esse beneficiatus, vel portionarius ejusdem Ecclesiæ.*
5 *De rationibus in contrarium, ut possit eligi quicumque.*
6 *Quod primæ rationes debeant prævalere.*
7 *Decretum Conciliare de adjunctis procedit solum in capitulis exemptis, atque potius jus novum Episcopo tribuit.*
8 *Non potest conqueri de inæqualitate, vel quod habeat minus jus Episcopus, qui prius nullum habebat.*
9 *De alio casu, & quod istud decretum Conciliare de adjunctis non procedat nisi in capitulis exemptis.*
10 *De materia remissive.*

DISC. XXIII.

1 DIsponente Sacr. Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 6. ut in Capitulis exemptis causæ criminales Capitularium cognosci debeant conjunctim per Episcopum & Capitulum, ejusque vice per duos adjunctos ab eo deputandos, quodque in casu discordiæ eligatur tertius, qui sit Canonicus, vel in Dignitate Ecclesiastica constitutus; Hinc orta controversia inter Episcopum & Capitulum Cathedralis Conchen. an iste tertius debeat esse Canonicus, vel Dignitas ejusdem Capituli, vel sufficiat quod sit alterius Cathedralis, vel Metropolitanæ; Atque Episcopo consulente Sacram Congregationem Concilii, ut fieri solet non in forma contentiosa sed solum per viam petitionis oraculi nomine citato, inhærendo alteri declarationi de anno 1618. contra ipsum prodiit resolutio sub die 25. Novembr 1647. Tertium scilicet eligendum esse unum ex Canonicis, vel Dignitatibus ejusdem Ecclesiæ; Cumque Episcopus petiisset iterum audiri, atque Sac. Congregatio mandasset audiri etiam Capitulum, assumpta formali disputatione, utraque parte informante, sub die 19. Decembris 1648 persistitum fuit in decisis, idemque responsum de ann. 1649. sed Episcopo non acquiescente, atque obtinente committi causam in Rota coram Cerro sub die 1. Julii 1650. solo Capitulo informante, in contumaciam, seu ut in Curia dicitur, per contradictas, idem resolutum fuit inhærendo dictis declarationibus Sac. Congregationis, neque, quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit.

Dictarum resolutionum fundamentum fuit in plerisque aliis antiquioribus ejusdem Sacræ Congregationis resolutionibus, tam in specie istius Ecclesiæ, quam Ecclesiæ Hispalen. ac aliarum; Cum enim non agatur de articulo juris communis, sed de nova lege inducta per Concilium Trid. pro cujus interpretatione in casibus ambiguis in ipsomet anno 1654 paulo post ejus publicationem, & confirmationem sequutam a Pio IV. ab eodem deputata fuit ista Sacr. Congregat. ex pluribus tunc temporis Cardinalibus, qui in eodem Concilio tamquam 3
Cardinales Præsidentes ac Legati, vel tamquam Prælati postea ad Cardinalatum promoti intervenerunt, ideoque recte conscii erant qualis esset PP. & Concilii intentio in quibuslibet Decretis, quæ non nisi prævia discussione, ac maturo examine prodierunt, ut advertitur *sub tit. de parochis in Civitatis Castellanæ, disc.* 1. & in Papien. visitationis Hospitalis *sub tit. de jurisd. disc.* 41. *&* 95. & alibi; Consequenter quando præsertim antiquæ, ac ibi proximæ declarationes prodierunt, illis absque alia discussione deferri solet, non autem recurri ad generales juris regulas, vel propositiones, ad quas pro novæ legis interpretatione est recurrendum in illis dubiis, quæ nunc elapso jam sæculo oriantur, quando notitia sensus PP. haberi non potest, quoties acta ejusdem Concilii eam non præbeant, ideoque ea quæ in his disputationibus in S. Congregatione per Scribentes, hinc inde deducebantur, videbantur potius flores, ac ornamenta scripturarum, utpote consistentia in axiomatibus, vel rationibus generalibus.

Ex hac siquidem parte, ego & cæteri pro Capitulo scribentes deducebamus; Primo, axioma, quod additamentum debet esse ejusdem qualitatis cum suo principali, ex collectis per Barbos *axiom.* 34 Secundo, quia 4
decretum Conciliare adhibet verbum *alius*, quod de sui natura denotat similitudinem ex collectis ab eodem Barbosa *dictione* 16. Et tertio, quia non congruit, ut secreta Capitularium pandantur extraneis, ideoque conjudices esse debeant de ipso corpore Capituli, adeout neque Beneficiati, vel Portionarii ejusdem Ecclesiæ assumi valeant juxta firmata *decis.* 27 *part.* 3. *recent.* cum aliis ibidem plene cumulatis per Addentes.

E converso autem ex parte Episcopi deducebatur auctoritas Guttierez *pract. quæst. libr.* 1. *quæst.* 90. ubi 5
innuit, quod hic tertius eligi potest quicumque; Secundo, magis in speciem adducebatur *disc* 180. Mantic. ubi data fuit manutentio huic Episcopo procedendi ad summariam informationem & capturam Capitularium etiam sine adjunctis; Et tertio, adducebatur motivum inæqualitatis, quod scilicet cum ex dicto decreto Con- 6
ciliari æquale sit jus Episcopi & Capituli adeout tanta sit vox illius, quanta conjudicum a Capitulo deputatorum ad instar illius æqualitatis, de qua plures habetur *sub tit. de benef* in materia simultaneæ hinc si daretur, quod tertius in casu discordiæ eligendus esse deberet de Capitulo, resultaret magna inæqualitas, atque interventus Episcopi esset de vento, cum concordantes primi conjudices de Capitulo, ac etiam tertius de eodem, ita concluderent, neglecto Episcopi voto.

Ista ratio me torquebat, adeout quando articulus fuisset omnino novus, atque non haberentur plures antiquæ 7
declarationes, satis dubitassem, Adhuc tamen duo dicebam: Primo scilicet, quod cum idem Conciliare decretum statuat eligi debere personam qualificatam, quæ juramentum juxta formam ibi præscriptam præstare quoque debeat, præsupponenda non est dicta collusio, sed quod adhæsio fieret pro justitia illi voto, quod melius esse fundatum; Et secundo, quod cum hujusmodi forma servanda sit solum in Capitulis exemptis, adeout non ex eo quod ageretur de Cathedrali, vel Collegiata id competat, sed solum ratione exemptionis, quam ita Concilium in præjudi-

judicium Capitulorum, ac favorem Episcoporum moderari voluit, ut declaratum esse per eamdem S. Congregationem habetur apud Seraph. *disc.* 493. *&* 497. Lotter. *lib.* 1. *q.* 25. *n.* 62. Barbos. *de Canonicis*, *cap.* 28. *num.* 2. *& in Collectan. ad idem cap.* 6. *sess.* 25.

Hinc sequitur, quod Episcopus, qui prius ratione
exemptionis nullum jus habebat, neque in hujusmodi
causis poterat se ingerere, non potest conqueri de inæ-
qualitate, ita quandoque accidentaliter resultante, dum
9 ejus jus prius non erat coæquale, ideoque conqueri
non potest ille, qui minus habet, si prius nihil habebat, itaque responsio videbatur satis congrua; Concurrente etiam dicto motivo congruentiæ, ut secreta Capitularium extraneis non panderentur; Ac etiam vera legali propositione, quod ubi agitur de interpretando novam legem correctoriam juris, vel status præcedentis, fieri debet interpretatio, ut quominus fieri potest, resultet correctio, seu diminutio illius juris, quod prius integrum, seu majus erat, ideoque ex his, etiamsi articulus ex integro decidendus esset, credebam, ita quoque responderi debere.

10 In proposito autem hujus decreti Conciliaris, cum illius praxis frequens haberetur in Hispania, aliisque partibus ultramontanis, parum vero in Italia, ubi nimium rarus est Capitulorum exemptorum usus, & merito quidem ob eorum contemptibilem statum, in plerisque præsertim exiguis Episcopatibus comparative ad Capitula Hispaniæ ac Germaniæ, aliarumque regionum ultra montes; Hinc Capitulum cujusdam Cathedralis non exemptum, & in quo proinde forma hujus Decreti in cognitione Capitularium servari non consuevit, ægre ferendo, quod non habuerit hujusmodi præeminentiam ibi frequentem; atque opinando quod id provenisset ex prædecessorum negligentia non utendi hoc decreto, quod præsupponebatur continere privilegium Capitulorum Cathedralium, cum ope, & consilio unius ex iis, qui Advocatorum titulum in sola nuncupatione usurpantes, totum super ultramontana, vel religiosa simplicitate studium adhibent ad illicita lucra paranda, recursum habuit ad Sac. Congregationem Episcoporum, a quo obtinuit rescriptum abstracte verum, ac rationabile, quod uti posset dicto Decreto Conciliari, & Constitutionibus Apostolicis; Verum super hujus rescripti relevantia desuper ex parte ejusdem Capituli consultus, dixi illud esse idem ac nihil, utpote præsupponens, quod Capitulum jam haberet exemptionem, cum cujus præsupposito, & non alias dictum Conciliare decretum procedit juxta proxime allegatas auctoritates.

11 De materia vero dicti decreti, & in quibus causis possit Episcopus procedere sine adjunctis, & in quibus non, habetur actum præsertim in pluribus Majoricen. jurisdictionis *decis.* 4. 105. 189. *&* 195. *part.* 7. *recent.* *& d. decis.* 27. *part.*3. ubi an Portionarii, vel Beneficiati possint elige in conjudices, ibique late Adden. de tota materia.

ANNOT. AD DISC. XXIII.

Super hujusmodi Conciliari dispositionis in materia adjunctorum videri poterunt deducta in Adnot. ad idem Sacr. Conc. Trid. *disc.* 44. *& in Miscell. Eccl. disc.* 24.

GALLIPOLITANA VICARII CAPITULARIS

PRO DECANO

CUM CAPITULO,

SEU ALIQUIBUS CAPITULARIBUS.

An Capitulum Sede vacante, in deputatione Vicarii ad formam Conc. Trid. existentibus Canonicis Doctoribus in Decretis, vel in sacra Theologia, possit eis neglectis, deputare non Doctorem; Et quatenus non possit, itaut electio sit invalida, An ea annullata intrent facultates Metropolitani, vel potius competat Capitulo jus denuo eligendi, seu deputandi.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo casus fuerit resolutus.*
3 *An votum electi computandum sit ad concludendam electionem.*
4 *Ubi adsunt doctores in Capitulo, non potest deputari Vicarius non Doctor.*
5 *Sed potest deputari Doctor, qui non sit de Capitulo.*
6 *De quibus Doctoribus intelligatur.*
7 *Si Capitulum deputat non Doctorem, jus deputandi devolvitur ad Metropolitanum.*
8 *De ratione quia ita male agendo privatur sua facultate.*
9 *Dantur similia in juspatronatus, & aliis.*
10 *Si major pars eligentium eligit minus dignum, totum jus devolvitur ad eligentes digne.*

D I S C. XXVI.

Vacante Ecclesia Cathedrali Gallipolitana, in primo 1
congressu per vota publica habito pro deputatione Vicarii ad præscriptum Sac. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 16. ex 27. vocalibus, 14. elegerunt Decanum Doctorem in utroque jure. Sed quia ejusdem Decani votum computabatur, quod supponebatur demendum esse, hinc proinde, habita electione pro non legitime conclusa, utpote facta a sola medietate, ad aliquot dies deventum est ad novum congressum, in quo pro majori parte electus fuit alter, qui non erat Doctor. Quare Metropolitanus innixus dicto decreto Conciliari, ob invaliditatem deputationis factæ per Capitulum de persona incapaci, deputavit in Vicarium eumdem Decanum, qui deputationem acceptavit cumulative, ac sine præjudicio jurium ex dicto primo actu Capitulari sibi quæsitorum, exortaque proinde inter dictos deputatos controversia, reque delata ad Sacr. Congregationem Concilii, de anno 1656. incertum est quid resolutum fuerit, credo autem quod resolutio prodierit pro Decano.

In hac autem disputatione tres fuerunt puncti; Primo
scilicet an prima electio facta per Capitulum dici pos- 2
set conclusa a majori parte constituta ex voto ipsius electi; Secundo quatenus non esset conclusa, itaut integrum fuisset ad novam electionem procedere, an subsisteret secunda electio pro majori parte conclusa, ad favorem non Doctoris; Et tertio quatenus non subsisteret, an Metropolitanus adhuc non elapso termino 8. dierum a dicto decreto Conciliari statuto potuisset procedere ad Vicarii deputationem, vel potius integrum esset Capitulo procedere ad electionem alterius Doctoris; Atque scribens pro Decano in omnibus pro ipso respondendum esse dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis ut credo sequutum esse.

Quatenus pertinet ad primum punctum, deducebam 3
eadem, quæ deducta habentur in Matheranen. *disc.* 26. fortius in hac facti specie procedentia, cum in eo casu electio sequuta esset in forma scrutinii per vota secreta, in præsenti autem per vota publica, quod non est prohibitum, quoniam ut ibidem advertitur, in hac specie electionis non oportet servare formam text. *in cap. quia propter, de elect.*

Quo vero ad alterum punctum, quoties in Capitulo 4
existunt Doctores in numero competenti, adeout dici non valeat libertas electionis restricta, tunc pluries S. Congregatio Concilii declaravit, eligendum esse Doctorem, neque posse, Doctoribus neglectis, eligi non Doctorem, ut refert Garz. *part.* 5. *cap.* 7. *num.* 9. *& seqq.* *& in add. ad idem cap.* 7. *num.* 12. & ex eo Barbos. *in Collect. ad idem Concil. dicto cap.* 16. *num.* 28 atque talis est continuatus sensus dictæ Sacr. Congregationis; Ideoque cum in isto Capitulo adessent tres Doctores in ætate congrua constituti, nullam patientes exceptionem, quæ illos redderet intelligibiles, ita nullitas remanebat evidens, cum esset numerus congruus, in quo electionis libertas esset recte exercibilis.

Potissime vero, quia non existentia Doctorum in Ca- 5
pitulo consideratur solum pro justa excusatione, quatenus deputaretur non Doctor de eodem gremio, quasi quod cogendum non sit Capitulum deputare in Vicarium extra gremium, non autem ut sibi incumbat necessitas deputandi unum de gremio, & consequenter magis exercibilis est libertas, cum idem Conciliare decretum primo loco insi-

uuet

nuei confirmationem Vicarii generalis Episcopi defuncti, qui, frequentius, præsertim in magnis Episcopatibus, solet esse exterus, ac non de gremio, ut pluries vidi practicatum, præsertim meo tempore in Metropolitana Baren. quod ad tollendas dissensiones inter ipsos Capitulares ad Vicariatum aspirantes, electus fuit ille qui erat Vicarius Archiepiscopi defuncti, qui non erat de gremio; Atque testificari possum de me ipso, quod vacante sede Episcopali in Patria, ad sedandum Capitularium factiones in præcedentibus vacationibus sequutas, quamvis plures adessent Dignitates, & Canonici Doctores, qui alias Vicarii Capitulares, ac Generales fuerant; Ego clericus sola tonsura initiatus, & non Canonicus, quamvis ejusdem Ecclesiæ Cathedralis servitio adscriptus ad satisfaciendum Decreto Conciliari *sess. 23. de reform. c. 6.* pro fori laicalis exemptione, pene adolescens in ætate 22. annorum, per utramque factionem ita concordantem, electus fui cum subsequuto exercitio per annum & ultra, deindeque per plures annos continuando in munere Vicarii Generalis, usquequo eodem officio retento, atque ejus occasione pro Ecclesiasticæ immunitatis servitio cito reversurus, ad Curiam accessi, quæ ex Dei gratia me detinuit, istaque fuit occasio.

6 Non negabantur hæc per scribentes in contrarium, sed insistebatur in eo, quod alii Doctores præter Decanum, ad hunc effectum non mererentur dici tales, utpote non doctorati in aliquo Collegio, vel publica Universitate, sed ex privilegio imperiali Comitum S. Floræ, quam speciem Doctoratus receptum est non sufficere ad hunc effectum, vel ad illum obtinendi primam Dignitatem in Cathedrali, vel Collegiata juxta Constitutionem Pii Quinti, de qua Borell. *in summ. dec. tom. 1. tit. 65. de Offic. Advoc. n.* 30. atque fuisse pluries declaratum per Sacr. Congregationem testatur Modern. Pignatell. *consult. Canon.* 222. & 312. Quod ego e converso non negabam, sed objectum tollebatur ex facto, quoniam docebatur eos esse doctoratos in publicis collegiis, vel Sapientiæ Urbis, vel Neapolis, de reliquo enim ego etiam admittebam objecti subsistentiam.

7 Quo vero ad tertium punctum, quod idem sit nullum deputari Vicarium in termino præfinito, ac deputari, sed nulliter; itaut illa verba Decreti Conciliaris, *si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur*, utrumque casum pariformiter comprehendant; firmant in specie Quarant. *in summ. Bull. verbo Archiepiscopi auctoritas, n.* 36. Barbos. *in collect. ad idem c. 16. num.* 28. & 32. Ventrigl. *de jurisdict. Archiepiscopi, cap. 76 num.* 2. & 3. qui refert declarationes Sacr. Congregationis; Atque ad favorem Episcopi vicinioris in casu Ecclesiæ exemptæ firmavit Sacra Congreg. Concilii in Neritonen. *disc. seq.*

8 Et quidem merito, quoniam collatore negligente suam facultatem exercere, vel eam male exercente, tunc pro ea vice ipse privatur tali facultate, quæ devolvitur ad superiorem in pœnam negligentiæ non conferendi, vel non eligendi, vel in pœnam culpæ conferendi, seu eligendi male, ad text. *in cap. cum in cunctis, §. fin. de elect. cap. 2. de concess. præbend. cap. si compromissarius, de elect. in sexto*; Et confert eadem
9 ratio, ob quam in beneficiis de jurepatronatus, si patronus præsentet scienter indignum, privatur ea vice jure præsentandi, atque beneficium efficitur liberæ collationis; Sive in consolidatione totius juris Capitularis in minori parte digne eligentis, si major pars indigne eligit, cum similibus; Et ex qua ultima propositione dicebam hunc Decanum non indigere Metropolitani deputatione, sed sibi sufficere primam deputationem factam a Capitulo, etiamsi admitteretur quod actus, non computato ejus voto, non esset conclusus a majori parte, quoniam cum reliqua pars Capituli minus digne elegisset scienter indignum, ob notitiam, quam ipsi recte habebant, quod in Capitulo adessent tres Doctores, ita totum jus Capituli consolidatum erat in iis, qui digne elegerant, ad text. *in cap. Dudum il primo, & cap. cum Vincton. de election.* utrobique scri-
10 bentes communiter, Rot. in Ragusina Electionis 1. Julii 1643. coram Ghisler. & passim, ac habetur pluries *sub tit. de jurepatr.*, ut præsentatio digna minoris partis prævaleat.

ANNOT. AD DISC. XXIV. cum seqq.

Agitur in his discursibus de electione Vicarii Sede Vacante; de qua pariter actum est *in hoc tit. disc.* 53. & in Adnot. ad Sacr. Conc. Trid. *disc.* 31.

NERITONEN.

SEU GALLIPOLITANA DEPUTATIONIS VICARII,

PRO EPISCOPO GALLIPOLITANO, CUM METROPOLITANO, SEU CUM CAPITULO NERITONEN.

Casus decisus per Sacr. Congregat. Concilii pro Episcopo.

De eadem materia devolutionis juris deputandi Vicarium Sede vacante ad Episcopum viciniorem Ecclesiæ exemptæ, ob electionem male factam a Capitulo de non Doctore; & an a gestis per Episcopum viciniorem, qui sit subditus Metropolitano, detur appellatio necne ad istum, si ipsa Ecclesia, in qua fit deputatio Vicarii, est exempta.

Et an appellatio etiam ad Sedem Apostolicam, vel Sacram Congregationem, in hac materia operetur effectum suspensivum, ac impediat dictæ deputationis executionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De resolutionibus S. Congregationis super quæsitis.*
3 *Quod existentibus Doctoribus, Capitulum non possit deputare Vicarium non doctorem, ac alias jus devolvitur ad Metropolitanum, vel ad viciniorem.*
4 *Sed si non adsunt Doctores, non tenetur deputare Doctorem extra Capitulum, licet possit.*
5 *Ab Episcopo viciniore subjecto Metropolitano, ad istum non appellatur super concernentibus deputationem Vicarii Ecclesiæ exemptæ.*
6 *Ea quæ desiderant celeritatem, non admittunt appellationem suspensivam.*
7 *In specie quod appellatio a deputatione Vicarii Sede vacante non retardet.*

DISC. XXV.

Vacante Ecclesia Neritonen. per translationem Episcopi ad Ecclesiam Soanensem, cum Capitulum 1 deputasset Vicarium non Doctorem, pluribus Doctoribus in Capitulo existentibus, dictaque Ecclesia exempta esset a Metropolitano, atque immediate subjecta Sedi Apostolicæ; Hinc Episcopus Gallipolitanus vicinior, aliquibus Capitularibus recurrentibus, ex facultate, sibi attributa per S. C. T. *sess. 24. de reform. c. 16.* alium Vicarium Doctorem, ac idoneum deputavit, Capitulum vero, ac Vicarius ab eo deputatus appellando ad Metropolitanum, cum istius inhibitione, exequutionem dictæ deputationis impedire curavit, plerisque etiam inconvenientibus hinc inde juxta stylum desuper ortis, quibus tamen, absque alia disputatione in Curia, consuluit celer provisio Episcopi successoris.

Adhuc tamen Episcopus prædictus vicinior adeun- 2 dam censuit S. Congreg. Concilii, tam pro ejus existimationis indemnitate circa jam gesta, quam pro regula tenenda in futurum, ideoque ab anno 1669. me pro eo scribente dictam S. Congregationem de tribus consuluit; Primo scilicet, an eadem facultas Episcopo viciniori in Ecclesia Metropolitana, vel exempta concessa in casu non deputationis Vicarii infra 8. dies, competat in casu male factæ deputationis de non Doctore, seu alias non idoneo; Secundo, an a deputatione facta per viciniorem ex dicta causa daretur appellatio ad Metropolitanum; Et tertio, an in casu legitime interpositæ appellationis ad Sedem Apostolicam, vel Sacr. Congregationem, ea retardaret, ac operaretur effectum suspensivum; Et in omnibus pro Episcopo responsum fuit, juste quidem, ac fundate, ad primum scilicet affirmative, ad alia vero negative.

Quatenus ergo pertinet ad primum punctum affirmative resolutum, deducebam eadem quæ habentur in alia Galli- 3 politana *disc. præced.* quæ de plano admissa fuerunt per Sacr. Congregat. hunc sensum inconcusse retinentem, quatenus ex parte Capituli, vel ab eo deputati, non doceatur de justa, & probabili causa, ob quam deputatus non fuerit aliquis ex Doctoribus in Capitulo existentibus, in quibus quandoque justa & rationabilia motiva concurrere solent, 4 ut eligi, seu deputari non debeant; Licet enim Capitulum tali

tali casu posset deputare alium idoneum extra Capitulum ut *disc. praeced.* atque laudabiliter faceret, attamen non tenetur, ut pluries S. Congregatio censuit.

Ad secundum, super quo responsum fuit negative, quod scilicet non detur appellatio ad Metropolitanum; Dicebam quod licet ipse Episcopus esset suffraganeus, a cujus proinde sententiis, ac provisionibus ad Metropolitanum appelletur; Attamen id intelligitur in concernentibus propriam diœcesim subditam in provincia existentem, atque in negotiis, in quibus Suffraganeus procedat jure suo, & juxta ordinarias facultates; Secus autem ubi jure extraordinario delegato, quoniam tunc appellandum est ad delegantem, atque Metropolitanus habetur pro mere extraneo, ex deductis per Felin. *in cap. licet, n. 1. & seq. de Offic. Ordin.* ac alios collectos per Scacc. *de appellat. quaest. 8. n. 80. cum seq.* Ventrigl. *de jurisdict. Archiep. cap. 134. n. 12.* bene Fagnan. *in cap. ad audientiam il primo de Eccles. aedific. n. 47. & 48.* ubi dicit ita decisum fuisse per hanc S. Congregationem.

Siquidem Concil. Tridentinum in hoc discretive ponderat viciniorem in Ecclesia Metropolitana, vel exempta
5 a Metropolitano, in Ecclesia suffraganea, in qua solum
illi facultatem tribuit, ad casus non expressos non extendendam; Ac etiam quia Metropolitano injunctum fuit in casu gravaminis, regimen provinciae sibi commissae illiusque cleri, & populi, ideoque extraneus remanet a negotiis extra suam provinciam Episcopo suffraganeo demandatis.

Demum quoad tertium, rationabiliter etiam responsum fuit non intrare appellationem suspensivam, ex regula,
6 ut omnia quae celeritatem desiderant, atque sine irreparabili praejudicio moram, seu dilationem non patiuntur, talem appellationem non admittant, Bald. *in l. unica, C. si de moment. possess. & caeteri,* de quibus Grammat. *cons. civil. 3. n. 4. & 5.* Marant. *in praxi, verbo, & quandoque appellatur, num. 330.* Adden. ad Magon. *decis. Lucen. 15. lit. A,* Scacc. *de appell. q. 17. limit. 6. membr. 8. n. 1. cum seq.* Et hic est casus, quoniam administratio Ecclesiae Pastore viduatae stare non debet ita sub incerto, ac propterea Concilium innovando in hoc juris communis dispositionem, fidere noluit de illa plurali administratione, quae alias ad terminos juris communis erat penes Capitulum, sed voluit esse penes unum cum praefinitione brevis termini
7 octo dierum; Si enim daretur appellatio, resultaret quod
prius sequeretur Ecclesiae provisio de Episcopo, quam decisio litis quisnam esse deberet Vicarius Sede vacante quo nil absurdius; In idem confluentibus iis quae habentur *sub tit. de Parochis* in materia concursus ad Parochiales, quod licet ab irrationabili judicio Episcopi a praelectione, vel ab injusta reprobatione examinatorum detur appellatio, non tamen conceditur ad suspensivum, sed ad devolutivum tantum, cum similibus.

MATHERANEN. ELECTIONIS VICARII, PRO JO: BERARDINO MARRA, CUM DECANO, ALIISQUE CANONICIS CATHEDRALIS, SEU METROPOLITANAE.

Casus disputatus in S. Congregatione Concilii, & resolutus pro Jo: Berardino electo.

De eadem materia electionis Vicarii Sede vacante, quae forma servari debeat, & an ipsius electi votum computari debeat ad electionem concludendam: & an electus exercere possit sine litteris suae deputationis.

Et incidenter aliqua de duobus Vicariis Capitularibus istarum Ecclesiarum, simul unitarum, Matheranen. & Acheruntinae.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Resolutio Sacr. Congregationis.*
3 *De materia text. in cap. quia propter, de elect.*
4 *Quod haec forma non sit servanda in deputatione Vicarii Capitularis.*
5 *Minusque in provisione Canonicatuum, vel Beneficiorum:*
6 *An, & quando possit quis dare sibi votum proprium quod sit numerandum.*
7 *De ratione ob quam uno casu liceat, & altero non.*
8 *De dispositione text. in cap. cum in jure de elect.*
9 *Quod de consensu Electorum possit quis dare votum sibi ipsi.*
10 *Ad materiam text. in cap. avaritiae de praeb. in sexto, an procedat in Vicario deputato per Capitulum.*
11 *Deputatio Vicarii importat mandatum quod non requirit scripturam.*
12 *De alio casu controversiae.*
13 *Sententia provisionalis non praejudicat etiam in possessorio.*

D I S C. XXVI.

VAcantibus de anno 1649. Metropolitanis Ecclesiis Matheranen. & Acheruntina aeque principaliter unitis, ob translationem Archiepiscopi ad Ecclesiam Messanen. atque utroque Capitulo pro sua respective
diœcesi, modo ut infra, diversum Vicarium constituen- 1
te; Capitulo Matheranen. constituto ex 32. votis congregato pro electione Vicarii in forma scrutinii secreti, cum in primo scrutinio nulla adesset conclusio pro majori parte, deventum fuit ad secundum, praevia declaratione, ut cuilibet licitum esset cum proprio voto sibi ipsi adhaerere, atque in hoc scrutinio pronunciatus fuit electus Jo: Berardinus Marra unus ex Capitularibus, utpote habens 17. voto computato tamen proprio qui propterea illico in Vicarium recognitus fuit, suumque officium exercere cœpit; Praetendentes autem Decanus, & alii Capitulares, qui in diversam abierant sententiam, quod dicta electio non esset a majori parte conclusa, ex eo quod proprium votum electi computandum non esset, unde remaneret solum medietas: Vel quod electus, ante expeditas litteras suae deputationis se instruisset in exercitio officii, ideoque a suo
jure cecidisset, recursum habuerunt ad Sac. Congrega- 2
tionem Concilii, quae tamen, auditis partibus, pro electo respondit, qui propterea usque ad novi Archiepiscopi adventum in officio continuavit.

In disputatione autem desuper habita duo fuerunt puncti; Unus, an votum ipsius electi computandum esset necne ad constituendam majorem partem, per quam electio conclusa diceretur; Et alter circa exercitium officii prius quam sibi traderentur litterae deputationis.

Quatenus pertinet ad primum Scribentes pro recurren-
tibus, cum magno labore, copiosissimisque allegationi- 3
bus quasi per speciem tractatus, reassumebant materiam text. *in cap. quia propter, de elect.* & an attenta ejus forma, votum proprium computandum esset *ad notat. in eod. cap. quia propter, & in cap. Cumana eod. tit.*

Verum inanis erat hic labor, cum claro aequivoco ex-
tra propositum adhibitis, quoniam dictae formae rigor pro- 4
cedit, ubi agatur de electione Pastoris, seu Praelati praeficiendi Ecclesiae viduatae, secus autem in deputatione hujusmodi Officialium, sive etiam in provisione, seu nominatione ad Canonicatus, aliaque beneficia, quoniam illam per nostrum modum loquendi dicimus electionem, sed vere non est talis, ut in terminis individualibus deputationis Vicarii Sede vacante, Gara. *de benef. part. 5. c. 7. n. 21. & 22.* ubi refert declarationem Sacr. Congregationis, quae idem rescripsit in altera Matheranen de anno 1632. Et de electione, seu collatione Canonicatuum, seu Dignitatum,
aut officiorum Capitularium, Rot. *dec. 289. n. 30. & 38.* 5
part. 6. rec. dec. 219. n. 9. par. 9. Adden. ad Burat. *dec. 809. n. 19* & frequenter, & consequenter non eramus in casu.

Praeterea ad quandam superabundantiam dicebam,
quod ubi servari debuisset dicta forma *cap. quia propter*, 6
attamen dicta conclusio super non computatione voti proprii, procedit in ipso primo scrutinio, secus autem ubi eo aperto, seu publicato, agatur de secundo actu per viam accessus, seu adhaesionis, quoniam tunc non prohibetur ipsemet, quando alias expresse in contrarium statutum non sit, sibi ipsi accedere, atque adhaerendo illis, qui in scrutinio eum elegerunt, augere numerum, atque perficere electionem alias imperfectam, juxta doctrinam Abb. *in cap. cum in jure, n. 5. de elect.* Navar. *cons. 6. de elect. n. 5.* cum concord. apud Buratt. *dec. 316. & 481. utrobique n. 4. dec. 363. n. 8. & 9. par. 6. rec.* repetit. apud Vivian. *de jurepatr. dec. 135. n. 9. & 10.* Quod tamen, ut dictum est deducebatur ad superabundantiam, aliquid desuper mature non firmando, neque punctum ex professo examinando, cum necessitas non exigeret.

Assignabam etiam differentiae rationem, quod in pri- 7
mo actu scrutinii secreti, ignorat quis, an alii in ipsum deventuri essent, ideoque dando votum sibi ipsi, convincitur de ambitione, vel superbia, maleque agit, secus autem in secundo actu, quoniam audiendo, seu videndo ab aliis

so

se eligi, ita eis consentire, ac bono animo sine ambitione adhærere potest.

Quod clare decidere videtur text. *in cap. cum in jure,*
8 *de elect.* ubi ex septem vocalibus, electus a tribus, cum adhæsione sui ipsius, dicitur electus a quatuor, & consequenter a majori parte, quem text. non esse correctum, sed hodie quoque attendendum esse firmant communiter scribentes ibidem; Et quamvis iidem scribentes conciliare volentes hunc text. cum altero *in d. cap. quia propter, & in cap. Cumana;* dicant eum procedere in electione, quæ fiat publice & palam per viam compromissi, non autem in ea quæ fiat secreto per viam scrutinii, attamen ubi dicta forma *cap. quia propter* non est præcise servanda, cessatque dicta ratio ambitionis, recte ejusdem text. dispositio intrare videtur, post publicationem scilicet scrutinii, & per viam adhæsionis.

Accedente etiam expressa facultate de communi con-
9 sensu data adhærendi sibi ipsi; Licet enim divinativus reputetur alter intellectus conciliativus inter *d. text. & cap. quia propter, & cap. cum in jure,* quod scilicet hic secundus procedat, quia data erat dicta facultas; Attamen id non videtur in jure prohibitum, ut electus de consensu eligentium possit sibi ipsi votum dare, Sylv. *in summ. verbo Electio in secundo, n.* 22. maxime quia Decanus oppositor, qui ab altera minori parte electus fuerat, idem servaverat.

10 Quo vero ad secundum punctum, procedebatur pariter cum æquivoco magis claro, adhibendo terminos text. *in cap. Avaritiæ, de præbend. in sexto;* Licet enim rejecta opinione Gemin. & Lambertin. receptum sit, sequendo opinionem Archidiaconi, & Franchi, ac aliorum, ut dictæ Decretalis dispositio procedat, nedum in Prælaturis, sed etiam in inferioribus beneficiis juxta *decis.* 6. Crescent. *de jurepatr.* Mantic. *dec.* 261. *n.* 3. *dec.* 184. *n.* 2. *part.* 10. *rec.* cum aliis per Lotter. *lib.* 2. *q.* 13. *a n.* 1. *ad* 13. Attamen id procedit, quando agitur de actu qui exigat ad ejus perfectionem auctoritatem Superioris, ut est in casu electionis, quæ indiget confirmatione, juxta ea quæ habentur infra in Monasterien. Coadjutoriæ *disc. seq.* Vel ubi agitur de præsentatione, seu nominatione ad beneficium, unde necessaria sit institutio, seu provisio superioris, & in his terminis loquuntur omnes auctoritates, quas desuper habemus; Secus autem in hac subjecta materia, in qua non agitur, nec de vera electione, nec de præsentatione, seu nominatione exigente post se alium actum ad sui perfectionem, sed agitur de simplici deputatione sonante in mandatum, quod Episcopus, vel Prælatus, vel ejus loco Capitulum, Vicario dare dicitur, quod mandatum ad
11 sui essentiam non exigit scripturam, sed etiam oretenus dari potest, Sbrozz. *de Vicar. lib.* 1. *q.* 64. Et generaliter quod dicti termini non intrent in illis actibus, qui alium actum ad eorum perfectionem non exigunt, ubi scilicet ipsa electio est electio & collatio simul, Garz. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 23. *& seq.* Litteræ siquidem patentes expediuntur ad probationem, non autem ad substantiam, vel perfectionem actus, cum nullo jure cautum sit, eas requiri de substantia.

12 Item in hac materia Vicarii Sede vacante, cum, ut supra, istæ Ecclesiæ æque principaliter unitæ essent, unde propterea quodlibet Capitulum deputat suum Vicarium pro ejus diœcesi, perinde ac si essent duo materialiter diversi Episcopi, ex iis quæ in specie habentur in Ampurien. & Civitaten. *sub tit. de Præeminent. disc.* 7. antiquitus orta fuit controversia inter istas Ecclesias, & Capitula super jurisdictione in quibusdam Oppidis, an sub unius, vel alterius diœcesis finibus essent, atque Rotam de anno 1600. coram Millino, ut patet ex *decis.* 204. inter suas, Capitulo Acheruntino decreta fuit manutentio, quæ pacificam executionem, ac observantiam habuit usque ad annum 1665. de quo tempore vacante utraque Ecclesia per translationem illius Archiepiscopi ad Ecclesiam Metropolitanam Jan cum Capitulum Matheranen. invalide suum Vicarium deputasset, unde propterea Sacra Congregatio Episcoporum, firmo remanente Vicario deputato per Capitulum Acheruntinum, deputasset pro hac Civitate & diœcesi Vicarium Apostolicum, obtinuit iste, ad ampliandam ejus jurisdictionem, quæ juxta illarum partium abusum, ad industriam, ac negotiationem principaliter attendi videtur magis quam ad onus curæ, ac regiminis spiritualis, ac Divini servitii, per modum provisionis sibi concedi jurisdictionem in illis Oppidis, vulgo nuncupatis partis inferioris, quæ fuerunt in lite ut supra; Hanc autem provisionem ego in eadem Sacr. Congregatione dicebam nimium præjudicialem esse nulli probabili fundamento innixam quoniam, aut Capitulum Acheruntinum bene deputaverat suum Vicarium, aut male; Si male, debebat quoque ibi deputari Vicarius Apostolicus pro universa diœcesi. Et si bene, nulla suberat ratio, cur dictæ dismembrationi locus esset; Et quamvis actus provisionales nullum præstent præjudicium etiam in possessorio, 13
ut per Cavaler. *dec.* 565. *n.* 4. Attamen de facto videbatur res mali exempli, malæque introductionis; unde propterea Sacr. Congregatio erat in sensu revocandi, sed jam subsequuta provisio novi Archiepiscopi sustulit occasionem, seu necessitatem procedendi ad alium actum.

MONASTERIEN. COADJUTORIÆ, PRO ARCHIEPISCOPO COLONIÆ, CUM EPISCOPO PADERBONEN.

Casus disputatus in S. Congregatione Concistoriali, & resolutus ut infra.

De consensu Capituli super Coadjutore præstando Episcopo cum futura successione, quando dicatur bene, vel male præstitus; & de materia electionis circa malam intimationem capituli, vel spretum aliquorum capitularium sub prætextu criminum seu inhabilitatis; & de voto in Capitulo non competente non constitutis in Sacris, seu in illis ordinibus, in quibus constituti esse debent.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De stylo cassandi utramque electionem, atque ex integro præficiendi unum ex electis.*
4 *Consensus præstandus a Capitulo super deputatione coadjutoris Episcopi cum futura successione non importat veram electionem, & n. 25.*
5 *Distinguuntur puncti causæ.*
6 *Ex motivis prudentialibus magis quam legalibus pendet practicare id, de quo n. 3.*
7 *Convocatio Capituli pertinet ad Decanum.*
8 *Atque invalida est convocatio alias facta.*
9 *Quando personæ Capitulares non intervenientes in Capitulo dicantur ab isto extraneæ, & non computentur.*
10 *Male citatus si comparet, non allegat nullitatem citationis.*
11 *De alio casu invalidæ electionis ob malam convocationem.*
12 *Et quod id attendatur, ubi non comparent omnes vocales, secus si compareant.*
13 *Contemptus aliquorum vocalium, etiam unius irritat electionem.*
14 *Attendi debet sanior pars, & quando remissive.*
15 *Contemptus ita resultat ab actu negativo non convocandi, ac ab actu positivo inhibendi, ne accedat ad Capitulum.*
16 *Inquisitus de delicto, & gravatus non tenetur petere, vel acceptare gratiam, quia videtur fateri.*
17 *Quod Capitularis inhibitus non teneatur accedere.*
18 *De constitutione Pii V. super conferentibus beneficia conjunctis.*
19 *In electionibus non curantur censuræ vocalium, alias non justificatæ, & deductæ ad judicium.*
20 *Minusque delicta, & alii defectus.*
21 *Eligentes scienter indignum pro ea vice privantur jure suo, quod totum devolvitur ad pauciores digne eligentes.*
22 *Consentiens electioni priusquam eligatur, ratione ambitus, dicitur indignus.*
23 *Episcopatus dandi sunt recusantibus, ac denegandi petentibus.*
24 *Declaratur conclusio, de qua n. 22.*
25 *Quod electio Coadjutoris sit quid diversum ab electione Episcopi, seu Prælati Ecclesiæ viduatæ, & supra n. 4.*

DISC. XXVII.

Cupiens Episcopus Monasterien. apud nostrorum tem- 1
porum historicos, non minus lorica quam mitra clarus, sibi statuere successorem gratum, seu verius ita excludere successionem alterius parum grati, curavit ab Alex. VII. in forma motus proprii dispensari juratæ promissioni per eum factæ in susceptione Ecclesiæ de non tractando de

Coad-

Coadjutore, neque illius electionem, seu deputationem
permittendo, dictaque dispensatione per aliquod nota-
bile tempus occultata, sumpta occasione infirmitatis,
vel absentiæ Decani (quem forte timebat, curavit per
Scholasticum convocari capitulum, per quod statuere-
tur determinata dies celebrandi capitulum solemne, seu
generale cum interventu omnium, pro tractando, ac
explicando in genere quodam satis gravi negotio per
ipsum Episcopum proponendo; Cumque statuta dies
approximaret, atque Decanus eique adhærentes prote-
stati essent de indebita dicti capituli convocatione ad ip-
sum spectante, nedum ad capitularem congressum proces-
sum fuit, sed per aliquos dies antea per ipsum Episcopum
declarati fuerunt suspensi a Voto, seu jure votandi pri-
vati duodecim capitulares, Decanus scilicet sub præ-
textu, quod infra annum non suscepisset ordinem pres-
byteralem ad præscriptum *S. Conc. Trid. sess. 22. de re-
form. c. 4. & Clement. 2. de ætate, & qualitate*; Ac et-
iam quod in ejus turno contulisset Canonicatum per-
sonæ conjunctæ contra formam constitutionis Pii V. ex
quo etiam capite declaravit suspensum alterum Capitula-
rem; Alterum verum ob notoria crimina, non expri-
mendo, quæ & qualia essent, reliquos autem novem,
ex eo quod ipsi Episcopo Ecclesiam ingredienti non
occurrerint, seu associati non fuerint, ideoque ex 34.
vocalibus exclusis dictis 12. per reliquos pro majori par-
te electus fuit in Coadjutorem Episcopus Paderbonen.
ejusdem Ecclesiæ Canonicus, qui absens procuratorem
constituerat ad votandum, nec non ad exhibendum
in capitulo dispensationem Apostolicam super ejus ca-
pacitate passivæ electionis, alio Episcopatu non ob-
stante; Decanus vero, ac alii ut supra neglecti, in alio
loco congregati elegerunt in coadjutorem Archiepisco-
pum Coloniensem pariter Canonicum atque utroque
adeunte Sedem Apostolicam pro dicta Coadjutoria, re-
missoque de more negotio examinando & consulendo S.
Congregationi Concistoriali, quamvis absque dubio per
omnes utraque electio invalida reputaretur; Pro majori
tamen parte conclusum fuit consulendum esse Pontifici
2 Clementi IX. ut dicta electione cassata, ex integro de-
putaretur Paderbonensis, pro altera vero minori, sed
forte saniori, conclusum fuit, ut utraque cassata ad novam
validam ac liberam & pacificam electionem procede-
retur, primum tamen votum ex prudentialibus forte
motivis receptum fuit, ac exequutioni demandatum,
inhærendo pluribus exemplis antiquis quæ habentur re-
gistrata in sacris Canonibus *sub tit. Decretalium, &
Sexti de electione*, quam modernioribus registratis in
actis Concistorialibus, quod scilicet utraque electione
cassata, unus ex electis per Sedem Apostolicam ex in-
3 tegro eligeretur, atque Ecclesiæ præficeretur, ubi justa
causa atiam prudentialis ita exigat, ut in præsenti ex tem-
porum qualitate aliisque circumstantiis exigere videbatur.

Potissime vero quia non agebatur de formali electio-
ne Episcopi præficiendi Ecclesiæ viduatæ, adeout Apollo-
4 licæ Sedis partes essent solum confirmandi, vel infirmandi
electionem, quo casu magis circumspecte procedi solet,
atque invalida existente electinne, ea infirmata deman-
dari, ut ad novam procederetur, sive jure devoluto ex
integro Ecclesiæ provideretur in persona Papæ placi-
ta, & quandoque ex ipsismet electis, non autem jure
electionis ut supra; Sed agebatur de coadjutoria dire-
cte, ac immediate dependente ab arbitrio, seu volun-
tate Papæ, qui tamen desiderare solet, nedum Adju-
ti, sed etiam capituli consensum, ideoque hujusmodi
actus capitulares, quamvis in forma electionis expli-
cari soleant, atque juxta communem loquendi usum
electiones dicantur, attamen in effectu simplicem con-
sensum importare dicuntur, ac propterea attendi solet
ipsum solum factum, non curatis nullitatibus ex juris
subtilitate resultantibus super non bene servata forma
de juris stricta censura servanda, ut ita scilicet Papa
certus reddatur majorem partem capituli, per quam
illud totum deinde repræsentatur, coadjutoris deputationi
assensum præbere.

In disputationibus autem habitis in dicta Sac. Congreg.
Concistoriali, duo erant puncti, unus super validitate,
5 vel invaliditate unius, vel respective alterius electionis;
Alter vero, posita utriusque invaliditate, an demandari
deberet nova valida & legitima convocatio capituli, de-
negando utrique electo deputationem.

De hoc secundo puncto utpote voluntatis, seu arbitrii
Papæ non erant Advocatorum partes agendi, cum ut di-
6 ctum est, determinatio a prudentialibus magis quam le-
galibus motivis pendeat, ideoque ex singulorum casuum
particularibus circumstantiis regulanda, solumque insinua-
bantur illæ circumstantiæ, ex quibus ostenderetur proba-
bilius videri, ut Coloniensi pro quo scribebam, vel neu-
tri, ob aliquod malum exemplum gratificandum esset.

Quo vero ad primum punctum, qui juris erat, & in quo
proprie Advocatorum partes versabantur; Ego & cæteri
scribentes pro Coloniensi, quamvis more Advocatorum
plura deduceremus ad probandum, quod ob male gesta per
alteram partem capituli, istius totum jus consolidatum
esset in ea minori parte, quę Coloniensem elegerat, agno-
scebamus tamen occasione congressuum desuper habito-
rum, id non esse substentabile, ideoque principaliter insi-
stebamus super invaliditate alterius actus explicati ad fa-
vorem collitigantis plures defectus deducendo.

Primo scilicet ob malam Capituli convocationem non 7
factam a Decano prima Dignitate, ad quem de consuetu-
dine talem convocationem pertinere firmant Abb. *in cap.
auditis n. 3. in tertio notabili de electione*, & sequuntur alii
apud Fagnan. *in cap. ut Abbates de ætate, & qualitate n. 28.*
Clarius vero quia dicta generalis consuetudo juris inten-
tioni etiam innixa, de qua superius allegati, ac alii testan-
tur, specialiter extra controversiam viget in ista Ecclesia.

Quo posito resultat invaliditas convocationis factæ
per alterum quam per eum, ad quem pertinet, juxta
communem traditionem Canonistarum, præsertim In- 8
nocentii, Joannis Andreæ, Abbatis, & Felini *in c. 1.
de majoritate & obedientia*, idem Abb. *in c. cum no-
bis n. 9.* & alii per Sigismundum *de elect. dub. 8. n.
11.* Castellin. *eod. tract. cap. 13. n. 7.* Passer. *eodem
tract. cap. 11. n. 3. & communiter.*

Reflectendo autem ad veritatem istud motivum non
erat subsistens, procedit enim quando non omnes Ca-
pitulares interveniunt, unde absentes utpote male con-
vocati non tenebantur accedere, atque tunc intrare al-
tera nullitas, quæ resultat a non intervenientium con-
temptu, de qua infra; Eatenus enim non interventus
aliquorum Capitularium non curatur, quatenus ipsi
legitime convocati dici valeant contumaces, atque ex
eorum voluntate, seu negligentia non intervenientes, ita 9
dicantur se voluntarie fecisse extraneos a capitulo ac
jure votandi, eodem modo quo habetur de illis, qui
intervenientes voluntarie exeunt a capitulo, seu loco
capitulari *ad text. in cap. cum nobis & cap. quod sicut
de elect.* ubi scribentes communiter cum aliis per Adden.
ad Buratt. *dec.* 809. *n.* 11. & 12. & advertitur per Pas-
serin. *de Elect. cap. 11. n.* 115.

Ideoque oportet dare contumaciam, quæ contrahi non
dicitur nisi prævia legitima citatione, cujus defectus tunc
non attenditur, quando omnes quamvis illegitime, seu 10
minus valide citati comparent, ac interveniunt, quoniam
cum finis citationis sit partis comparitio, ista sequente,
tamquam impleto fine, sanatus remanet quicumque defe-
ctus citationis, attendendus qui est, ubi agatur de substi-
nendis actibus contumacialibus, Capuraquen. *dec.* 112. *par.*
1. Mantic. *dec.* 352. *n.* 10. Add. Gregor. *dec.* 27. ubi
Adden. Buratt. *decis.* 727. ubi late Adden. & passim.

Hinc proinde in quadam alia causa, in qua agebatur de
invaliditate actorum capituli provincialis Regularium,
& de qua forte in sua materia *sub tit. de Regularibus*,
cum dubium esset, an ob alternativam in ea provincia 11
servari solitam inter tres Valles, seu regiones, illud ca-
pitulum in uno, vel altero Conventu celebrandum esset,
atque Diffinitorio desuper non concordante, remissa
esset determinatio Superiori Generalis, transmissis litteris
citatoriis Vocalium cum alternativa in uno, vel altero
Conventu per dictum Superiorem Generalem determinan-
do, ac celebrato Capitulo in Conventu determinato,
cum ageretur de illius validitate, vel invaliditate; Di-
cebam, quod aut omnes Vocales intervenerant, & tunc
ille defectus incerti loci per alternativam attendendus non
erat, ex dicta ratione, quod sufficit obtineri finem, ob
quem convocatio fiat, non curato modo; Aut non omnes 12
intervenerant, ut supponebatur sequutum esse, quod
scilicet capitulum per minorem partem Vocalium infra
dimidiam celebratum esset, & tunc nullitas erat indubita-
ta ob contemptum aliorum, qui redargui non poterant
de mora in alternativa non committenda, nisi facta
electione unius ex alternatis, eaque legitime denuncia-
ta ei, qui adimplere tenetur, ut in specie debitoris sol-
vere obligati in uno, vel altero loco ad electionem cre-
ditoris, quod dici non valeat morosus, non facta per
creditorem electione, dum interim incertus est, in quo
loco adimplere, seu comparere debeat, Gratian. *discept.
42. num. 44.* Fab. de Anna *cons. 95. n. 10. & 11.* Rota
decis. 577. num. 2. part. 2. recent.

Altera

Altera erat hujus actus Capitularis substantialis ac inevitabilis nullitas, quæ resultabat a contemptu adeo partis notabilis capitularium, cum tamen de jure solus 13 contemptus duorum, quinimo unius sufficiat ad actus irritationem, ut ad litteram disponitur *in cap. bona, cap. quod sicut, cap. cum inter, cap. cum in Genesi, & cap. coram, de Elect.* ibique scribentes communiter, & *cap. cum in Ecclesiis, de præb. in sexto*: Et de contemptu unius, in terminis electionis coadjutoris admittitur tamquam absolutum *decis. 26. n. 1. part. 6. rec.* Et generaliter apud Mantic. *decis.* 268. Burat. *dec.* 225. & 351. late Barbos. *voto 47 n.* 174. Multo magis cum non ageretur de spretu unius, vel duorum, sed de numero adeo notabili, in quo aderant prima Dignitas, ac aliæ Dignitates & qualificati Canonici, unde dici 14 poterat, quod esset sanior, si non major pars, ut ponderatur apud Otthob. *decis.* 202. *n.* 13.

Et quamvis contemptus vocalium regulariter consistere soleat in actu negativo non convocandi ad capitulum, 15 attamen id exemplificatur a frequenter concedentibus, dum etiam idem contemptus resultare dicitur ex actu positivo excludendi, seu ejiciendi a Capitulo, ac inhibendi, ne accedant ad votandum, Cardinalis *in d. cap. in Genesi n. 3. in principio vers. decimo septimo nota, & eodem n. 7. vers. Septimo appono*, Buratt. *dec.* 225. *n.* 3. & bene ad litteram probat idem *text. cap. in Genesi, vers. nec præmissi duo*, ubi consideratur contemptus duorum Capitularium, unius scilicet, quia nullatenus vocatus, & alterius, quia exclusus; Quinimo etiamsi admissus esset cum protestatione pro illo actu tantum tamquam per speciem dispensationis, si ille ita inhibitus ac respective dispensatus discederet, adhuc contemptus dicitur, ut idem textus probat.

Ad evitandam istam vere solidam nullitatem, quæ ubi ageretur coram judice de solo puncto validitatis, vel invaliditatis, esset inevitabilis, scribentes pro altera parte duo deducebant, primo, quod sibi imputarent contempt, quare neglecta inhibitione Episcopi, quam nos dicebamus injustam ac notorie nullam, non intervenerint in capitulo, potissime quia respectu illorum novem, Episcopus pro illo actu tantum dictam censuram suspenderat, ut habiles ad votandum existerent; Et secundo, fortius insistebant super incapacitate Decani & aliorum ob incursum pœnarum contentarum *in Constitutione Pii V.* ut supra, cum aliud objectum attributum Decano de carentia ordinis tolleretur ex facto.

Erant autem istæ nimium leves responsiones, quoniam ubi etiam dicti novem, quorum censuram Episcopus suspenderat, votare potuissent ac debuissent, adhuc inevitabilis remanebat nullitas ob contemptum Decani & aliorum duorum, cum sufficiat unius ut supra; Et ulterius cum id contineret quandam gratiosam dispensationem pro illo actu tantum, non tenebantur eam acceptare ob quamdam notam exinde resultantem, quasi quod petendo, 16 vel acceptando gratiam de delicto, illud fateri dicerentur, vel saltem illius notam de facto incurrerent, ad notata per scribentes, *in leg. si quis, C. de abolitionibus per ipsum text.* Gabr. *de malefic. conclus* 23. Rovit. *super pragmat rubric. de appellat.* Nulla enim juris dispositio, vel ratio dictat, ut qui condemnatus a judice declarat se gravatum ac injuriatum, appellando ad Superiorem, ut in præsenti sequutum erat, teneatur acceptare gratiosam ac præjudicialem ejusdem judicis dispensationem.

Et quoad alios tres non dispensatos, quorum respectu inhibitio subsistebat, omnino insulsa videbatur di-17 cta responsio, quod spreta inhibitione, debebant accedere ad capitulum de facto, dum erant præsentes, ac januæ loci Capitularis non erant clausæ, quoniam ita jussiet se exponere cum magna imprudentia evidenti periculo carcerationis, vel alterius gravis offensæ, seu injuriosæ expulsionis, dum præsertim Episcopus ita pro isto actu gerendo potius partes Principis armati quam Episcopi, exercitum ibi convocaverat, ac ordinaverat, ideoque revera erat omnino insipida responsio, & tamen apud aliquos plausum habuit; talis est ingeniorum varietas.

Quo vero ad Decanum ac alteram Dignitatem declaratos inhabiles ob incursum pœnarum contentarum *in Con-* 18 *stitut. Pii V.* Ego & cæteri pro hac parte scribentes deducebamus ea quæ super ista Constitutione habentur *in Monasterien. Canonicatuum supra, sub tit. de Beneficiis*, eisque subsistentibus, etiamsi de ipso crimine ac pœnis principaliter ageretur, pro non incursu responderi debuisset, quoniam, ut ibi advertitur, Aliud est de hoc agere ad effectum validitatis actus, ac substinendi provisionem, Aliud vero ad effectum pœnarum, pro quarum incursu sequitur temeritas, quæ redoleat dolum ac delictum positivum, a quo diversa opinatio, seu consuetudo quamvis mala excusat; Ut habemus in materia alienationis bonorum Ecclesiæ ad terminos *Extravag. Ambit. de reb. Eccles. non alien.* quod, Aliud est considerare defectum solemnitatum & causæ ad effectum nullitatis actus, Aliud vero ad effectum censurarum, aliarumque pœnarum, cum similibus.

Verum ubi etiam certa esset dictæ Constitutionis contraventio, attamen cum illa per notabile tempus præcedens sequuta esset, eaque non obstante, tam Episcopus, quam capitulum passi essent, quod isti publice & palam intervenirent in capitulo, ac gererent omnia alia munera ad eorum dignitatem pertinentia, non poterat in limine hujusmodi electionis, seu adeo gravis actus capitularis id eis objici ob plura inconvenientia exinde 19 resultantia, ut in ea rerum summa & graviori electionis materia, quæ in Ecclesia habetur, electionis scilicet Summi Pontificis disponitur *in Clement. ne Romani, §. Cæterum, de elect. & in Constitutionibus Pii IV. & Gregorii XV.* editis super electione Pontificis, super qua ad annos post hanc disputationem tractatum edidit Passerin, qui in specie id advertit *in quæst.* 32. *num.* 9.

Et generaliter, ut incursus censurarum, vel aliud crimen, ex quo resultat votandi incapacitas, non admitta- 20 tur in hoc actu, sed hujusmodi cognitio ad aliud tempus differenda sit, cæteris relatis Castellin. *de elect. c.* 13. *n.* 20. & 21. Barbos. *voto* 47. *n.* 183. & *sequent.*

Præterea ad probandum, quod potius electio facta de Colonien. per dict. minorem partem neglectam, atque in alio loco congregatam magis subsisteret, ego & cæteri deducebamus propositionem litteraliter probatam *in cap.* 21 *dudum il primo, & cap. cum Vinton. de electione*, utrobique, Innoc. Abb. & cæteri, quibus *dec.* 219. *n.* 5. & 6. *part.* 9. *rec.* & pluries *sub tit. de Juspatron* ac etiam *disc. praced.* quod scilicet eligentes scienter indignum, pro illa vice destituti remaneat jure votandi, ideoque totum jus capituli resideat, seu consolidetur in aliis quamvis longe minorem partem constituentibus, qui digne eligant, atque hunc dicebamus casum, ex eo quod alter electus antequam veniret destinata dies convocationis capituli, ejus ambitum patefecerat, dum ante electionem illi assensum præstiterat, procuratorem constituendo ad exhibendum in capitulo Indultum Apostolicum dispensativum super hac passiva electione, non obstante possessione alterius Ecclesiæ, qui ambitus eum indignum reddit ad electionem, juxta *text. in post de elect.* 22 *ubi gloss. verb. requisitum*, bene Innoc. *in cap. cum in juncte, n. 4. eod. tit.* ubi quod etiamsi eligendus expresse interrogaretur, respuere debet ac dicere *nolo quod me eligatis, imo rogo*, atque eum Innoc. tamquam magistro pertranseunt omnes, ut præsertim bene reassumit Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. disput. 5. q. 22. n. 3. cum seq.* Barbos. *de univers. jur. Eccles. lib. 1. q. 19. n.* 237. Sigismund. Castellin. & cæteri apud Otthob. *decis* 202. *num. fin.* quia Episcopatus desiderantibus est denegandus, fugientibus autem est offerendus, *gloss. in cap. in scripturis 8. quæst. 1.* Innoc. *d. n. 4. in princ.* cum quo omnes.

Verum reflectendo ad veritatem, istud videbatur debile fundamentum, quoniam hæc juris propositio in abstracto vera, Scholis tamen & Academiis hodie de facto magis congrua videtur, utpote ad praxim raro, vel nunquam deducta; Eaque admissa procedit, ubi actus est talis, quod redoleat præmaturum positivum consensum electioni de se faciendæ, unde propterea resultet ambitus, quod in facto non verificabatur, cum dictus actus aliud non contineret, nisi denunciationem remotionis alias certi, ac notorii impedimenti resultantis a possessione alterius Episcopatus, idque pro sola notitia, ut capitulares id sciendo, possent eorum animum regulare, atque inspirationem sequi, potissime quia prudenter, ac bene consulte dicta exhibitio ita facta erat.

Aliæ plures nullitates deductæ fuerunt in facto potius quam in jure consistentes, atque ut supra dictum est, magis rigorose procedebant potius in ea quæ dicitur vera, ac formalis electio facienda de Episcopo, seu Prælato Ecclesiæ viduatæ, secus autem in hujusmodi actibus adhibitis pro sola præstatione consensus, qui propterea potius simplices actus capitulares, quam formales electionis præseferre dicuntur.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

De hac eadem materia, quando scilicet consensus capituli pro Coadjutoria debeat esse capitularis, & in forma electionis, habetur *in hoc tit. disc. 38.*

Et generaliter de hac materia Coadjutoriæ videri poterunt adnotata *ad disc. 42. de benefic.*

TRIDENTINA ELECTIONIS, PRO CARDINALI DE THUN ARCHIEPISCOPO SALISBURGEN.

CUM ALPHONSO ETIAM DE THUN EPISCOPO BRIXINEN.

Casus disputatus in S. Congregatione Concistoriali, sed non decisus ob superventam mortem Cardinalis.

De electione novi Episcopi facta per capitulum; An & quando valeat, Et quæ vota computanda sint, & quæ non, ad concludendum majorem partem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quando dicatur conclusa electio, vel actus Capitularis a majori parte.*
3 *Votum duplicatum non præsumitur, sed probanda est consuetudo in casu præciso.*
4 *Quando facilius illud intret, & quando secus.*
5 *Violentia electori fieri dicitur per molestias communitas conjuncti.*
6 *De electione per abusum laicalis potestatis.*
7 *Unum votum simoniacum inficit totam electionem.*
8 *Quando dicatur major pars, in comparatione minoris, vel omnium.*
9 *Vota conditionalia, vel alias nulla non veniunt in calculo.*
10 *De alio casu controversia, & quando excrescentia, vel decrescentia schedularum, seu fabarum vitiet actum.*

D I S C. XXVIII.

1 Vacante Ecclesia Tridentina per obitum Cardinalis de Arach, congregatoque capitulo pro electione Episcopi, ex 14. Capitularibus, quorum unum, Decanum scilicet primas Dignitas, duplicatum votum habere supponitur, octo vota compertum est stare pro Episcopo Brixinen. & septem pro Cardinali de Thun Archiepiscopo Salisburgen. exortisque inter Capitulares controversiis, deventum est ad schedularum aperturam, ex qua compertum est, Decanum, & quinque alios elegisse Cardinalem, Præpositum vero, & septem alios Brixinensem. Unde re delata ad Pontificem pro confirmatione electionis, remissoque de more negotio S. Congregationi Concistoriali, seu cuidam Congregationi particulari, ad effectum certiorandi Pontificem uter ex electis confirmandus, dictæque Ecclesiæ præficiendus esset, cum totum jus Cardinalis minora suffragia habentis penderet a facti circumstantiis inutilia reddentibus quatuor ex voti assistentibus coelecto, hinc proinde, petita, & forte obtenta fuit remissoria, ad faciendum probationes, sed superventa mors ejusdem Cardinalis liti finem dedit, atque alter Electus confirmationem obtinuit.

In congressibus autem habitis ex parte Cardinalis, pro quo scribebam, ac etiam in disputatione habita pro concessione remissoriæ, cum ex 14. votis, juxta naturalem computationem personarum, octo assistere coelecto, sex autem nostro, quando ex accidenti dicta vota non essent augenda, ac respective minuenda, extra controversiam erat quod electio conclusa esset pro Brixinensi, quoniam electio conclusa dicitur per majorem partem, quæ suffocat, atque ad se attrahit mi-
2 norem, quando adest excessus supra votorum medietatem, etiam in uno, imo in dimidio voto, *glos. & DD. in cap. cum jure de election.* Abb. *in cap. postulasti*, *n. 14. de concess. præbend. & in cap. cum omnes*, *n. 11.* ubi Felin. *n. 33. de Constit. cum concord.* apud Burrat. *dec. 225. n. 2. & dec. 809. n. 1.* ubi Adden. *n. 9. cum sequ.* & passim, ideoque ut dictum est, oportebat augere nostra vota, & minuere illa coelecti; & consequenter duo erant puncti, unus super duplicato voto Decani, & alter super invaliditate aliquorum ex votis contrariis, atque sine hoc secundo, primum nil relevabat, quoniam posito etiam dicto voto duplicato, adhuc remanebant septem, contraria vero erant octo.

Quatenus autem pertinet ad dictum primum punctum
voti duplicati, oportebat probare formiter præsuppositam
consuetudinem in specie, seu individuo electionis 3
Episcopi, cum de jure talis duplicitas non competat,
atque consuetudo inducta in aliis actibus non suffragetur
in actu diverso, ex recepta propositione, quod in
consuetudinibus non datur extensio de loco ad locum,
persona ad personam, vel casu ad casum, sed attenditur
in ipso individuo, ut ultra generalia ibidem deducta,
in his specialibus terminis voti duplicati competentis
Episcopo intervenienti in capitulo habetur actum *in
Majoricen. Canonicatus supra, sub tit. de Beneficiis, disc.
29.* ac in decisionibus in ea causa editis, quæ habentur
impressæ *dec. 156. & 178. part. 2a rec. repetita dec. 34. &
37.* post Zuff. *de legitim. process.* Licet enim in eo casu
resolutiones non omnino satisfaciant, attamen id pro- 4
venit ex facti qualitate dupliciter diversi; Primo scilicet
quod ageretur de Episcopo; Et secundo, quod de
provisione Canonicatus, in qua alias de jure Episcopus
ratione simultaneæ majus jus habet, ut ibi latius; In
præsenti autem extra controversiam est, quod de jure
talis duplicitas ad favorem primæ Dignitatis non intrat,
minusque adaptatur ratio ibi ponderata ad effectum
reddendi consuetudinem minus a jure exorbitantem, ideoque
totum pendebat a probationibus, sine quibus judicium
efformari non poterat; Et quamvis dictæ consuetudinis
plures justificationes darentur, attamen sufficere quidem
poterant ad remissoriæ concessionem, sed non concludebant.

Quo vero ad alterium punctum, supponebatur, quod
quatuor vota essent parum legitima, duo scilicet non
libera ob vim & metum, seu minas damnorum inferendorum,
vel sibi, vel respective fratri laico, quod sufficit,
ut in specie indirectæ coactionis clerici ob molestias datas
fratri laico, ex Paris. *de resignat.* & aliis, Rota *dec.
232. & 241. part. 10. rec.* Stylus enim frequens est ita 5
indirecte vim facere Clericis, & Ecclesiasticis, molestando
fratres, aliosque conjunctos laicos, quod tamen
non novum, dum antiquis etiam temporibus idem practicari
consuevisse nos docent chronicæ, illa præsertim
B. Thomæ Episcopi Cantuariensis.

Et respectu aliorum duorum, alii supponebantur defectus,
in uno scilicet ille non liberæ voluntatis, quodque
id processerit ex abusu laicalis potestatis, ex iis quæ
post *antiquiores Canonistas in cap. quisquis, de electione*
deducit ibid. Fagn. *n. 12. cum sequ.* ubi late agit, pluresque 6
casus distinguit, quando electio dicatur per abusum
laicalis potestatis, & consequenter non libera; Et in altero
supponebatur infectio simoniaca, quæ sufficiens 7
fuisset ad inficiendam totam electionem etiam in unico voto,
ut plene antiquioribus relatis habetur per eundem Fagnan.
in cap. nobis, de simonia, n. 3. & n. 16. cum seq.

Quatenus igitur ista quæ supponebantur bene justificarentur
(quod tamen reputabatur difficile, ac forte improbabile)
planum remanebat, quod electio remaneret
conclusa pro hac parte; Quamvis enim, rejectis contrarium
sentientibus, receptum sit, majorem partem
ad effectum concludendi electionem, non esse regulandam
comparative ad alia vota in diversas personas 8
abeuntia, sed comparative ad omnes congregatos, ideoque
si ex. gr. ex istis 14. vel 15. vocalibus, quatuor
unum eligerent, quinque alterum, & sex alterum, non
per hoc ista pars, quæ comparatione aliarum est major,
concluderet, nisi particularis consuetudo legitime inducta
aliter suaderet, sed debet esse major comparatione
omnium congregatorum, & sic quod ex 15. votis, octo
concluderent cum excessu medietatis in uno, vel saltem
dimidio voto, ex collectis per Adden. ad Buratt. *d.
decis. 809.* atque hæc est recepta praxis generalis,
quoties ut dictum est, non adsit legitima consuetudo
particularis.

Attamen id procedit, quando omnia vota sunt valida &
legitima, adeout totus punctus sit solum in numero, secus 9
autem ubi aliqua sint illegitima, vel quia conditionalia,
vel quia coacta, seu alias minus legitima; tunc enim non
veniunt in numero, atque fingitur, quod illi Capitulares
non essent in Capitulo, quod solum constituitur per aliquos
legitimos Vocales, seu valide votantes, dum etiam
Vocales habiles proferendo vota inutilia, facere dicuntur
a Capitulo extraneos, eo modo, quo se faciunt illi legitimi
vocales, qui sine justa causa voluntarie exeunt a Capitulo,
& con-

& consequenter major pars attenditur comparatione minoris, attento numero legitimorum vocalium, ad text. *in cap. 2. de elect. in 6.* ubi communiter scribentes, Franch. *dec. 438. n. 2.* ubi Adden. Castellin. *de elect. cap. 5. n. 4.* Diana *part. 8. resol. tract. 8. Miscellan. resol. 77.* Rota *in d. Majoricen. Canonicatus, dec. 156. & 278. part. 12. rec. repetit.* apud Zuff. *dd. legit. process. 33. & 37. de pension. dec 56.* Ac propterea, ubi dicta quatuor vota, vel etiam tria, quinimo duo debenda essent, data dicta duplicitate voti Decani, alia concludebant electionem pro hac parte? Et consequenter nullum desuper efformari potuit judicium utpote pendens a futuris probationibus, ac aliis consistentibus magis in facto quam in jure.

In proposito autem numerationis votorum, & quando adesse dicatur major pars, sive an error in uno vo-
10 to vitiet necne; In una *Romana Camerariatus*, in qua in forma extrajudiciali consultus fui pro veritate; Cum de more congregatus esset clerus Romanus pro electione Camerarii, atque tres positi essent in scrutinio; compertum est, unum habuisse 91. vota affirmativa, & 57. negativa; Alterum 88. affirmativa, & 59. negativa; Et alterum 54. affirmativa & 93. negativa, ex quorum votorum dinumeratione liquet, quod in primo scrutinio essent vota in totum 148. in reliquis autem duobus 147. unde propterea orta est controversia, an ex hac varietate resultaret nullitas electionis, quia absque dubio habebat majora suffragia electionem supra medietatem, ac longe ultra concludentia.

Et quando verificaretur præsuppositum, quod post primum scrutinium unus a Congregatione discessisset, tunc dicebam, quod cessaret omnis quæstio, cadens ubi certus ac determinatus est numerus Vocalium in omnibus scrutiniis intervenientium, in quibus detegatur hujusmodi error deficientiæ, vel excrescentiæ unius voti, vel quando ista circumstantia non assisteret; Adhuc dicebam pro primo electo respondendum videri, quoniam excessus non consistebat in uno voto, quod concluderet majorem partem, vel cujus ratione unus alterum coelectum vinceret, dum excessus erat in ordine ad majorem partem Capituli in votis 16. & in ordine ad coelectum habentem majora suffragia in votis tribus; ex quibus, dempto etiam uno, quod supponebatur excessivum, adhuc remanebat excessus in duobus, juxta ea quæ in graviori materia, examinata ad partes quæstione, habentur plene deducta per Fagnan. *in c. Massana. de elect. ex n. 21. ad finem*; Quæstio enim circa schedulas, seu fabas alteratas tractata per Castellin. *de elect. cap. 5. n. 19 & cap. 12. n. 17.* & Passerin. *de elect. c. 18. quæsito 12. n. 3.* percutit casum, in quo esset certus ac determinatus numerus Vocalium; Potissime vero quia non agebatur de formali electione in qua servanda esset forma text. *in c. quia propter, de elect.* sed de simplici deputatione ministri, seu constitutione procuratoris.

ANNOT. AD DISC. XXVIII. & XXIX.

DE materia electionis, & quomodo vota sint computanda ad concludendum majorem partem, habetur pluries *sub tit. de Regul.* præsertim *disc. 1. cum seq.*

Et de pertinentibus ad Simoniam, de qua signanter agitur *disc. 29.* habetur in *Annot. ad disc. 70. & 71. de Benef.*

URATISLAVIEN. ELECTIONIS, PRO EPISCOPO ELECTO, ET CAPITULO ELIGENTE.

Casus disputatus in S. Congregatione Consistoriali, & resolutus ut infra.

An & quando Capitula, seu leges quæ per Electores ante electionem ordinantur, atque per ipsos Capitulares jurantur, & promittuntur, quatenus in eorum aliquo electio sequeretur, dicantur simoniaca, seu alias reproba ob aliquam eligentium utilitatem, itaut vitient electionem; Vel potius eis cassatis, aut suspensis, electio in reliquis valida & legitima confirmanda sit.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Capitulo facta in comitiis observanda per eligendum, ubi non sunt simoniaca, etiamsi mereantur reprobari, vitiantur, & non vitiant.*
3 *De praxi Sacræ Congregationis in confirmatione electionis Vicarii Capitularis Sede vacante.*
4 *Pactiones etiam simoniacæ non sunt tales, & non vitiant, si fiant sub reservatione beneplaciti Apostolici, dummodo executioni non demandentur.*
5 *Simoniaca non dicuntur illa capitula, per quæ injungitur eligendo observantia ejus, ad quod tenetur.*
6 *Item dicuntur simoniaca, ubi tendunt ad commodum eligentium, & quando secus.*
7 *Vel ubi eligendus nihil dat de suo.*
8 *Requisitum simoniæ consistit in pacto, sine quo non intrat.*
9 *Non verificatur dictum requisitum, ubi adhuc ad electionem processum est, atque incerta est persona eligendi.*
10 *Ex qua ratione Capitula Conclavis non dicuntur simoniaca.*

D I S C. XXIX.

COngregato capitulo Cathedralis Uratislavien. pro 1
electione Episcopi, ultra quosdam antiquos articulos a Rodulpho Sedis Apostolicæ Legato alias approbatos, quos ibi *Rodulphianos* appellant, eidem capitulo concorditer ita temporum qualitate, ac circumstantiis exigentibus, visum fuit quosdam alios articulos, seu leges, aut capitula ordinare, & quorum observantiam singuli Capitulares cum juramento promiserunt, quatenus contingeret eorum aliquem eligi. Quibus peractis bene in omnibus servata forma textus *in cap. quia propter, de electione.* conclusa fuit electio in persona Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ; Cumque peteretur a Sede Apostolica dictæ electionis confirmatio, per Officiales, ad quos pertinet, excitata fuit difficultas super invaliditate dictæ electionis ex eo quod aliqui adessent articuli concernentes utilitatem capituli, præsertim quod de feudis apertis Episcopus solvi faceret capitulo tertiam de antiqua consuetudine debitam, quodque Ecclesiæ fructus Sede vacante ipsi capitulo deberentur in vim antiquæ consuetudinis, absque eo quod Episcopus ex eis quicquam prætendere valeat, nec non quod idem Episcopus testandi facultatem obtinere non posset sine consensu capituli, cui alias debita esset successio; Licet enim plerique alii adessent articuli aliquam prærogativam capituli concernentes; qui pariter illiciti videbantur, attamen in istis videbatur consistere major difficultas, quasi quod concernerent bursalem capituli ac eligentium utilitatem, & consequenter, quod intraret infectio simoniaca, quæ electionem irritaret.

Assumpta igitur desuper disputatione in Sacra Congreg. Concistoriali absque oppositore, sed ipsamet Congregatione, ejusque officialibus, ad quos pertinet difficultates promoventibus, duo erant puncti; Primo scilicet juxta ordinem tentum per causæ Patronum super dictorum articulorum justitia & validitate, quodque essent liciti & honesti, ideoque potius approbandi; Et secundo, quod ubi aliquam non mererentur approbationem, non per hoc vitiarent electionem, sed ipsis vitiatis electio valida remaneret, ideoque confirmanda.

Verum quia primus punctus super omnium, præsertim vero prædictorum articulorum approbatione, magnas patiebatur difficultates, vel saltem altiorem indaginem exigebat cum notabili mora nimium præjudiciali; Hinc proinde ego, scribens pro Electo & capitulo sibi adhærente, ordine interverso agebam prius de secundo puncto; quod scilicet posita etiam aliquorum articulorum invaliditate, seu difficultate, quod non exinde resultaret electionis infectio, itaut confirmatio deneganda veniret.

Quatenus igitur ad dictum secundum punctum pertinet, Dicebam, resolutionem pendere ab eo, an hujusmodi capitulationes, seu articuli continerent necne simoniacam infectionem, cujus peculiaris qualitas est, ut vitiet totum electionis actum, *ut disc. præced.* ista enim seclusa quamvis tales capitulationes reprobationem mereantur, non per hoc vitiant sed eis cassatis, seu vitiatis, firma remanet electio, quæ confirmationem mereatur, *ad text. in cap. 3. de elect. cum ibi notatis cum aliis, de quibus infra*, atque talis est praxis in hujusmodi confirmationibus electionum ad Episcopatus, vel alias Prælaturas, ac etiam est quotidiana praxis S.Congre-

gregationis Episcoporum, vel Concilii in electionibus, seu deputationibus, quæ fiunt per capitula Ecclesiarum Cathedralium, Sede vacante, quoniam antequam procedatur ad electionem, capitulum plures leges, seu capitulationes ordinare solet limitantes Vicarii eligendi jurisdictionem, & potestatem, tam circa tempus in quo suum jus duraturum sit, quam circa modum tenendum in exercitio jurisdictionis. Verum S. Congregatio, quan-
3 do desuper consulatur, si electio substantiales defectus non patiatur, illa confirmat, reprobatis tamen dictis legibus, seu capitulationibus, a quarum observantia electum eximit, mandando deputatum debere continuare pro toto tempore vacationis.

Certum autem videbatur, dictam simoniacam infe-
4 ctionem non adesse ex pluribus fundamentis, quorum unum sufficeret, multo magis eis omnibus simul junctis; Primo & principaliter per quod omnis dubitandi occasio de plano removebatur, quoniam tunc pactiones temporales super re spirituali hujusmodi infectionem causant, quando illæ ex solo paciscentium facto effectum sortiuntur, vel sortituræ sunt, secus autem ubi fiant cum expressa reservatione Beneplaciti, seu approbationis Apostolicæ, quoniam tunc si ad effectum, seu consummationem non procedatur, simoniam non inducunt, utpote initæ sub conditione, cujus implementum eas licitas redderet juxta ea quæ habentur supra, *sub tit. de Beneficiis in Toletana Archipresbyteratus, disc.* 36. cum ibi deductis, quæ in præsenti etiam disputatione deducebantur.

Secundo, quia omnes dictas capitulationes præsupponebatur initas esse pro observantia antiquissimæ, ac imme-
5 morabilis consuetudinis, qua posita, non dubitaretur de validitate ob immemorabilis consuetudinis virtutem, seu operationem sæpius enunciatam, quod ejus vigore allegari potest quicumque titulus de mundo melior, ideoque simoniaca non dicuntur illa pacta, seu capitula, per quæ eligendo injungitur observantia ejus, ad quod ipse de jure tenetur, quoniam non est pacisci, sed potius excitare, seu monere ad faciendum id ad quod tenetur, ut cæteris relatis Fagnan. *in c. cum M. n.* 34. *&* 35. *de Consti.* Caputaq. *dec* 339. *n.* 3. *par.* 3.

Tertio, quia tunc dicta infectio intraret, quando utilitas redundaret ad commodum singulorum eligentium,
6 secus autem ubi respiceret aliquod bonum Ecclesiæ in universum absque jactura, seu diminutione proprii patrimonii ipsius eligendi, puta (exemplificando in eo articulo, qui majorem difficultatem inferre videbatur) applicationis fructuum Sede vacante ad dispositionem capituli; quoniam non dicitur applicari debere capitularibus, sed capitulo tamquam administratori, seu distributori in pios, vel honestos usus, ut in dubio pro exclusione delicti interpretandum est, pro restauratione scilicet, vel ornamento ipsius Ecclesiæ (si hæc onera ipsis capitularibus non incumbunt,) vel in subventiones pauperum aliaque pietatis opera; Ac etiam pro illis publicis expensis quas facere oportet pro convocando capitulo, ac facienda electione, ut in specie advertit Pavin. *de potest. Cap. Sede vacante, quæst.* 8. *secundæ partis in princ. n.* 27. *inter tractatus magnos modernos, to.* 13. *p.* 1. *fol.* 427. *a terga.*

7 Item quia eligendus, seu electus nihil de suo ita dare dicitur, minusque suum patrimonium diminuere, quoniam ut advertitur *sub tit. de Beneficiis* ad materiam fructuum, illi fructus, qui maturant, ac percipiuntur Sede vacante (ubi non adsunt collectores Apostolici) pertinent ad Ecclesiam, cujus nomine percipere dicitur successor quodam jure administratorio magis, quod hinc sui, ut sunt illi, quos, durante ejus Præsulatu, percipit exuberantes, detractis Ecclesiæ oneribus, Ac etiam quia pro dicto quoque tempore post admissionem, si aliqua pars fructuum, puta primi anni ex Statutis capitularibus illi prohibetur, non damnificatur de proprio, sed solum impeditur ne acquirat; Atque ut advertitur *eod. tit. de Benef.* ad materiam Bullæ *Pii V.* prohibentis hujusmodi Statuta, vel consuetudines, id procedit, quando talis fructuum applicatio, seu privatio tenderet ad commodum capitularium, sive fieret ob ipsam receptionem, ut ibi.

Et demum essentiale simoniæ requisitum consistit in pa-
8 cto, quod fiat inter electum & eligentes, sive inter dantem, ac respective recipientem rem spiritualem, ad communiter notata, *in c. veniens, de testibus*, Mohed. *dec.* 31. *de simonia*, Greg. *dec.* 517 *dec* 93. *n.* 6. *&* 7. *p.* 4. *rec. to.* 2. *Calisen. Prioratus* 26. *Junii* 1651. *Bichio, & in dicta Toletana Archipresbyteratus, sub tit. de Benef. disc.* 36. cum ibi deductis.

Ista vero circumstantia pactionis non remanet verificabilis in hujusmodi capitulationibus, quæ fiunt ante- 9
quam procedatur ad electionem, dum incerta est persona, in qua electio cadere debet, & sic non adest concursus duorum contrahentium, seu paciscentium; Ideoque ubi etiam tales capitulationes reprobati mereantur, non per hoc dici potest, quod contineant simoniacam pactionem, quæ ipsam electionem vitiet, Innoc *in d. c. cum M. Ferrariensis, de Constit. n.* 1. *& post n* 5. *vers. dic melius*, quem cæteri communiter sequuntur collecti per Paris. *de confidentia, q* 38. *n.* 43. Fagnan. *in eod. c. cum M. n.* 37. Achill. de Grass. *dec.* 5. *de simonia*, Caputaq. *d. dec.* 239. *p.* 3. Et quod capitulationes vitientur, & non vitient, late alter Paris. *cons.* 20. *l.* 4. Unde propterea ex Gambaro, & aliis advertitur in specie apud Achill. *d. dec.* 5. *n. fin.* quod capitula, quæ fiunt in conclavi, non dicuntur simoniaca; Quamvis enim illa jurentur ac promittantur per omnes Cardinales, vel respective capitulares, in quorum personis verisimiliter, ac a frequentius contingentibus electio cadere debet, attamen id non est certum, dum electio cadere potest in persona extra capitulum; De prima vero parte consistente in puro facto egi causæ Patronus.

COLLEN. PRÆEMINENTIARUM

PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM ARCHIPRESBYTERO.

Casus disputatus in S. Congreg. Rituum, & pendet.

De jure explicandi functiones pontificales; ac primarias, absente, vel impedito Episcopo, an ex consuetudine vel conventione spectare possit ad Capitulum, seu Canonicum ab eo deputandum in exclusionem primæ Dignitatis; Et an super his transigi possit sine beneplacito Apostolico.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De alia contraversia inter primam Dignitatem, & Vicarium Generalem, & n.* 14. *&* 20.
3 *Functiones primæ pertinent ad Archidiaconum.*
4 *Immemorabilis requiritur inter digniorem, & inferiorem.*
5 *Secus inter Dignitatem, & capitulum.*
6 *Corpus universale semper præcedit singulos.*
7 *Antiquus Archidiaconus, vel Archipresbyter non est in usu.*
8 *Archipresbyter Cathedralis non assistit matrimonio.*
9 *Archidiaconus præsumitur prima Dignitas in Cathedrali, & Archipresbyter in Collegiata.*
10 *Sed si prima Dignitas alio vocabulo appelletur, ad eam pertinent functiones.*
11 *De ratione ob quam functiones pertinent ad primam Dignitatem.*
12 *Prima Dignitas non est caput capituli, sed primum membrum.*
13 *Vicario capitulari quamvis personæ inferiori, quare obediant dignitates & alii majores.*
14 *Quod decreta S. Congregationis ad favorem primæ dignitatis non procedant in concursu capituli.*
15 *Capitulum non potest tollere jus primæ Dignitatis, sed an ordinaria consuetudo sufficiat.*
16 *Laudum arreptatum habet vim transactionis.*
17 *In transactione inter Ecclesias requiritur beneplacitum Apostolicum.*
18 *Bulla Urb. VIII. non procedit in alienatione inter Ecclesias.*
19 *Beneplacitum Apostolicum non requiritur in concordia inter personas ejusdem capituli.*
20 *Sed bene inter capitulum, & Vicarium Generalem.*

DISC. XXX.

Antiqua controversia super jure explicando primarias 1
Pontificales functiones, absente, vel impedito Episcopo, inter capitulum, & Archipresbyterum, qui est prima, seu major dignitas post Pontificalem, de anno 1633. sopita fuit per laudum Episcopi, a partibus emologatum, per quod statutum est, aliquid utrique parti decernendo,

ut aliquæ functiones fierent per archipresbyterum, aliquæ vero per canonicum ab ipso capitulo deputandum; Dictoque laudo, seu concordia spatio circiter 36. annorum pacifice observata, modernus Archipresbyter illi non acquiescendo, controversiam instauravit,
2 introductaque causa in S. Congregatione Rituum, sub
die 13. Septemb. 1670. inhærendo antiquis, ac reiteratis ejusdem S. Congregationis solitis decretis, responsum fuit, dictas functiones indefinite ad primam dignitatem pertinere, dicta concordia non obstante, utpote Apostolico beneplacito non munita, quod requiri ad effectum obligandi successores, eodem anno ipsa S. Congregatio determinaverat, recedendo ab alia contraria resolutione capta de anno præcedenti in una *Vercell.* in qua agebatur de præeminentia præstandi Episcopo, vel respective recipiendi aspersorium, aliasque primarias functiones faciendi, inter primam Dignitatem & Vicarium Generalem; dictaque causa huic non leve præbuit præjudicium.

Resolutio mihi scribenti pro capitulo, reflectendo etiam ad solam veritatem, non omnino placuit, ideoque videtur, probabilem subesse spem recessus in nova disputatione; Non negabam etiam quod regula generaliter & indefinite assisteret primæ Dignitati, quoties in contrarium non concurreret consuetudo, quæ debet esse im-
3 memorabilis, juxta ea quæ in controversia inter Archi-
diaconum, & Archipresbyterum habentur plene deducta *in Parmen. sub titul. de Præeminen. disc.* 20. ubi enunciatur pariter altera controversia inter Archidiaconum, & Archipresbyterum *Vigilen.* ac etiam *Melphicten.* cum cessante dicta consuetudine, conclusio hodie non admittat amplius controversiam.

Dicebam tamen id procedere, quando de hoc agatur inter singulas dignitates, vel canonicos jure pro-
4 prio ac singulari, absque eo quod capitulum sit in
causa, tunc etenim quia est dare inconveniens, quod minus dignus præcedat magis dignum, idcirco intrant dictæ resolutiones S. Congregationis, ac etiam rationes & auctoritates, de quibus *dict. disc.* 20. *sub tit. de præeminent.*

Secus autem, ubi controversia est inter primam dignitatem, & ipsum capitulum, quoniam ut advertitur *eodem*
5 *tit. de præeminen. disc.* 19. cum dignitas sit pars, & mem-
brum capituli, nullatenus dicendum est, ut majus jus habere debeat membrum consideratum de per se, quam habeat ipsum corpus, dum semper Universitates, seu corpora universalia vincunt personas singulares juxta distin-
6 ctionem, de qua *eod. tit. de præemin. disc.* 17. ubi de capi-
tulo Collegiatæ præcedentiam habere debente supra Canonicos, vel dignitates Cathedralis singulariter consideratos, itaut non constituant corpus capituli.

Præterea, ut locis citatis advertitur, ista conclusio, quod prima dignitas, absente, vel impedito Episcopo,
7 facere debeat Pontificales, ac primarias functiones, non
proveniat ex jure annexo ipsi Dignitati, & quia sit Archidiaconus, vel Archipresbyter, ut aliqui male opinantur, quoniam id procedit juxta antiquos canones, qui dant causam æquivocandi, procedentes in antiquis Archidiaconis, & Archipresbyteris habentibus jurisdictionem annexam, cum essent Vicarii nati Episcoporum, unus in temporalibus, & alter in spiritualibus, quod recessit ab Aula, atque hodierni Archidiaconi, & Archipresbyteri sunt improprii, & abusivi in sola nuncupatione, retinendo solum quandam antiquæ Dignitatis imaginem, seu reliquias, ut advertitur *d. disc.* 20. *de præemin.* cum aliis apud Lotter. *l.* 1. *qu.* 16. *n.* 107. *cum seqq.* ac habetur apud Sanchez *de matrim. l.* 3. *disput.* 27. *in fin.*
8 Boss. *eod. tit. c.* 4. *§.* 28. *n.* 75. occasione agendi, an Archi-
presbyter Cathedralis assistere possit matrimonio tamquam Parochus universalis, seu Episcopi Vicarius in spiritualibus, ut erat, attenta Canonum dispositione, & deciditur negative ex dicta ratione.

Dicta igitur præeminentia explicandi functiones Pontificales, eatenus competit Archidiac. vel Archipresbytero, in quibus frequentius istæ quæstiones cadunt, quatenus a frequentius contingentibus, præsertim in Ita-
9 lia, solet esse prima Dignitas, ut regulariter præsumi-
tur Archidiaconus in Cathedrali, & Archipresbyter in Collegiata, ex collectis per Barbos. *de Canonic. & Di-*
10 *gnitat. c.* 5. *n.* 38. *& seqq.* Merlin. *dec.* 99. *p.* 10. *rec.*
& sæpius; Unde si prima Dignitas sub alio vocabulo appelletur, ut in plurisque Cathedralibus contingit, quod nuncupatur Decanus, vel Cantor, seu Primicerius, aut Præpositus, ad hunc id pertinet, ut *eod. disc.* 20. *de præemin.*

Ideoque ex ea ratione, quod corpus mysticum Ec-
clesiæ Cathedralis constituitur ab Episcopo & capitulo, 11
sicuti etiam illud Collegiatæ a Prælato, & Collegio, ac propterea ubi deficit caput, ad quod pertinet istas functiones explicare, per jus non decrescendi, succedit reliquum corpus, quod est capituli tam in jurisdictionalibus quam in aliis, ut pluries in præcedentibus ad materiam potestatis capituli Sede vacante, seu alias plena, sed impedita; Sed quia impossibile est, ut hujusmodi functiones explicentur ab ipso corpore universali capituli, idcirco, ejus, omniumque canonicorum
nomine id explicare debet ille, qui inter membra est pri- 12
mus, ac dignior, sed non caput, eo modo quo si naturaliter esset possibile, dici posset de brachio dextero humani corporis, si caput abscissum, vel infirmum haberet, & prout in Collegiis, & Congregationibus, senior, vel antianus loquitur nomine omnium.

Hinc proinde non intrat illud absurdum, vel juris resistentia, quæ intrat quando minus dignus præcedit magis dignum, eos considerando singulari jure, quoniam prima Dignitas in Cathedrali non est caput & Prælatus capituli, ut contingit in Collegiata, sed est solum primum ac dignius membrum corporis, & consequenter non incongruit, ut membrum subjaceat ac pareat corpori, vel ei quem ipsum corpus loco sui deputat.

Siquidem, ut alibi insinuatur, mihi clerico solam tonsuram habenti, ac pene adolescenti in ætate 22. vel
23. annorum, subjacebant, ac obediebant tamquam Vi- 13
cario capitulari Sede vacante in patria, Archidiaconus prima dignitas, aliæque dignitates, & canonici, cum tamen tamquam simplex clericus essem eis subditus, atque sedere deberem in scabello parvo, nedum post eos, sed etiam post simplices cappellanos, sed subjacebant, ab obediebant mihi tamquam repræsentanti capitulum dominum, ac superiorem omnium, cui placuit me deputare; Ita a pari canonicus hebdomadarius specialiter deputatus a capitulo repræsentat in divinis ipsum capitulum Superiorem ac Dominum, eo modo quo in jurisdictionalibus illum repræsentat Vicarius ab eo deputatus.

Neque præmissis obstare dicebam tot decreta S. Congregationis hanc præeminentiam deferentia primæ dignitati, quoniam ea bene procedunt in concursu secundæ
dignitatis, vel alterius inferioris, non autem in concur- 14
su cum capitulo, ut ad aliud propositum advertitur *d. tit. de præeminent. discurs.* 19. *&* 22. Sed quia ex maledicto abusu perpetuo detestabili proceditur cum declarationibus ac doctrinis in sola littera, atque ubi istæ non adsunt, reputantur hæc subtilitates, ac ratiocinia Advocatorum, idcirco ad ea adverti non solet.

Est bene verum, quod capitulum, ex sola potestate sua non posset intervertere hunc ordinem a jure, ac a natura inductum, ut primum, vel dignius membrum
corporis explicet ejus nomine illas partes, quæ non nisi 15
per unum explicari possent; Sed non videtur adesse tanta juris vehemens resistentia, quæ viget inter singulos, ut minus dignus præcedat magis dignum, & cujus vehementis resistentiæ ratione desideratur immemorabilis, cujus vigore allegari potest privilegium Apostolicum, vel alter melior titulus; Et consequenter, quod etiam ordinaria consuetudo decennalis tamquam præter jus, vel ad summum quadragenaria tamquam contra jus, sed absque nimia resistentia sufficiat.

Multo magis, dum in hac facti specie non solum supponebatur adesse antiquam consuetudinem capitulo assistentem, quamvis non probatam cum rigorosis requisitis immemorabilis, sed etiam accedebat laudum
Episcopi a partibus emologatum, quod habet vim trans- 16
actionis, ex deductis per Burat. & Add. *dec.* 657. *dec.* 65. *p.* 7. *rec. & frequenter.*

Neque obstare mihi videbatur defectus beneplaciti Apostolici, quod requiri etiam in transactionibus initis inter Ecclesiasticos in jurisdictionalibus, vel præeminentialibus habetur apud Orthob. *dec.* 220. cum aliis, de quibus, *disc.* 24. *sub tit. de Jurisd.* ac alibi pluries,
quoniam ubi etiam requisitum esset, adhuc stante ob- 17
servantia pacifica annorum circiter 36. intrat ejus præsumptio, non obstante *Constitutione* 157. *Urb. VIII.* tollente hanc præsumptionem, quoniam, ut habetur apud Dunozet. *dec.* 713. *& in Mediolan. Parochialis*
10. *Decemb.* 1664. cor. Albergato, & in aliis, id non 18
procedit in transactionibus, quæ fiant inter Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, quorum respectu intacta remanet dispositio juris communis.

Verum in ista concordia, vel respective compromisso

ve-

verius est necessarium non esse beneplacitum Apostolicum, neque intrare terminos *Extrav. Ambit. de reb. Eccl. non alien.* Licet enim verum sit, dictæ extravagan-
19 tis dispositionem procedere, etiam ubi agatur de transactione inter duas Ecclesias, vel Ecclesiarum Prælatos, aut ministros, attamen procedit quando agitur de transactione, vel alia alienatione, per quam bona, vel jura unius Ecclesiæ ab illa abdicentur, seu minuantur, ut in aliam transeant, vel accrescant, quoniam tunc intrat ratio, quod non debet discooperiri unum Altare, ut alterum cooperiatur, secus autem ubi agitur de concordia inter clericos, & ministros ejusdem Ecclesiæ, quoniam tunc ab ipsa Ecclesia nihil abdicatur, ejusque jus remanet intactum, sed solum agitur de pertinentia emolumentorum, vel jurium inter ipsos ministros, unde nullum præjudicium generatur Ecclesiæ, cujus nihil refert, an unus, vel alter ex ejus servientibus, ac ministris plus participet *ad text. in c. 1. & c. fin. de pact. in 6. & c. 2. de transact.* ubi *scriben. cum concord.* per Rot. *dec. 402. par. 5. rec. dec. 161. & 218. p. 7. rec.* & in sua materia *sub tit. de alienationib. & alibi*, multo magis ubi accedit longissimi temporis observantia, per quam solemnitatis, ac justæ causæ, præsumptio, seclusa dicta Bulla, atque non dato initio infecto, inducitur præsumptio.

Hinc stante dicta distinctione, advertebam non facere ad casum dictam aliam controversiam in causa *Vercellen.* inter primam dignitatem, & Vicarium Generalem,
20 tunc enim agi dicitur inter personas diversas, vel diversa corpora, capitulum sc. ex una, cujus vices explicat prima dignitas, & Episcopum, seu ejus Vicarium, unde intrat dicta ratio minuendi, vel tollendi jus unius, ut illud transferatur in alterum, vel augeatur, & sic discooperiendi unum altare, ut cooperiatur alterum, ideoque casus non est similis, neque iidem intrant termini, cum in præsenti agatur de controversia inter ipsum corpus capituli, ejusdemque capituli membrum.

ANNOT. AD DISC. XXX. & seqq.

Ultra enunciatos *disc. de Preeminent.* in quibus de eadem peragitur quæstione, nulla adfuit occasio disputandi.

Remissivæ relationes plurium controversiarum, seu disputationum concernentium hanc materiam capituli, canonicorum, & Dignitatum, tam circa præeminentialia, quam alia, de quibus hoc tit. actum non est, sed alibi sub tit. de Præeminentiis.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Cathedralis constitui potest per plura capitula materialiter distincta plurium Ecclesiarum.*
2 *An capitulum vocis Cathedralis jus habeat in altera æque principaliter unita.*
3 *Capitulum Cathedralis quas præeminentias habeat in funeribus, & aliis functionibus, quæ fiant in Ecclesia Regularium, seu alias exempta.*
4 *Episcopo morienti ad quem pertineat administrare sacramenta, an Parocho, vel capitulo.*
5 *Functiones pontificales absente, vel impedito Episcopo, ad quem pertineant.*
6 *Capitulum Cathedralis, vel ejus canonici, an præcedant capitulum Collegiatæ in propria Ecclesia.*
7 *De eadem re, de qua n. 5. functionum capitularium in Ecclesia Regulari.*
8 *De præcedentia inter Archidiaconum, & Archipresbyterum.*
9 *Et de alia inter primam dignitatem, & Vicarium Generalem.*
10 *De præcedentia inter plura capitula, vel Collegia.*
11 *De præcedentia inter Canonicos Cathedralis, & illos de Magistratu Civitatis.*
12 *De jure capituli Cathedralis in Cappella administrata per laicos in eadem Ecclesia.*
13 *De jurisdictione capituli Sede vacante, ac etiam plena, absente, vel impedito Episcopo, seu Prælato.*
14 *De eadem materia jurisdictionis capituli Sede vacante, de quo n. 15.*
16 *De capitulis Generalibus, & Provincialibus Regularium.*
17 *Capitulum cathedralis Urbis quale sit, & quid sit Collegium Cardinalium, & de potestate dicti Collegii Sede Papali vacante remissive.*

DISC. XXXI.

De capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ formaliter, seu intellectualiter unico ac individuo, an constitui possit per plura capitula diversarum Ecclesiarum materialiter, ac de facto distincta, quinimo diversæ, seu oppositæ naturæ, quod scilicet unum capitulum sit sæculare, & alterum Regulare; Et an jura capitularia possint invicem præscribi, itaut unum capitulum, seu una pars illi obtineat privative ad alteram, habetur actum in *Cæsaraugustana Cathedralitatis. sub titul. de Praem. disc. 3. cum seqq.* 1

An capitulum unius cathedralis jus habeat, vel acquirere possit In altera Ecclesia, vel diœcesi invicem sub uno Episcopo æque principaliter unita, habetur actum *in Ampurien. & civitat. unionis, eodem tit. de Praemin. disc. 7.* 2

Interveniente capitulo Cathedralis in funere, quod celebretur in Ecclesia Regularium, seu alias exempta, vel inferiori, an jus, seu præeminentia faciendi officium super cadavere pertineant ad Superiorem, vel Rectorem Ecclesiæ quamvis inferiorem, vel potius ad primam dignitatem seu alium a capitulo deputandum habetur actum in *Calaritana funerum, eodem titulo de Praeminentiis, disc. 22.* 3

An dicatur munus capitulare pertinens ad Capitulum, vel ejusdem primam dignitatem, seu alium deputatum, administrare Sacramenta Episcopo morienti, ejusque mortui exequias celebrare, vel potius id pertineat ad parochum, habetur actum *eod. tit. de Praeminentiis in Majoricen. disc. 19.* 4

Prout explicare alias functiones solemnes & Pontificales absente, vel impedito Episcopo, dicatur munus capitulare, adeout ad capitulum pertineat deputare pro libito Canonicum, vel Dignitatem de ejus gremio, vel potius id pertineat ad primam, vel successive alteram Dignitatem, quamvis ista non sit de capitulo, habetur actum *in eadem Majoricen. dicto disc. 19. & hoc tit. disc. praeceden.* 5

An capitulum Collegiatæ in propria Ecclesia cedere debeat locum capitulo Cathedralis tam circa præcedentiam, quam circa assistentiam faciendam Episcopo, aliasque functiones celebrandas, habetur actum *in Ampurien. & Civitaten. praecedentiæ sub eodem tit. de Praem. disc. 17.* ubi etiam quid si in Ecclesia Collegiata, vel altera inferiori non interveniat totum capitulum Cathedralis, sed solum aliqui Canonici, & Dignitates Episcopum associantes in visitatione. 6

Et quid, si absente Episcopo ipsum capitulum interveniat in Ecclesia Regulari, vel alias exempta pro celebratione solemnitatis Pontificalis per Episcopum alias celebrari solitæ, an celebratio missæ, vel alia functio spectare debeat ad Ecclesiæ Prælatum, seu Rectorem, vel potius ad primam Dignitatem, seu alterum de corpore capituli, habetur actum *eodem tit. de Praem. disc. 22. de Jurisdict. disc. 30.* 7

De quæstione autem præcedentiæ inter Archidiaconum & Archipresbyterum habetur actum *in Parmen. eod. tit. de Praem. disc. 20.* Et de alia inter capitulum, seu primam Dignitatem, & Vicarium Generalem in alia *Majoricen. disc. 18. eod. tit. de Praeminen.* 8

Et de similibus quæstionibus præcedentiæ, vel alterius præeminentiæ inter capitula, vel Cleros plurium 9
Collegiatarum, vel respective Ecclesiarum parochialium, habetur *in Alipana, & in Messanen. ac in aliis eod. tit. de Praem. disc. 8. & 9.* 10

De præcedentia vero inter Canonicos Cathedralis, & Magistratus sæculares Civitatis habetur actum *in Forolir. praecedentiæ, eod. tit. de Praeminen. disc. 23.* 11

De jure capituli, & canonicorum Cathedralis in cappella existente in eadem Ecclesia sub regimine laicorum, seu alias exempta habetur *in Neapolit. eod. tit. de Praem. disc. 12.* 12

De jurisdictione capituli Sede vacante habetur supra, *hoc eod. tit.* sed quid sede plena, Episcopo autem, vel Prælato absente, vel infirmo *sub tit. de jurisd. disc. 54.* 13

De capituli consensu in alienatione bonorum Ecclesiæ, aliisque actibus faciendis a Prælato, an & quando requiratur, habetur actum *sub tit. de alienat. & contract.* ubi de hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ. 14

15 *De jure capituli Sede vacante in universa diœcesi,*
ultra ea quæ habentur *hoc titulo* ad materiam electio-
16 nis, seu deputationis Vicarii habetur actum *sub tit.*
de Jurisd. disc. 24. & 54. ac etiam *sub tit. de Præe-*
min. ibidem annexa disc. 7.

De capitulis autem Generalibus, & Provincialibus,
vel Conventualibus Regularium, eorumque electioni-
bus habetur in sua materia *sub tit. de Regul. in Mi-*
scellan. variarum rerum Ecclesiasticarum.

Quod Capitulum Cathedralis Urbis constitui dicatur
17 a Collegio Cardinalium, & de ejusdem Collegii juris-
dictione, & potestate, Sede Papali vacante, habetur
sub tit. de judiciis, occasione agendi de praxi, ac sta-
tu Curiæ Romanæ, ejusque Tribunalium.

CAMERINEN. PARTICIPATIONIS,

PRO CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ APIRI,

CUM ALIQUIBUS BENEFICIATIS.

Casus disputatus coram A. C.

De eadem materia, de qua supra, disc. 16. qui scilicet sint fructus, & quæ distributiones, & quando istæ massæ grossæ, speciem, vel naturam fructuum habeant, ut absentes ex justa causa de illis participare valeant; Et aliqua de insigniis Canonicalibus; An exigunt indultum speciale.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Patronus ex intervallo non potest alterare leges fundationis, vel alias adjicere.*
3 *Canonia esse non potest absque præbenda, cujus loco succedit massa grossa, & quando de tertia parte pro distributionibus.*
4 *Declarationi fundatoris, vel donatoris etiam ex intervallo defertur.*
5 *Conclusio, de qua n. 2. declaratur.*
6 *Expedit Ecclesiæ, ut fructus redigantur in distributiones.*
7 *In Urbis Ecclesiis fructus redacti sunt ad formam distributionum.*
8 *Testator censetur se conformare cum legibus, & moribus loci ubi disponit.*
9 *Dispositio testatoris pro lege servanda est.*
10 *Potest testator disponere de bonis propriis hæredis.*
11 *Beneficiati dicuntur servitores Canonicorum, & capituli, eorumque munus est servitorium.*
12 *Sub generica concessione jurium, & præeminentiarum facta Canonicis non venit jus deferendi insignia, quod requirit concessionem specialem.*

D I S C. XXXII.

INsignis medicus, Jacobus Baldinus vivens cum dote
locorum 70. montium per ipsum data, curavit pa-
1 rochialem, seu matricem Ecclesiam Oppidi Apiri ejus
patriæ Apostolica auctoritate erigi in Collegiatam, cum
Archipresbytero, & 12. Canonicis; Cumque in litteris
erectionis juxta consuetam formulam, diceretur quod
canonici gaudere debeant aliarum collegiatarum illa-
rum partium privilegiis, & honoribus, præsertim, ut
gaudent illi Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Cardarolæ
ejusdem diœcesis, hinc proinde Canonici prædicti,
conscio atque gratum habente ipso fundatore, de facto
assumpserunt eadem insignia, quibus utuntur dicti ca-
nonici Calderolæ absque Ordinarii, vel alterius oppo-
sitione in gratiam ipsius fundatoris; qui in Urbe ob
suæ professionis excellentiam, apud Principes, & Ma-
gnates in nimia existimatione erat; Moriens autem hæ-
redem instituit eamdem Ecclesiam sub administratione
ipsius Collegii, plura pietatis opera demandando, &
præsertim, ut ex hæreditatis fructibus, qui expletis
aliis operibus superessent, canonicatuum emolumenta
augeri deberet, ac etiam erigi pro majori Ecclesiæ cul-
tu octo beneficia residentialia & servitoria, ita tamen
quod totum poni deberet in massa ad formam distribu-
tionum quotidianarum, assignata ratione, ut qui non
laborat, non manducet; Defuncto autem testatore, ca-
nonici consulti quod insignium usus, cessata protectio-
ne, sustentabilis non esset, curarunt indultum Aposto-
licum desuper obtinere, quod per Alex. VII. ob gra-
tam memoriam erga fundatorem, cum eadem impensa
fieri solita pro minoribus insignibus, quibus dicta altera
Ecclesia Caldarolæ utitur, concessum fuit cum majori
præeminentia Rocchetti, & Cappæ magnæ, atque cum
ordinaria auctoritate sequuta quoque fuit dictorum octo
beneficiorum erectio ad formam testamenti, juxta cujus
tenorem totum redactum fuit in massam, cum illa pro-
portionata divisione inter canonicos, & beneficiatos,
quam idem testator mandaverat; Cumque ad aliquos
annos aliqui ex beneficiatis, ex justis fortasse causis ab-
esse coacti essent, hinc prætendere ceperunt, inhæren-
tes quibusdam declarationibus ab Ordinario habitis,
eis debitam esse dictæ massæ participationem saltem pro
duabus partibus, reliqua tertia remanente pro distri-
butionibus quotidianis ad præscriptum S. C. T. *sess.* 21.
de reform. c. 3. jactando etiam molestias capitulo in-
ferre ex causa malæ administrationis ob dictam impen-
sam factam ex causa insignium; Quare introducta ex
parte beneficiatorum lite cor. A. C. de duobus ex par-
te canonicorum requisitus fui; Primo scilicet, pro de-
fensione dictæ causæ judicialis; Et secundo, pro consi-
lio circa dictas jactatas molestias.

Quatenus igitur pertinet ad primum, dicebam etiam
in sensu veritatis, quod si quæ difficultas desuper ca-
dere posset, illa percutiebat canonicos, nullatenus au-
tem beneficiatos, quorum prætensio omni prorsus fun-
damento destituta videbatur; Quoad canonicos enim
duas advertebam distinguendas esse fundatoris disposi-
tiones; Primam sc. per actum inter vivos, pro dote
collegii ad ejus instantiam fundati; Et alteram testa-
mentariam ut supra.

Circa primam dixi recurrendum esse ad tenorem
erectionis, ac literarum Apostolicarum desuper con-
cessarum, absque eo quod in casu claro subsequens 2
fundatoris voluntas aliquam alterationem facere pos-
set, cum ista species dispositionis potius onerosa, &
correspectiva inter Papam concedentem, ac ipsum fun-
datorem obtinentem dicenda sit; Quamvis enim ex iis,
quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de jure-*
patr. Patrono concedatur facultas adjiciendi sibi placi-
tas leges quamvis juri contrarias, attamen id procedit,
duplici requisito copulative concurrente; Primo sc. ut
id sequatur in limine fundationis; Et secundo, ut de
consensu Ordinarii, vel alterius superioris, quorum
neutrum in hac parte verificabatur, & consequenter jus
Ecclesiæ quæsitum, ex sola fundatoris voluntate ex in-
tervallo alterationem recipere non poterat, quamvis
dicta voluntas in hac prima parte accessisset, quæ ta-
men neque aderat, ideoque cum de jure Canonia esse
non possit absque præbenda, cujus deficientis loco suc-
cedunt distributiones massæ grossæ, nisi ex consuetu- 3
dine, vel lege expressa istius participatio, servitii, ac
punctorum naturam habeat, ut advertitur supra, *disc.*
16. Hinc propterea, ubi alias non exprimitur, atten-
denda venit juris dispositio, ut dos ad præbendam,
seu massam loco præbendæ succedentem referri debeat,
cum moderatione tamen a dicto Conciliari decreto in-
ducta, ut sc. quatenus de distributionibus quotidianis
servitio proportionatis non esset sufficienter provisum,
tertia pars illis assignari debeat; ideoque Conciliare decre-
tum est in gratiam distributionum, non autem in restri-
ctionem, ut præcise ad tertiam partem restringi debeant.

Bene verum quod ubi fundationis tenor ambiguus
esset, adeout ad participationem ratione dictæ dotis in
forma distributionum ratione servitii ex implicita fun-
datoris voluntate referri posset, tunc ubi ejusdem fun-
datoris expressa voluntas, quamvis ex intervallo decla- 4
rata accederet, adhuc dicebam illi deferendum esse ex
recepta conclusione, de qua apud Otthob. *dec.* 119. n.
7. & 8. & *dec.* 195. n. 18. *dec.* 402. *p.* 9 *rec. n.* 31. &
seq. & sæpius in sua materia *sub tit. de donat. & alibi*,
quod licet donatio irrevocabilis inter vivos non possit
revocari, seu restringi, vel alterari, adhuc tamen ubi
sit ambigua, & interpretationis capax, donatoris de-
clarationi præsertim verisimili, atque proprium com-
modum non continenti deferendum sit.

Potissime vero quia conclusio, de qua supra, ut patro-
nus ex intervallo fundationis leges alterare non possit, ut
pluries advertitur in dicta sua materia *sub tit. de jurepatr.*
percutit præjudicialia Ecclesiæ circa ejus cultum, seu li- 5
bertatem, secus autem ubi continet potius favorem, qua-
lis in proposito adesse dicitur, ut redditus, & emolumen-
ta omnia ad distributionum formam redigantur, ut ad-
verti-

vertitur apud Duran. *dec.* 285. *n.* 100. ac pluries in præ-
6 cedentibus, *& sub tit. de jurepat. disc.* 10.

Alia etiam accedente consideratione verisimilis voluntatis fundatoris, resultante observantia Basilicarum Patriarchalium, ac fere omnium collegiatarum Urbis, ut omnes Ecclesiæ redditus quamvis naturaliter, ac de
7 facto certorum fructuum speciem habentes, ad formam distriburionum per punctos, ac servitium pro majori cultu redacti sint; Cum enim fundator pene ab adolescentia diuturnam vitam in Urbe duxerat, ita intrare dicebam ea quæ pro interpretatione volunratis testatoris, ut se conformare voluerit moribus, seu legibus loci, in
8 quo disposuit, habentur cæteris relatis apud Merlin. *dec.* 447. *repet. dec.* 335. *n.* 11. *& seq. p.* 5. *rec.*

Quo vero ad aliam dispositionem testamentariam, dicebam casum esse incapacem disputationis, cum voluntas esset expressa, ac litteralis, ideoque de plano intraret vulgaris text. *in l. ille, aut ille, ff. de l.* 3. sive axioma desumptum ex vulgato, *§. disponat, auth. de nupr.* ut dispositio testatoris pro lege servari debeat; Adeoque tenaciter
9 id procedit, quod non solum locum habet in bonis ipsius disponentis; sed etiam in bonis propriis ipsius hono-
10 rati, qui ad limites emolumenti gravari potest, ex deduct. *sub tit. de fideic. disc.* 134. *cum plur. seqq. & sæpius*; Potissime vero, dum erectio beneficiorum facta per Ordinarium, expressam habet relationem ad testamentum, unde propterea recte adaptabilis est dicta conclusio de legibus adjectis in limine fundationis de consensu Ordinarii servandis, quamvis essent juris dispositioni contrariæ, multo vero magis, quia conformes, atque ad Ecclesiæ, utilitatem, ac meliorem cultum tendentes.

Præterea quoad beneficiatos, omnis penitus difficultas cessare videbatur, quoniam si quæ cadere posset, percuteret solum canonicos, in quibus intrat dicta ratio quod Canonia stare non debet sine præbenda pro substentatio-
11 ne Dignitatis, quæ non cadit in beneficiatis, qui non sunt de capitulo, sed potius dicuntur capituli servitores, ut pluries in præcedentibus habetur, ideoque eorum officium est principaliter servitorium, non autem habet præeminentiam, vel dignitatem, cujus ratione prodiit conclusio, quod Canonia esse non debet sine præbenda, ideoque si Canonici judicio testatoris acquiescebant, multo magis beneficiati debebant acquiescere; atque hanc dicebam videri nimis claram veritatem.

Alter punctus erat potius facti quam juris, super voluntate scil. fundatoris, quod canonici hanc præeminentiam habere deberent, atque in facto plura concurrebant, quæ simul juncta clare probabant voluntatem faciendi hanc impensam de proprio etiam in vita, quando non credidisset, quod verba erectionis, ut isti canonici gaudere deberent omnibus gratiis, & privilegiis, quibus gaudent alia, præsertim dictæ adjacentis Ecclesiæ Caldarolæ, sufficerent; Hoc autem præsuppositum erat falsum,
12 quoniam extra controversiam receptum est, ut sub hujusmodi generalitate non veniat hæc præeminentia insignium, pro qua necessaria est gratia particularis, ita docente quotidiana praxi Datariæ, ac etiam S. Congr. Rituum.

ANNOT. AD DISC. XXXII.

De fructibus, & distributionibus, *Vid. supra Annot. ad disc. 7. cum seqq.*

MAJORICEN. VICARII,

PRO CAPITULO, ET GULIELMO ROSSINOL,

CUM DIACONO DESCLOPES.

Casus disputatus in Congregatione Concilii, & in Tribunali A. C. resolutus ut infra.

De eadem materia, de qua supr. disc. 24. super necessitate eligendi Doctorem in Vicarium Sede vacante; & an attendi debeat contraria consuetudo, & qualis doctoratus requiratur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De stylo scribentium ad causæ opportunitatem; ideoque consulentibus non deferendum.*
3 *Quare consuetudini eligendi in Vicarium non Doctorem debeat deferri.*
4 *De differentia Doctoratus, & Licentiatura in Italia, & in Hispania, & unde proveniat consuetudo, de qua n. præced.*
5 *Non existentibus Doctoribus in capitulo eligi potest non Doctor.*
6 *Quæ idoneitas requiratur in eligendo ad istud munus, & quomodo Concilii decretum intelligi debeat.*
7 *Qualis sit sensus S. Congreg.*
8 *Consilium datum pro futuris vacationibus.*
9 *Quod peritia juris civilis, & sæcularis sit magis opportuna, & de ratione.*
10 *In quo consistat hodie facultas legalis practica.*
11 *De differentia inter tempora antiqua, & hodierna super studia legum civilium.*
12 *De ratione ob quam Concilium se restrinxit ad doctoratum in jure Canonico.*

D I S C. XXXIII.

Conclusa per Capitulum pro majori parte electione 1
Vicarii Sede Vacante in persona Gulielmi Doctoris in jure civili, qui possessionem adeptus est, atque durante vacatione officium exercuit ob approbationem etiam Metropolitani, ad quem Didacus Doctor in utroque jure electus a minori parte appellaverat, eodemque Didaco introducente causam in Tribunali A. C. cum Judex provisa jam Ecclesia de Episcopo, adeout esset quæstio inanis, inclinaret pro confirmatione sententiæ Metropolitani, Didacus adiit Sac. Congregationem Concilii, a qua rescribi obtinuit invalidam esse electionem Gulielmi, sed acta substineri, adversus quam resolutionem petente capitulo audiri pro futuris casibus stante præsupposita consuetudine eligendi ad libitum non Doctorem, perstitum fuit in decisis circa punctum prætensæ consuetudinis, quam Congregatio approbare voluit, & circa inconvenientia, de quibus infra dictum fuit oretenus, quod quando in futurum agi contingat de casibus particularibus, tunc juxta eorum circumstantias providebitur.

In disputationibus itaque desuper habitis, duas efformando inspectiones, unam nempe generalem super dicta consuetudine in abstracto, etiam pro futuris electionibus, & alteram specialem super hac electione, ad cujus instar in futurum, seclusa etiam consuetudine,
licitum esset ob facti circumstantias eligere non Docto- 2
rem quatenus pertinet ad primum, licet scribendo tamquam advocatus conductitio more ad causæ opportunitatem, curarem, tam cum aliquorum Doctorum Hispanorum traditionibus, quam cum attestationibus, & justificationibus specialibus probare istam consuetudinem, exornando scripturam cum conclusionibus, & auctoritatibus, quas habemus in hac materia consuetudinis, ut habeat vim legis, ac juri scripto prævaleat, juxta deducta *disc.* 35. *de jud. & alibi*; Quoniam quo magis Advocati agnoscunt difficultatem, eo magis curant informationes facere copiosas, nimiumque exornatas, ac magis eruditas; Unde convincitur sæpius inculcatus error eorum, qui deferunt auctoritati consulentium, ut *rod. disc.* 35 *& disc.* 46. *in relat. Cur.* & alibi advertitur.

Nihilominus reflectendo ad veritatem ab initio partibus pro inconcusso stylo libere insinuatam, nimium dubitabam; Ideoque probabilem in hac parte credidi resolutionem; Tum ob non sufficienter probatam
consuetudinem cum requisitis necessariis, quando est 3
contra jus; Quoniam traditionibus Doctorum in hoc non defertur, potissime quia non desunt negantes, ut præsertim Garz. *de benefic. & alii*; Ac etiam quia actus, qui deducebantur, referri possunt errori, aut circumstantiis facti, quia non adessent Doctores eligibiles, juxta considerationes, de quibus infra, vel quod nemo contrarius.

Tum clarius ob sæpius enunciatam conclusionem, & præsertim *disc.* 1. *& in aliis in annot.* ad Conc. Trid. quod ob decretum irritans contentum in constitutione Pii IV. super confirmatione, & publicatione Concilii remanet infecta quæcumque contraria possessio, vel observantia, ut propterea consuetudo non incipiat. Con-

Considerando etiam, quod Concilium prævidit casus, & mores Hispaniarum diversos ab aliis Italiæ circa assequutionem gradus doctoratus, juxta ea, quæ
4 in proposito istius gradus habentur *disc. 35. de præm.* ideoque alternative posuit doctoratum, & licentiaturam; Ista siquidem posterior qualitas verificatur solum in Hispania, non autem in Italia, quoniam ibi fit licentiatura solemnis in publica Universitatate prævio examine, quæ æquivalet gradui doctoratus ibi soliti non concedi cum ea facilitate, cum qua conceditur in Italia, ubi non est in usu licentiatura solemnis, & publica per publicam Universitatem; Quoniam licet in aliquibus locis illi, qui per aliquod tempus in publica Universitate studiis utriusque juris vacaverint, non assequuto gradu doctoratus, soleant appellari licentiati, attamen hic est quidam usus loquendi vulgaris, revera tamen non sunt tales, neque hoc decretum conciliare eis congruit, ut advertitur *eod. disc. 35. de præm.* & alibi.

Advertebam tamen, quod licet loquendo generaliter, & in abstracto probabiliter, ac fundate hæc prætensa consuetudo per Congregationem non admittatur; Nihilominus ea in hac regione magis, quam in Italia attendenda videtur potius tamquam interpretativa pro illis diversis moribus, siquidem in Italia ob nimiam frequentiam Universitatum, & collegiorum habentium hanc facultatem doctorandi; Adeout in solo statu Ecclesiastico magnus numerus adsit ex recensitis *in rel. Cur. d. disc. 46. & d. disc. 35. de præm.* & alibi pluries, cum magna facilitate, etiam per eos, qui nunquam legum, & canonum studiis vacaverint, nullamque terminorum ac principiorum notitiam habeant, quinimo (ut pluries expertus sum) neque linguam latinam calleant, iste gradus obtineatur; Ac propterea disputari solet, an isti qui Doctorati potius, quam Doctores dici debent, Doctorum gaudeant prærogativis, & privilegiis, ex deduct. *eod. disc. 35. de præm.* E converso autem in Hispaniis ob magis rarum usum Universitatum, ac majorem rigorem, majoremque solemnitatem, & sumptum, non de facili iste gradus obtinetur, illeque est in longe majori existimatione; in modica vero, peneque nulla est doctoratus Italiæ, & præsertim ubi sit aliquarum parvarum Universitatum, in quibus magis, quam in aliis dicta facilitas practicetur.

Et quoniam multi Hispani, & Insularum adjacentium, ut est præsertim ista Majoricæ, occasione accessus in Italiam pro assequutione beneficiorum, vel pro aliis negotiis, agnoscentes quam facile sit, & cum minori sumptu obtinere istum gradum, illum libenter suscipiunt; quamvis juxta illos mores studiis in publica, & approbata Universitate per totum tempus præfinitum non vacaverint, neque publicas, ac solemnes substinuerint disputationes, hinc sequitur quod ibi ex communi opinione non habeantur isti pro Doctoribus, neque sint in ea veneratione, & existimatione, in qua sunt illi, qui juxta eos mores illum gradum doctoratus, vel alterum licentiaturæ obtinuerint, & qui ob magnos sumptus, magnasque difficultates solent esse nimium rari, & quandoque nulli.

Atque hinc dicebam manare dictam consuetudinem eligendi istos graduatos, qui tamen idonei, & habiles reputentur, eo quia, vel nulli adsunt de illis, qui in regione vere doctores, vel licentiati reputantur, vel ni-
5 mium rari, adeout non verificetur libertas electionis, dum ex deductis *supra, d. disc. 24.* receptum est quod necessitas eligendi doctores procedit, quatenus in capitulo adsint plures habiles & idonei, cum quibus libertas electionis practicari, ac verificari valeat, sin minus licitum est eligere aliquem capitularem non doctorem, quamvis extra capitulum adessent plures doctores habiles, & idonei, *ut eod. disc. 24.* adeout inter hos Doctores adesse videatur eadem proportio, vel differentia, quæ in Italia viget inter Doctores alicujus publicæ universitatis, & Doctores ex mero privilegio, de qua *eodem disc. 24.*

Ponderando circa idoneitatem a fortiori id quod habetur *sub tit. de paroch.* in proposito præeligendi in concursu
6 magis dignum, quod sc. non attenditur solum gradus, nisi concurrat quoque congrua literatura, quinimo, neque ista conjuncta cum gradu sufficit, nisi ea conjuncta quoque sit cum vitæ, & morum integritate, & cum prudentia, aliisque animi dotibus, quæ necessariæ, vel opportunæ sint pro regimine aliorum; Si etenim in simplicibus parochis istæ circumstantiæ attendendæ sunt, multo magis in hoc munere Vicarii Capitularis, quod est aliquid magis quam sit illud Vicarii Generalis, dum gerit vices, & partes Episcopi in utroque regimine temporali, & spirituali; Magis vero in casu præsentis quæstionis, dum agitur de regimine Civitatis Metropoliticæ, totiusque Regni in faciam Proregis, & majorum Magistratuum, ac propterea non solum requiritur major idoneitas in litteratura, & praxi negotiorum, etiam sæcularium, & prophanorum, ut infra, ac etiam in prudentia, sed in opinione, & veneratione circa vitam & mores; Ideoque stant simul, quod in capitulo adsint multi doctorati, sed revera, quod non adsint Doctores circa literaturam, vel etiam adsint Doctores in literatura, sed non præditi illa prudentia, & experientia, illisque moribus, ac existimatione apud populum, quæ pro tali munere requiruntur; Unde congruat is neglectis eligere illos, in quibus dictæ partes verificentur, quamvis gradum prædictum non habeant; Et sic decretum conciliare intelligendum venit, præsuppositis terminis habilibus, quatenus scilicet in capitulo adsit competens numerus Doctorum, qui in præmissis partibus habiles, & idonei dici mereantur, & cum quibus libertas electionis remaneat practicabilis, adeout alias faciendo sit spernere decretum, secus autem ubi non ex spretu, sed ex juxto, & rationabili motivo id sequatur.

Agnoscebat Congregatio hanc veritatem; sed ut præ-
missum est ex prudentialibus motivis, ne sub hoc præ- 7
textu liceret decretum spernere, noluit recedere a declarationibus generalibus, dicendo oretenus quod in contingentia casuum particularium, quando dignosceretur istas circumstantias verificari, tunc approbabitur electio.

His autem sic stantibus in quadam instructione, quam petentibus agentibus capituli dedi pro futuris vacationibus, dicebam, quod si capitulum cupiebat conservare istam
consuetudinem, seu libertatem a se exoptatam, curaret 8
concordare, si non in personis particularibus, cum id pro frequentiori contingentia, stantibus factionibus quæ in Comitatibus & Universitatibus esse solent, videatur quodammodo impossibile, sed in personarum genere quod scil. omnia vota, quamvis scissa cadant in personis non graduatis, quoties revera d. rationes verificentur, secus autem ubi ut in casu particulari qui huic disputationi occasionem dedit, capitulum scindatur, ejusque pars graduatis adhæreat, cum in isto concursu pro stylo Congregationis approbari soleat electio graduati, & reprobari illa non graduati, quamvis minora habeat suffragia.

Quo vero ad inspectionem particularem, quæ inutilis erat, dum jam Ecclesia erat provisa de Episcopo, atque Congregatio declaravit valida omnia acta, adeout esset quæstio de vento; Dicebam, quod cum electus esset
jam graduatus in jure civili in universitate Hispaniarum 9
juxta illos mores magis solemnes, & cum magis rigoroso examine, hinc sequeretur quod attenta naturali veritate ex præmissis rationibus iste magis idoneus, magisque dignus reputari deberet quam æmulus, qui in utroque jure susceperat gradum in quadam universitate Italię, in qua enunciata dignoscitur facilitas; Potissime quia pro regimine tam politico quam civili, ac pro decisione causarum, ubi quis habet illam juris civilis peritiam, quæ ob gradum prædictum præsumitur, tunc longe magis idoneus, & habilis reputandus videtur quam ille qui esset solum doctor in jure canonico, ob longe majorem facilitatem istius, quam illius, ac propterea bonus Legista cum nimia facilitate efficitur optimus Canonista, quod non est e converso, juxta vulgare dicterium quod Legista sine canonibus valet parum, sed canonista sine legibus valet nihil. Potissime quia hodie militare non videtur illa totalis discretio inter hæc jura, quæ antiqniori tempore dignoscebatur,
quoniam legis facultas practica pro utroque foro consiste- 10
re potius videtur in receptis conclusionibus desumptis, tam ex utroque jure communi civili, & canonico, quam etiam feudali, & locali, seu statutario, ac receptis DD. opinionibus, ita continens quoddam mixtum, adeout si resurgerent Acurs. Azor. Bart. & Bald. ac Innoc. Jo: Andr. Abb. & similes antiquiores, & primi Magistri, eam amplius non recognoscerent, ipsique in praxi essent imperiti, cum ex 10. partibus vix duæ, vel tres esse videantur illæ, quæ in mero jure civili, vel canonico communi consistant, ut expendendo omnes materias in foro practicabiles advertitur in *disc. super defensione linguæ Italicæ, in eodem Italico idiomate registrato post opus Episcopi practici*; Et per consequens magis opportuna, forteque magis necessaria, pro hoc munere Vicarii videtur peritia in jure civili, & prophano communi, & locali, tam pro causis decidendis, quam etiam pro tuenda Ecclesiastica jurisdictione, & immunitate, ut sciatur qualia sunt jura qualesve prætensiones sæcularium; Ac etiam quia ut præmissum est quando juris civilis magis abstrusi, magisque alti & subtilis, ejusque terminorum per-

perfecta peritia habeatur, nimium facilis est materias canonicas, & ecclesiasticas utpote magis faciles, ac planas callere, adeout cum solo collectore Barbosa, aliisque similibus levis armaturæ scriptoribus, & collectoribus, & cum labore humerorum potius quam ingenii ista peritia forte obtineatur, quod utique de alltera dici non potest, ut advertitur *d. disc. 35. de judic. & disc. 46. in relat. Cur. & alibi*.

Ponderando etiam, quod magna dignoscatur differentia inter antiqua tempora, in quibus prodierunt canones prohibentes clericis studium legum civilium, & hodierna tempora, quoniam tunc ob legum prædictarum publicationem, juxta unam opinionem factam
11 auctoritate Imperatoris Lotharii, aliorumque Imperatorum, qui factionis Ghibellinæ fautores, ac protectores videbantur, infensi Pontificiæ potestati, ac etiam ob diversum modum vivendi clericorum istis incongruum erat hoc studium juxta id quod advertitur, præsertim *disc. 135. de feud. & disc. 161. de Regal. & disc. 1. de serv. & in annot. ad eund.* Hæc autem ratio cessat in præsenti, cum passim clerici, etiam Episcopi, & Cardinales vacent studio juris civilis communis, & localis pro meliori praxi juris canonici, adeout ista videatur una ex consuetis leguleicis simplicitatibus modernorum procedendi in sola litera antiquorum canonum, & canonistarum in hac materia, non reflectendo ad hanc distinctionem temporum, aliasque diversas circumstantias, quodque prudenter Conc. Trid. mentio-
12 nem fecit de doctoribus, vel licentiatis decretorum, ut ita loqueretur more canonico, & conciliari, & ne videretur exprese loqui contra antiquos canones, ac etiam quia disponendo pro Ecclesia universali, in qua diversi esse possunt in hac materia provinciarum, & regionum mores, idcirco noluit canonizare studium, ac professionem juris civilis, & sæcularis, quod in aliqua regione ex usu non congruat clericis, sed non per hoc illud intelligendum videtur in litera more grammaticali, seu judaico, sed in spiritu, & in ratione juxta regionum, & locorum mores, & usum; Ista tamen insinuando in ratione discursiva, relinquendo locum veritati, atque totum submittendo judicio Ecclesiæ, & S. Congregationis.

SENEN. PRÆBENDARUM,

AD PETITIONEM CANONICI FRANCISCI PICCOLOMINEI.

Responsum pro veritate.

An valeat, & substineatur, necne communio inter canocicos super præbendis alias inæqualibus cum earum reductione ad massam communem, ut ita omnium sit conditio æqualis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Unio est species prohibitæ alienationis.*
3 *Sensus Auctoris.*
4 *Quæ solemnitates requirantur in unionibus, vel suppressionibus, & dismembrationibus.*
5 *An requiratur beneplacitum in conventionibus inter Clericos ejusdem Ecclesiæ.*
6 *De beneplacito Apostolico præsumpto.*
7 *Quando procedat conclusio, de qua n. 2. & 4.*
8 *Præbendæ sunt quid distinctum a canonicatibus.*
9 *Quod inæqualitas præbendarum sit potius damnabilis, & præjudicialis.*
10 *Laudatur suppressio præbendarum, & reductio omnimoda ad massam distributionum.*
11 *Quando major pars præjudicet minori.*

DISC. XXXIV.

1 OB aliqua inconvenientia, quæ praxis resultare docebat ab inæqualitate quatuordecim præbendarum liberę collationis Metropolitanę Ecclesię Senen. & ab optione quæ fieri solebat, de anno 1634. Archiepiscopus cum consensu Capituli, omnium prębendarum quamdam communionem, seu massam statuit, ut propterea omnium esset ęqualis conditio, postquam vero per spatium annorum 40. circiter id pacificum effectum habuit, prætensionem excitavit canonicus Franciscus Piccolomineus separandi propriam præbendam, atque desuper consuluit quemdam hujus curiæ Advocatum, a quo pro dictæ unionis invaliditate responsum fuit ex eo fundamento, quod unio redoleret speciem alienationis prohibitæ, quæ per Ordinarium extra casus a jure permissos fieri non valeat, ex iis quæ habentur *disc. 1. de alien. & contract. prohib. & sub tit. de benefic. & altero de paroch. pluries*, per Concilium autem Tridentinum facultas Episcopo 2
attribuitur quando præbendæ Cathedralis essent tenues, illis uniendi beneficia simplicia, juxta ea quæ habentur pluries *eodem tit. de benefic.* ad hanc materiam unionis, non autem ut unire possit præbendas Canonicales ejusdem Cathedralis.

Non acquiescens autem idem Franciscus responso, cupiensque meum audire sensum, iste diversus quinimo oppositus fuit pro actus validitate, ideoque consului quod 3
acquiesceret, atque ab opere abstineret, incertum est autem quid sequutum sit, quoniam ubi actus redoleret speciem prohibitæ alienationis, aduhc tamen advertebam quod non esset de illa specie, quæ caderet sub dispositione *extrav. Ambitiosæ* circa necessitatem solemnitatis consistentis in beneplacito Apostolico, quoniam licet hujusmodi uniones, vel suppressiones, aut incorporationes exigant quidem justam causam necessitatis, & utilitatis, at etiam quasdam solemnitates a jure communi præscriptas, de quibus apud Otthob. *dec. 6. & dec. 224. p. 10. rec. cum aliis, disc. 34. & 35. de paroch.* 4
& d. disc. 1. de alien. & contr. prohib. Non tamen exigunt beneplacitum Apostolicum, sed sufficiunt solemnitates ad limites juris communis, ut ibidem, ideoque cum causa videretur justa, & rationabilis, ut infra, atque intercessissent consensus capituli pro solemnitate, & alter consensus singulorum canonicorum pro interesse, ita videbatur actus bene gestus.

Potissime vero quia non agebatur de abdicatione dominii ab una Ecclesia, vel Cappella, ejusque translatione in alteram diversam, quo casu intrat conclusio deducta, *eod. disc. 1. de alien.* & alibi sæpius, quod dispositio *d. extrav. Ambitios.* locum habet etiam in con- 5
tractibus, quia fiant inter duas Ecclesias, vel cappellas, sed de conventione inter ministros, & clericos ejusdem Ecclesiæ, quæ est præbendarum domina, talisque remanet etiam post conventionem respicientem modum divisionis, vel distributionis inter canonicos tamquam ejus famulos, & ministros, ideoque dicebam intrare terminos text. *in c. 2. & fin. de pact. in 6. cum concord. supra, disc. 30. in fin. & disc. 26. de paroch. & eod. disc. 1. de alien. & contr. pariter in fine.*

Et nihilominus ubi etiam beneplacitum Apostolicum fuisset necessarium, adhuc advertebam allegari posse beneplacitum præsumptum, stante pacifica observantia 6
temporis longissimi 30. imo 40. annor. non obstante constitutione Urb. VIII. per quam hujusmodi beneplacitum præsumptum sublatum videtur, quoniam receptum est quod ista constitutio non comprehendit alienationes, & contractus inter Ecclesias, quarum respectu firmata remanet dispositio juris communis, ut advertitur *eod. disc. 1. de alien. & contr. prohib.* & alibi pluries.

Deducebantur autem hæc ad quamdam exuberantiam, ubi etiam procedendum esset cum præsupposito præfati respondentis, & cum terminis illius unionis, quæ utpote redolens alienationem est regulariter in jure odibilis, & prohibita. Verum advertebam quod omnia remanebant superflua utpote extra casum, quoniam illa dicitur prohibita unio, quæ tangat substantiam beneficiorum, quorum status alteretur cum eorumdem, vel cum eorum possessorum diminutione, ex qua resultet altera diminu- 7
tio ministrorum, puta quia fiat unio subjectiva, per quam beneficium unitum amittat ejus nomen, & essentiam, atque efficiatur prædium, vel membrum alterius, cui fiat unio, vel quod ubi etiam sit unio sociativa, vel incorporativa, & coæqualis, exinde sequatur quod loco duorum Rectorum, vel ministrorum sit unius, qui utrumque possideat, juxta distinctiones, de quibus in hac materia unionis, *d. disc. 34. & 35. de paroch. & disc. 43. cum seqq. de benefic. & disc. 6. de præem.* & alibi.

Id autem nullatenus in hac facti specie verificari dicebam, quoniam numerus Canonicorum in nihilo immutatus, vel diminutus fuit, minusque diminutus modus cultus, & servitii Ecclesiæ, neque in aliquo alterata substantia ipsorum canonicatuum, sed solum ita statutum fuit super præ- 8
bendis temporalibus, quæ sunt quid distinctum a canonicatu, *ex deduct. disc. 15. & 76. de pens.* & alibi pluries; Potissime quia singulis canonicatibus habitualiter competere dicitur jus in præbendis pinguioribus, ob d. consuetudinem opinio-

opinionis, ideoque revera dici non poterat quod abdicaretur dominium ab uno, ut transferretur in alterum, quodque unus fieret ditior, & alter pauperior, dum ut præmissum est dominium bonorum, & præbendarum, revera dicitur residere penes ipsam Ecclesiam, cujus jus, vel servitium ita nullam recipit diminutionem, vel præjudicium, sed solum id percutit modum distributionis fructuum, & emolumentorum inter ejus ministros, & servientes.

Fortius vero quoniam ejusdem Ecclesiæ potius interest æqualitatem servari pro meliori ejus cultu, & ser-
9 vitio, cui ministrorum dissensiones præjudicare solent, ducto etiam argumento ab illa æqualitate, quam lex laudat, & desiderat inter ejusdem parentis filios, ac propterea in casu, de quo supra, *disc.* 8. reprobata fuit illa notabilis inæqualitas, quæ dignoscebatur inter ejusdem Ecclesiæ canonicos.

Quinimo commendabilis potius censenda venit omnimoda præbendarum suppressio, cum reductione omnium fructuum, & emolumentorum ad massam distri-
10 butionum obtinendarum in ratione servitii per punctos juxta praxim introductam in tribus Basilicis Patriarchalibus Urbis, quæ merito aliarum Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum norma, & exemplar esse debent, ac etiam in Ecclesia Toletana, aliisque insignibus, & ditissimis Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis Hispaniarum, aliarumque regionum, ut insinuatur *disc.* 10. *de jurepatr. & pluries sub tit. de pensionibus*, & alibi, cum usum præbendarum experientia doceat Ecclesiarum cultui, & servitio potius præjudicialem, quia præbendati satisfaciendo residentiæ sine interessentia, & sine servitio quod negligunt, lucantur fructus, quos etiam frequentius in casu absentiæ aliquo modo coloratæ percipiunt, & lucrantur; Ac propterea idem Conc. Trid. mandavit Episcopis, ut aliquam præbendarum partem, nempe tertiam distributionibus quotidianis applicent; Et tamen omnimoda suppressio cum immutatione naturæ est quid longe magis quam sit ista conventio sociativa, quæ se habet ad omnium coæquale lucrum, & damnum, atque non tangit substantiam, sed accidentia, habetque justum motivum tollendi lites & discordias, quas præsertim consuetudo optandi parere solet; Ideoque videbatur, quod pro meo judicio casus haberet de indubitabili; quamvis esset recens, quoties de consensu omnium canonicorum fieret, cum ratio dubitandi caderet, quan-
11 do Episcopus id demandare vellet sine consensu singulorum interessatorum sub prætextu consensus majoris partis capituli, dum illo casu recte intraret sæpius enunciata propositio, quod in iis, quæ tangunt interesse, ac præjudicium singulorum, non attenditur conclusio pro majori parte, cum alias, ubi aliquæ modicæ præbendæ essent pingues, aliæ vero pro majori parte essent tenues, ita possent illi, qui obtinent pingues, inviti supplantari, sed quando accessit consensus omnium, cum subsequuta observantia quadragenaria, videtur, quod nulla superesset ratio dubitandi, potissime quia istemet canonicus per longum tempus annor. 15. in quibus fuit canonicatus possessor, eidem observantiæ acquievit.

ROMANA SERVITIORUM, VEL DISTRIBUTIONUM, PRO CLERICIS ANTIANIS, CUM CLERICIS JUNIORIBUS BASILICÆ S. MARIÆ MAJORIS.

Casus disputatus coram Judice particulari, & resolutus pro Antianis.

De distributione Servitiorum, & officiorum, aliorumque munerum inter Beneficiatos, & clericos ejusdem Ecclesiæ, & ejusdem ordinis hierarchici.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De distributione ordinum, & hierarchiarum in utraque Ecclesia militante, & triumphante.*
3 *Solet, & debet summatim gustari de petitorio etiam in possessorio.*
4 *De materia præscriptionis in iis quæ sunt contra jus.*
5 *De eodem, & quando observantia sit potius interpretativa.*
6 *De distributione ordinum in canonicatibus, & beneficiis.*

DISC. XXXV.

IN reformatione Basilicæ Liberianæ, vel S. Mariæ Majoris sequuta sub Pio IV. statuti fuerunt tres diversi ordines clericorum, seu ministrorum, ut ita pro majori vel respective minori gradu, & dignitate fun- 1
ctiones Ecclesiasticæ cum debito ordine simetrico peragerentur, ad instar Ecclesiæ triumphantis, cum qua debet se regulare Ecclesia militans, quod distributi sunt ordines, vel hierarchiæ Angelorum, & Sanctorum juxta ponderationes, de quibus *disc.* 24. *de praem. & disc.* 2
40. *in Miscell. Eccl.* statuendo tres ordines canonicorum, beneficiatorum, & clericorum, eorumque singulis officia, vel functiones assignando, præsertim vero ad rem, ultimo ordini 12. clericorum injuncta fuerunt duo munera, unum Subdiaconatus, & alterum Acolytatus; Verum postmodum, ut hæc munera melius distributa remanerent, S. Carolus Borromæus hujus Basilicæ Archipresbyter sub S. Pio V. immediato successore, isto approbante, statuit, ut ex his 12. clericis, sex deberent esse constituti in sacris ad effectum exercendi munus subdiaconale, alios vero sex sufficeret esse in minoribus pro alio munere Acolythatus; Sed quoniam obtinentes hujus clericatus ad effectum assequendi emolumenta obvenientia ex celebratione missarum pro frequentiori praxi solent esse in sacris, adeout non verificaretur d. contradictio; Idcirco observantia dedit, quod sex antiquiores gererent munus Subdiaconi, & alii sex juniores gerent illud Acolythi; Id autem ægre ferentes aliqui moderno tempore de clericatibus provisi, atque in sacris existentes, quasi quod coæquale jus cum aliis ejusdem ordinis clericorum habere deberent, ideoque per turnum pariformiter utrumque munus ab omnibus exercendum esset, introducta causa coram Prælato deputato per Cardinalem Archipresbyterum, ex parte Antianorum principaliter insistebatur 3
in summariissimo possessorio retinendæ, seu manutentionis; Adhuc tamen pro commendabili curiæ stylo insinuato *disc.* 44. *de judic.* & alibi pluries, ut concernentia petitorium, ac merita negotii principalis summatim deducantur pro gustu ad effectum, ut facilius idem possessorium decernendum sit illi cui etiam bonum jus assistat, juxta praxim in proximis terminis tentam per Rot. *dec.* 102. *p.* 10. *rec.* & apud Bich. *dec.* 542. & 543. & in aliis; Idcirco etiam in bono jure scriptum fuit, & credo, quod in utroque pro antianis, vel antiquioribus resolutum fuerit, dum post unicam disputationem ob superventam mortem causæ patroni amplius de illa actum non audivi.

Cum itaque scribentes pro junioribus actoribus impugnarent potestatem dicti Cardinalis Borromæi Archipres- 4
byteri, quod immutare non potuerit ea quæ per d. Pontificem Pium IV. statuta fuerant, super coæquali jure, & ordine clericorum, atque circa observantiam, in qua magnum constituebatur fundamentum, ex parte antianorum præsupponeretur, quod necessaria esset centenaria bene completa ad effectum legitimæ præscriptionis adversus id, quod per Apostolicam Constitutionem statutum fuerat; Ac propterea deducebantur aliquæ interruptiones, ac etiam insisteretur in eo, quod observantia non esset continua, & univoca cum aliis rigoribus, & subtilitatibus ponderari solitis ad impediendam præscriptionem, in iis quæ sunt contra jus, ex deduct. *disc.* 21. *de jud.* & alibi.

Hinc scribens pro antianis, etiam cum sensu veritatis, dicebam, quod ubi etiam in facto non subsisterent ea, quæ per causæ patronum pro stylo deducebantur, tam circa facultates præfati Cardinalis Archipresbyteri, quam circa existentiam centenariæ de facto ob jam elapsum tempus annorum 100. cum congruis responsionibus ad objecta, ex quibus prætendebatur legaliter centenariam bene completam non adesse, cum his subsistentibus omnis alia juris inspectio inanis remaneret; Adhuc tamen erroneum esset præsuppositum, ut ad effectum, de quo agebatur, necessaria esset centenaria bene completa, eo modo quo desideranda venit in iis, quæ de sui natura sunt impræscriptibilia, sive nimium vehementem habent juris resistentiam, & in quibus istud tempus potius pro facultate allegandi quemcumque efficacem, ac meliorem titulum, quam pro formali præscriptione proficuum remanet,

manet, juxta ponderationes, de quibus *eodem disc.* 21. *de judic.* ac etiam *disc.* 3. *de alienationibus, & contract. probib.* & alibi frequenter; Quoniam data etiam positiva resistentia, adhuc sufficeret, atque centenariæ æquipolleret quadragenaria, quæ in facto remanebat indubitata, dum dicta provisio Cardinalis Archipresbyteri præstat saltim titulum coloratum, vel putativum.

Cæterum etiam hoc deducebatur ad superabundantiam, quoniam revera pro meo sensu non versabamur
5 in casu talis resistentiæ, quæ indigeret centenaria, vel quadragenaria cum titulo colorato, seu putativo, sed quod imo tam provisio Archipresbyteri, quam subsequens observantia haberent potius juris, ac rationis assistentiam: Ac propterea observantia mereretur dici potius comprobativa, vel interpretativa, quam illa odibilis præscriptiva, per quam tolleretur jus tertii.

Quamvis etenim in dicta istius Ecclesiæ reformatione distributi essent dicti ordines hierarchici canonicorum,
6 beneficiatorum, & clericorum, ut ita functiones Ecclesiasticæ decentius pro eorum qualitate, & dignitate peragi possent; Attamen in singulis annexi non erant pernecesse ordines, in quibus hujusmodi beneficiorum possessores constituti esse deberent, cum id postmodum sequutum sit in Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 12. adeo ut dari posset casus, quod pene omnes, vel multi possessores hujusmodi beneficiorum constituti non essent in illis ordinibus, qui necessarii sint pro functionibus, & officiis Ecclesiasticis, præsertim vero in hoc genere, vel ordine clericorum, quibus promiscue, ac indefinite injuncta erant munera Subdiaconi, & Acolythi, quorum posterius nullum ordinem sacrum exigit, unde confusiones, & inconvenientia sequi possent; Et per consequens rationabiliter, ac prudenter Archipresbyter tamquam ordinarius Prælatus Ecclesiæ istam fecit distributionem, ut scilicet medietas constituta esset saltim in ordine subdiaconatus pro exercendo sibi injuncto munere Subdiaconi, altera vero medietas hanc non haberet necessitatem, sed ei sufficerent ordines minores pro exercitio alterius muneris Acolythi, ut ita juxta nimium rationabilem, beneque ordinatam dispositionem Conciliarem, quilibet sciret quale munus sibi incumberet, illudque expleret, & ne alias orirentur confusiones, & inconvenientia, quibus Concilium occurrere voluit; Et sic provisio fuit potius conformis dispositioni, ac rationi, & intentioni Concilii; Plerisque in idem quoque accedentibus circumstantiis nimia consideratione dignis; Primo nempe qualitate præfati Archipresbyteri, tam circa magnam integritatem, magnumque zelum, adeout in cathalogo Sanctorum adscriptus habeatur, atque ex communi Catholicorum sensu sit idea, & exemplar Episcoporum, & Prælatorum, tum etiam quia, ut docent plures historiæ, illa præsertim Conc. Trid. Card. Pallavicini, præsertim circa hæc extrema tempora Pontificatus Pii IV. in quibus, tam ista, quam pleræque aliæ reformationes in Curia sequutæ fuerunt, ac etiam ultimæ sessiones præfati Concilii super reformatione, in magna parte prodierunt ex consilio, opera, & solicitudine ejusdem, qui d. Pontificis nepos magnam in administratione Pontificatus participationem habebat; Ac quia totum gestum fuit cum scientia, & approbatione zelantissimi Pontificis immediati successoris, quem etiam Beatorum Cathalogo adscriptum habemus, quem verisimile non est id permisisse, ubi non agnovisset esse rationabile, ac dispositioni, vel intentioni Concilii conforme; Potissime quia historiæ docent, quod iste Pontifex non fuit nimium laudator, & approbator gestorum prædecessoris.

Observantia vero potius diversa, ut sc. non adesset fixa contradistinctio illorum, qui essent in sacris, ab aliis qui non essent, prodiit ex insinuata ratione, quod omnes in sacris ex eorum electione, ac majori utilitate se constituere soliti essent; Illa vero potius moderativa præjudicii ex dicta provisione resultantis dici meretur, idcoque magis benigna, & favorabilis, quoniam juxta provisionem seu clericatus essent perpetuo subdiaconales, & sex perpetuo in minoribus, adeout isti numquam sperare possent ascensum ad præfatum majorem gradum; ita vero omnium æqualis effecta est conditio cum ordine antianitatis nimium rationabili, ut seniores majoribus potiantur prærogativis, & per consequens observantia potius juris & rationi conformis, quam contraria censenda est, nullaque indiget præscriptione, ejusque rigorosis requisitis.

THEATINA CANONICATUS, PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ.

Consilium pro veritate.

An erecto novo Canonicatu de consensu capituli cum assignatione dotis, quæ massæ capitulari incorporetur, adeout novi canonici conditio sit æqualis cum aliis, diminutionem hac dote patiente, possit capitulum prætendere suppressionem canonicatus, vel excludere ejus possessorem, a coæquali participatione massæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando Episcopus possit erigere novos canonicatus.*
3 *Diminutio redditumm non facit cessare substantiam canonicatus erecti.*
4 *Successori competit manutentio ex possessione prædecessoris.*
5 *Quale Consilium datum sit.*
6 *Competit evictio contra fundatorem.*
7 *An cesset fundatio per deficientiam bonorum, ac reddituum.*
8 *Quando diminutis bonis, & redditibus supprimi debeant aliqui canonicatus.*

DISC. XXXVI.

Cum in Ecclesia Metropolinana Theatina Archiepiscopus cum consensu capituli novum erexisset canonicatum cum bonis, & redditibus a quodam devoto assignatis, & incorporatis mensæ capitulari, ut propterea coæqualis esset istius novi, ac antiquiorum participatio massæ, tractu vero temporis bona ad hunc effectum assignata valde notabilem diminutionem, peneque omnimodam peremptionem passa essent, adeout antiquioribus canonicis læsiva, & præjudicalis remaneret hæc nova erectio, ob admissionem canonici ad coæqualem participationem absque recompensa; Hinc sequuta istius canonicatus vacatione, novaque provisione de eo facta per Datariam credidit capitulum de consilio aliquorum professorum de partibus huic noviter proviso se opponere posse, atque desuper pro veritate consilium a me petiit. 1

Respondi, quod circa oppositionem, quæ fieret proviso, ne canonicatum assequeretur, pro meo sensu videretur opus desperatum, quoniam ubi non constat de præfinitione certi numeri canonicorum præcise, & taxative facta per sedem Apostolicam, ut in præsenti non constare præsupponebatur, non prohibetur Episcopus novos erigere canonicatus cum bonis & redditibus ad hunc effectum supervenitis, ex deduct. *supr. disc.* 6. & apud Cocc. *dec.* 1092. Potissime vero, & cum minori ratione dubitandi, ubi accedat consensus capituli, cum difficultas cadat isto consensu deficiente, ex ibidem relatis, & per consequens diminutionem bonorum, & reddituum istius canonicatus noviter erecti causare posse dicebam prætensionem in capitulo dissolvendi dictam communionem, atque non admittendi novum canonicum ad coæqualem participationem massæ capitularis, sed quod contentus esse deberet sola dote per fundatorem assignata, non autem, ut id destrueret canonicatum jam valide erectum in substantia, ob alterationem hujus accidentis, dum id nullum juris fundamentum habere videretur. 2 3

Quo vero ad punctum participationis coæqualis, respondi, quod adhuc valde durum opus videretur quoad istum jam provisum, dum ex ejus parte intentari posset possessorium retinendæ, seu manutentionis in dicta possessione dictæ participationis, donec in judicio petitorii terminando per tres conformes decideretur prætensio capituli absque dubio altioris indaginis, nil obstante, quod ipse noviter provisus ex persona propria nullam haberet hujus participationis possessionem, dum adhuc neque ipsius canonicatus possessionem habebat, quoniam ad hunc effectum, eidem suffragaretur possessio prædecessorum, dum possessio acquiri dicitur dignitati, vel canonica- 4

nicatui; Ideoque novus successor in beneficio, vel dignitate obtinet in hoc judicio, quamvis numquam possederit, cum obtinere dicatur nomine beneficii, vel dignitatis, ex deduct. *disc. 44. de judic.* & passim, cum ista sint principia hodie notoria, ideoque præsupponenda, super quibus vere contemptibilis ineptia dignoscitur authoritatum cumulum facere; unde ad-
5 vertebam, quod capitulum loco evitandi unum onus participationis, duplicatum subiret litis, quodque propterea melius consilium esset benevole cum jam proviso agere, atque in futurum occurrere, curando obtinere a S. Congr. in illa forma extrajudiciali, quæ in ea practicatur, declarationem super facultate supprimendi istum canonicatum, quatenus ut infra, ejus suppressioni locus esse deberet, vel super separatione bonorum assignatorum a mensa, seu massa capitulari, ut quilibet obtineat suum, nempe quod iste canonicus in futurum contentus esse deberet sui canonicatus dote, talis qualis illa sit, ut ita contingente casu novæ vacationis, non daretur alter novus provisus, vel ille dicta dote contentus esse deberet, non autem in præjudicium istius jam provisi, rebus in hoc statu remanentibus; Incertum est autem quid sequutum sit, dum amplius de negotio actum non audivi.

Quatenus vero pertinet ad merita negotii principalis, ad effectum obtinendi dictam declarationem, dicebam inspiciendum esse an diminutio redditutum, ac respective peremptio ad quorum bonorum proveniret ab illorum evictione ratione alieni dominii, ut pro frequentiori contingentia sequitur in ea vendicatione,
6 quam successores possessoris, vel alterius a quo ipse causam habeat, faciant ratione fideicommissi, vel investituræ feudalis, seu emphyteuticæ, aut quod sequatur a creditoribus ob ejusdem fundatoris, vel auctorum æs alienum, quibus bona assignata affecta essent; Vel e converso, quod assignatione firma, & irrevocabili de jure existente, diminutio, vel peremptio sequatur casu fortuito. Priori etenim casu ob actionem evictionis competentem absque dubio contra fundatorem, utpote in actu oneroso, & correspectivo in ordine ad capitulum, admonebam adhiberi debere diligentias pro evictionis præstatione super aliis fundatoris bonis, quibus extantibus obtineretur intentum, atque cessaret causa conquæstionis, & præjudicii.

Ubi vero istæ diligentiæ non prodessent ob deficientiam bonorum, quod tunc juste suppressio canonicatus, vel ejus dismembratio a massa, seu mensa peti possent, tamquam ex cessante correspectivitate ab ini-
7 tio, adeout ex tunc bona assignata dicantur non extitisse; juxta ea, quæ a simili super inexigibilitate census assignati, vel cess. proveniente a deficientia fundi alieni, vel ab anterioribus hypothecis de tempore impositionis jam absorpti, habentur apud Merlin. *dec.* 639 cum aliis *sub tit. de cens.* cum similibus, quoniam licet post notabile temporis intervallum id detegatur, attamen dicitur esse ab initio.

Ubi vero id sequatur ex causa juxta alteram distinctionis partem, ut tunc etiam juste suppressio peti posset, quatenus alias notabile resultaret præjudicium, ex quadam rationabili æquitate potius, quam de stricta, & rigorosa juris censura, qua attenta spectatur tem-
8 pus contractus, non curato eo futuro eventu, qui sicuti fuit malus, ita poterat esse bonus, & lucrosus, ex deduct *disc. 1. de alien. & contr. prohib.* & passim; Sed quod istud esset justum motivum, ut Papa, vel respective S. Congr. decerneret locum esse suppressioni, ex regula, quod sicuti auctis facultatibus Ecclesiæ, locus est novis erectionibus canonicatuum, & dignitatum ut supra, ita e converso eis diminutis locus esse debeat aliquarum suppressioni, cum ex hujusmodi causa diminutionis reddituum juste capitulum se opponat novæ receptioni canonicorum, ex relatis per Lotter. *l. 1. q.14. n. 19. & seqq.* Rot. *dec. 317. n. 6. p.10.rec.* Quamvis etenim id aptum non sit infirmare provisionem, præsertim Apostolicam jam sequutam de canonicatu vacato, attamen est justum motivum, ut eo pleno absque præjudicio possessoris fiat ejus suppressio, ut contingente casu vacationis, non sit amplius locus novæ provisioni.

PENNEN.

PRO MARCO ANTONIO APPOLLINARI.

Responsum pro veritate.

An, & quando canonicus supra numerum occupet locum provisionis, aliisque gaudeat præeminentiis supra Canonicos numerarios postea admissos.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur plures species canonicorum supranumerariorum, & in quibus proprie locum habeant ea quæ de ipsis habentur.*
3 *De qua specie esset ille de quo agebatur.*
4 *De errore procedendi cum littera legum, & doctrinarum.*

DISC. XXXVII.

Erecto in Ecclesia Cathedrali Pennen. novo canoni- 1
catu supra numerum cum lege per Pium fundatorem, & per Episcopum, & capitulum acceptata, ut iste canonicus pariformiter de omnibus emolumentis, & prærogativis potiri deberet ad instar aliorum antiquorum canonicorum juxta consimilem casum, de quo *in Theatina, hoc eodem tit. disc. præc.* proditaque declaratione S. Congr. Concilii, in una Sutrina 28. Januar. *1668.* quod canonicus supranumerarius occupare non potest, nec debet locum supra canonicos numerarios, quamvis juniores, ac postmodum provisos, atque per aliquos juniores hujus Ecclesiæ canonicos pro stylo; Parte non audita, obtenta de ann. *1672.* consimili declaratione, seu verius attestatione dictæ declarationis anni *1668.* Hinc desuper ex parte Apollinaris possessoris dicti novi canonicatus consultus;

Respondi bonum jus probabilius illi assistere, ut locum & antianitatem juxta tempus suæ provisionis, ac installationis occupare deberet, perinde ac si esset numerarius, & cum eodem ordine, qui inter alios servatur, quodque d. declaratio esset in suo casu vera, male autem ad rem applicata.

Ad id autem probandum advertebam, quod tres species novorum, vel supranumerariorum canonicorum in proposito considerari possunt, atque dari solent; Una nempe, quæ antiquiori tempore erat frequens, hodie vero nimium rara, & præsertim in Italia pene abolita illorum canonicorum supranumerariorum, qui cum gratiis expectativis providebantur pro prima futura vacatione, isti etenim sunt proprie illi canonici supranumerarii, qui per Doctores appellari solent canonici in herbis, quia revera non sunt tales in re, sed solum in spe; ideoque ita proprie nuncupantur canonici ob quamdam certam spem, quam habent ex gratia expectativa, ut intrent in numero, atque in istis vera est propositio, quod non gaudent præeminentiis canonicalibus, neque occupant locum donec sunt in isto statu.

Altera est species illorum canonicorum supranumerariorum, qui non sint de corpore capituli, neque participent de ejus massa distributionum, sed revera sint beneficiati in illa Ecclesia cum honorifica nuncupatione canonicorum juxta speciem illius canonicatus, de quo agitur *dec. 294. & 404. p. 14. rec. & disc. 182. de fideic.* & pariter intrat eadem propositio ex identitate rationis, quod isti non sint veri canonici in re, sed in sola honorifica nuncupatione, atque de isto casu præsupponebatur agi in Sutrina, in qua prodiit enunciata declaratio ann. *1668.*

Tertia demum est species illorum novorum canonicatuum, qui ob superventus redditus, supra antiquum, & consuetum numerum, valide, ac legitime eriguntur cum omnimodis prærogativis, & præeminentis canonicalibus, & cum incorporatione hujusmodi novorum membrorum cum antiquo corpore, juxta ea, quæ habentur supra, *disc. 6.* ac etiam in d. Theatina *disc. præced.* & in aliis, & tunc iste terminus supranumerariorum adhibetur improprie, & per quemdam modum loquendi vulgarem ad effectum contradistinguendi canonicatus de novo erectos ab antiquis, revera tamen posita valida, & legitima erectione, adeout actus habendus non sit pro infecto, omnes dicuntur pari-

formi-

formiter canonici ejusdem naturæ absque aliqua differentia præterquam in iis quæ expresse fuerint exceptuata in erectione tamquam per speciem alluvionis, sive additionis novorum membrorum corpori, quod ita creverit, atque majus effectum sit; Ac propterea in Eugubina enunciata *sub tit. de praem. disc.* 23. resolutum fuit per S. Congr. Rituum, quod canonici denuo erecti supra antiquum numerum, potiri debeant prærogativa Cappæ magnæ concessa canonicis illius Cathedralis per Innoc. X. quamvis enunciatus esset eorum numerus, qui tunc aderat, quoties non constet de voluntate taxativa, & præcise restricta ad illum numerum.

Applicando itaque ad rem, cum iste canonicatus esset de hac ultima specie, adeout inspecta substantia nulla differentia dignoscatur inter istum canonicum novum,
3 & antiquos, hinc de plano resultare dicebam, quod a casu penitus extranea essent ea, quæ percutiunt canonicos supranumerarios de prima, vel secunda specie.

Hinc sequitur, ut semper, peneque in omni casu inculcare, ac repetere oporteat consuetum errorem prag-
4 maticorum in procedendo in sola litera legum, vel doctrinarum, non reflectendo ad hujusmodi distinctiones, & an agatur de illis supranumerariis, qui in re, vel in substantia sint tales juxta primam, vel secundam speciem, vel de illis, qui ita nuncupantur improprie ex errore vulgi, ejusque modo loquendi, revera tamen, & juridice incongruit iste terminus supranumerariorum, dum exinde in omnibus materiis prodeunt æquivoca, & confusiones capiendo rem pro re, sive applicando ad unum casum ea, quæ alterum omnino diversum percutiunt.

COLONIEN. COADJUTORIÆ, PRO CARDINALI DE BADEN.

Casus disputatus in Congregatione Consistoriali, resolutus pro Cardinali.

De eadem materia, de qua supra, disc. 27. An scilicet consensus capituli pro coadjutoria debeat esse Capitularis, & in forma electionis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De causis, ob quas dandus est coadjutor.*
3 *De quæstionibus, quæ cadere solent in electionibus.*
4 *De differentia inter electionem Prælati, & consensum coadjutoriæ.*
5 *Etiam sine consensu coadjuti, & capituli potest Papa dare coadjutorem.*
6 *Ubi tractetur bene hæc materia coadjutoriæ.*
7 *An attendatur votum eorum, qui non sint in sacris.*
8 *Quod contra decreta Conc. Trid. non detur consuetudo, & de ratione.*
9 *Quomodo in hac materia debeat procedi.*
10 *De modo deferendi auctoritatibus.*

DISC. XXXVIII.

1 CUm Abbas Monasterii Suburg. Ordinis S. Benedicti, tam ob ejus infirmam valetudinem, quam etiam ob inobedientiam aliquorum Monachorum, qui ut in eorum contumacia se confoverent, ad quamdam potentem protectionem sæcularem recursum habuerant, ita & taliter, quod ipsum Abbatem a Monasterio exulare cogerent, expedire crederet se providere de coadjutore alicujus existimationis, & potentiæ, ut pro illius regionis moribus, & contingentiis praxis docere solet ex relatis per Fagn. *in d. c. nulla, de concess. præb. n.* 72. idcirco cum consensu plurium monachorum, qui sub ejus obedientia vivebant, conclulit supplicare sedi Apostolicæ pro coadjutoria in persona Marchionis Baden. tunc Abbatis Fulden. postea Cardinalis, deindeque singulariter per viam expressi consensus, vel ratificationis eidem
2 petitioni accesserunt quidam alii Monachi, adeout majorem partem ita constituerent, 15. nempe ex 27. atque examinato de more negotio in Congreg. Concistoriali, prodiisset resolutio juxta petita, alii Monachi diversæ factionis, & præsertim illi octo, qui cum dicta sæculari potentia se confovebant in Monasterio contra Abbatem, se opposuerunt, obtinendo audiri; Unde repropposita causa, & dilata resolutione ob aliquam difficultatem habitam in hoc statu in repropositione evocatus fui, atque aliis defensoribus, qui jam scripserant, tamquam extraordinarius adjunctus, unicam desuper edendo informationem, perstitum vero fuit in resolutis cum subsequuto effectu.

Major itaque inspectio facti potius, quam juris videbatur super verificatione eorum, quæ hinc inde in facto præsupponebantur ad effectum includendi, vel respective excludendi illos defectus, qui objiciebantur pro istius electionis nullitate adeo clara, ut confirmationem non mereretur. Quo vero ad ea, quæ juris sunt, ultra pro- 3
positiones generales, quæ in hujusmodi quæstionibus penes semper circumferri solent circa consensum non liberum, vel convocationem capituli non legitimam, aut aliquorum spretum, juxta ea, quæ habentur supra, *disc.* 27. *& seq.* Restringebatur principaliter difficultas ad punctum insinuatum in dicto jam edito *disc.* 17. *n.* 4. *& in fine*, an scilicet pro isto consensu, qui de consuetudine ex quodam honestate, & congruentia præsertim in illis partibus desideratur etiam in coadjutoriis, requireretur formalis electio cum actu vere capitulari, in quo electio cum suis requisitis esset bene conclusa, eo modo, quo in spiritualibus requiritur a majori scil. parte vocalium comparatione omnium congregatorum, non autem comparatione diversarum partium, vel potius sufficiat consensus majoris partis etiam singulariter, & extra capitulum præstitus per viam accessus aliis, qui collegialiter actum gesserint.

In hoc itaque inhærendo voto Maraldi, quod in hac materia circumferri solet, ac iis, quæ insinuata sunt *d. disc.* 27. dicebam, quod magna differentia constituen- 4
da venit inter casum, in quo agatur de providendo per vim electionis Ecclesiam pastore viduatam de novo Sponso, & Pastore, adeout in statu Sedis vacantis administratio, & jurisdictio resideant penes capitulum, a quo perficienda sit electio, partes autem Papæ sint solum in illam confirmando, quatenus ea sit legitima, & canonica; Et casum in quo agatur de concessione coadjutoris; Priori etenim casu desideratur vera, & formalis electio, quæ perficitur collegialiter, solumque habetur ratio illorum vocalium, qui fuerint in capitulo, vel in comitiis legitime congregati, non autem absentium, quando se contemptos juridice dicere non possunt, quia, vel non debuerint evocari, vel evocati in loco, & tempore statuto intervenire neglexerint, vel 5
quod a capitulo exierint, aut alias ab eo se extraneos fecerint, atque si habita ratione omnium congregatorum electio a majori parte conclusa non fuerit, non suffragatur accessus aliorum votorum extra capitulum; In altero autem casu concessio coadjutoriæ non pendet principaliter ab electione, quæ solum per Papam confirmari debeat, sed directe, & immediate pendet a gratia, & arbitrio Papæ, qui pro sui arbitrii regulatione desiderare solet aliquam justam causam, ac etiam consensum, tam coadjuti, quam capituli ex quadam con- 6
gruentia, & honestate, ne alias invisum, ac odibilem, seu alias male merituū coadjutorem præficeret; quandoque tamen, etiam coadjuto, & capitulo invitis, quando ex aliquo justo motivo id expedire credat, coadjutorem præficit, ut per Jo: Andr. *in c. consultationibus, n.* 10. *de cler. ægrot.* cum aliis deductis in hac materia coadjutoriæ per Fagn. *in cap. de Rector. cum duobus seqq. de clericis ægrot. & in c. Nulla, de concess. præb.* & in quibus locis omnium forte latius, & accuratius tamquam nimium versatus per 60. circiter annos in hujusmodi negotiis, de ista materia tractat; Et sic consensus capitularium exigi solet ad effectum, ut Papa se certificet de illorum animo, & an gratum, vel ingratum perficiat, quo casu non exigitur ille solemnis, & formalis actus collegiativus conclusus a majori parte, qui exigitur, ubi agatur de formali electione, ut bene ita distinguendo docet Canonistarum primus, & Magister Inn. *in c. in Genesi, de elect. n. fin.* cum quo pertranseunt Abb. *n.* 11. *& alii*, eademque distinctio habetur apud Buratt. *dec.* 259. *n.* 5.

Et ex eadem ratione removeri dicebam objectum, quod aliqui ex dictis 15. consentientibus non essent in sacris, ideo, quo non haberent votum in capitulo; Quamvis etenim per 7
alios scribentes pro istius objecti remotione insisteretur in consuetudine illarum partium, ut etiam non existentes in sacris habeant vocem in capitulo, & super quo magna erat contentio, tam in facto in quo id negabatur, quam etiam in jure, an scilicet ista consuetudo, ea etiam posita, at- 8
tendi deberet contra dispositionem Conc. Trid. ob decretum irritans contentum in Bulla Pii IV. confirmatoria, quod inficit quamcumque contrariam possessionem, sine

qua

qua dari non potest præscriptio, ac propterea impedit, ne ista oriatur ex insinuatis, *disc.* 21. *de judic.* & alibi pluries, dicebam tamen, quod absque necessitate assumendi hanc altiorem inspectionem sufficiebat dicta responsio, quod ita Papa certificaretur de consensu subditorum, quodque non ageretur de formali actu capitulari.

Hæc scribebam tamquam Advocatus, ad causæ op-
portunitatem, non potui autem cum unica informatio-
9 ne absque ulteriori progressu disputationis desuper ef-
formare maturum judicium pro veritate; Credebam ta-
men, generaliter loquendo de hoc puncto, quod iste
sit incapax regulæ generalis, quæ indefinite omnibus
casibus pariformiter adapari valeat, cum potius pro
meo judicio ista censenda veniat quæstio facti ex istius
qualitate, & circumstantiis in singulis casibus regulan-
da, utpote in materia arbitraria, & pendente a vo-
luntate, & arbitrio ejus, qui etiam sine tali consen-
su, quinimo cum dissensu, quando ex aliquo justo mo-
tivo sibi videatur, id agere potest, quinimo etiam si-
ne justificatione causæ juxta ea, quæ præsertim in be-
neficialibus habentur *disc.* 148. *de Reg. & alibi*, ideo-
que intrat consuetus error in iis, quæ pro singulorum
casuum qualitate, & circumstantiis pendent, procedere
cum regulis, & conclusionibus in abstracto, vel cum
doctrina in sola litera, ad hæc non reflectendo præ-
sertim in ista Congreg. quæ procedere non debet mo-
re Judicis ordinarii, qui sit purus minister justitiæ
commutativæ administrandæ per rigorosos juris trami-
tes, sed potius more Assessoris, & Consiliarii supremi
Principis administrantis justitiam distributivam, tam
cum regulis legalibus, quam cum prudentialibus.

Sed quando cum auctoritatibus procedendum sit,
reflectendum quoque venit ad id, quod advertitur *disc.*
35. *de judic.* circa Doctorum qualitates cum nimium
10 adaptato exemplo testium; Ideoque in concursu insi-
nuati Moraldi, qui prius in Curia diu versatus advo-
catus, postmodum per spatium annor. 50. & ultra hu-
jusmodi negotia practicavit in muneribus Subdatarii,
Datarii, & Secretarii Brevium, ideoque non ponendus
in comparatione, vel concursu aliquorum, qui Clau-
stris reclusi, vel alias nullam Curiæ, & hujusmodi ne-
gotiorum practicam periciam habentes, replent chartas
cum collectionibus eorum, quæ scripta inveniunt, vel
de proprio judicio a praxi non edocto loquuntur, sed
inspicienda est qualitas, non autem numerus, cum ali-
quando unus informatus prævaleat centum non infor-
matis.

ABULEN. DECANATUS, PRO CAPITULO CATHEDRALIS.

Casus disputatus coram Datario.

An, & quando capitulum habeat jus se opponendi concessioni Indulti, vel dispensationis, quæ petatur per primam dignitatem super obligatione assumendi ordines sacros; & qualis sit stylus Datariæ super hujusmodi dispensationis prorogatione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quamvis adsit potestas, agendum est de voluntate bene regulata concedendi gratias tertio præjudicates.*
3 *Gratiæ Principis censentur concessæ sine præjudicio tertii, multo magis illæ Papæ.*
4 *Qualia sint præjudicia in casu.*
5 *An prima dignitas, quæ non sit in sacris, convocet Capitulum, illique præsideat.*
6 *De stylo Datariæ in hujusmodi prorogationibus.*
7 *Qualis cautela adhiberi deberet ad occurrendum fraudibus.*

D I S C. XXXIX.

PRovisus de anno 1568. Antonius de Villaba de Deca-
natu prima Dignitate Cathedralis cum solito decreto
1 assumendi infra annum gradum Doctoratus, & sacros Or-
dines, de ann. 1670. sub narrativa, quod unicum fratrem
haberet non uxoratum occupatum in quodam munere Re-
gio in Indiis, ac propterea, quando sacros Ordines assu-
meret, exponeret ejus nobilem domum periculo amissio-
nis conspicui majoratus, obtinuit dicti termini prorogatio-
nem ad triennium cum jure interim habendi votem in
capitulo, omnesque alias prærogativas Decanatui anne-
xas, atque de anno 1672. sub narrativa, quod eadem
causa duraret, aliam obtinuit prorogationem ad biennium
computandum a fine dicti triennii cum decreto vacatio-
nis ipso jure, cumque neque in hoc posteriori termino
dictum implementum sequutum esset, idem Provisus sup-
plicavit pro restitutione in integrum adversus vacatio-
nem, ac etiam pro concessione prorogationis ad alium
annum; Primæ autem petitioni Capitulum me consulen-
te se non opponebat, quoniam oppositio videretur odiosa
utpote sine interesse, dum Capituli non interest, an di-
gnitas vacet, necne, & an ab uno, vel ab altero obti-
neatur, & quæ est ratio, ob quam non dicitur legitima
contradictio; Bene tamen se opponebat alteri petitioni
ob præjudicium Ecclesiæ; Atque scribens pro capitulo
coram Datario, dicebam justam esse oppositionem.

Quamvis etenim in omnibus, quæ manant a jure po-
sitivo, præsertim vero in beneficialibus suprema, & ab-
soluta sit Papæ potestas, quam non impugnabam juxta
deducta *sub tit. de Regal. disc.* 148. *& alibi*; Attamen 2
dicebam ex insinuatis *ibid. & disc.* 177. *& in aliis eo-
dem tit.* quod justa causa, & an petitio sit irrationa-
bilis, ac alteri notabiliter præjudicialis attendi solet, &
debet pro regulatione voluntatis, qualis generaliter in
quocumque Principe de jure præsumitur non conceden-
di, ea quæ non sint honesta, & rationabilia, multo
magis, ubi sint tertio præjudicialia; Fortius autem in 3
Papa, qui per ejus regulam Cancellariæ de jure tertii
quæsito non tollendo, expresse se declarat, ac protesta-
tur de hoc, quodque gratiæ præjudiciales non atten-
dantur, nisi facta mentione, ac derogatione hujus re-
gulæ, quoties non agatur de gratiis, quæ de earum
natura sint pernecesse præjudiciales, *ut loc. citat.* & ali-
bi pluries; Multoque magis, ubi præjudicium non est
privatum, sed publicum Ecclesiæ, & cultus divini,
cum semper causa publica prævalere debeat privatæ.

Præjudicia vero multa considerabam; Primo nempe,
ob fondationes pontificales, quæ absente, vel impedi-
to Episcopo peragi debent a prima Dignitate repræsen-
tante ipsum Capitulum, cujus interest ipsum a tali 4
dignitate, & non ab aliis repræsentari, ex deductis *disc.*
19. & 20. de præmin. ac propterea si fiant ab alio in-
ferioris gradus, id minuit functionum majestatem; Se-
cundo, quia indecorum, quinimo pro moribus regionis
scandalosum nimium reputabam, ut simplex Clericus in
minoribus, qui in statu sæculari potius constitutus vi-
detur, atque ob statum retractabilem ad dies cerni pot-
est uxoratus, præsidere debeat Capitulo adeo qualifi-
cato constituto ex Sacerdotibus; Et tertio fortius, ob
consuetudinem particularem istius Ecclesiæ, quod nisi
prima dignitas sit constituta in sacris, non habet jus
interveniendi in Capitulo, eique præsidendi; Quamvis 5
etenim prima Dignitas, quæ non sit in sacris, non ha-
beat votum in Capitulo, adhuc tamen habet jus vocandi
Capitulum, illique præsidendi, & negotia proponendi,
juxta declarationem S. Congregationis relatam per Garz.
p. 3. c. 3. n. 26. qui n. 28. declarat non procedere, si il-
le qui non est in sacris, ex consuetudine nullatenus in-
trare possit in Capitulo.

Considerabam ulterius, quod ex lapsu temporis adeo
notabilis, & ex abusu trium prorogationum, primæ
scilicet in ipsa provisione, & duarum sequentium, de-
sumebatur animus fraudolentus retinendi scilicet hanc
Dignitatem, ejusque emolumenta percipiendi, deinde- 6
que illam dimittendi; Quodque dictæ prorogationes es-
sent contra stylum Datariæ, qui est, ut prorogationes
non dentur majores primo termino assignato in provi-
sione, sed potius minores, ut per Amayden. *de stylo
Datariæ, l. 1. c. 11. n. 5. & 6.* & Pirr. Contrad. *in prax.
apostol. dispensat. lib. 4. c. 4. in fin.* ubi in specie de ista
prorogatione ad suscipiendos sacros ordines, ut detur
solum ad menses.

Et in omnem eventum, quando placeret hanc aliam
prorogationem concedere, insinuabam, quod ad occur-
rendum suspicatæ fraudi, deberet adjici conditio, quæ
debuisset adjici, etiam in prima prorogatione trienna-
li, magisque in altera, quod eo non suscipiente sacros 7
ordines, ac propterea dignitatem amitteret, vel dimit-
teret, teneretur restituere fructus interim perceptos,
atque inhabilitaretur ad resignandum ad favorem, dum
ita fraudibus occurritur, atque datur stimulus ad adim-
plendum; sitque experimentum ad quem finem proro-
gationes petantur; Incertum tamen est quid sequutum
sit, neque ista est materia capax regularum, cum to-

ta

ra pendeat a voluntate, & arbitrio, quod est varium juxta genium, ac majorem, vel minorem facilitatem Papæ, & Datarii.

ACHERUNTINA DISTRIBUTIONUM,

PRO CAPITULO METROPOLITANÆ,

CUM NICOLAO PALMA ARCHIDIACONO.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Concilii, resolutus pro Capitulo.

An, & quando canonico, & Dignitati non inservienti in divinis ob impedimentum censurarum, quæ postea injustæ declarentur, vel ob absentiam ex causa litis, debeantur necne distributiones quotidianæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur plures casus, & quando adsit excusatio, necne.*
3 *Ubi impedimentum proveniat ex propria culpa, non excusat.*
4 *Absentia ex causa litis non excusat.*
5 *Limitatur, quando lis sit cum ipso Capitulo, & super eodem beneficio.*
6 *Quod procedi debeat cum distinctione casuum.*

D I S C. X L.

1 Cum Nicolaus tamquam Vicarius Capituli Sede Vacante contra unum ex Canonicis ejusdem Ecclesiæ processisset ad venditionem aliquorum ejus bonorum pro quadam pœna pecuniaria ad summam ducatorum tercentum, atque mulctatus habito recursu ad Sac.Congregationem Episcoporum obtinuerit rescriptum pro restitutione bonorum, pro cujus, rescripti observantia obtento monitorio Auditoris Cameræ in contumaciam contra dictum Nicolaum expeditum fuit mandatum personale, & reale, deindeque contumacia continuante, dictoque mandato, adhibitis juxta stylum diligentiis exequutionem non habente, processum fuit ad declarationem censurarum, postmodum vero, eodem Nicolao Curiam adeunte, & recurrente ad eamdem S. Congregationem per plures vices perstitum fuit in decisis; Sed deinde ab eis recedendo rescriptum fuit absolvi debere, ac propterea in vim dicti rescripti in eodem Tribunali A. C. prodiit sententia absolutoria, hisque ita sequutis adiit S. Congregationem Concilii petendo declarari sibi deberi distributiones quotidianas pro tempore absentiæ, vel respective impedimenti censurarum in vim decretorum, quæ referuntur per Barbos. *de Canon. c. 24. n. 45.* sed rejecta fuit petitio cum solito rescripto *Nihil*, atque reflectendo ad solam veritatem, justa visa est resolutio.

Scribens itaque pro Capitulo dicebam idem, quod in plerisque aliis similibus dicere consuevi, & præsertim in una Capuana etiam pro Capitulo contra alterum Canonicum in eadem Congregatione distinguendo tres
2 casus, qui utpote diversam habentes rationem invicem non sunt confundendi, quorum primus est carcerationis, vel respective absentiæ, aut occultationis ob metum carcerationis, aliarumque afflictionem corporalium; Alter est censurarum; & tertius est absentiæ ad effectum assistendi liti in Curia, vel coram Metropolitano, seu Legato, aut alio Superiore ad effectum obtinendi revocationem gravaminis.

In primo casu cum carceratio, vel aliud impedimentum proveniat ab inquisitione, vel alia causa, quæ detegatur injusta ob ejus innocentiam, tunc recte procedunt decreta, quoniam iste casus assimilatur infirmitati, neque aliqua ejus culpa dignoscitur, dummodo tamen verificetur id, quod etiam in casu infirmitatis est necessarium, quod scilicet esset solitus inservire, adeout nisi injuste impeditus fuisset, verisimiliter inserviisset, atque distributiones lucratus esset, juxta ea quæ habentur *supra, disc. 12.*

Idemque in casu, in quo provisus non inserviret ob impedimenta sibi injuste præstita ab eodem Capitulo, quod recusasset illi tradere possessionem, vel adeptam prosequi, juxta firmata apud Royas, *dec. 173.* cum similibus, ut etiam supra advertitur, & in adnot. ad Conc. Trid. *disc. 15.*

In altero autem casu censurarum distinguendum est inter illas censuras, quæ proferantur ex causa inquisitionis, & imputationis criminis, de quo comperiatur innocens, vel in contumaciam, quia juste timerentur carceratio, vel aliæ afflictiones corporales; Et tunc videtur dicendum idem, quod in casu præcedenti ex identitate rationis.

Ubi vero agatur de censuris mere contumacialibus 3
provenientibus a contumacia, & negligentia in non comparendo, præsertim ut in præsenti pro causa civili, pro qua justus timor asperæ carcerationis, aliarumque personalium afflictionum non adest, adeout proveniant potius ab ejus negligentia, quam a causa principali, ut in hac facti specie sequebatur; Et tunc nullo pacto videtur excusabilis, ut in fortioribus terminis negligentiæ petendi absolutionem idem Barbos. *in collect. in c. pastoralis de appell. n. 16.* ubi allegantur Ricciull. Garz. Bonacin. & alii, cum isto casu non inerret excusatio, de qua in aliis præcedentibus, sed dicatur culpa propria juxta ea, quæ de culposa carceratione non excusante ex doctrina Jo: Andr. *in c. 1. de Cler. non rescind. in 6.* habentur collecta per eumdem Barbos. *in adnot. ad Concil. sess. 24. de reform. c. 102.* de Marin. *resolt. 40. n. 10. l. 1.*

Quo vero ad tertium absentiæ post sublatas censuras,
ut assisteret in Curia liti, dicebam nullam adesse autho- 4
ritatem, vel rationem, quæ id suadeat, cum nulla subsit necessitas assistendi per se ipsum, dum haberi possunt procuratores, & Advocati præsertim in civilibus; alias enim quilibet affectaret lites, ut ita excusaretur a servitio, & residentia, ideoque inter casus recensitos per elaboratum, & diligentem Collectorem Barbos. *d. c. 24. de Canon. & in Collect. ad Conc. sess. 24. de reform. c. 12. ex n. 75.* iste reperitur, & merito; Ad quod conferunt ea, quæ habentur *disc. 36. de Judic. n. 17.* quod in condemnatione expensarum non veniunt illæ viaticorum, & mora in Urbe.

Unicus autem casus videtur ille supra enunciatus, de quo apud Royas *d. dec. 173.* de Marin. *d. res. 40.*
n. 13. ex dec. Seraph. 1098. n. 5. & 1131. n. 7. quod 5
scilicet lis esset cum ipso Capitulo super ipsomet Canonicatu, vel præbenda, cum tunc obligatio Capituli reficiendi etiam distributiones non proveniat ex eo quod de jure haberi debet pro præsente, & interessente, ut contingit in infirmo, vel in alias innocente, & absque ejus culpa carcerato, vel censurato ut supra, sed proveniat potius ex ratione refectionis damnorum, & in-
teresse, ut bene apud Seraph. *d. dec. 1131.* Et per con- 6
sequens error est in hac materia procedere in littera aliquarum resolutionum Sac. Congregationis indefinite in omni casu, non reflectendo ad singulorum casuum particulares circumstantias, ut pene in omni materia contingit.

JANUEN. HABITUS,

PRO CAPITULO CANONICORUM,

CUM BENEFICIATIS, VEL CAPPELLANIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ.

Casus disputatus in S. Congreg. Rituum, & resolutus ut infra.

An Canonici juste se opponere valeant, & impedire, quod Beneficiati, & cappellani ejusdem Ecclesiæ uniformem habitum deferre non debeant, sed difformem, & inferiorem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De controversiis solitis inter Canonicos, & Beneficiatos.*
3 *Beneficiati dicuntur servitores Capituli.*
4 *Quod juste petatur diversitas inter Canonicos, & Beneficiatos.*

DISC.

DISC. XLI.

1 CUm Cappellani Ecclesiæ Metropolitanæ Januæ obtinuissent indultum deferendi cappam cum pelle diversi coloris ab ea quam deferebant Canonici ad instar Basilicarum Urbis, cum ita distinguantur Canonici a Beneficiatis, ex motivo pestis, quæ adeo in ea Civitate grassata erat, obtinuerunt a S. Congregatione Rituum gratiosam concessionem, ut per biennium adhibere possent habitum similem illi Canonicorum, cum tunc de dissimili non possent se providere; Cumque vellent elapso biennio in eodem consimili habitu continuare, hinc Capitulum Canonicorum in eadem Congregatione petiit eis id prohiberi, incertum autem est qualis fuerit exitus, dum ex pluries insinuato Procuratorum, & Agentium vitio post datam informationem amplius de negotio actum non audivi.

Dicebam itaque scribens pro Canonicis, quod nec nova, neque ambitiosa censenda erat eorum petitio, seu oppositio, sed potius justa, & rationabilis, eo quia
2 frequenter Beneficiati, & Cappellani, aliique similes inferiores ministri æqualitatem cum Canonicis ambientes hujusmodi innovationes tentare consueverunt, quibus Canonici se opposuerunt; Ut de controversia inter Canonicos, & Beneficiatos Basilicæ Vaticanæ super interventu in Capitulo, & participatione administrationis mensæ Capitularis apud Cavaler. *dec.* 57. Et de alia inter Canonicos, & Beneficiatos Basilicæ Liberianæ, vel S. Mariæ Majoris, super quibusdam participationibus *dec.* 59. *p.* 7. *rec.* & generaliter in aliis Ecclesiis *dec.* 309. *&* 351. *p.* 6. *dec.* 96. *&* 112. *p.* 7. & in plerisque aliis quæ habentur in voluminibus decisionum Rotalium, præsertim in Cæsaraugustana portionem enunciata, *disc.* 3 *& seqq. de praeminent.* ex qua tot inconvenientia, & præjudicia illius Capituli manarunt, & habentur aliæ controversiæ *supr. disc.* 16. *&* 20. & in aliis de oppositione Capituli, ne presbyteri inferiores se denominent Canonicos, habetur enunciatum *disc.* 7. *de Preaminent.* cum similibus, quibus eadem congruat ratio, quam recte congruere dicebam circa hanc differentiam in habitu, ac etiam sede, aliisque præeminentiis, ut ita dominus a servo, ac superior, vel dignior a subdito, vel a minus digno distinguantur, juxta late deducta per Altograd. *cons.* 1. *l.* 2.

Recte autem intrare dicebam comparationem domini, & famuli, vel superioris, & subditi, quoniam de jure Beneficiati dicuntur servitores Capituli ex auctoritatibus relatis *locis citatis*; Ponderando absurdum, quod ita essent melioris conditionis isti Cappellani, quam Beneficiati Basilicarum Patriarchalium Urbis, aliarumque Metropolitanarum majoris classis; Alia vero quæ deducebantur, præsertim circa quoddam indultum Innoc. VIII. consistebant potius in facto, quam in jure, cujus tamen dispositione attenta, certum esse dicebam, quod juste, ac rationabiliter dicta diversitas habitus patebat.

S U M M A,

Sive Compendium eorum, quæ continentur *sub hoc tit. de Canonicis, & Capitulo*, habetur comprehensa *sub prac. Summa titul. de Beneficiis, præcipue* a n. 199. ad 301.

Finis Partis Secundæ Libri Duodecimi.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Duodecimi Pars Tertia,

DE PAROCHIS.

CIVITATIS CASTELLANÆ PAROCHIALIS,

PRO BLASIO ZUILLO,

CUM AUGUSTINO CASCIO.

Casus decisus per Sacram Congregationem Concilii pro Blasio.

De accessu Episcopi, vel Vicarii Generalis in paritate votorum in concursu, quomodo intelligatur.

An scilicet intelligatur in paritate votorum examinatorum, ut adhæsio faciat concurrentem approbatum, vel reprobatum, vel potius in paritate votorum inter ipsos concurrentes.

Et an habens minora suffragia in approbatione, possit præeligi; spreto altero habente suffragia majora.

S U M M A R I U M.

1 *De quibus quæstionibus agatur in hoc titulo.*
2 *Facti series, seu casus controversiæ.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Quare Advocati debeant multiplicare motiva, & deducere etiam levia.*
5 *De opinione, quod Episcopus in concursu debeat eligere illum, qui habet majora suffragia, & n. 17. & 26.*
6 *Episcopus, vel Vicarius non habet votum decisivum illudque non calculatur.*
7 *Decis. Rotæ in casu simili, & n. 27.*
8 *Registrantur verba Concilii, & de ejus intellectu, & n. 11.*
9 *Quomodo procedendum sit in interpretatione novæ legis.*
10 *Distinguuntur inspectiones pro determinatione puncti.*
11 *Intellectus literalis contra id, de quo n. 8.*
12 *Expenduntur auctoritates agentes de dicto intellectu.*
13 *Quæ regula tenenda sit in metiendis doctrinis, & quod reflectendum est ad qualitatem scribentis.*
14 *Recensentur aliquæ declarationes S. Congregationis in materia.*
15 *Observantia est interpres legum, & statutorum.*
16 *Distinguuntur plures diversæ personæ, quas gerit Episcopus, vel Vicarius in concursu.*
17 *Episcopus non tenetur sequi majora suffragia, sed potest præeligere unum ex approbatis, licet habeat minora suffragia.*
18 *Non pertinet ad examinatores præeligere, ac declarare magis idoneos.*
19 *Non attenditur sola litteratura in præelectione, sed attenduntur aliæ circumstantiæ.*
20 *Præelectio fieri potest per Episcopum, vel Vicarium, diverso tempore, & loco sine concursu examinatorum, & quandoque unus actus fit a Vicario, & alter ab Episcopo.*
21 *Adhæsio facienda est collegialiter in ipso actu.*
22 *Qualis sit proprie casus adhæsionis.*
23 *De voto præponderanti Prælati in capitulo, vel Collegio.*
24 *Quod non detur casus præelectionis in paritate passiva.*
25 *Quod forma Conciliaris exorbitet a jure, ac sit præjudicialis Ordinariis.*
26 *Rejicitur auctoritas* Trentacinq. *de qua n. 5.*
27 *Declaratur decisio, de qua n. 5.*

D I S C. I.

De pluribus concernentibus etiam Ecclesias paro- 1
chiales habetur actum supra, *sub tit. de Benefi-
ciis in genere* utpote communibus omnibus aliis benefi-
ciis, quamvis istam qualitatem non habentibus, itaut
casuale sit, controversiam esse super beneficio curato
potius, quam non curato, eadem juris dispositione in
utroque cadente; In hac autem parte agitur de iis quæ
peculiaria sunt Ecclesiarum parochialium, seu Parocho-
rum, & parochianorum, & curæ animarum, quæ aliis
beneficiis non sunt communia, in quibus frequentiores
fori controversiæ cadere videntur super nova forma con-
cursus in provisione parochialium inducta per Sac. Conc.
Trid *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. ac super Constitutione
Pii V.

Inter plures autem casus, quos in foro tractavi sub
hac materia cadentes, valde notabilis videtur iste, ob
magnam perplexitatem, ac votorum scissuram in Sac.
Congregatione Concilii; Vacante siquidem Ecclesia pa-
rochiali, indictoque per Vicarium Generalem Episcopi
Civitatis Castellanæ concursu, duo se exposuerunt, 2
Blasius scilicet, & Augustinus, cumque sex essent exa-
minatores synodales, ultra Vicarium ibi assistentem,
quatuor approbarunt Augustinum; Blasium vero tres
approbarunt, & tres reprobarunt: unde propterea in
hac votorum paritate, Vicarius adhæsit approbanti-
bus, atque ita Blasio inter approbatos renunciato, suc-
cessive Vicarius, per diversum actum, diverso tempo-
re explicatum, præelegit præfatum Blasium, qui in
vim literarum testimonialium in forma consueta pro-
visionem Apostolicam obtinuit, stante reservatione
beneficii.

Appellavit Augustinus ab irrationabili judicio, com-
missaque causa in Rota, convolavit deinde ad nullita-
tem concursus ob non servatam formam Concilii, at- 3
que forsan ex rescripto etiam Sanctissimi, dato dubio
in Sac. Congregatione Concilii; *An concursus sub-
stineatur*, post plures disputationes, absque resolutione,
ob magnam votorum scissuram, demum sub die 9. Fe-
bruarii 1669. non sine discrepantia, pro validitate actus
prodiit resolutio, quæ reflectendo etiam ad solam ve-
ritatem, probabilis, beneque fundata visa est.

In his autem disputationibus, scribentes pro oppo-
sitore plura deducebant fundamenta, quorum aliqua
uni, & aliqua alii hanc opinionem pro invaliditate
sequentes amplectebantur, pro ea, quam quotidie ex- 4
perimur, magna ingeniorum diversitate, ob quam edo-
centur Advocati multiplicare motiva etiam levia,
cum sæpius neglectis solidis, ista majorem plausum
habeant.

Primo enim adducebant auctoritatem Trentacinq.
cons. 10. ubi firmatur, Episcopum in concursu teneri 5
præeligere illum, qui a majori parte suffragiorum ap-
probatus fuit; Ac etiam auctoritatem Ugolini *de Epi-
scopo*, §. 12. *n.* 3. qui præsupponit paritatem voto-
rum in ipsis concurrentibus, exemplificando, quia sci-
licet duo examinatores approbent Titium, & duo
Sempronium.

Secundo, adducebant quasdam declarationes S.Con-
gr. relatas per Massobrium *in praxi habendi concursum,
requisit.* 4. *dub.* 5. ubi quod votum Episcopi, vel Vi-
carii non computatur ad faciendam majorem partem, 6
eo quia ipse non habet votum decisivum, quod etiam
communiter firmant scribentes, de quibus infra, &
ego non negabam.

Tertio, adducebant tamquam satis punctualem decisio-
nem Rotæ in Elnen. parochialis 5. Decembris 1662.
coram Bevilacqua, ubi in specie respondetur de inva-
liditate concursus, ac præelectionis illius, qui a duo- 7
bus ex quatuor examinatoribus approbatus fuerat, & a
duo-

duobus aliis reprobatus, istaque decisio magnam faciebat impressionem.

Aliqui vero, negligendo omnia hæc fundamenta, toti insistebant literæ Concilii, ejusque interpretationi
8 in illis verbis, *omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, atque ab aliis examinatoribus, quorum votis, si pares, vel singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur*, ut scilicet votorum paritas intelligatur inter ipsos concurrentes, qui habeant vota æqualia approbativa, ut Episcopus gratificari possit, explicando illa verba *quorum votis*, ut referri debeant ad vota, quæ respective habeant concurrentes examinati.

His tamen non obstantibus, scribens ego pro validitate concursus ad favorem Blasii prælecti (cui adhærebant etiam Officiales Dataríæ,) cum sensu etiam veritatis, dicebam contrarium omnino probabilius videri; Et quoniam agitur de lege nova antiquis Canonistis, ac Civilistis ignota, ideoque adduci non poterat illi magis veneranda seniorum auctoritas Innocentii, Joannis Andreæ, Abbatis, & similium, vel Accursii, Azzonis, Bartoli, & Baldi &c. quam antiquitas, vel fortuna, eo quod essent de primis interpretibus, eis tribuit, unde propterea pro-
9 cedere oportebat cum illis generalitatibus, quas habemus in materia interpretationis Statutorum, vel novarum legum, recensitas præsertim per Aldetanum Mascard. *de interpret. Statutorum, concl. 2. & 3.*

Hinc proinde ponderabam Primo litteram legis; Secundo, traditiones illorum modernorum, qui post editam legem super ea scripserunt; Tertio, declarationem ejus-
10 dem Sac. Congregationis, hujus legis interpretationi specialiter deputatæ; Quarto, observantiam; Et quinto, discurrebam per rationes, & principia, ex quibus etiamsi lex de recenti edita esset, nullæque haberentur auctoritates, vel declarationes, neque observantia adesset, ita omnino illa interpretanda veniret, respondendo demum præmissis, quæ in contrarium deducebantur.

Quatenus igitur pertinet ad literam hujus decreti Conciliaris in verbis supra registratis, advertebam, quod illa verba, *quorum votis accedere possit*, habent relationem ad examinatores, & sic relativum *quorum* regitur a præcedenti substantivo, *Examinatorum*, nullumque
11 legitur verbum, quod percutiat ipsos concurrentes, quorum votis adhæsio fieri debeat, quoniam alias esset prorsus inepta, & impropria loquutio, cum ipsi concurrentes ac examinati non dicantur habere votum, atque super hac grammaticali constructione, seu interpretatione data fuerunt plura responsa peritissimorum professorum linguæ latinæ; cum in effectu alter intellectus omnino improprius videatur.

Quo vero ad auctoritates, omnium primus, qui in materia scripsit post Concilii publicationem videtur Paris. *de resignat. l. 8. qu. 9. n.* 106. ubi refert declarationem Sac.
12 Congregationis anni 1570. ut examen fieri debeat coram Episcopo, vel Vicario, absque unius, vel alterius voto decisivo, sed quod possit accedere, ubi vota sunt paria. Et sic accessio percutit vota ipsorum examinatorum, ob quorum discordantiam nihil concludatur, nullum autem verbum profertur de ipsis concurrentibus; Et post Paris. idem dicit *Zecc. de Repub. c. 28. de Parochis, n. 6. & 7.* & ex utroque Garz. *p. 9. c. 2. n. 54. cum duobus seq.* qui juxta ejus consuetum forte stylum communem modernorum, magis colligit, ac refert aliorum dicta, absque alio discursu, vel examine.

Massobrius autem, relato Garzia *ubi supra*, cum quo, retento eodem relatoris stylo, procedit *in praxi habendi concursum, requisito 4. dub. 1. n. 2.* dicit quod Episcopus accedere potest ad vota examinatorum in casu paritatis, vel singularitatis, dummodo fiat coram ipsis simul congregatis, & in ipso actu, non autem separatim, Atque *dub. 7. n. 1. & 2.* clare dicit, quod ut quis dicatur approbatus, debet habere ultra dimidium votorum, saltem unum, quodque Episcopus dare non potest votum, sed solum accedere, quando vota sunt paria, vel singularia, & sic utroque loco percutit vota examinatorum, non autem ipsorum concurrentium.

Plures autem alii, ut sunt Grat. *decis. Marchiæ 97. n.* 18. Genuen. *in praxi Archiepiscopal. Neap. c. 66. n* 18. Barbos. *de Parocho, c. 2. n* 92. Pacif. Jordan. *variarum elucubrat. l. 10. tit. 8 de collat. Parochial. n. 165. & seq.* & similes, ut dictum est, potius collectores, seu relatores quam discurrentes procedunt cum eadem generalitate verborum Parisii, & Gabr. *ubi supra*.

Magis ad specialia descendit Castropalao, qui inter morales ex frequenti etiam judicio Rotæ materiam beneficialem melius callere videtur, *in ejus oper. moral. tract. 13. p. 2. disput. 3. §. 4. n. 6.* bene exemplificat casum paritatis ponderatæ singulariter in quolibet concurrente de per se, non autem comparative ad alium, ibi: *pares in votis sunt examinatores, si quatuor sunt, & duo reprobent Casum, & alii duo approbent; at quibus tunc Episcopus accederet, præstaret approbationem, vel reprobationem, eaque de causa Concilii Congregatio dixit facere posse Episcopum de non approbato approbatum*, & sic adhæsio percutit approbationem, vel reprobationem cujuslibet concurrentis discretive, vel singulariter, & de per se considerati, non autem comparative ad alios concurrentes.

Omnium melius id explicat Ventrigl. Episcopus Casertanus, cujus judicio deferendum esse dicebam, utpote spatio annorum 30. & ultra, antequam promove- 13
retur ad Episcopatum, in quo satis brevem vitam habuit, versatus in pluribus Vicariatibus magnarum Diœcesum, præsertim plurium annorum spatio in illo Diœcesis Capuanæ, in qua magnus est numerus parochiarum, absente Archiepiscopo Meltio in Nuntiaturis Florentiæ, ac Germaniæ, deinde in Urbe in munere Secretarii Sacr. Congregationis Episcoporum & Regularium, unde assumptus fuit ad purpuram, itaut Vicarius expleverit partes Archiepiscopi; & quæ consideratio per Judices, vel Consulentes principaliter præ oculis habenda est in deferendo doctrinis, an scilicet agatur de Doctore bene versato in foro in munere Advocati, vel judicis, vel de illis, qui in propria domo, vel in cella perpetuo reclusi numquam forum videntes, neque illum callentes, cum solo improbo labore collectorum, seu transcriptorum partes explent, ut circa initia professionis dicebam in quadam causa, in qua mihi adducenti punctualem auctoritatem *Aponte* spatio annorum 50. & ultra gerenti in illis Tribunalibus munus Advocati primæ classis, atque per gradus occupanti primarios Magistratus, replicabatur cum doctrina Novarii elaborati quidem scriptoris, qui tamen numquam vidit illa Tribunalia.

Præfatus vero auctor in ejus praxi rerum *notab. adnot. 5. §. 1. n. 51. fol.* 107. agendo de ista adhæsione in paritate votorum, tamquam ex adeo longa praxi nimium in materia peritus, ita exemplificat, *ut si ex quatuor examinatoribus duo approbarunt, & duo reprobarunt, accedendo Episcopus, vel Vicarius duobus approbantibus, examinatus dicitur approbatus, & recedendo reprobatus*, & sic de quolibet concurrente singulariter, & discretive ad effectum illum collocandi inter approbatos, vel reprobatos, non autem comparative ad alios.

Idem clarius probari dicebam, non solum ex quadam declaratione Sacr. Congregationis relata per Massobrium *dict. requisit. 4. dub. 6.* ubi quod Episcopus, ita adhærendo possit aliquem ex non approbato facere approba- 14
tum, sed etiam ob aliam declarationem editam sub die 29. Aprilis 1604. per quam casus deciditur in individuo tam circa adhæsionem, quam circa prælectionem, cujus tenor est præcisus:

Dubium; An existentibus duobus concurrentibus examinatis quatuor examinatoribus, quorum unus reportavit omnia vota favorabilia, alter vero duo tantum favorabilia, possit Episcopus sui voti accessione approbare secundum, itaut cum hic secundus ultra dimidium incluso voto Episcopi vota favorabilia habeat, sit judicandus idoneus uti primus, itaut liceat deinde Episcopo eligere ex iis duobus, qui sibi magis idoneus videbitur.

Die 29. Aprilis 1604.

Congregatio censuit eum quoque qui a duobus examinatoribus approbatus, & ab aliis duobus reprobatus fuit, si Episcopus votis approbantium accesserit, quemadmodum ei licet per decretum Concilii, c. 18. sess. 24 approbatum 15
intelligi, ac propterea posse etiam ad Parochialem vacantem regendam Episcopi electione alteri præferri, si eum altero magis idoneum judicaverit.

Quarto dicebam, magnifaciendam esse observantiam non solum Episcoporum, ut ultra testimonium Ventrigl. *ubi supra* testabantur etiam plures Episcopi in Curia præsentes, ac alii versati in munere Vicarii Generalis, sed etiam Dataríæ, ut ejus Officiales constanter asserebant: Observantia enim dicitur optima interpres etiam legum & statutorum, ad not. *l. si de interpret. ff. de legibus, & c. cum dilectus, de consuet. in specie statutorum, dec. 59. n. 12. p. 10. rec.* & satis frequenter; Difficultas enim est circa observantiam præscriptivam, seu destructivam ju-

ris

ris clari ob decretum irritans contentum in Concilio, ut *hoc tit.* pluries, sed circa interpretativam nulla difficultas.

16 Demum vero discurrendo punctum per rationes, ac principia, Advertebam, duos actus discretos per Concilium considerari in Episcopo, vel Vicario: ita duas diversas personas gerere in hac scena; Unam scilicet intervenientis in ipso examine, atque cum examinatoribus efformantis unum Collegium, seu corpus circa approbationem, vel reprobationem concurrentium; Alteram vero præeligentis unum ex approbatis, ac idoneis renunciatis.

17 Attenta ista secunda persona, non intrant termini adhæsionis, de qua loquitur Concilium in casu quo vota sint æqualia, vel singularia, quoniam ubi etiam omnes concurrentes approbati fuerint pro majori parte votorum ab examinatoribus, sed inæqualiter, quia nempe ex quinque examinatoribus unus habeat omnia vota favorabilia, nemine contradicente, alter quatuor, & alter tria, Episcopus non tenetur attendere majorem numerum votorum, sed potest præeligere illum qui habeat eorum minorem partem, dum sufficit esse ex numero approbatorum, juxta plures declarationes S. Congregationis relatas per Massobr. *d. requisit. 4 dub. 4.* Garz. *part. 9. cap. 2. n. 109. cum seq.* Barbos. *ad Concil. hoc eod. cap. 18. sess. 24. n 116.* Add. ad Buratt. *dec. 545. n. 12.* bene Rota in Eugubina parochialis S. Venantii 13. Januarii 1623. coram Remboldo in Naulen. parochialis 28. Aprilis 1659. coram Taja, & in eadem 15. Maji 1660. coram Cerro, quarum secunda est impressa apud Zuffum *de legitimat. processus, decis. 68. num. 7.*

18 Ad examinatores enim non pertinet præeligere, vel declarare, quis sit magis, vel quis sit minus idoneus, sed solum eorum officium est approbare, vel reprobare, seu referre, qui reputati fuerint idonei, & quæ approbatio absque distinctione votorum facta dicitur eo ipso quod quis habet majorem partem, quæ constituitur etiam per dimidium votum, quod excedat medietatem; Episcopus autem inter ita idoneos renunciatos potest præeligere eum, qui examinatoribus aliis debilior videatur in litteratura, ex ea clara ratione, quod suum arbitrium in præeligendo regulandum non est ex sola litteratura, quam sufficit habere ad limites idoneitatis, sed
19 ex moribus, prudentia, populi amore, aliisque qualitatibus, ut apud allegatos, & infra in Nucerina *disc. 6.* & in aliis, cum frequens experientia doceat, litteratos, ac nimium ingeniosos, vel carere prudentia, quæ non semper magnorum ingeniorum comes est, vel malos mores habere ingenium, ac litteraturam deturpantes, atque in hoc consistit frequens æquivocum examinatorum opinantium ab eorum judicio ac relatione pendere prælectionem.

20 Hanc autem personam Episcopus exercere potest separatim ab examinatoribus diverso tempore, diversoque loco quinimo frequenter contingit, ut istæ duæ personæ intervenientes scilicet in concursu, ac deinde præeligentes sint etiam materialiter diversæ juxta frequentiorem praxim in magnis Episcopatibus, quibus præsertim præsint Cardinales, vel ubi Episcopus est absens, quod concursus fiat coram Vicario Generali, & examinatoribus simul congregatis; prælectio autem fiat ab Episcopo etiam extra diœcesim, & cum notabili intervallo dierum, vel mensium.

21 Attenta vero prima persona, in qua cadit solum terminus adhæsionis, diversus ab illo prælectionis, ista geritur collegialiter cum examinatoribus tamquam per actum collegiativum, seu Capitularem, qui fiat a corpore mystico, seu politico, cujus Episcopus, vel Vicarius sit caput, vel unum ex membris, nec alias fieri potest, ut apud allegatos absque controversia.

Ubi ergo vota examinatorum concludunt pro majori parte, itaut non verificetur eorum paritas, tunc Episcopus, vel Vicarius ibi præsidens nullam gerit personam, nullumque habet votum decisivum juxta superius deducta in objectis, unde si concurrens, ex quinque votis habeat tria negativa, & duo affirmativa, non poterit Episcopus, vel Vicarius adhærere duobus, ac ita reddere vota æqualia, sed ille concurrens dicendus est reprobatus, & sic e converso, unde propterea adhæsio, de qua loquitur Concilium, non intrat.

22 Casus autem præcisus adhæsionis est iste, quando scilicet ex sex, vel quatuor votis examinatorum, tria, vel respective duo approbant, & tria, vel respective duo reprobant concurrentem, quo casu actus pro neutra parte dicitur conclusus, illeque dici non potest nec approbatus, nec reprobatus, sed est in quodam statu medio, ita statera existente in æquilibrio; tunc enim adhæsio Episcopi, vel Vicarii Generalis dicitur illud granum, quod positum in una ex bilanciis æqualibus, facit eam præponderare, atque constituit illum qui est in statu ambiguo, in statu certo approbati, vel reprobati; Adinstar illius præponderantiæ voti Episcopi, vel alterius Prælati, de qua habetur supra *sub tit de Beneficiis* in Majoricen. Canonicatus *disc. 30.* quod scilicet si 23
Episcopus intervenit in capitulo tamquam Canonicus, vel unus ex Capitularibus, atque vota sint æqualia, quia nempe ex viginti Vocalibus, decem concurrant in unam partem, & decem in alteram, itaut nullus actus dicatur conclusus, tunc enim si ex consuetudine, seu alias votum Episcopi reputetur penderosius, actus Capitularis dicitur conclusus ab illis decem, inter quos ipse erit; Ibique etiam habetur de dicta duplicitate personarum concurrente in eadem persona materiali Episcopi, tamquam Capitularis scilicet in Capitulo, & tamquam Episcopi exercentis suam simultaneam, seu jure devoluto conferentis &c. Dictaque praxis adhæsionis habetur quandoque in Tribunali Signaturæ Justitiæ constituto ex Collegio 12. Prælatorum, quorum caput, seu Præsidens est Cardinalis, qui Præfectus dicitur; iste siquidem, vel non habet, vel si habet, abstinet, ac proferre non solet votum decisivum, sed si vota sint æqualia, tunc ex ejus adhæsione intrat resolutio quæ capta dicitur a toto Tribunali, perinde ac si ab omnibus, ex certo principio, quod major pars attrahit ad se minorem, ut in eadem Majoricen. & alibi pluries.

Atque isti videntur veri, ac proprii termini hujus 24
Conciliaris decreti, non autem illi paritatis votorum passivæ, inter ipsos scilicet concurrentes, cum id, nec discursive, seu ratiocinative, neque practice aliquam habeat probabilitatem; Ponamus enim, quod existentibus quinque examinatoribus, & quatuor concurrentibus, unus ex istis habeat omnia quinque, alii duo habeant æqualiter quatuor, & quartus habeat tantum tria vota favorabilia, utique omnes erunt approbati, atque Episcopus, ut supra ex aliis circumstantiis arbitrium regulantibus, præeligere poterit illum qui habeat tria tantum; ergo non videtur ad quid serviat paritas votorum inter concurrentes.

Et nihilominus aliqui ex iis qui has partes tenebant, 25
ingeniose ponderabant sufficere, quod id esset dubium, ut in dubio pro validitate actus respondendum esset, non ex vulgaribus axiomatibus generalibus, quibus regulariter inniti solent homines levis armaturæ, sed ex ea satis congrua ratione, quod secluso isto Conciliari decreto, attentaque dispositione juris communis, etiam in parochialibus Episcopus habet liberum arbitrium eligendi eum, quem reputet idoneum absque ista forma, vel restrictione ad approbandos, vel reprobandos ab Examinatoribus; Remanente solum quæstione percutiente forum internum, an teneatur conferre digniori, vel sufficiat conferre digno; Hinc proinde dictum decretum Conciliare remanet a jure exorbitans & correctorium, adimens Episcopis facultatem alias competentem, quo posito intrat propositio, quam in materia interpretationis Statutorum, & novarum legum receptam, & quotidianam habemus, ut in dubio capi debeat ille intellectus, per quem minus corrigatur jus commune, minusque tertio præjudicetur.

Neque aliquam subsistentiam habere videbantur, ea quæ 26
ut supra deducebantur in contrarium; Quatenus enim pertinet ad auctoritatem Trentac. *cons. 10.* advertebam istum Doctorem Aquilanum, in patria versantem, esse quidem elaboratum, ac fundatum Doctorem in prophanis, non autem callere materiam beneficialem, tunc præsertim extra Curiam Romanam magis obscuram ac pene ignotam, cumque processisse cum æquivoco manifesto, dum præsupponit, quod Episcopus teneatur præeligere habentem majora Examinatorum suffragia, quod est absolute falsum ut supra; Et quoad Ugolinum ista auctoritas, nec pro una, nec pro altera parte computari videtur, dum æquivocat exemplificando casum, atque loquitur ita generaliter, quod in effectu nihil concludit.

Quo vero ad dictam decisionem Rotæ in Elnen. parochialis 5. Decembris 1661. coram Bevilacqua, principale 27
dubium disputatum, non erat super nullitate concursus ob non servatam formam Concilii, ut in præsenti, sed erat super irrationabili judicio Vicarii Capitularis, a quo fuerat appellatum, atque pro irrationabilitate responsum fuit, ex eo quod constabat prælectum esse minus dignum, appellantem vero, tam ratione litteraturæ, quam ob alias qualitates esse longe digniorem.

Et ulterius ex abundanti ponderatur nullitas prælectionis tamquam factæ in persona non habente approbationem, dum ex quatuor examinatoribus habebat duo vota approbantia, & duo reprobantia. Vicarius autem in eo actu collegiali nullum fecit actum adhæsionis, & sic non exercuit primam

primam personam supra distinctam adhærentiæ, sed solum intervallo post biduum, atque in diverso loco explicavir secundam personam præeligentis, unde nullitas remanebat clara, cum ille dici non posset approbatus, quamvis neque reprobatus, & sic termini erant diversi; Ideoque monemur, attendi non debere decisiones, ac auctoritates simpliciter, ac in littera, sed bene ponderari debere circumstantias illius casus, in quo decisio prodiit, & combinari cum illo controversiæ, ad effectum inspiciendi, an interet bene congrua applicatio, in qua, ut frequens est meadicendi consuetudo, tota consistit peritia.

ANNOT. AD DISC. I. cum pluribus seqq.

AGitur in his discursibus de materia concursus ad Parochiales, de qua larius habetur actum infra in *disc. generali 37. per tot.* & habentur aliqua *in hoc tit disc.* 45. occasione agendi de puncto, an valear concursus habitus coram Vicario substituto ab alio Vicario generali.

Prima decisio enunciata *in disc. 3. est impressa decis. 55. part. 13. recent.*

Aliæ decisiones proditæ in casu, de quo *disc.* 4. *sunt impress. decis. 254. 322. & 367. eadem part. 13.*

Prima decisionibus emanatis in *disc. 12. est impress. part. 14. recent. dec. 197.*

Secunda decisio coram Bourlemont prodita in *disc. 15. est impress. dec. 514. part. 13. recent.* Aliæ vero coram Ninot. *sunt inter ejus impress. dec. 39. 65. & 73.*

CAPUTAQUEN. ARCHIPRESBYTERATUS, PRO JOANNE BAPTISTA CAIRELLO *CUM N.*

Casus disputatus coram Prælato Judice Commissario, & resolutus pro Joanne Baptista.

De eadem materia concursus in parochiali juxta formam Concilii: Et an dicta forma male servata dicatur, si pro concursu prorogatus esset major terminus præfixus per Constitutionem Pii V. & quid si inter examinatores interveniant unus, vel plures, qui non reperiantur descripti in Synodo, an id causet nullitatem; & quomodo probetur quem esse examinatorem synodalem.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series:*
2 *De nullitatibus concursus, quæ objiciebantur:*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Si in edictis contineatur major terminus quam 20. dierum, sed concursus fiat infra terminum, sustinetur.*
5 *Intra terminum 20. dierum possunt fieri plures prorogationes, quæ illum non excedant.*
6 *Lapsus 20. dierum attenditur, ubi intra terminum concurrentes comparuerunt, & non alias.*
7 *Si infra terminum nemo comparet, Episcopus potest libere providere absque alio interventu examinatorum synodalium.*
8 *Interventus examinatoris non synodalis vitiat totum actum.*
9 *Qui se fundat in negativa quod quis non esset examinator synodalis, debet probare.*
10 *Non dicitur probata negativa ex actis, nisi sint integra.*
11 *Quod negativa probetur ex inspectione synodi, aliquem non esse examinatorem.*
12 *Dari potest examinator deputatus extra synodum.*
13 *Attestationi Episcopi est deferendum, potissime si est adminiculata.*
14 *Deputatio examinatoris potest probari, etiamsi id non reperitur in synodo.*
15 *Quod non possit prorogari jurisdictio, quæ non adsit.*

D I S C. II.

1 HAbito concursu super Ecclesia parochiali, Archipresbyteratus nuncupata, cujusdam Oppidi hujus diœcesis, cum per Ordinarium præelectus esset Joannes Baptista, interposita appellatione per alterum concurrentem, qui se prætendebat magis dignum, eoque Curiam adeunte, cum ex consilio peritorum Curialium agnovisset magnam difficultatem ad convincendum Ordinarii judicium de irrationabilitate, hinc ad aliam magis opportunam viam convolavit, impetrandi eandem parochialem ob non bene servatam formam a Concilio Trid. præscriptam & quæ species impetrationis vulgo in Curia dici solet juxta Constitutionem Pii V. expeditisque litteris directis Prælato satis docto, ac perito in judicando, atque assumpta disputatione super dicta præsupposita nullitate concursus habiti coram Ordinario.

Scribentes pro actore impetrante, illam ex duplici 2
capite deducebant; Primo scilicet, quod pro concursu prorogatus fuisset major terminus 20. dierum qui præscribitur in Constitutione Pii V. Et secundo quod inter examinatores intervenisset unus, qui non erat talis, dum non reperiebatur descriptus in synodo; Quamvis autem utraque nullitas ita abstracte loquendo subsistat, quatenus concurrerent illæ facti circumstantiæ, quæ præsupponebantur; Attamen scribens pro Joanne Baptista reo 3
convento; etiam cum sensu veritatis, qualem agnovit quoque judex, denegando exequutionem litterarum, & concedendo absolutoriam, dicebam neutram in hac facti specie intrare.

Quatenus enim pertinet ad primam nullitatem ob 4
prorogationem edicti ultra terminos 20. dierum, a Piana Constitutione præfinitum, id non verificabatur in facto, quoniam post primum edictum cum termino decem dierum, promulgatum fuit secundum cum prorogatione ad adventum Episcopi existentis in diœcesi, qui cito infra alios decem dies accessit; prævio novo edicto cum die certa, atque concursum perfecit; Nullitas enim intraret ubi actus gestus esset post terminum 20. dierum a dicta Constitutione Piana præfinitum, sed si fiat in termino durante, non intrat, quamvis prorogatio esset major, ut ex mente Papæ, ex æquitate verius videri firmat Garz. *part. 9. cap. 2. n. 49.* & sequitur Mastobr. *requisit. 2. dub 8. n. 5. & per tot.* qui tamen est simplex relator Garziæ, cujus dictum videtur probabile, quia de facto non contravenitur.

Præterea restrictio facultatis Episcopi prorogandi edicta, vel nova statuendi, percutit excessum 20. dierum, 5
intra quem terminum, & donec ille compleatur, ejus facultas durat pluries prorogandi, dum ita nemini fit injuria, vel præjudicium, ut advertit Lotrer. *lib. 2. q. 31 n. 42. & seq.* ideoque licet post completum primum terminum decem dierum præfinitum in primo edicto apposito per Vicarium Generalem, hic fecisset novam prorogationem vagam, & incertam usque ad reditum scilicet Episcopi, quo aliquam probabilem difficultatem causare poterat, attamen illa cessabat, eo quia sequuto Episcopi reditu, aliud affixum fuit cum præfinitione termini certi non excedentis dictum spatium 20. dierum, atque ita cessare videbatur omnis occasio dubitandi.

Clarius vero, quoniam ea, quæ dicuntur de lapsu pri- 6
mi, vel secundi termini, seu de excessu 20. dierum, procedunt quatenus concurrentes in dicto termino comparuerint, quibus jus quæsitum esset, ac præjudicium causaretur cum nova prorogatione; sed ubi nemo comparuit, cum tunc non dicatur satisfactum intentioni, vel rationi legis, hinc proinde nil prohibet nova edicta edere, novosque terminos statuere; Lotrer. *d. quæst. 31. n. 45.* & non negat Garz. *d. part. 9. cap. 2. n. 49. in fin.*

Ad quod comprobandum duplicem ponderabam ratio- 7
nem: Primo quia elapso termino, ac nemine comparente, in libera facultate Episcopi est absque concursu conferre parochialem personæ idoneæ sibi bene visæ ad limites juris communis, ad quod tamquam ex cessante dicta nova forma Conciliari fieri dicitur reversio, Garz. *eod. cap. 2. n. 218* Barbos. *de Paroch. cap. 2. n. 51* & in Collectan. ad Concilium *in hoc eod. cap. 18. n. 70.* ideoque redargui non potest de invaliditate ille actus, qui ex mera benevolentia, & urbanitate in gratiam concurrentium factus est per Episcopum, qui poterat non facere, nunquam enim minus vel male dare dicitur ille qui potest nihil dare. Et secundo quia idem oppositor comparuit in eodem termino, in quo comparuit præelectus, atque concursus initus est, & consequenter allegare non poterat illam nullitatem, qua ipse quoque laborabat, ideoque istud primum objectum vere nulla consideratione dignum erat.

Alicujus majoris ponderis erat alterum, quoniam non dubitabatur interventum examinatoris non synodalis 8
vitiare totum actum ex iis, quæ habentur deducta in Nullien. *disc. seq.*

Verum difficultas cessabat ex defectu probationum negativæ, quæ justificanda erat per dictum impetrantem tan- 9
quam fundamentum suæ intentionis, ut ultra generalia, de quibus Gabr. *de probat. conclus. 1* Buratt. & Adden *dec. 10. & 948.*

& 948. & pluries supra *sub titul. de beneficiis*; In his specialibus terminis probandi negativam, quod quis non esset examinator synodalis firmatur per Rotam in Nicien. parochialis 25. Junii 1629. coram Virilli, quæ circumfertur tamquam in materia magistralis, & advertitur per Lotter. *dicto lib* 2. *quæst.* 31. *n.* 89.

Ista vero probatio non aderet, quoniam licet oppositor deduceret ultimam synodum, in qua ostendebat nomen hujus examinatoris in aliorum ibi descriptorum albo descriptum non esse, attamen id non concludebat; Tum quia non justificabat, illa esse integra acta synodalia, & quæ integritas præcise necessaria est ad convincendam negativam, cum alias posset altera pars dicere actum contineri in actis deficientibus, itaque sola possibilitas sufficit ad excludendam concludentem probationem, quoties actus non est talis, qui pernecesse contineri debet in actis, seu juribus exhi-
10 bitis, ut ultra generalia quæ habemus in materia nullitatis resultantis ab omissione citationis &c. non probatæ nisi exhibitis actis integris ob possibilem existentiam in parte omissa, ex deductis per Buratt. & Adden. *decis.* 264. *& passim:* In his specialibus terminis advertitur in dict. Nicien. parochialis coram Virilli, & per Adden. ad Buratt. *decis.* 479. *num.* 20.

Tum etiam, quia ubi acta synodalia essent integra,
11 non per hoc concluderent; Licet enim per Rotam in Seguntina parochialis 15. Junii 1638. coram Ghislerio firmetur hujusmodi negativam probari per exhibitionem totius synodi, attamen diversæ erant circumstantiæ casus, de quo in dicta decisione ab illo præsentis controversiæ, ibi enim concurrebat confessio tam Episcopi, quam præelecti, quod post synodum alia facta non esset deputatio examinatorum; In præsenti autem potuit infra annum in locum examinatorum mortuorum, vel absentium, alter de consensu, seu consilio Capituli deputari, quamvis extra synodum juxta firmata apud Buratt. *d. decis.* 479 ideoque dicta possibilitas sufficiebat, dum nulla aderat in contrarium
12 confessio, sed potius illa erat super affirmativa, super qua dabatur attestatio Episcopi, cui deferendum esse habetur apud Lotter. *d. quæst.* 31. *num.* 90. Potissime
13 vero, quia dici poterat confessio valde adminiculata, cui deferendum est etiam in prohibitis, in quibus alias nuda, & simplex confessio attendenda non esset, ut passim in jure habemus in confessione tutoris, vel Prælati, seu mariti, aut procuratoris, cum similibus, quoniam ipsemet oppositor erat unus ex examinatoribus synodalibus, verisimiliter notitiam habens Collegarum ob frequentes concursus in illa ampla diœcesi haberi solitos, ideoque verisimile non est, quod ipse se exponere voluerit examini ejus, quem sciret non esse legitimum examinatorem.

Et ex qua circumstantia, quod concurrens esset unus ex examinatoribus, deducebam verisimilem deputationem alterius extra synodum ut supra, dum ita in isto
14 actu unus ex eis deficiebat; Ac etiam quia stante dicta Episcopi attestatione ut supra adminiculata, non remanebat concludens probatio negativæ ex inspectione actorum synodalium, quamvis essent integra, ob contrariam possibilitatem negligentiæ Cancellarii in non describendo illud nomen in albo examinatorum, quod non præjudicat veritati, ut in specie habetur apud Barbos. *de Parocho, dicto cap.* 2. *part.* 1. *n.* 72. & in dicta Nicien. parochialis coram Virilli, ideoque admittitur contraria probatio per testes, vel alias species probationis.

15 Et quamvis scribentes in contrarium replicarent, quod dictus actus oppositoris, se exponendi examini ejus qui vere non esset examinator, non posset revalidare actum, neque tribuere jurisdictionem ei qui carebat, ex vera conclusione, de qua Adden. ad Gregor. *decis.* 118. *& supra, sub tit. de beneficiis*, quod prorogari non potest illa jurisdictio, quæ omnino abest, replicabam tamen dictam comparitionem non considerari pro revalidatione actus alias nulli, quam admittebam non intrare, sed tamquam adminiculum, seu verisimilitudinem, eo majorem, quia idem erat examinator synodalis etiam juris peritus, qui propterea acquievit.

NAULEN. PAROCHIALIS, PRO JOANNE ANTONIO MORICONO, CUM BERNARDO FULCO.

Casus decisus per Rotam, pro Bernardo.

De eadem forma concursus habendi in parochialibus; Et quomodo examinatores debeant suum votum proferre; Et an in quolibet concursu constare debeant juramentum a Conc. Tr. demandatum, vel potius sufficiat unicum generale. Et an Episcopus in præeligendo teneatur sequi majorem partem suffragiorum.

SUMMARIUM.

1 F*acti series.*
2 *Resolutiones causæ:*
3 *De defectibus concursus qui objiciebantur.*
4 *Examinatores debent præstare juramentum, atque interventus unius qui non sit examinator, vel non juraverit, vitiat actum.*
5 *Etiamsi sit examinator deputatus in synodo pro altera diœcesi unita.*
6 *Sufficit unicum juramentum generale initio præstitum.*
7 *Vota debent proferri collegialiter in ipso actu concursus.*
8 *Non est opus quod tradantur in scriptis.*
9 *Non pertinet ad examinatores judicare quis sit magis idoneus, & Episcopus potest præeligere eum qui habet minora suffragia.*
10 *Secus in Urbe ex stylo particulari.*
11 *De alio casu, in quo magis litteratus juste postpositus fuit minus litterato ob sinistram opinionem in populo.*

DISC. III.

IN dicto concursu ad parochialem Ecclesiam loci Septuni, vacantem per obitum in mense reservato, 1
approbati fuerunt Joannes Antonius, ac Bernardus, quorum secundus ab Episcopo præelectus, in vim testimonialium in forma, obtinuit provisionem Apostolicam, cum subsequuta possessione; Interposita vero per Joannem Antonium appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, a judice delegato in partibus reportavit sententiam favorabilem, unde commissa ex parte possessoris causa appellationis in Rota coram Taja, 2
ipso possessore solo informante, sub die 28. Aprilis 1659. prodiit resolutio sibi favorabilis pro dictæ sententiæ infirmatione, atque ad dictæ unicæ decisionis normam expedita sententia, commissaque denuo causa appellationis in eadem Rota coram Cerro Joannes Antonius agnita ex consilio peritorum Curialium nimia difficultate obtinendi per hanc viam irrationabilis judicii, eodem modo quo *disc. præced.* ad aliam convolavit impetrandi eamdem parochialem, ut dici solet, juxta formam Constitutionis Pii V. ob male servatam formam concursus, expeditisque litteris directis eidem Cerro, ac dato dubio, an litteræ sint justificatæ, itaut sint exequendæ, sub die 15. Maji 1662. negativa prodiit resolutio, quæ habetur impressa post Zuffum *de legitim. processus, dec.* 68. neque quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit, quoniam ego scribens pro Joanne Antonio succumbente, consului, quod acquiesceret, dum resolutio probabilis beneque fundata mihi videbatur.

Quamvis enim ego scribens pro dicto Joanne Antonio 3
more Advocati dicerem invalidum dictum concursum ex duplici defectu; Primo scilicet, ob non præstitum juramentum per examinatores juxta ejusdem Sacr. Conc. Trident. præscriptum; Et secundo, quod examinatores vota non protulissent collegialiter in ipso actu examinis eaque non recepisset Cancellarius, qui attestabatur ex intervallo recepisse vota ab Episcopo, atque uterque defectus ita generaliter ac abstracte loquendo esset substantialis, attamen cessabat applicatio ad factum.

Quatenus enim pertinet ad primum, certum est necessa- 4
rium esse juramentum per examinatores præstandum sub pœna nullitatis actus resultantis, non solum, ubi defectus est in omnibus, sed etiamsi in uno tantum, quoniam in hac materia, mixtura, seu interventus unius, qui non sit examinator synodalis, vel non adimpleverit ea, quæ sunt necessaria ut dicatur legitimus, vitiat totum actum, tamquam individuum, Massobr. *in praxi*, *requisit.* 14. *dub.* 1. & 2. Lott.

lib. 2. q. 31. n. 92. Barbos. *ad idem Concil. cap. 18. sess. 24. n. 15. & de Parocho, part. 1. cap. 2. n. 76. cum seq.* Buratt. & Adden. *dec.* 362. & 479. Dunozett. *dec. 666. n. 7.*
5 in Frequentina nullitatis concursus 13. Junii 1635. coram Coccino, ubi notabiliter firmatur invalidum esse concursum adhibitum cum interventu examinatorum synodalium deputatorum ab eodem Episcopo pro altera diœcesi æque principaliter, ut ad aliud propositum advertitur in Marianen. & Accien. *sub tit. de Beneficiis disc.* 19. ac etiam enunciatur in Ampurien. & Civitaten. unionis *sub tit. de Praeminentiis, disc.* 5.

6 Verum cessabat applicatio motivi ad factum, in quo docebatur quod per examinatores post eorum deputationem fuerat jam præstitum juramentum, quod unicum ac generale sufficit pro omnibus concursibus, neque requiritur juramentum particulare pro singulis, Lotter. *d. q. 31. num. 94.* Garz. *part. 9. cap. 2. n.* 359. cum aliis in hujus causæ decisione, ac habemus in juramento præstando per Magistratus, quod unicum sufficit in susceptione officii, non autem reiterandum est in singularum causarum determinatione.

7 Quo vero ad alterum defectum non præstationis votorum collegialiter in ipso actu examinis, pariter generaliter ac in abstracto motivum erat verum, ut apud Massobr. *requisit. 4. n. 2.* Barbos. *d. cap. 18. n. 112. & de Parocho, d. cap. 2. n. 86. &* 87. Cavaler. *dec. 299. n.* 1. ac habetur supra *disc.* 1. Verum cessabat applicatio ad factum, dum Episcopus testabatur, vota tunc sibi tradita esse, quamvis deinde ipse tradidisset Cancellario, qui affirmabat vere non recepisse vota ab examinatoribus in ipso actu concursus, sed ex intervallo ab Episcopo, sed hoc non causat nullitatem, quoniam Concilium præcipit, vota proferri Episcopo, non autem Cancellario; Quinimo neque opus est illa redigi in scripturam, cum ita oretenus tamquam in actu collegiativo proferri valeant juxta usum frequentiorem Tribunalium Collegialium, præterquam Rotæ Romanæ, ubi vota dantur in scriptis, ad effectum, ut desuper extendi posset decisio, ut in specie hujusmodi votorum examinatorum advertitur apud Cavaler. *d. decis.* 399.

Eo magis quia veritas comprobabatur ex testimonio eorumdem examinatorum, procurato ac exhibito per ipsummet Joanem Antonium ad convincendum irrationabile judicium Episcopi, ex eo quod ipse per tres examinatores concordibus suffragiis approbatus esset, prælectus autem duo tantum suffragia approbativa haberet.

9 Quamvis autem ista circumstantia deduceretur ad convincendum dictum irrationabile judicium, attamen merito neglecta fuit, quoniam, ut habetur supra, *disc.* 1. ubi allegatur hujus causæ decisio, ad examinatores non pertinet præeligere, seu declarare, quisnam sit magis, & quis minus idoneus, sed solum approbare, vel reprovare, ac renunciare Episcopo, an quis sit idoneus necne, ex ea convincenti ratione insinuata eodem *disc.*
10 1. quod non attenditur sola litteratura admittenda in quantum sufficit, sed attendi debent aliæ partes prudentiæ, & morum &c. solumque id servatur in Urbe in Tribunali Vicarii ex stylo particulari.

11 Hinc proinde habito coram quodam Episcopo meo benevolo concursu in parochiali Ecclesiæ matricis cujusdam Oppidi, cum nuncupatione Archipresbyteratus quamvis ex duobus concurrentibus, unus absque dubio esset altero magis litteratus, utpote Sacræ Theologiæ professor; Alter vero haberet tantam litteraturam, quanta sufficeret; Attamen consultus ab Episcopo, laudavi prælectionem habentis minorem litteraturam, eo quia alter habens majorem, plurium annorum spatio fuisset professus in quadam Religione mendicanti, a qua exierat ex motivo nullitatis professionis; Quamvis enim egressus supponeretur sequutus ser. ser. ac mediante sententia juxta formam Concilii Trident. attamen apud populum suspicio aderat, an egressus prædictus fuisset legitimus necne; Et quatenus etiam fuisset talis, adhuc tamen ista qualitas egressi e Religione claustrali, de facto apud vulgus causare solet quamdam notæ speciem, licet sequutus esset intra annum probationis, multo magis post professionem, ac notabilem permanentiam in eo statu, ideoque videtur justum motivum excludendi patientem talem defectum, quamvis alias magis qualificatum, cum in concursu ad Beneficium assequendum attendatur sola diffamatio, vel populi sinistra opinio, juxta distinctionem inter assequutum & assequendum, de qua *sub tit. de Beneficiis*, in Calagurritana Beneficii de Bilbao, & in Melevitana Bajulivatus *disc.* 68. & 70.

GERUNDEN. PAROCHIALIS, PRO RAYMUNDO DE ROS, CUM LAURENTIO COSTA:

Casus decisus per Rotam pro Raymundo.

De eadem materia concursus ad parochialem habiti coram Vicario Capitulari, seu coram possessore Prælaturæ, quæ tunc vacabat ob ejusdem Vicarii seu Prælati promotionem ad Episcopatum, An valeat necne: & an intret regula textus in leg. Barbarius &c.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De materia legitimi contradictoris remissive.*
4 *An Advocati scribere possint in causa injusta.*
5 *An Beneficia vacent per promotionem ad Episcopatum, vel translationem de uno Episcopatu ad alium.*
6 *De eadem materia, & an requirantur scientia, & consensus promoti.*
7 *De differentia inter novam promotionem ad Episcopatum, vel translationem de uno Episcopatu ad alium.*
8 *Quod concursus importet quemdam quasi contractum, ac actum justitiæ magis, quam gratiæ.*
9 *Quod regula text. in leg. Barbarius non intret in beneficialibus.*
10 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*

D I S C. IV.

ADministrante Ecclesiam Gerunden. tunc vacantem 1
illius Archidiacono, qui ex consuetudine, vel privilegio, Sede Episcopali vacante, succedit in jurisdictione, ac gerit partes Vicarii Capitularis, habitus fuit coram eo concursus ad parochialem Ecclesiam S. Romani Oppidi de Loret vacantem per obitum in mense reservato, in quo prælectus fuit tamquam magis idoneus Laurentius, qui in vim testimonialium in forma obtinuit provisionem Apostolicam; Raymundus vero ob dicti concursus nullitatem impetrationem fecit, ut dicitur in vim Constitutionis Pii V. deducendo nullitatem ex eo quod dictus Archidiaconus tunc non talis, utpote per tres menses antea in Concistorio promotus ad quemdam Episcopatum; Cumque ante litis assumptionem, Raymundus plures Curiæ Advocatos pro veritate consuluisset; Ego & aliqui ex senioribus ac provectioribus, fuimus in sensu, quod hæc nullitas non subsisteret; Aliqui vero juniores, ac minori numero fuerunt in contrario voto, quod impetrans sequi voluit, unde præsentatis litteris coram A. C. pro exequutione, succubuit, mediante sententia absolutoria Laurentio concessa; Commissa vero causa appellationis in Rota coram Bevilaqua, datoque dubio; An dicta gratia Raymundi impetrantis esset justificata sub die 8. Martii 1660. affirmativa prodiit resolutio, quæ habetur impressa apud Zuff. *de legitim. process. dec.*
54. confirmata 28. Junii sequentis; Deindeque obtenta 2
per eum in vim clausularum generalium primæ supplicationis subrogatione gratiosa ad jus, & possessionem defuncti, sub die 3. Decembris ejusdem anni 1660. coram eodem Bevilacqua pro ejus immissione responsum fuit, idemque approbatum in altera instantia coram Verospio 28. Maji 1661. unde puto quod impetratio effectum sortita sit, dictæque duæ posteriores decisiones sunt satis notabiles in materia legitimi contradictoris, quodque ad favorem impetrantis certo modo procederetur exe-
cutive, ut advertitur *sub tit. de benefic. d. disc.* 73. ubi 3
de hac materia legitimi contradictoris.

Super ista præsertim causa, stante ejus exitu, peterem libenter judicium illorum Moralium, qui res forenses nullatenus callentes, adeo libere loquuntur de periculoso statu malaque conscientia Advocatorum defendentium causas
injustas, quales judicant ab eventu, eodem modo quo ha- 4
betur in alio casu, de quo *sub tit. de fideicomm. disc.* 179. ac pene in mille similibus, dum plures doctissimi, ac provecti Advocati (inter quos ego eram junior ac minimus) credidimus hanc impetrationem injustam, qualem etiam credidit satis doctus, nimiumque in judicando versatus judex primæ instantiæ, & tamen diversus fuit exitus. Unde videatur, an in iis causis, quæ consistunt in puncto, seu articulo juris, non omnino certi ac indubitati (quo casu non dantur Advoca-

vocatorum disputationes,) detur casus certæ veritatis, ob quam Advocati cogantur abstinere a patrocinio: Consistente Moralium æquivoco in periculo resultante a calumniis, ac affectatis dilationibus, ad indebite defatigandam alteram partem; Sive in iis, quæ consistunt in facto inalterabili, unde inest mendacium semper peccaminosum, ac de genere malorum, in quorum neutro se ingerunt Advocati Curiæ Romanæ, ideoque eorum propositio ast vera in abstracto, sed fallacia est in applicatione.

Quatenus igitur ad hunc articulum pertinet, visis dictis decisionibus, (dum ut frequenter contingit in libare dicentibus veritatem, ac non adulantibus, in causa non scripsi) non potuit intellectus captivari in earum obsequium, ideoque persisti in priori sententia; Non negabam etenim, etiam in ipso primo responso, vacationem dicti Archidiaconatus ab ipsa die sequutæ promotionis ad Episcopatum in Consistorio, quoniam licet inter antiquos beneficialistas sub quæstione sit, an per promotionem ad Episcopatum Beneficia vacent ipso jure, vel potius per ademptionem possessionis, attamen ista quæstio hodie sublata est cum decreto Consistoriali in ipsa promotione apponi solito super hujusmodi vacatione illico sequenda, *juxta decis.* 2. Cassad. *de concess. præbendæ cum concord.* per Garz. *part.* 11. *cap.* 6. *n.* 10. Seraphin. *dec.* 150. Millin. *dec.* 45. *n.* 9. late & bene Dunozett. senior. *dec.* 294. *n.* 13. *& seqq. dec.* 475. *n.* 19. *&* 20. *part.* 1. *rec.* cum aliis per Add ad Buratt. *dec.* 464. *n.* 11.

Dicebam tamen ad duos effectus de hujusmodi vacatione agi; Primo scilicet in præjudicium ipsius promoti, seu alias ad effectum videndi, an sit valida, vel invalida collatio beneficii ita vacati ex tunc facta, & ne alias caderet quæstio, de qua in Avellina Canonicatus *sub d. tit. de beneficiis, disc.* 54. Et secundo in præjudicium tertii bona fide actum gerentis coram eo, qui de facto erat possessor beneficii, seu Prælaturæ, cujus ratione jurisdictionem exercebat, ita pro talii publica & palam se gerendo, quamvis de jure ob dictam promotionem non esset amplius talis.

Ad primum effectum, ubi agitur de vacatione pri
6 mi beneficii per assequutionem alterius incompatibilis, intrare posset quæstio, de qua in dicta Avellina Canonicatus; Ubi vero agitur de promotione ad Episcopatum, cadere potest altera quæstio, quoties promotus est absens, an requiratur ejus scientia, & acceptatio, ex eo quod potest non acceptare, ex iis quæ habentur apud Massobr. *in praxi concursus requisit.* 1. *dub.* 9. *per totum*, & Barbos. *de Episcopo, alleg.* 119. *n.* 9. apud quos concordantes, & pro quo dubio avitando prima decisio satis insistit super præsumpta scientia ob lapsum trium mensium, præsumptoque consensu, ob mandatum datum ad dimittendum Archidiaconatum, ac transmissionem pecuniarum pro expeditione litterarum, aliarumque expensarum Episcopatus.

7 Quidquid autem sit de his, de quibus ex professo agere non oportebat, utpote extra præcisum causæ punctum, juxta laudabilem Curiæ stylum non immorandi in superfluis, effugiendique evagationes, quamvis etiam super hoc aliqua difficultas haberi posset, quia promotus posset non acceptare, non obstantibus deductis *d. decis.* 475. *n.* 6. *&* 7. *part.* 1. *recent.* ubi firmatur vacatio illico etiam sine scientia, & consensu, cum dicta decisio loquatur de casu translationis ab uno Episcopatu ad alterum, qui termini sunt diversi; quoniam ubi quis est jam Episcopus, atque matrimonium spirituale contraxit, seque in hoc statu Episcopali Ecclesiæ servitio addixit, recusare non potest alterum Episcopatum, eo modo, quo juxta opinionem forte probabiliorem, cessante necessitate, vel publica utilitate Ecclesiæ, recusare potest qui in dicto statu adhuc constitutus non est; Hisque obiter insinuatis, nihil desuper firmando, utpote ad rem non facientibus.

8 Punctus erat in altero effectu præjudicii tertii, qui cum Prælato, seu Superiore bonæ fidei putativo, ac publice & palam se gerente pro tali, quasi contraxerat; Ista siquidem concursus ad formam Concilii quamdam speciem quasi contractus continere videtur, dum concurrens suam famam, ac existimationem periculo ita publice exponit sub spe lucri, quod dicendo se digniorem, Prælatus ei negare non potest adeout ab ejus irrationabili judicio sibi concedatur facultas appellandi, quæ concedenda non esset, si præelectio penderet a mera gratia, liberoque arbitrio, nam aliud est quod Ordinarius non teneatur sequi vota Examinatorum circa majorem, vel minorem idoneitatem ob alias partes, quæ illam majoris doctrinæ suffocare possunt, ut præcedentibus pluries advertitur; Aliud vero, quod ipse teneatur juste, ac regulare suum arbitrium interponere ad favorem ejus, qui ponderatis omnibus partibus, ac animi dotibus, aliisque circumstantiis, vere sit aliis dignior.

Posito autem hoc assumpto, quod versemur in mero quasi contractu correspectivo, inito inter concurrentem, & Ecclesiam, cujus nomine contrahit Prælatus; Hinc resultare dicebam receptam propositionem deductam ex textu *in leg. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*, circa acta judicialia, seu ea quæ habemus de contractibus, aliisque actibus initis cum tutore, vel Prælato, seu hærede bonæ fidei putativo, cum similibus.

Et quamvis apud beneficialistas magis receptum 9
videatur, ut in beneficialibus non intret æquitas deducta ex dispositione, vel ratione dicti textus *in d. leg. Barbarius*, ex iis quæ cæteris relatis habentur apud Garz. *part.* 5. *cap.* 4. *n.* 277. *& in addit. ad eumdem numerum, & cap.* 8. *num.* 579. Gratian. *discept.* 58 *n.* 46. *cum seq. & discept.* 124. *num.* 42. *cum seq.* Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 15. *§.* 2. *num.* 91. Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 21. *num. fin.* Et super quo adhiberi solet distinctio inter mere intrusum, nullum habentem titulum, itaut esset simplex putativus, & illum qui habeat verum, ac legitimum titulum, quamvis tunc cessantem, absque eo quod cessatio detecta, seu effectuata sit juxta *decis.* 266. Putei *lib.* 2. cum aliis deductis per allegatos, per quos rejicitur opinio Parisii *de resignat. lib.* 11. *quæst.* 1. *n.* 13. *cum seq.*

Attamen advertebam, istam quæstionem cadere, quando ageretur ad effectum sustinendi provisionem, seu collationem beneficii factam ab hujusmodi Prælato putativo in præjudicium Prælati veri, vel Sedis Apostolicæ, aut alterius provisi ab eo, cui vere jus conferendi competat, super quo utpote extra puncti necessitatem, certum ac maturum judicium non efformando relinquebam locum veritati.

Secus autem ad effectum præsentis controversiæ, dum 10
prælectus in concursu habebat provisionem Apostolicam, solumque dictus Officialis, seu Prælatus ita gesserat partes testis, super majori idoneitate & qualitatibus dicti concurrentis; ideoque cessat ratio dubitandi, quæ cadit in beneficialibus, in quibus veritas præfertur opinioni juxta deducta apud allegatos, ac etiam per Rotam apud Buratt. *decis.* 479. *num.* 18. *& seq. & decis.* 17. *num.* 6. *part.* 2. *rec.* in quibus ita declaratur *allegat.* 89. Lapi, quod scilicet, cum tunc actus contineat etiam partem gratiæ, atque concessionis rei alienæ cum præjudicio domini, vel ejus, ad quem vere concedere pertinet, ideo veritas prævalere debet opinioni.

Secus autem in præsenti, dum actus nullam gratiam, vel concessionem contineret in alterius præjudicium, sed meram justitiam, simplicemque attestationem veritatis, quam alter facere non poterat, nisi ille qui publice & palam gerendo vices Episcopi, in eo Tribunali resedit, ita justitiam, non autem gratiam administrando, neque ex solo proprio judicio, sed ex illo Examinatorum ad formam Concilii; ideoque vel nimis asperum videbatur, ut hujusmodi concursus adeo invalidus declarandus esset, quod provisio Apostolica remaneret infecta, cum revera Auctoritates, ac rationes in prima & secunda decisione deductæ percutiant casum provisionis ipsius beneficii, itaut provisus ab ipso putativo suum jus metiatur in concursu alterius provisi a vero, sive a Sede Apostolica, atque ista mihi videbatur veritas: Agitur etiam in hujus causæ decisionibus de materia legitimi contradictoris, de qua infra, *disc.* 73.

MIRANDEN. CONCURSUS.

Discursus pro veritate ad petitionem prætendentium in genere.

De eadem materia concursus in parochialibus, Sede Episcopali vacante, ad effectum testimonialium super provisione Apostolica; An fieri possit coram capitulo, vel fieri debeat coram Vicario capitulari, & non alias.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quandoque ex lege prudentiali conceduntur, vel denegantur ea, quæ de stricto jure non procedunt.*
3 *Potestas indicendi concursum transfertur ad Capitulum Sede vacante.*
4 *Sede exercitium pertinet ad Vicarium Capitularem.*
5 *Et de ratione.*

DISC. V.

1 IN diuturna vacatione, quam ex notoriis belli accidentibus, passæ sunt Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ Regni Portugalliæ, occurrentibus parochialium vacationibus, concursus ad fomam Concilii Tridentini haberi consuevit coram Capitulo, vel aliquibus ab eo deputatis, atque per idem Capitulum dari solitum fuit litteras testimoniales, per Datariæ officiales, nemine opponente admissas; Cum autem occasione vacationis cujusdam parochialis in hac diœcesi quidam nationales se opponentes provisioni prælecti peterent in Dataria provideri ad formam, ut dicitur, Constitutionis Pii V. ob concursum male servatum coram Capitulo, non autem coram Vicario; Hinc proinde excitata difficultate, atque per dictos oppositores consultus pro veritate;

Respondi, in puncto juris probabilem beneque fundatam videri oppositionem petentium hujusmodi provisiones, & ne illa fieret in persona habente dictas litteras testimoniales Capituli in vim concursus, quod etiam agnoverunt iidem Datariæ peritissimi Officiales, qui tamen ex prudentialibus motivis, & ne alias super tot provisionibus, litium seminarium excitaretur, dictam impetrationem denegarunt, concedendo provisionem habentis testimoniales, ita hujusmodi difficul-
2 tate deserviente pro monitione in futurum, ita sequendo æquitatem deductam ex dispositione, vel ratione textus *in leg. Barbarius*, de qua *disc. præced.*

In hoc igitur responso, duas efformabam inspectiones; Unam super jurisdictione Capituli in genere super hujusmodi concursu, an scilicet decretum Conciliare loquens de Episcopo, vel Vicario Generali, locum habeat in Capitulo, Sede Episcopali vacante; Et secundo, posita affirmativa, an talis actus explicari præcise debeat coram Vicario, ad formam ejusdem Concilii Tridentini deputato, vel explicari possit coram Capitulo.

Quatenus pertinet ad primum, planam ac receptam dixi affirmativam ex declaratione Sac. Congregationis
3 Concilii in una Toletana, de qua testantur Garz. *part. 9. cap. 2. num. 6. cum seq.* & cæteri relati per modernum Pellegrin. *in praxi Vicariorum, part. 1. sect. 4. sub sect. 2. n. 16. fol. 70.* & supponitur in decisione, de qua infra, talisque est recepta praxis, de qua egomet testari possum, dum essem Vicarius Capitularis in patria.
4 Quo vero ad secundum, pariter planum ac receptum dixi, quod concursus fieri debeat coram Vicario, ad præscriptum Concilii Tridentini deputato ad exercitium universæ jurisdictionis Episcopalis in diœcesi, non autem coram Capitulo juxta eamdem declarationem Sacr. Congregationis in dicta Toletana registrata apud Garz. ubi supra, *n. 8.* & enunciatam per Cotam *dec. 632. n. 4.*
5 *in princ. part. 2. rec.* Idque summa ratione, quoniam Concilium loquitur de Episcopo, vel Vicario, & sic de unico Officiali, unde sub nomine Vicarii contenti in decreto Conciliari veniat deputatus a Capitulo; Ac etiam quia prorsus incongruum videtur hujusmodi actum explicari in pleno Capitulo, ubi ob ingeniorum, ac affectionum nimiam diversitatem, scissuræ ac pleraque inconvenientia resultare possent circa prælectionem plurium approbatorum, ac etiam ob magnam publicitatem, cujus ratione restricta videretur examinatorum libertas in proferendo suum votum, cum similibus inconvenientibus.

Ideoque Datariæ Officialibus innitentibus recepto usui admittendi testimoniales super concursibus, Sede Episcopali vacante, replicabam id recte procedere super successione Capituli Sede vacante in hac etiam jurisdictione, seu prærogativa, eodem modo, quo in reliqua universa Episcopali jurisdictione habitualiter succedit; sed quod punctus difficultatis erat in exercitio ejusdem jurisdictionis non competente nisi Vicario ad Concilii Tridentini præscriptum deputato.

NUCERINA PAROCHIALIS, PRO JOANNE BAPTISTA BALDUCCIO, CUM ADRIANO SCATURSIO.

Casus disputatus in Rota, & in Signatura gratiæ, ac resolutus ut infra.

De eadem materia concursus ad Parochiales circa appellationem ab irrationabili judicio Episcopi; Et de provocatione appellantis ad novum examen, an ad hunc effectum constare debeat de irrationabili judicio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De exitu causæ, ac punctis cadentibus sub disputatione.*
3 *Quod in puncto juris non detur provocatio ad novum examen sine fumo irrationabilitatis.*
4 *Quando major litteratura non attendatur.*
5 *Sacra Congregatio tenet opinionem, ut etiam sine fumo detur provocatio, & Rota sequitur.*
6 *Rota reverenter suscipit, & sequitur declarationes Sacr. Congregationis.*
7 *Expenditur in hoc Constitutio Pii V.*
8 *Consideratur casus rei judicatæ, ac appellationis non interpositæ in tempore ab irrationabili judicio.*
9 *An appellanti ab irrationabili judicio concedenda sit gratia, appellatione remota.*
10 *An, & quando gravis ætas sit justa causa pro dictæ gratiæ concessione.*
11 *Ex quibus excludatur irrationabilitas judicii.*
12 *An major ætas inducat prærogativam, quæ faciat digniorem.*
13 *Si concurrens quamvis dignus aliud habebat beneficium, quod dimisit cum recompensa, ita judicandus est in concursu minus dignus.*

DISC. VI.

VAcata Plebania Villę Facundini prope Gualdum, indictoque concursu, Prælectus fuit Joannes Bapti- 1
sta, qui obtenta provisione Apostolica exequutioni demandata, ob jactatas molestias Adriani in eodem concursu postpositi, ex remedio *l. diffamari*, curavit committi causam in Rota coram Verospio. Adrianus vero adiens Sacr. Congregation. Concilii, cum quæsito generali, nemine citato, obtinuit responderi, quod sibi competeret jus provocandi ad novum examen coram Cardinali Vicario in Urbe; Verum Joannes Baptista, his præcognitis, adita eadem Sacr. Congregatione, obtinuit ex integro remitti causam ad Rotam, ubi commissa reperiebatur; Adrianus vero adiit Signaturam gratię ad effectum obtinendi commissionem in eadem Rota appellatione remota, dictaque petitione rejecta, datum fuit dubium, *An esset locus provocationi ad novum examen in Curia.* Quare convocato ex parte Jo: Baptistæ Advocatorum congressu pro causæ directione, conclusum fuit, ut cedendo dubio, se exponeret examini, ne inciperetur a succumbentia, quod gratum etiam fuit Rotæ in hanc sententiam inclinanti, ac declaranti ejus animum esse, ut dictum examen fieri deberet non privatim coram aliquibus examinatoribus, sed publice in plena Congregatione occasione concursus ad quandam aliam parochialem coram Cardinali Vicario, ejusque solitis examinatoribus; Atque ita sequutum fuit, ambobus ęque idoneis renunciatis. Deindeque dato dubio, *An constet de rationabili judicio Episcopi*, cum provocans occasione disputationum habitarum in Sacr. Congregatione Concilii pro remissione causæ ad Rotam, & in Si- 2
gnatura Sanctissimi, agnoverit, stante æquali approbatione in hoc novo examine, certam ejus succumbentiam, hinc neglexit amplius causam prosequi, unde provocatus in pacifica possessione parochialis continuavit.

In his igitur disputationibus habitis in dicta Congregatione, & in Signatura gratię, ac etiam in dicto congressu, & in præparatione futuræ disputationis in Rota de pluribus punctis circa istam materiam appellationis ab irrationabili judicio super prælectione in concursu actum fuit; Primo scilicet, an ad effectum, ut admittenda sit appellatio, & concedenda provocatio ad novum examen, constare debeat, vel dari fumus de judicii irrationabilitate; secundo, an hic appellans de congruo peteret a Papa gratiam commissionis appel-

appellatione remota, & tertio, quomodo dicatur constare de judicio irrationabili, & ex quibus ille, qui postpositus est, judicandus veniat dignior.

Quoad primum, quando non adessent declarationes Sacr. Congregationis Concilii, in puncto juris, seu ex mente Doctorum, qui de materia post Concilium scripserunt, probabilius dicendum veniret, concedendam non esse provocationem ad novum examen, nisi doceretur de irrationabilitate judicii, vel saltem magnus ejus fumus daretur ex duplici ratione.

Primo scilicet, quod præsumptio est pro judicio Episcopi, seu Ordinarii, donec de contrario doceatur, itaut
3 allegans contrarium debeat id plene, ac concludenter probare, Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 4. *n.* 17. *&* 132. *cum seq.* Gregor. *dec.* 11. Buratt. *dec.* 22. *n.* 30. *dec.* 654. *part.* 4. *diverf. dec.* 223. *post secundum vol. consil.* Farinac. & in aliis, de quibus infra allegan. Majoricen. Parochialis coram Celso; Et secundo, quia ex novo examine desumi non potest nisi major, vel minor idoneitas circa litteraturam, quæ non sufficit, quoniam data in prælecto litteratura sufficienti ad exercendam curam animarum, possunt stare simul, quod alter concurrens, qui postpositus fuit, esset magis doctus, & tamen quod prælectus ob mores, prudentiam, aliasque circumstantias, illam præsertim affectionis, & gratitudinis populi,
4 sit magis aptus ad Ecclesiæ gubernium, & curam animarum, ut apud Gregor. *d. dec.* 11. Buratt. *dec.* 22. *n.* 29. *& seqq. & dec.* 635 ubi Add. *dec.* 654. *&* 655. *part.* 4. *div.* 551. *n.* 3. *&* 4. *part.* 3. & bene habetur in Majoricen. Parochialis 13. Junii 1646. & 28. Junii 1647. coram Celso inter suas *dec.* 3. *&* 24. & quarum prima est etiam *impressa dec.* 105. *part.* 10 *rec.* & apud Dianam *post part.* 9. ex quibus decisionibus liquet, quod quando dictæ declarationes non obstassent, in hanc sententiam Rota inclinasset.

5 Verum quia dicta Sacr. Congregatio pluries contrariam sententiam amplexa est, præsertim in Pistorien. concursus 12. Augusti 1603. in Albinganen. 12. Augusti 1604. & in aliis relatis per Barbos. *de Paroch. part.* 1. *c.* 2. *nu* 148. *& seq.* eumdemque sensum eadem Sac. Congregatio habuit in hac eadem causa; Hinc proinde licet seniores, ac provectiores Advocati notitiam non habentes istarum declarationum, atque loquentes in puncto juris, seu ex mente DD. & antiquarum decisionum, fundare in dicto congressu essent in contraria sententia non cedendi dicto dubio super provocatione ad novum examen; Attamen me indicante hujusmodi decisiones, ac declarationes, cesserunt puncto, atque in meam devenerunt sententiam, cum Rota pro-
6 fiteatur declarationes, Sacr. Congregationis reverenter suscipere, ut in *d. decis.* 5. *&* 24. coram Celso, & passim.

Ut enim bene advertitur in dicta *dec.* 24. *Celsi*, Con-
7 stitutio 33. Pii V. duas continet partes; Unam in decernendo facultatem appellandi cum provocatione prælecti ad novum examen; Et alteram circa merita, seu terminationem negotii principalis super rationabilitate, vel irrationabilitate judicii Ordinarii, & an parochia adjudicanda sit prælecto, vel respective postposito: ideoque illa, quæ supra habentur de præsumptione militante pro dicto judicio, ac de difficultate illud convincendi de injustitia, vel irrationabilitate, ob dictam rationem, quod attendi non debet sola major litteratura, sed consideranda sunt aliæ circumstantiæ, ut supra, procedunt quoad secundam partem, non autem quoad primam.

8 Ponderabam occasione scribendi in dicta Sacr. Congregatione, quod dictæ ejus declarationes, ac praxis recte procederent retentis ejusdem Constitutionis Pianæ, appellationis scilicet legitime interpositæ infra tempus a jure statutum, & cum quo præsupposito eadem Constitutio dictam provocationem, tamquam quid appellationi connexum concedit, ideoque secus dicendum esset in hac facti specie, in qua appellatio interposita non erat intra legitima tempora, unde Episcopi judicium transitum fecerat in judicatum, & consequenter juxta terminos judiciales quotidianos cessabat remedium ordinarium appellationis, solumque remanebat extraordinarium restitutionis in integrum, quod non datur sine læsione, cujus fundamentum esset injustitia, ut *dec.* 1. *de restit. in integrum in novis*, & in aliis per Buratt. & Adden. *dec.* 130. atque est propositio in foro quotidiana; Et consequenter quod isto casu ex hac circumstantia videretur contrariam sententiam probabilius tenendam esse; Verum licet in dicta disputatione habita in S. Congregatione Concilii obtentum fuerit intentum, ut punctus remitteretur ad Rotam disputandus; Attamen hoc non obstante, pro eadem provocatione Congr. inclinabat, idemque ut supra insinuatum est erat sensus Rotæ, declaratus occasione mandandi oretenus, atque ut dicitur per *memoriale*, quod novum examen fieret in plena Congregatione Vicarii Urbis.

Quo vero ad secundum punctum disputatum in Signatura gratiæ, an scilicet dicto appellanti concedenda esset commissio appellatione remota, Dicebam etiam cum sensu veritatis, incongruam esse petitionem, quoniam Sacr. 9
Concilium Trid. in hac materia, appellationem rejectis omnino denegavit, ob vehementem præsumptionem Ordinarii judicio assistentem; Ac etiam ob dictam satis convicentem rationem, ob quam praxis docet dictam Constitutionem Pii V. quæ ex quadam majori indulgentia id concedit, describere ad defatigandos provisos incommodis ac sumptibus litium, quæ frequentius ex quadam iracundia per postpositos in illo primo calore per appellationem introducuntur, cum rari sint casus, in quibus dicta irrationabilitas convinci valeat, ob alias circumstantias ut supra considerandas, majori etiam litteraturæ preponendas; Ideoque licet per dictam Constitutionem id concedatur, attamen id fieri videtur absque nimio prælectorum præjudicio, dum interim non impeditur eorum provisionis executio, concessa solum facultate appellandi ad solum effectum devolutivum; Adhuc tamen ex præmissis dicta Constitutio in hac parte videtur exorbitans, & consequenter ex orbitantia extendenda non venit, tam circa substantiam ipsius appellationis, alias a Concilio rationabiliter denegatæ, quam circa modum tollendi appellato alias instantias.

Et quamvis scribentes pro appellante nimium insisterent in eo, quod inter causas, ob quas hujusmodi gratia 10
de congruo concedenda est, relatas per Marchef. *de commiss. appellatione remota*, *part.* 1. *cap.* 8. *n.* 4. *cum seq.* sit illa ætatis collitiganti in hujusmodi juribus vitalitiis, ne alias diuturna lis per plures instantias, inane reddat bonum jus provisi, atque fomentum præbeat habenti malum jus, ita indirecte victoriam obtinendi; Attamen dicebam id recte procedere in causis Beneficialibus, in quibus contentio sit super titulo Beneficii inter duos ex eadem vacatione a diversis collatoribus provisionem habentes, seu alias præter odibilitatem de Beneficii pertinentia contendentes, quo casu Signaturæ stylus est, concurrente gravi ætate, hujusmodi gratiam concedenti: Ubi vero ea non est adeo gravis, tollendi unam instantiam cum rescripto, ut liceat semel appellare; Nullatenus vero hujusmodi gratia concedi solet odiosis impetrantibus certo modo Beneficia viventium, & qui per Beneficialistas, *piscatores* dicuntur, quorum speciem isti sic appellantes habere videntur, utpote turbantes provisos, ac possessores.

Demum quoad tertium punctum in Rota disputandum (& qui incidenter deductus fuit pro gustu juxta stylum tam in Sacr. Congreg. quam in Signatura gratiæ) supra irrationabili judicio Episcopi, de plano pro exclusione 11
prætensæ irrationabilitatis respondendum, videbatur, quoniam æqualis litteratura jam firmata fuerunt in novo provocato examine in Curia, neque prælecti idoneitas impugnari poterat per oppositorem, dum idem tamquam examinator synodalis in concursu de recenti habito ad aliam parochialem eum approbaverat, ut in specie dixit Rota in Calaguritana Beneficii de Alcarto 12. Februarii 1595. coram Corduba; Aliæ vero qualitates magis concurrebant in prælecto, qui erat Doctor, diu versatus in Curia, Minister S. Officii, ac etiam Vicarius foraneus; E converso autem pro oppositore concurrebat solum major prærogativa ætatis, quam in hac facti specie dicebam potius retorquendam esse, atque comprobare rationabile judicium Episcopi, dum agebatur, de plebania 12
rurali cum obligatione exercendi curam cum incolis sparsim viventibus in locis montuosis, & alpestribus, unde senex non erat idoneus, eique ubi esset jam rector, dari debuisset ex ista causa coadjutor.

Alia etiam notabili circumstantia concurrente, quæ oppo- 13
sitoris exclusionem satis comprobabat, quod scilic. ille jam provisus de altera parochiali, eam voluntarie dimiserat ex permutatione cum simplici Beneficio, quæ circumstantia satis habetur in consideratione etiam in Dataria, & in gratiosis collationibus, præferendo non provisum proviso, atque illa deputatur una ex justis causis concedendi prelationem, ex regula 16. *hodie* 17. *Cancellariæ*, ubi Mandos. *q.* 16. Rot. in Luccana Cappellaniæ 1. Junii 1650. Bich. *dec.* 50. *n.* 22. *par.* 11. *rec.* Esset enim species mercaturæ, quoniam si habebat animum continuandi in exercitio curæ animarum, non debebat primam sponsam dimittere, præsertim, quia dimissio non fuerat gratuita, sed mediante permutatione cum altero beneficio ad majorem ditationem, quatenus deinde illud aliud obtineret, Atq; hanc credebam veritatem,

VENETA JURISPATRONATUS, PRO PROMOTORE FISCALI CURIÆ PATRIARCHALIS. CUM ANTONIO PANTOSO.

Casus disputatus in Rota, & resolutus, ut infra.

De eadem materia appellationis a rejectione in concursu, & provocatione ad novum examen juxta Constit. Pii V. Et an examen sit subdelegandum in partibus, vel sequi debeat in Curia; & an in Parochialibus de jurepatronatus intret concursus ad formam Concilii, & dictæ Constitutionis Pii.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod detur provocatio ad novum examen etiam non docto de irrationabilitate.*
5 *Quando sit necessaria integra transportatio actorum in genere.*
5 *In specie de actis concursus.*
6 *An semel approbatus indigeat novo examine, ac possit reprobari.*
7 *Confessarii Monialium non admittuntur in uno Monasterio, in altera sic.*
8 *De remissione novi examinis in partibus.*
9 *De ratione ob quam introductum est novum examen in Urbe.*
10 *An in parochialibus de jurepatronatus intret concursus.*
11 *Etiam in parochialibus de jurepatronatus, vel aliis, in quibus non servatur forma concursus, adhuc examen super idoneitate coram Examinatoribus synodalibus fieri debet.*
12 *De differentia inter parochiales liberæ collationis, ac illas ad præsentationem, vel nominationem.*

D I S C. VII.

1 POstquam Antonius Pantosus per plures annos absque legitima auctoritate Ordinarii exercuerat officium Curati in Ecclesia Collegiata S. Cassiani Venetiarum, cui animarum cura annexa est, deindeque ab eodem Ordinario suspensus fuit, curavit ad eamdem Ecclesiam præsentari per patronos laicos, sed in examine fuit reprobatus per majorem partem examinatorum, juxta quorum votum servatis servandis prodiit sententia rejectionis, a qua interposita appellatione, &
2 commissa causa in Rota coram Celso, sub die 30. Januarii 1660. prodiit resolutio pro subdelegatione examinis in partibus, stante dicti Pantosi gravi ætate, ut ex decisione desuper edita inter suas *decis.* 307.

3 Duo igitur erant puncta; Primus, an appellans admittendus esset ad hanc provocationem, & secundus circa locum; Quoad primum, admissa etiam opinione, quam sequitur Sacr. Congregatio Concilii, & quam Rota reveretur, quod scilicet appellanti liceat, etiam non docto de irrationabilitate judicii, ad novum examen provocare, juxta decisiones in Majoricen. Parochialis 15. Junii 1646. & 28. Junii 1647. coram eodem Celso inter suas *dec.* 5. & 24. cum aliis, de quibus, *disc. præced.*

Adhuc tamen dicebam, scribens pro Promotore Fiscali, dictum examen decernendum non esse ex defectu jurisdictionis, qua ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 20. in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis caret judex appellationis ante transportationem actorum, quæ debet esse integra etiam irrelevantium, utpote requisita per Concilium pro forma; In hoc differentibus causis ecclesiasticis a mere
4 prophanis, quod in istis, de quibus Concilium non loquitur, unde remanent sub dispositione juris communis, necessaria solum est transportatio relevantium, ex quibus judex ad quem dignoscere valeat, an judex a quo bene, vel male processerit, in aliis vero transportatio debet esse integra etiam irrelevantium, utpote a Concilio requisita pro forma, ut bene ita distinguendo inter causas ecclesiasticas, & prophanas firmatur in Romana Societatis Officii 17. Martii 1647. coram Arguelles *disc.* 35. *part.* 10. *recent.* cum aliis per Adden. ad Buratt. *decis.* 405. *num.* 21. Dictamque transportationem præcessisse constat ex dicta Majoricen. Parochialis 13. Junii 1645. coram Celso in Calaguritana Beneficii de Saltnillas 18. Junii 1654. cor. Verospio, & in alia Calaguritana 5
de Alesson. 15. Junii ejusdem anni coram Priolo, & plerisque aliis Calaguritanis, quæ in hac materia nimis frequentes erant, atque ob amplitudinem diœcesis, ac numerositatem Beneficiorum Curiam nimis ditabant causis Beneficialibus, priusquam prodiret Apostolica declaratio, de qua *sub tit. de benefic. disc.* 67.

Et quando etiam non obstaret dicta Conciliaris dispositio, quæ in causis Ecclesiasticis id præscribit pro forma, adhuc tamen ex sola dispositione juris communis, dictam transportationem saltem relevantium, omnino necessariam esse dicebam ex ea clara ratione, quod in parochialibus providendis non attenditur sola sufficientia circa litteraturam, sed etiam principaliter investigantur aliæ qualitates circa vitam, & mores, ac prudentiam, & an populo gratus, vel e converso scandalosus futurus esset cum similibus, ut pluries in *præced.* Et consequenter expectanda sunt acta, ex quibus dignosci valeat de causis, quæ movere potuerunt Examinatores, vel Ordinarium ad rejiciendum, cum ex novo examine ad aliam cognitionem deveniri non possit, nisi ad sufficientiam circa literaturam, quæ sola non sufficit, dum stant bene simul, aliquem esse litteratum, & tamen non esse aptum, & idoneum ad curam animarum, ut bene in allegatis Majoric. cum aliis *in præced.*

Et quamvis scribentes pro appellante satis insisterent in eo, quod fuisset alias ad Parochiales approbatus, eisque Rota adhæserit, nihilominus id nihil relevare videbatur, quoniam quidquid sit quoad alia beneficia non curata, sive quoad alium punctum, ac scilicet semel approbatus reprobari posset, vel novo supponi possit examini, de quo in Pampilon. *disc.* 16. 6
Attamen receptum est, approbationem occasione unius parochialis non suffragari pro altera assequenda, Garz. *part.* 9. *cap.* 2. *n.* 153. & 266 Rota *dec.* 174 *n.* 15. *part.* 5. *rec.* & in aliis; Potissime ubi notabile intervallum inter unum examen, & aliud intercedit, cum tunc desertis studiis per oblivionem effici potuerit illiteratus, ut infra in *disc.* 16. Ac etiam, quia retenta quoque litteratura, adesse potuit mutatio vitæ & morum in deterius; Quinimo etiam sine mutatione, stant bene simul, eamdem personam esse habilem, ac idoneam ad unam parochiam, & non ad alteram ob facti circumstantias, ex quibus in una sit congruus, in altera vero incongruus.

Quod frequenter practicatur in confessariis monialium, qui non nisi currentibus ætate gravi, ac vitæ & morum probitate, aliisque bonis qualitatibus ad hujusmodi munus in genere deputantur, & tamen quotidiana experientia docet, eosdem dictis qualitatibus 7
pollentes, ad unum monasterium admitti, ad alterum vero non; Quinimo ab uno removeri, atque ad alterum transferri, quod etiam practicatur in Episcopatibus aliisque Prælaturis; Verum hæc impliciter admittere videtur decisio, respondendo difficultati cum solo facto, quod scilicet constaret de transportatione.

Quo vero ad alteram partem dubii super loco decernendi examen, an scilicet sequi deberet in Curia coram judice appellationis, vel potius subdelegandum esset in partibus; Dicebam quod casus erat jam decisus per 8
allegatas decisiones Majoric. Parochialis coram eodem Celso, ex quibus liquet ad sensum Constitutionis Pii V. litterabiter quodammodo ita decernentis, receptum esse id fieri debere in Curia.

Contrarium tamen fuit resolutum ex dicto justo impedimento gratis, quod mihi in contrarium scribenti placuit, quoniam ista praxis decernendi examen in Curia videtur 9
quodammodo irrationabilis, præsertim ubi accedit dicta circumstantia gravis ætatis, vel altera longæ distantiæ; Ac etiam quia in Curia deveniri quidem potest ad notitiam sufficientiæ circa litteraturam, non autem circa aliam magis necessariam sufficientiam quoad vitam, & mores, ac prudentiam & populi gratitudinem.

Cumsiderabam tamen, forte prudenter talem praxim introductam esse, ad compescendos scilicet hujusmodi appellantes, ut ob hujusmodi commoditatem ab hoc retrahantur, quæ tamen ratio recte militans in isto casu ob delectum concurrentis prælecti, non semper est bona cum sæpius retorqueri valeat, quod scilicet rejectus, ex iracundia, vel in odium prælecti, hujusmodi appellationem interponat, atque prælectum provocet pro illius incommodo, pro quo evitando quandoque prælectus cogitur parochialem deserere

Hinc

Hinc proinde non bene regula generalis desuper statuenda est, sed etiam intra montes, intra quos regulariter ista praxis recepta est contradistinctè a locis ultra montes juxta distinctionem, de qua in Calagurit. de Ochon. 19. Novembris 1649. coram Arguelles, sed discrete pro prudenti arbitrio juxta facti qualitatem, ac particulares circumstantias procedendum videtur, adeout videatur quæstio potius facti, & arbitrii, quam juris.

Scribentes in contrarium insistebant nimium in eo, quod hæc esset parochialis de jurepatronatus laicorum
10 non cadens sub dispositione S.C.T. & d. Constit. 33. Pii V. eisque adhæret decisio; Verum dupliciter tollebatur objectum; Primo, quod ad hunc effectum omnino necessaria erat actorum transportatio, ad effectum inspiciendi, an plures a compatronis præsentati essent, cum tunc adhuc provisio facienda esset per concursum ex collectis per Barbos. *ad idem cap. 18. num. 146.* Adden. ad Greg. *decis. 444. n. 4.* & ad Buratt. *decis. 25. num. 10.* ubi concordantes, & infra, *disc. 37.*

Et secundo clarius, quia licet non intret concursus
11 ad d. formam Concilii ad effectum libertatis, quod scilicet cuique liber pateat aditus, ut est in parochialibus ad liberam collationem, attamen illi qui præsentantur, adhuc examinari, ac approbari debent ab eisdem examinatoribus synodalibus ad Concilii formam deputatis pro examine habendo, ut ad litteram disponitur in textu Concilii, ac firmant communiter Gonz. Garz. & cæteri beneficialistæ collecti per Adden. ad Greg. & Buratt. & per Barbos. *ubi supra,* Rota in Lauden. Parochialis 9. Junii 1649. Meltio, & infra *d. disc. 37.* ubi de concursu in genere.

In duobus igitur differre videntur Parochiales liberæ
12 collationis, vel de jurepatronatus ecclesiastico, quæ in hoc liberis exæquatæ sunt, ab illis de jurepatronatus laicali; Primo, quod in prima specie datur quibuscumque aditus concurrendi, non autem in alia, dum provisio facienda est solum de persona præsentata quoties sit idonea; Et secundo, quod licet etiam in illis de jurepatronatus examen super idoneitate fieri debeat per examinatores synodales, attamen non intrat illa discretio super prælectione unius inter plures, ut intrat in alio casu concursus ad illas liberæ collationis, nisi essent plures præsentati juxta ea quæ latius habentur infra, *d. disc. 37.* Idemque quod dicitur de illis de jurepatronatus, dicendum videtur de iis, quæ sint de mensa alicujus monasterii, sive annexa sint alicui dignitati, vel collegio, in quibus ad præscriptum Constitutionis Pii V. provisio facienda est ad nominationem eorum, quibus habitualiter cura annexa est, juxta plures casus, de quibus infra.

CASERTANA PAROCHIALIS, PRO ANSELMO ANTONIO, CUM TYBERIO.

Casus decisus per Rotam pro Anselmo Antonio.

De eadem materia provocationis ad novum examen, quæ fiat ab irrationabili judicio, an cesset si constet, provocantem debuisse rejici, unde in continenti pateat de irrationabilitate.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Non dubitatur amplius de conclusione, quod fieri potest provocatio ad novum examen non docto de irrationabilitate.*
4 *Non admittitur hæc provocatio, ubi esset circuitus inanis, quia provocans etiam solus non deberet eligi.*
5 *Inquisitio, vel diffamatio criminis arcet a beneficio assequendo.*
6 *Quando fortius id procedat.*
7 *Quod eligi debeat ille qui sit populo gratus, non autem exosus.*

DISC. VIII.

Prælecto per Episcopum Anselmo, Tyberius postpositus, qui in concursu per examinatores idoneus quo-
1 que renunciatus fuerat, interposita appellatione ab irrationabili judicio, & commissa causa in Rota coram Priolo, provocavit ad novum examen in curia prælectum, unde dato desuper dubio, sub die 31. Martii 1669. ad favorem 2 Anselmi provocati prodiit resolutio, cui credo quod provocans acquieverit, dum amplius de causa actum non audivi.

In hac autem disputatione, quamvis scribentes in contrarium deducendo plures declarationes S. Congreg. Concilii, atque desumendo totum *ex dec. 5. & 24. cor.* Celso, probare curarent, quod ad effectum provocandi ad novum examen in curia opus non est docere de aliqua judicii irrationabilitate, atque super hoc nimium se diffunderent; E converso autem alii scribentes pro hac parte conarentur docere de prudentia, & bonis moribus, aliisque animi dotibus prælecti, ad effectum ostendendi rationabilitatem judicii Episcopi, atque in his pariter nimium se diffunderent; Expertus ta- 3 men ego casus de quibus *in duob. disc. præced.* quod hodie firmiter vivatur in hac opinione admittendi d. provocationem absque alia discussione, quæ reservatur ad aliud dubium disputandum postquam in curia sequutum est examen circa litteraturam, super judicii rationabilitate, vel irrationabilitate; Hinc proinde his neglectis, atque implicite admittendo, quod ubi provocans aliud non haberet obstaculum, affirmative respondendum esset, potissime quia neque gravis ætas contendentium, neque magna loci distantia excusationem inducere poterant.

Totum ac principale fundamentum constituebam in circuitu inani, sive actus irrelevantia, juxta ea quæ habemus quotidiana in materia remissoriæ, vel com- 4 pulsoriæ specialis non concedendæ, quando constat, materias articulatas, ubi etiam essent probatæ, non relevare; Posita etenim irrelevantia, quodque provocans, ubi etiam longe magis idoneus detegeretur, quinimo fortius, quod reprobato provocato, seu nolente se exponere novo examini, ipse esset solus, adhuc non deberet ad beneficium admitti; Tunc enim intrare quoque dicebam ea, quæ ad materiam text. *in l. altius, C. de servit. & aqua* habemus in materia æmulationis, quoties actus alteri nocet, ac facienti non prodest; Ita etiam deducendo per argumentum a contrario vulgare axioma, *ut quod uni non nocet, & alteri prodest &c.* Ac etiam alterum pariter satis vulgare axioma super *inani circuitu &c.* cum ob casus singularitatem super lege nova, seu verius nova ejus praxi, quasi a temporibus dd. decisionum coram Celso in Rota magis stabilita, non de facili haberentur auctoritates ac decisiones ad hanc speciem descendentes.

Stante igitur facti præsupposito, quod provocans alias possessor alterius ibi congruæ parochialis, nedum diffamatus, sed etiam formiter inquisitus fuisset de stupro unius 5 ex ejus parochianis, cum procurato etiam abortu, quodque licet ex defectu probationum, non autem ex capite innocentiæ, atque ut criminalistæ dicunt, *ex hactenus deductis,* reportasset sententiam absolutoriam, ea tamen non obstante remaneret diffamatus; Hinc proinde clarum esse dicebam, quod ubi etiam in concursu ipse solus idoneus reputatus fuisset, quinimo ubi etiam ob non factum, vel male servatum concursum ipse provisionem Apostolicam obtinuisset, adhuc tamen repellendus erat, juxta ea, quæ distinguendo inter privationem juris quæsiti, & exclusionem a jure quærendo, ut ad primum effectum requiratur concludens, ac perfecta probatio delicti, ad alterum vero sufficiat sola diffamatio, ac non relevet sententia absolutoria, quoties non sit ex capite omnimodæ innocentiæ, habetur supra, *sub tit. de benef. in Calagur. & in Novarien. disc. 70. & 71.* ubi de auctoritatibus, ac decisionibus.

Potissime vero, quia totus populus parochiæ ejusque Communitas, quinimo & loci Dominus expresse instabant d. provocantem desuper non audiri, nedum quia ob dictam 6 criminis diffamationem esset populo scandalum præbiturus, sed etiam, quia ob illius regionis nimium asperos mores in hac materia honestatis mulierum, omnino impracticabile fuisset exercitium curæ animarum cum mulieribus; Ex hac enim circumstantia dicebam, quod versabamur in terminis longe fortioribus illis, de quibus in allegatis Calag. & Novarien. cum ibi crimina non essent in officio, atque referri possent, vel motivo ambitionis ac honorificentiæ, vel respective motivo caloris iracundiæ absque positiva turpitudine, ac timore novorum criminum, ut in præsenti, adeout isto casu, quamvis ad formalem inquisitionem, & carcerationem deventum non esset, adhuc sola sinistra populi opinio sufficere deberet, quoniam inter eas circumstantias, quæ in hac materia considerari solent ac debent, majorem litteraturam, seu majorem ætatem, vel majorem gradum suffocantes, præcipua, ac forte primaria est illa, quod qui præponendus est, sit gratus, sive non ingratus 7 vel

7 vel non exosus populo; Adeout antiquus usus in Ecclesia haberetur præponendi clericos a populo nominatos, quem tamen usum quamvis nimium commendabilem, ac practicandum abolere oportuit ob laicorum ac populorum petulantiam, quod ita prætendere cœperunt jus patronatus, ac præsentandi, ut habetur apud Caval. *dec.* 419. ac pluries in materia Jurispatronatus sub eo titulo, & advertitur etiam occasione adhibendi deputatos laicos super custodia clausuræ monialium *sub tit. de jurisd. disc.* 27. *in fin.* Ideoque reflectendo etiam ad solam veritatem, justa, satisque probabilis visa est resolutio, potissime quia ad evidentiam incontinenti docebatur de certa idoneitate, tam circa litteraturam, quam alias animi dotes prælecti.

SURRENTINA PAROCHIALIS,

PRO PETRO CALIPHANO ET ARCHIEPISCOPO illi adhærente,

CUM JOSEPHO POLLIO ET CAPITULO LATERANENSI illi adhærente.

Casus decisus per Rotam pro Petro.

An in Ecclesiis parochialibus sitis in solo Basilicæ Lateranensis, ejusdemque tributariis, vel censualibus, servari debeat forma concursus ad præscriptum Concilii Tridentini, & Constitutionis Pii V. Vel potius provisio pertineat ad Capitulum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *In possessorio summariissimo retinendæ non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis.*
4 *Quod quandoque videatur de bono jure, & de effectibus.*
5 *De manutentione danda anteriori possessori, & quando obstet exceptio boni juris.*
6 *De privilegiis Basilicæ Lateranensis.*
7 *Non firmatur status præjudicialis sine scientia, & potentia.*
8 *Non attenditur ultimus status, ubi constat de contrario.*
9 *Potissime ubi lis est principaliter super jure conferendi.*
10 *Quomodo procedant, & intelligi debeant privilegia, de quibus supra, num.* 6.
11 *Privilegia exemptiva non suffragantur quoad curam animarum.*
12 *De differentia inter illas quæ origine sunt parochiales, & eas, quibus Episcopus dedit populum, & territorium.*
13 *De alio casu similis controversiæ.*

D I S C. IX.

CUm in plano Surrentino adesset quædam Ecclesia sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis, ut sup-
1 ponebatur, constructa in solo, quod per construentes concessum fuerat Basilicæ Lateranensi, ad effectum gaudendi ejusdem Basilicæ exemptionibus, ac privilegiis, de quibus habetur in Beneventana Ecclesiæ *sub tit. de jurisd. disc.* 39. dictaque Ecclesia esset nimium commoda incolis libenter in ea divina recipientibus; Hinc proinde Archiepiscopus de anno 1567. ad supplicationem populi ibi proxime viventis, ac etiam cujusdam Confraternitatis in eadem Ecclesia erectæ, prævia dismembratione partis populi, ac respective territorii ab aliis illi proximis parochiis, illam erexit in parochialem, sub expresso decreto, quod esse deberet ejus, ac pro tempore successorum Archiepiscoporum liberam collationem, ut de facto, contingentibus vacationibus, sequutum fuit, quamvis ex probabili motivo insinuato *disc. præced.* Archiepiscopi libenter præelegissent nominatum a populo, seu a dicta Confraternitate tamquam gratum; Sequuta vero hujus parochiæ vacatione de anno 1653. illaque prævio concursu ad præscriptum S. C. T. & Constitutionis Pii V. per Archiepiscopum collata Petro, in concursu prælecto, Capitulum Basilicæ Lateranensis ad nominationem d. Confraternitatis in vim suorum privilegiorum illam contulit Josepho, qui litteris expeditis, de facto in possessionem se intrusit, Quare introducta causa in Rota cor. Cerro deputato per ejusdem Basilicæ Archipresterum, datoque dubio in solo possessorio summariissimo retinendæ, tam quoad collatores quam quoad provisos, sub die 14. Junii 1656. pro manutentione Archiepiscopi in possessione conferendi, ac Petri in possessione Ecclesiæ 2
prodiit resolutio, adversus quam concessa nova audientia & reproposita causa, prodiit rescriptum, quod videretur de bono jure, neque hucusque ulteriorem progressum habuit, Petro, ac Archiepiscopo interim possidentibus.

In hujusmodi autem disputationibus, stante stylo, quod etiam ubi agitur de solo possessorio, quamvis de stricto juri in eo quærendum non sit de justitia, vel injustitia negotii principalis, sed attendatur nudum factum possessionis, remittendo reliqua ad petitorium, ut in specie 3
contentionis super Ecclesia parochiali habetur in Benevente. Parochialis cor. Cerro *dec.* 352. *part.* 10. *rec.* & in aliis, adhuc tamen deducantur concernentia bonum jus, quod nimium prodesse solet, vel ad effectum facilitandi resolutionem in possessorio, vel obtinendi (ut frequenter contingit) quod videatur de bono jure, & quan- 4
doque etiam cum sequestri provisionalis appositione, juxta casum, de quo infra in Faventina parochialis, *disc.* 16. Hinc proinde duæ fuerunt inspectiones, una in possessorio; Et altera in bono jure; Super prima vero modicæ, ac forte nullæ erant partes Advocati, quoniam nimium vulgaria, & quotidiana sunt principia juris circa manutentionem dandam possessori anteriori, quamvis anterioritas esset per diem, imo per horam, vel momen- 5
tum, rejiciendo ad petitorum concernentia bonum jus, quoties istud non esset omnino certum, ac indubitatum, seu quod anterior possessio non esset notorie intrusiva, sive habenda pro vacua, utpote attentata, vel infecta a decreto irritanti contento in regulis Cancellariæ, cum similibus, adeout omnes quæstiones videantur potius facti, & applicationis, quam juris.

Hinc proinde, Advocatorum opera magis erat super altera inspectione boni juris inter Archiepiscopum, & capitulum, contendentes de pertinentia juris conferendi, admisso etiam ex abundanti facti præsupposito (quod adhuc erat sub controversia) quod Ecclesia constructa esset in solo Lateranensi, adeout secluso isto puncto curæ animarum, intrarent aliæ ejusdam Basilicæ prærogativæ, seu privilegia, quoniam ubi neque hoc subsisteret, prorsus inane opus remanebat agere de hoc puncto concursus, ac provisionis parochialis.

Quatenus igitur ad hunc punctum pertinet, scribentes pro capitulo, dicebant ejus intentionem fundatam esse in 6
Indultis Apostolicis Honorii III. & Bonifacii IX. innovatis per Sixtum V. in ejus Constit. 19. & Paulum V. Const. 49. illaque esse in viridi observantia circa provisionem beneficiorum, constat ex deduct. apud Greg. *dec.* 153. & *in Montis alti beneficii* 15. *Decembris* 1645. cor. Bichio *impress. p.* 9. *rec. dec.* 366. & de aliis privilegiis circa exemptionem a jurisdictione Ordinarii habetur firmatum *in Cathacen. Ecclesiæ eadem p.* 9. *rec. dec.* 115. 217. 310. & 313. de quibus etiam *in d. Beneventan. Ecclesiæ, sub d. tit. de jurisd. disc.* 39.

Atque ad ultimum statum, qui deducebatur ex parte Archiepiscopi, dupliciter respondebant. Primo, quod 7
non constabat id sequutum esse cum ipsius capituli scientia & patientia, quæ in corporalibus stat loco possessionis necessariæ ad præscriptionem, vel aliud præjudicium, ut in specie privilegiorum hujus Basilicæ firmatur *in d. decis. Cathac. impress. part.* 9. *recent.* & est generalis propositio in foro quotidiana.

Et secundo, quod ut pluries advertitur ad materiam ultimi status *sub tit. de benef.* & sub altero *de jurepatr.* iste non attenditur, quando incontinenti per publica documenta constat de contrario, Marescott. *lib.* 1. *var. cap.* 55. *n.* 68. apud Dunoz. *dec.* 561. & 857. *dec.* 188. & 229. *part.* 1. *rec. Luccana Cappellaniæ* 1. *Julii* 1650. Bich. *dec.* 74. *part.* 10. *rec.* & frequenter; Fortius vero ubi licet agatur de lite inter provisos, attamen sunt in causa collatores, atque principaliter agitur de pertinentia juris conferendi, ut ita distinguendo, atque contrarias decisiones conciliando advertitur *dec.* 154. *n.* 3. & 4. *part.* 1. *rec.* & *in d. Luccana Cappellaniæ cor. Bich. dec.* 74. *p.* 10. *rec. n.* 10. & *seq.* & *in aliis.*

His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis, contrarium omnino probabilius dicebam, scribens pro Archiepiscopo, ac proviso per eum; Non impugnabam etiam hujus Basilicæ privilegia per me quoque defensa in d. Benevent. Ecclesiæ, quoad exemptionem materialem ipsarum Ecclesiarum, quæ sint in solo Lateranensi, a jurisdictione ordinaria, non autem a delegata; Dicebam vero, eam non suffragari ad hunc effectum provisionis parochialium, aliorumque

rumque concernentium curam animarum, ac administrationem Sacramentorum ex pluribus fundamentis; Primo scilicet, quoniam ut advertitur in Feretrana Cathedratici
10 *sub eod. tit. de jurisd. disc.* 38. ubi de hujus Basilicæ privilegiis quoque agitur per Pium IV. revocata fuerunt antiqua privilegia Honorii, & Bonifacii, ac aliorum: Et quamvis per Sixtum V. moderata d. revocatione, illa reintegrata, seu innovata fuerint per ejus Const. 19. attamen expresse eximuntur concernentia curam animarum, ac administrationem Sacramentorum, circa quæ
11 intacta relinquitur dispositio Conc. Trid. & Constitutionum Apostolicarum Pii V. aliorumque Pontificum, dum a Conc. Trid. citra, ut pluries advertitur *sub tit. de jurisd.* præsertim in Faventina *disc.* 4. hujusmodi privilegia exemptiva istam materiam non comprehendunt.

Secundo magis in specie, quod erectio hujus parochialis sequuta fuit de tempore, quo hujusmodi privilegia jam abolita erant adhuc non reintegrata, & sic in eo intermedio tempore inter Pium IV. & Sixtum V. unde in ipso limine erectionis nata fuit libera, atque jus quæsitum Ordinario, cui Sixtus V. præjudicare noluit, dum etiam quoad Ecclesias erigendas eatenus reintegrationem concessit; dictaque privilegia suffragari voluit, quatenus id sequeretur de consensu Ordinarii.

Tertio clarius, quia jus Ordinarii non solum provenit ex generali dispositione juris communis, ut proxime supra, sed etiam ex pacto, & speciali conventione, quoniam supplicantibus dicta confraternitate, & incolis ibi proxime viventibus pro erectione hujus parochiæ, Ordinarius id concessit sub expressa conditione, quod provisio Rectoris esse deberet ad ejus liberam dispositionem ad formam juris, & S. C. T. ideoque versabamur in contractu correspectivo ut infra.

Clarius vero, ac extra omne principium dubitandi, quoniam hujusmodi inspectiones, an scilicet Ecclesiæ parochiales, quæ sint annexæ alteri Ecclesiæ ejusque
12 membra, seu de mensa, cadant necne sub concursu ad formam Concilii, vel potius provideri debeant ad nominationem juxta Const. 47. Pii V. percutiunt casus, in quibus ipsæ Ecclesiæ, attento earum nativo, seu antiquo statu essent jam parochiales habentes proprium territorium, ac populum, adeout nisi supervenissent Conc. Trid. aliæque Apostolicæ Constitutiones, Ordinariis locorum hanc jurisdictionem delegantes, provisio spectaret ad ipsas Ecclesias majores, de quarum mensa, seu membris ipsa Ecclesia parochialis existat. juxta casus, de quibus infra in Senogallien. ac Mediolanen. *disc.* 12. & 13. ac in aliis, quo etiam casu præsentatio, seu nominatio fieri debet ab Episcopo, ad quam pertinet approbare ex ibi deductis.

Verum iste non erat casus, quoniam admissa etiam situatione hujus Ecclesiæ in Lateranensi, quod circa eam ejusque servientes, ac ministros de plano intrarent dicta privilegia, attamen ipsa Ecclesia non erat parochialis, nullumque habebat populum & territorium, sed erat simpliciter constructa intra fines alterius parochiæ, ad devotionem volentium ad illam confluere, sine tamen aliquo jure parochiali, unde quando erectio in parochialem sequuta fuit, Archiepiscopus prævia dismembratione territorii, ac populi ab aliis ejus parochiis liberæ provisionis, ac sub ejus omnimoda jurisdictione, & potestate existentibus, tamquam per contractum correspectivum sub hac lege territorium, ac populum concessit, ideoque admittendo dictæ insignis Basilicæ privilegia, quæ non impugnare, sed potius tueri ac ampliari profitebar, dicebam ea recte procedere in eo quod est suum, idest in ipsa Ecclesia materiali, ejusque ministris ad solum servitium, seu cultum ejusdem Ecclesiæ destinatis, non autem in eo quod est alienum, de quo esset locupletari invito domino, ac spreta illa lege, sub qua, & non alias dominus, ex benevolentia, & ad gratificationem concessit, super quo dari non possunt privilegia, quæ suffragantur, nisi Papa de ejus potestatis plenitudine ex certa scientia, & cum expressa derogatione juris tertii id specialiter concedat.

Idem scripsi pluries consultus pro veritate in similibus controversiis super Ecclesiis parochialibus sitis in hoc solo
13 Lateranensi, vel annexis aliis Ecclesiis ad ipsam spectantibus, præsertim occasione vacationis Ecclesiæ parochialis S. Matthæi Civitatis Messan. quæ supponebatur annexa, & de mensa Abbatiæ S. Mariæ de Balnearia Rhegginen. diœcesis, per ipsum capitulum possessæ, occasione vacationis sequutæ de anno 1660. scribendo pro Vincentio de Abbatissa in concursu prælecto, atque in vim testimonialium Ordinarii proviso per Sedem Apostolicam cum Josepho Maresca ita proviso per capitulum hujus Basilicæ, ac in aliis, in quibus deducebam eadem, quæ in præsenti disputatione habentur.

BARCHIONEN. PAROCHIALIS, PRO FRANCISCO RIBALDA, CUM MICHAELE GARAU.

Casus decisus per Rotam pro Michaele.

De eadem materia concursus in parochialibus juxta formam præscriptam a Concil. Tr. An servari debeat in Vicariis parochialium unitarum alicui dignitati, vel beneficio, seu collegio; Et quando dicatur constare de unione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causæ.*
3 *In Vicariis Ecclesiarum parochialium unitarum non intrat concursus.*
4 *Declaratur quomodo, & quando id procedit.*
5 *Unio sine solemnitate, & causa non valet.*
6 *Quomodo dignoscatur unio.*
7 *Quando Ecclesia dicatur unita, vel potius subjecta, & reddititia.*
8 *Verbum* præsentare, *an excludat unionem, & probet patronatum, & de ratione.*
9 *De observantia pro beneplacito præsumpto qualis esse debeat.*
10 *Quando in hac materia concursus deferendum sit necne observantiæ.*

DISC. X.

DE mense Februarii Apostolico, vacavit Ecclesia 1
parochialis S. Stephani de Cerviliano, unde Ordinarius ad formam Conc. Tr. indixit concursum per edictum præfixione termini, quo durante Decanus Cathedralis, sub prætextu, quod d. Ecclesia unita esset ejus Decanatui, nominavit ad formam Bullæ Pii V. Michaelem coram eodem Ordinario, qui ob non justificatam unionem, d. nominatione rejecta, perfecit concursum, in quo renunciatus fuit magis idoneus Franciscus, qui in vim testimonialium obtinuit provisionem Apostolicam, executioni etiam demandatam; Verum d. Michael aliam provisionem Apostolicam in vim dictæ nominationis obtinuit, commissaque istius executione in Rota cor. Taja, ac dato dubio, an litteræ essent
exequendæ sub die 26. Junii 1662. affirmativa prodiit 2
resolutio, ad cujus normam prodiit etiam sententia, cujus resolutionis fundamentum fuit unio, utpote plenissime firmata occasione alterius vacationis ejusdem Ecclesiæ in consimili Barchion. de anno 1646. cor Corrado, quæ habetur impress. *dec.* 330. *part.* 9. *rec.* ubi ad satietatem, posita unione, firmatur etiam conclusio, de qua pluries in aliis proximis, ut in hujusmodi parochialibus alteri Ecclesiæ, vel beneficio unitis,
cum non agatur de principali Rectore, sed potius de Vi- 3
cario deputando ad nudum exercitium curæ, quæ habitu residere dicitur pœnes eum, cui annexa est, non intret dispositio Conciliaris, sed potius Constit. 47. Pii V. non obstante quacumque contraria observantia, quæ abusui potius, & corruptelæ referenda est, ut *in dict. dec.* 330. *p.* 9. ubi ad satietatem concordantes, & ad quam hæc posterior decisio fere in omnibus relationem habet.

Scribens pro Francisco approbato in concursu, non impugnabam d. conclusionem, utpote veram, atque hodie incontrovertibilem, quoties constat de formali, ac valida unione, per quam existente cura habituali pænes Ecclesiam, vel beneficium, cui facta est unio, agatur de providendo Vicarium pro solo exercitio, cum tunc iste consideretur tamquam nudus minister, ac famulus, non autem tamquam Ecclesiæ Rector, & sponsus; Secus autem ubi pœnes providendum, sive
nuncupetur Rector, sive Vicarius (cum vis non stet 4
in vocabulo, seu nuncupatione, sed in rei substantia) resideat omnimoda, & totalis cura, tam actualis, quam habitualis, itaut unio, vel tamquam invalida habenda sit pro infecta, ac non existente in rerum natura, sive illa percutiat quædam emolumenta, de quibus altera Ecclesia, vel beneficium participare debeat, non autem ipsam curæ substantiam, seu habitualem competentiam,

tiam, ut ita distinguendo cæteris relatis firmatur apud Burratt. *dec.* 214. *n.* 2. *dec.* 163. 579. *&* 710. *par.* 2. *recent. in omnibus*, *n.* 1. & admittitur apud Merlin. *dec.* 115. *n.* 4. ac non negatur in d. alia decisione coram Corrado, & in aliis dictam regulam firmantibus, de quibus in Assisien. *disc. seq.* & in aliis proximis *hoc eod. tit.*

Utrumque videbatur in hac specie concurrere, quod sc. unio esset invalida, quodque data etiam validitate, illa esset impropria, & abusiva, utpote magis percutiens quoddam juspatronatus, seu protectionem, ac emolumentorum participationem, quam ipsam formalem Ecclesiam, ejusque habitualem curam, & jus parochiale.

Primum motivum invaliditatis dictæ unionis habet pro se regulam, quoniam cum ex titulo exhibito per ipsum Decanum, vel per nominatum ab eo constaret, d. unionem factam esse per Ordinarium absque beneplacito Apostolico, & non justificata causa necessitatis precise, hinc proinde actus corruit, quoniam dicitur species alienationis ex iis, quæ deducuntur eadem *dec.* 330. *n.* 4. *&* 11. *cum seq. p.* 9.
5 *recent.* Et de unione facta per ordinarium absque præcisa necessitate, ut vel sit invalida, vel subjaceat supervivenribus regulis revocatoriis unionum, habetur pluries actum *sub tit. de benef.* præsertim in Mediolan. beneficiorum *disc.* 47. & in aliis, & conferunt quæ habentur infra in Novarien. & in Bononien. *disc.* 33. *&* 35. in materia divisionis, seu dismembrationis parochialium.

Alterum motivum circa speciem, seu qualitatem unionis, ubi etiam hæc valida esset, ut sc. percuteret solum participationem emolumentorum, cum quadam patronali præeminentia, pariter videbatur probabile; Ad dignoscendum enim quomodo talis unio facta censeatur,
6 principaliter inspicitur pœnes quem resideat universitas bonorum, ac jurium Ecclesiæ, illorum præsertim quæ sunt magis propria, & peculiaria juris parochialis, ut est jus percipiendi decimas; Si enim hæc universitas residet pœnes eum, cui unio facta prætenditur, tunc recte intrat regula, quoniam pœnes ipsum vere dicitur residere cura, seu jus parochiale, ita residente pœnes alterum nudo exercitio; Secus autem e converso, ut ita distinguendo apud Buratt. *dec.* 214. *n.* 4. *& d. dec.* 579. *&* 710. *utrobique n.* 3. *part.* 2.

In hac vero secunda parte probabilius versari videbamur, quoniam hujus parochiæ Rector possidet decimas, omniaque bona, & jura parochiæ; Decanus vero consequitur, juxta tam primæ, quam hujus secundæ decisionis præsuppositum (adhuc ex parte in facto impugnatum) quoddam emolumentum pecuniarium, quod
7 referri potest ad pensionem perpetuam, vel ad censum, sive ad quamdam patronalem præstationem in recognitionem dominii, seu protectionis, ut bene in his terminis præcisis habetur in Bonon. parochialis 24. Aprilis 1651. coram Meltio, quæ videtur in hac materia magistralis, sæpius in aliis infra proxime recensita.

Quodque hæc Dignitas habeat solum in ista Ecclesia juspatronatus, probari videbatur, nedum ex eo quod ubi casus vacationis evenit, Decanus usus est termino præsentationis, qui patronatui magis convenit (quod tamen videtur leve fundamentum cum, isti
8 termini præsentationis, & nominationis haberi soleant pro synonymis, ac promiscue adhiberi, ut in hac parte bene firmatur *dicta dec.* 330. *n.* 24. *& sequenti*, *part.* 9.) Sed clarius quia exprese dicitur Ecclesiam esse de jurepatronatus, quod dici non potest verbum æquivocum, ut præcedens, sed univocum, cum juspatronatus dicatur servitus, quæ non datur in re propria, qualis dicitur Ecclesia unita, quæ per formalem unionem dicitur effecta nudum prædium alterius Ecclesiæ, cui facta est unio, atque huic fundamento nulla in utraque decisione datur responsio.

Et licet uterque defectus in utraque decisione salvati prætendatur cum observantia longissima inducente præsumptionem beneplaciti Apostolici, ac justæ causæ, necnon declarationem qualitatis unionis; Attamen non videbatur tutum fundamentum ex recepta propositione, quam in proposito beneplaciti præsumpti,
9 super alienationibus bonorum Ecclesiæ habemus quotidianam, ut ad effectum prædictum requiratur, quod observantia sit, nedum temporis longissimi, sed etiam continua, pacifica, non interrupta, ac univoca, non autem æquivoca, ex deductis apud Otthob. *dec.* 159. *n.* 11. *cum seq.* & in his terminis specialibus in d. Bonon. parochialis cor. Meltio, quia omnes defectus in hac facti specie concurrere videbantur; Tum quia participatio emolumentorum in certa præstatione pecuniaria remanet æquivoca, & referibilis ad pensionem, vel **censum, ut supra; Tum etiam quia processum fuit per** viam præsentationis, cum explicita narrativa jurispatronatus, unde propterea saltem actus remanet æquivocus, Et demum clarius, quia in casu vacationum, pluries provisio facta erat per concursum ad formam Concilii, unde observantia remanebat clare interrupta.

Neque obstare videbatur responsio tradita in 1. *dec.* cor. Corrado, cum qua posterior procedit, quod sc. fuisset error, seu abusus, quodque ob decretum irritans con- 10
tentum in Constitutione Pii V. quod inficit possessionem, quæcumque contraria consuetudo infecta remaneat, seu impedita, ne nascatur; Quoniam responsio est vera, quando aliunde certitudinaliter constaret de legitima, ac effectuata unione formali juxta primam speciem, itaut contraria observantia deduceretur tamquam præscriptiva, seu inductiva novi status, ut in aliis proximis ad hanc materiam advertitur; Secus autem ubi de unione non constat; seu illa de per se non est valida, & sufficiens, sed validitas, vel efficacia deduci prætenditur ab observantia, cum tunc actus contrarii non deducantur ad effectum inducendi diversam observantiam, seu consuetudinem, sed solum ad effectum tollendi d. observantiam, illamque interrumpendi ne nascatur, seu ad esse non producatur, itaut ex ea dicti effectus revalidativi, vel declarativi non resultant, atque huic fundamento non satisfaciunt decisiones, unde propterea intellectos non omnino eis acquiescebat; Est bene verum quod materia est potius facti, quam juris, ut advertitur in Senogall. *disc.* 12. & in aliis *hoc eod. tit.*

ASSISIEN. VICARIÆ
PRO CARDINALI LUDOVISIO COMMENDATARIO ABBATIÆ S. PETRI,
CUM PROMOTORE FISCALI CURIÆ EPISCOPALIS.

Responsum pro veritate.

An forma concursus præscripta per S. C. T. adhibenda sit in provisione Vicarii in Ecclesia Regulari, cui annexa sit cura animarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Distinguitur, quando in Ecclesiis parochialibus alteri Ecclesiæ subjectis intret concursus, & quando non.*
3 *De alia distinctione inter curam annexam ipsi Ecclesiæ Abbatiali, vel alteri Ecclesiæ, quæ prætendatur annexa.*
4 *Concursus voluntarius, & facultativus non præjudicat.*
5 *Decretum irritans contentum in Constitutione Pii V. irritat quemcumque actum contrarium.*
6 *De ratione ob quam antiquitus adhibebatur concursus, qui hodie non adhibetur.*

D I S C. XI.

Cum regulari, seu Abbatiali Ecclesiæ S. Petri Assisii 1
annexa esset cura animarum per unum Vicarium sæcularem exerceri solita, & qui forte, vel ex consuetudine, vel conniventia Abbatum pro tempore, perpetuus esse solet; Atque vacante hujusmodi Vicaria, Cardinalis Ludovisius Commendatarius ad formam Constit. 47. Pii V. Sacerdotem sæcularem ad hoc munus exercendum nominasset ab Episcopo approbandum, se opposuit Promotor Fiscalis, qui innixus cuidam enunciativæ Visitatoris Apostolici de anno 1573. quod Vicarius tunc existens per Episcopum in concursu approbatus esset, ac etiam duabus provisionibus per concursum sequutis de anno 1589. & 1599. prætendebat, in hujusmodi provisione dictam formam adhibendam esse, unde propterea requisitus ex parte d. Cardinalis Commendatarii de proprio judicio pro veritate;

Respondi omnino improbabilem videri d. Promotoris prætensionem, atque responso acquievit Episcopus, qui contentus simplici examine personæ nominatæ ad formam d. Constitutionis Pii V. cum eum reperiisset idoneum, approbavit, ac admisit.

Difficultas enim in proposito cadere solet, quando agitur de providendo Ecclesiam parochialem stantem de per se materialiter, ac de facto separatam ab Ecclesia monasterii, tunc enim decisio pendet ab ejusdem Ecclesiæ qualitate, an scil. illa sit unita monasterio, & de ejus mensa, vel potius censualis,

2 lis, seu de ejus jurepatronatus, ut isto casu intret dispositio Conciliaris pro concursu, secus autem primo, ex plene deductis in Bonon. parochialis 24. Aprilis 1651. coram Meltio, ac habetur in Senogallien. parochialis, *disc.* 12. & in aliis *hoc eod. tit.*

Ubi vero agitur de ipsamet principali Ecclesia regulari, seu monasteriali, cui annexa sit animarum cura, per unum
3 Vicarium quamvis secularem, ac perpetuum exerceri solita, tunc casus videtur indubitatus, ut non intret dispositio Conc. *sess.* 24 *de reform. cap.* 18. sed potius locum habeat d. Const. 47. Pii V. ut hujusmodi Vicarii provideri debeant ad nominationem, seu præsentationem eorum, quorum Ecclesiis annexa est cura, quæ habitu esse dicitur penes d. Ecclesiam, ejusque Rectorem percipientem decimas aliaque jura parochialia, actu vero seu in solo exercitio penes Vicarium, ex Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 5. *n.* 53. Garz. *par.* 9. *c.* 2. *n.* 289. *& seq.* Lotter. *lib.* 2. *q.* 31. *n.* 2. *cum seq.* Barb. *ad idem Conc. d. c.* 18. *n.* 5. *&* 10. *cum seq. & de Paroch. cap.* 3. *n.* 19. *&* 20. atque hanc opinionem perpetuo, & inconcusse firmavit Rota usque ab ann. 1584. *in una Tirason. de qua dec.* 798. *p.* 1. *divers. & de ann.* 1588. apud Garz. *d. cap.* 2. *n.* 290. *dec.* 102. *part.* 1. *rec.* 579. *&* 710. *part.* 2. *dec.* 16. *part.* 6. *dec.* 330. *part.* 9. *dec.* 48. *&* 104. *part.* 10. & apud Merl. *dec.* 106. & in aliis frequenter, quæ in proxime allegatis etiam habentur collectæ.

Et ex quibus liquet, procedere, sive ageretur de Ecclesiis sæcularibus, sive Regularibus; Ac etiamsi ageretur de Ecclesia parochiali, quæ materialiter distincta esset ab alia Ecclesia principali, cui annexa sit, quia punctus est, an agatur de providendo Ecclesiam, quæ principaliter, & de per se sit parochialis, itaut agatur de providendo illam sponso viduatam, unde providendus dici valeat ejus Rector, ac sponsus, quod verificabile non est in hujusmodi Ecclesiis parochialibus alteri Ecclesiæ, vel beneficio annexis, quia Vicarius non est Rector, vel sponsus, sed solum minister; Multo magis extra omnem dubitationem in hac facti specie, in qua Ecclesiæ sponsus, seu minister erat ipse Abbas, seu Commendatarius.

Ad prædicta vero contraria fundamenta, plures da-
4 bam responsiones, quarum una sufficiens videbatur; Primo scilicet quod illi potuerunt esse actus facultativi, ac ad quamdam voluntariam superabundantem satisfactionem, qui non inducunt statum, ut apud Merl. *d. dec.* 106. *n.* 8. *&* 9. *d. dec.* 330. *n* 29. *part.* 2 *recent.* Se-
5 cundo, ob decretum irritans contentum in dicta Constitutione Pii V. quod inficit quamcumque contrariam consuetudinem, vel possessionem, ac impedit, ne nascatur, ut in omnibus supra allegatis decisionibus, itaut potius dicenda sit corruptela, & abusus; Et tertio, quia non agebatur de observantia longæva, & continuata, itaut dici posset, quod cessante d. decreto irritanti, apta esset ad præscribendum statum contrarium, inducendamque legitimam consuetudinem, stante præsertim longissimo ultimo statu contrario in beneficialibus regulariter attendendo.

Ponderando etiam dicti contrarii usus rationem circa ea tempora sæculi præcedentis; Licet enim usque ab
6 anno 1584. iste fuerit sensus Rotæ ut supra, ac etiam Congregat. Concilii in una Abulen. de anno 1593. relata per Garz. *d. cap.* 2. *n.* 295.

Attamen hæc erant abscondita, etiam in curia, in qua antequam ederentur labores Gonz. Garz. Lotter. Barbos. & similium neque adessent tot Rotæ decisiones, paucis materiæ beneficiales innotescebant, multo magis extra curiam, neque Rota adeo materiam explanaverat, ut fecit in dictis modernioribus, ac aliis plerisque decisionibus, quarum prima, quæ circumfertur, magistralis est de anno 1605. in Ulixbon. coram Litta *dict. dec.* 12. *part.* 1. *recent.* ideo non mirum, si prius vivebatur cum ista credulitate in sæculo præcedenti, secus autem in currenti.

SENOGALLIEN. PAROCHIALIS, PRO BARTHOLOMÆO POLIDORO, CUM ÆMILIO AMATORIO.

Casus varie decisus per Rotam.

De eadem materia Constitutionis Pii V. super provisione Ecclesiarum parochialium, quæ prætendantur subjectæ alicui monasterio, vel alteri Ecclesiæ; Et quando servari adhuc debeat concursus coram Ordinario ad normam Concilii, vel sufficiat examen super idoneitate juxta Constitution. Pii V.

SUMMARIUM.

DISC. XII.

Parochiali Ecclesia Castri Leonis vacante, Episcopus Senogall. ad formam S. C. T. concursum indixit, in quo tamquam magis idoneus renunciatus fuit Bartholomæus, exinde cum subsequuta possessione provisus, Cardinalis autem commendatarius Monasterii S. Laurentii in campo prætendens, d. Ecclesiam esse de dicti monasterii mensa eique unitam, eam contulit Æmilio; Et commissa causa in Rota cor. Priolo, datoque dubio, ad quem spectaret jus conferendi, sub die 6. Junii 1664. pro dicto Cardinali commendatario prodiit resolutio, a qua deinde recessum fuit sub die 12. Februarii 1666. coram Bourlemont. in locum Prioli absentis subrogato, atque per subsequutam mortem Æmilii, causa ulteriorem progressum non habuit. 1 2

Scribens pro Bartholomæo proviso per Episcopum, qui etiam erat in causa, nedum pro substinenda collatione, sed etiam pro jure conferendi in futurum, usque ab initio, reflectendo ad solam veritatem, credebam, quod justitia Episcopo, ejusque proviso assisteret, unde propterea parum probabilis visa est prima resolutio, & consequenter probabilior secunda, quoniam ubi etiam subsisteret unio ex parte Abbatiæ prætensa, itaut Ecclesia dici posset de mensa Monasterii, adhuc tamen id importare non poterat jus conferendi Ecclesiam parochialem in aliqua diœcesi existentem, sed ad summum id eximebat a concursu juxta formam in parochialibus præscriptam a S. C. T. quodque ad formam Constit. 47. Pii V. Ecclesia providenda esset ad præsentationem, 3
seu nominationem Abbatis coram Episcopo, ad quem spectet approbatio præsentati, ejusque institutio, juxta decisiones & auctoritates de quibus in Assist. n. *disc. præc.* etiamsi Ecclesia esset Regularis, seu alias exempta, quoniam ut sæpius habetur *sub tit. de jurisd.* præsertim in S. Severini, & in Firmana *disc.* 14 *&* 15. ac in aliis, quando agitur de providendis Ecclesiis parochialibus, punctus non est in provisione ipsius Ecclesiæ materialis pro ejus cultu, ac administratione, sed est in providendo populum de Pastore, ac Rectore; ideoque cum populus sit sub cura, & gubernio spirituali Episcopi, ad illum tamquam primum Pastorem cognoscere pertinet, an sibi commissis ovibus congruus esset ille inferior, vel subordinatus Pastor qui præficitur; Unde dicebam scribendo in repositione, quod ubi etiam prætensa unio subsisteret, itaut intrarent conclusiones in prima decisione deductæ, adhuc resolutio improbabilis remanebat ob incongruam consequentiam, seu illationem, ad jus conferendi, seu ad substinendam collationem, directe ac immediate factam per Abbatem inconsulto Episcopo.

Verum neque jus nominandi ad formam dictæ Constitutionis Pianæ prætendi poterat; Illæ siquidem quæstiones potius facti quam juris, hodie principaliter consistere videntur in facto, super probatione sc. unionis, seu existentiæ de mensa; 4

mensa; Quatenus autem pertinet ad juris theoricam videtur, quod extra controversiam procedendum sit cum eadem distinctione, de qua in dicta Assisien. *disc. præc.* & in aliis proximis, quod scilicet aut constat de unione, ita ut Ecclesia dicatur de mensa, & tunc non intret concursus ad formam Concilii, sed potius nominatio ad Bullæ Pianæ formam; Aut de hoc non constat, & tunc casus est conversus, quamvis Ecclesia esset censualis, seu de jurepatronatus, aut alias subjecta monasterio.

Prout certa juris propositio est, unionem in dubio non
5 præsumi, sed per allegantem concludenter probandam esse, cum alias Ordinarius fundatam dicatur habere intentionem in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, ex deductis apud Otthobon. *dec.* 179. in principio Bononien. parochialis 24. Aprilis 1651. Meltio, & in omnibus aliis, de quibus in præcedentibus, & in hujus causæ secunda decisione coram Bourlemont, & est juris principium certum, admissum etiam in prima decisione, in qua proinde insistitur in facto super unionis probatione, quam judicatum fuit adesse ex quatuor fundamentis.

Primo præcipue, quod Ecclesia controversa sita esset in
6 dicto Castro Leonis, quod cum toto territorio spectat ad monasterium, unde desumitur præsumptio, quod sicuti spectat Castrum, ita & ejus Ecclesia, adducendo in id punctualiter firmata in Ulixbon. *dec.* 102. *p.* 1. & 204. *p.* 2. *rec. utrobique, n.* 2. Secundo, quod Abbates pro tempore ab anno 1450. usque ad annum 1513. providerint de ista parochiali absque concursu; Tertio, ob plures enunciativas antiquas, quod ista Ecclesia regi consueverit per presbyteros sæculares ad nutum Abbatis amovibiles; Et quarto, id deducitur ex actibus jurisdictionalibus, quos Abbas pro tempore in Ecclesię Rectores, & clericos exercere consuevit, quę tamen probationes, seu adminicula, tamquam omnino æquivoca, nullam probationem constituebant.

Potissimum vero primum quod super omnia in consideratione habitum fuit; illud enim claro æquivoco laborare
7 videbatur, quoniam ex dominio temporali, non infertur ad jurisdictionem spiritualem, cujus tamen quandoque aliquod de per se leve adminiculum præstat, cum aliis ponderabile ex deduct. in Toletana jurisdictionis *sub tit. de jurisd. disc.* 1. & in aliis ibidem.

Quinimo ponderabam illam circumstantiam potius retorqueri ad convincendos æquivocos alios actus, ex quibus cætera adminicula deducebantur, quod sc. ratione d. jurisdictionis temporalis competeret juspatronatus tamquam castro annexum; Dictæ vero decisiones in Ulixbon. nullatenus erant ad casum applicabi-
8 les, ob omnimodam diversitatem facti; ibi enim constabat, quod Ecclesiæ, de quibus erat controversia, essent sitæ intra fines Ecclesiæ principalis commendæ, quæ habebat jus decimandi in toto territorio, aliaque jura parochialia, & antequam dictæ aliæ Ecclesiæ construerentur, unde propterea clare resultabat illam esse solam parochialem, & sic dominam, & matrem in ipsa jurisdictione spirituali, seu parochiali, alias vero Ecclesias controversas postmodum constructas esse tamquam adjutrices, seu filiales proindeque juridice esse membra dictæ Ecclesiæ principalis, ac de ejus mensa.

Reliqua adminicula, seu probationis species, nullam fidem merebantur, utpote deducta ex quibusdam scripturis extractis ab archivio ejusdem Monasterii interessa-
9 ti, quod fidem non præstat, nisi aliunde earumdem scripturarum veritas comprobetur, ut ultra generalia satis frequentia, de quibus infra in Rom. jurium, seu finium parochialium *disc* 21. in his specialibus terminis excludendi unionem bene firmatur in Vicen. parochialis 20 Junii 1650. coram Bich. *disc.* 59. *part.* 11. *rec.* Et nihilominus ubi etiam jurium veritas admitteretur, neque concludebant, quoniam enuntiativæ non erant Ordinarii interessati, juxta casum, de quo in Pampilon. Vicariæ
10 13. Martii 1664. coram Verosp. in qua prima decisio nimium se fundat, cum ibi concurrerent duæ enunciativæ Ordinarii super unione, necnon jus decimandi, & continuata possessio in jure deputandi Vicarium absque ullo actu in contrarium; In præsenti vero enunciativæ erant solum ipsius partis interessatæ, de quibus ratio habenda non est, ut in specie apud Otthob. *dec.* 179. *n.* 24. & *dec.* 223. *n.* 13. *cum seq.* Actus vero ju-
11 risdictionales referri possunt ad juspatronatus, seu aliam prærogativam, ut apud Otthob. proxime alleg. *dec.* & in d. Bononien. parochialis cor. Meltio, & in aliis.

Deducendo quoque illam veram theoricam, & de qua satis frequenter *sub tit. de fideicomm.* super materiis conjecturalibus, ac præsumptivis, quod scilicet in hujusmodi probationibus, certa & determinata regula constitui non
potest super singulorum adminiculorum, vel conjectura- 12
rum pondere, ac efficacia, ex eo quod admissa, vel respective rejecta reperiantur, quoniam stant simul, ut in uno casu ob ejus circumstantias admissa sint, ac subsistant, & in altero non, quia sic unius, vel alterius facti qualitas exigeret; Ac propterea quando allegantur decisiones, vel aliæ auctoritates, combinare oportet omnes earum circumstantias, ad effectum videndi, an intret congrua applicatio necne, & in qua totus est punctus.

Præsertim vero circa observantiam, ac ultimum sta-
tum, ut concurrebat in casu d. Pampilon. cum tunc hu- 13
jusmodi adminicula, quamvis alias levia, magnum pondus habere videantur, secus autem in casu converso, in quo versabamur (& quæ circumstantia vere destruebat, ac inefficacia reddebat adminicula prædicta, ut potissimum ponderatur in secunda decisione) dum monasterium cadebat possessione conferendi, vel nominandi per ann. circiter 150. atque per plures vacationum casus, Ecclesia erat in statu collativo per vacationem, quæ repugnat unioni, ut in allegatis decisionibus coram Otthob. in d. Bonon. cor. Meltio, & passim; Et in quibus
præsertim in dicta Bonon. satis ponderatur ultimus status 14
provisionum per concursum juxta formam Concilii.

Nimium quoque ponderando, quod tunc adminicula magnifacienda sunt, quando illa deducuntur ex actibus recentibus & post Conc. Trid. & Constitutionem Pianam, & sic ab ann. 1574. circa; Secus autem ubi percutiunt
tempus antecedens, in quo plures irrepserant in hac ma- 15
teria abusus, ac usurpationes, pro quibus oportuit convocare Concilium, quod eis ita providere voluit; Unde propterea absurdum est allegare illos actus, quos tamquam abusivos, ac male gestos Concilium sustulit; ita etiam subsequuta observantia docet, ideoque ultimus status in proposito satis considerabilis est, non tamquam præscriptivus, seu innovativus, itaut desideranda veniant rigorosa requisita præscriptionis, vel consuetudinis contra jus, sed tamquam interpretativa dictæ veritatis; quod scilicet esset unus de abusibus, per Concilium sublatis.

Ista vero quæ quoad jus conferendi in genere, ac pro quibuscumque etiam futuris vacationibus, ita procede-
bant, multo magis ac indubitanter procedere dicebam in 16
hac specie, & ad effectum particularem sustinendi præsentem provisionem, pro qua sufficiebat recepta conclusio deducta ex vulgari text. *in c. consult. de jurepatr.* Profsus enim improbabile esset, ut ob antiquatam prætensionem, spatio fere duorum sæculorum neglectam, Ordinarius possessor, qui in statu bonæ fidei providerat, d. possessione de facto spoliandus esset; Ac propterea ubi etiam deducerentur probationes sufficientes circa unionem, adeout tolli posset contrarius status præscriptivus, tollendo scil. de medio provisiones Apostolicas per resignationem; seu alia impedimenta, quæ in proposito ad impediendum ultimum statum præscriptum ponderari solent, adhuc id solum suffragari potuisset in petitorio, ac pro vacationibus futuris, secus autem pro ista, juxta d. terminos text. *in c. consult.* & sæpius *sub tit. de jurepat.* multo magis dum etiam in bono jure, ac futuris vacationibus non bene constabat de unione.

Quamvis enim pluries Rota firmaverit, ut etiam imperfectæ, ac adminiculativæ probationes ad id suffi-
ciant cum regula, *ut singula quæ non prosunt &c.* At- 1
que in hac facti specie plures concurrerent conjecturæ alias canonizatæ, ut præsertim apud Seraph. *dec.* 1304. & *in d. Ulixbon. dec.* 102. *p.* 1. & 204. *p.* 2. *rec.* & *in Perusina benef.* 10. *Febr.* 1648. Bich. *d.* 152. *p.* 10. in quibus magnum constituebatur fundamentum.

Attamen, ultra quod plures conjecturæ canonizatæ in d. Perusina rejectæ fuerunt apud Otthob. *d. dec.* 179. & 223. & in d. Bonon. coram Meltio; Advertebam, juxta ea quæ circa præsumptivas, ac adminiculativas probationes pluries habentur *sub d. tit. de fideicomm.* & alibi, quod clarus, licet frequens error est, in his facti, ac probationum quæstionibus, certas regulas ex decisionibus deducere, quoniam stant simul, ut in uno casu aliquæ conjecturæ, seu præsumptiones sufficiant, & tamen quod eædem, ac majores in altero sint insufficientes, quia sic unius, vel respective alterius facti qualitas, & circumstantiæ exigant, ideoque easdem individuales præsumptiones, & conjecturas, modo approbatas, & modo reprobatas habemus citra repugnantiam, seu volubilitatem, ut ignarus vulgus credit, sed juste, ac fundate pro casuum diversa qualitate.

Expendendo autem d. decisiones, & pręsertim illam apud
Seraph. *dec.* 1304. quinque concurrebant conjecturæ, seu 1
cir-

circumſtantiæ; Primo nempe donatio Eccleſiæ facta per Regem habentem poteſtatem ad favorem monaſterii; Secundo, perceptio decimarum, quæ magnum præſtat adminiculum juris parochialis; Tertio amovibilitas Vicarii; Quarto, ejuſdem Vicarii præſentatio facta per parochianos Abbati; Et quinto fortiſſime quod Abbas coactus fuit augere ſervitium, & aſſignare congruam.

Et in d. Ulixbonen. *deciſ.* 102. *part.* 1. *&* 204. *part.* 2. *rec.* valde conſiderantur, non ſolum perceptio decimarum, aliorumque jurium parochialium, ſed ſupportatio onerum, necnon aſſignatio congruæ, & quod magis eſt, ſtatus antiquus Eccleſiæ Abbatialis Dominæ totius ter-
20 ritorii, in quo deinde conſtructæ fuerunt Eccleſiæ controverſæ potius tamquam adjutrices, ſeu filiales; In dicta vero Peruſina coram Bich. concurrebant ſeptem antiquiſſimæ enunciativæ ac pleraque fortia adminicula, illud præſertim, quod ſpatio 300. annorum nulla dabatur Epiſcopi viſitatio, ut in ſpecie examinando d. deciſionem advertitur in præfatis *dec.* 179. *&* 223. coram Otthob.

Applicando autem ad rem, quamvis aliquæ concurrerent conjecturæ, attamen erant vagæ, ac leves, quibus præponderabant contrariæ, illa præſertim ſatis efficax tam diuturnæ obſervantiæ; Et tamen ponderabam opus non eſſe, ut contrariæ præponderarent, cum ſufficeret quod per eas conquaſſaretur, ſeu debilitaretur concludens probatio, cujus defectu fundata eſt Epiſcopi intentio.

MEDIOLANEN. PAROCHIALIS, PRO PROMOTORE FISCALI CURIÆ ARCHIEPISCOPALIS, CUM MONASTERIO S. SIMPLICIANI.

Caſus diſputatus in Rota, incertus eſt exitus.

De eadem materia Eccleſiæ parochialis, quæ prætendatur unica ſeu alias ſubjecta alicui Monaſterio Regulari, an cadat ſub decreto Conc. Trid. circa formam concurſus, vel potius ſub Conſt. Pii V. Et quid ubi agatur de Eccleſiis parochialibus de jurepatronatus Eccleſiaſtico, ſeu alias ex privilegio.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De reſolutione Abbatis Montis Caſſinen. an conveniat aliis Abbatibus hujus Religionis.*
3 *De Prælatis cum territorio ſeparato, & omnimoda juriſdictione.*
4 *Et de aliis Prælatis inferioribus in aliena diœceſi quamvis exemptis.*
5 *De diſtinctione, ſeu theorica, quæ habetur in hac materia.*
6 *Sub diſpoſitione Conc. Trid. circa formam concurſus cadunt Eccleſiæ de jurepatronatus Eccleſiaſtico.*

DISC. XIII.

1 CUm in Eccleſia Parochiali S. Protaſii Civitatis Mediolani exerceretur cura per unum Vicarium ad nutum amovibilem, ad electionem parochianorum, & confirmationem Abbatis Monaſterii S. Simpliciani Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, alias S. Juſtinæ de Padua: Nicolaus V. de anno 1448. ex tribus ſimplicibus beneficiis in eadem Eccleſia exiſtentibus, erexit duas Portiones curatas in titulum perpetuum ad præſentationem parochianorum, & inſtitutionem d. Abbatis, cui poſt quatriennium, ob diſſenſiones, & inconvenientia, quæ inter ipſos parochianos occaſione electionis oriebantur, omnimodam collationem dedit; Tractu vero temporis ob diminutionem redditinum, S. Carolus tunc Archiepiſcopus de ann. 1578. aliam ibi adjacentem parochialem ſuppreſſit, eamque huic Eccleſiæ univit cum ſubſequuto effectu; Vacante autem una ex dictis Portionibus de ann. 1657. Archiepiſcopus in dicto concurſu ad præſcriptum Conc. Trid. illam contulit Carolo, Abbas autem præſentavit, ſeu nominavit Benedictum, ſed Joannes, ſub prætextu non factæ præſentationis in tempore, vel non bene ſervati concurſus, eam impetravit a Sede Apoſtolica; unde propterea triangularis orta eſt quæſtio, commiſſaque cauſa in Rota coram Meltio, ad inſtantiam Abbatis ſubſcriptum fuit dubium, an illi dandum eſſet mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione conferendi abſque concurſu, eoque propoſito ſub die 26. Maji 1659. memoria non ſuggerit, an aliqua capta fuerit reſolutio, probabilius autem credo, quod ea non capta, reſcriptum fuerit, quod videretur de bono jure, neque amplius de cauſa actum eſſe audivi, vel quia concordata fuerit, vel quia defenſores mutaverit.

In hac autem diſputatione, deducebantur eadem quæ habentur ſupra *in Senogallien. diſc. præced.* hincinde; Ac ulterius ſcribentes pro Abbate ſe extendendo, prætendebant aliquid magis ſpeciale circa omnimodam independentiam ab ordinario, conſtituendo fundamentum in iis quæ in his ſpecialibus terminis providendi Eccleſiam parochialem ſæcularem de menſa monaſterii regularis, firmatur per Rot. in Montis Caſſini parochialis 2
17. Februarii 1648. coram Bich. *deciſ.* 156. *part.* 10. *recent.* ad favorem Abbatis Monaſterii Caſſinen. ejuſdem Ordinis, ſeu Congregationis, quaſi quod ibi firmata, ex rationis identitate huic etiam Abbati, vel Monaſterio convenire deberent.

Verum illud erat æquivocum manifeſtum, quoniam in eo caſu rationabiliter ac fundate ita firmatum fuit, eo quia Abbas Caſſinen. in loco, de cujus parochiali agebatur, eſſet verus Ordinarius, cum omnimoda ac plena juriſdictione quaſi Epiſcopali, tam ordinaria, quam delegata, cum territorio ſeparato, ac independenti a quacumque diœceſi ac tamquam in diœceſi propria juxta eam inferiorum Prælatorum di- 3
ſtinctionem, quæ habetur pluries *ſub tit. de juriſdict. in Toletana diſc.* 1. *ac plurib. aliis ſeqq.* cum tunc hujuſmodi Prælati in effectu, exceptis iis quæ ſunt ordinis habeant omnia, quæ habent Epiſcopi; Id autem convenire non poteſt aliis Prælatis inferioribus 4
quantumvis, ac privilegiatis, in aliena diœceſi, ac ſub diverſo Ordinario exiſtentibus, quoniam ut *d. tit. de juriſd.* pluries advertitur, præſertim in Macerat. & in Firmana, ac in S. Severini *diſc.* 6. 14 *&* 15. in quibus in ſpecie agitur de hoc puncto proviſionis parochialium, vel curæ animarum, exemptio quantumvis ampla, ſuffragari poteſt circa Eccleſiam materialem, ipſoſque Religioſos, alioſque ſervientes & miniſtros, non autem quoad jus parochiale in clerum & populum in territorio Epiſcopi viventes ex ea clara ratione, quod illæ ſunt oves Epiſcopo commiſſæ, ideoque ad ipſum tamquam primum ac majorem Paſtorem inquirere pertinet, an inferiores Paſtores præponendi, vel præpoſiti, bene ſibi commiſſas oves cuſtodiant, vel ad talem cuſtodiam ſint habiles, ac idonei necne.

Quare ut in ſpecialibus terminis Eccleſiarum parochialium unitarum, ſeu de menſa iſtiuſmet Religionis S. Benedicti, ſeu Congregationis Caſſinenſis, cæteris relatis habetur apud Otthob. *deciſ.* 179. *&* 223. & in Bonon. parochialis 24. Aprilis 1651. Meltio, ac generaliter admittitur in pleniſſima deciſione Barchionen. coram Corrado *deciſ.* 330. *part.* 9. *recent.* edita in caſu, de quo ſupra *diſcurſ.* 10. Hodie illa quæſtio non eſt amplius juris, ſed 5
facti & applicationis, quoniam ut etiam habetur *diſc. præced.* & in aliis proximis, juris theorica videtur extra controverſiam; Siquidem, aut agitur de Eccleſia, quæ ſit ſolum de jurepatronatus monaſterii, vel alterius Eccleſiæ, ſeu alias ſubjecta, quia tributaria, vel cenſualis, aut vero de illa quæ formaliter unita dicatur ejus membrum, ſeu de menſa; Primo enim caſu, certum eſt intrare diſpoſitionem Conc. Trid. ſuper forma concurſus, dum illud loquitur ad litteram, etiam de Eccleſiis juriſpatronatus eccleſiaſtici, ut apud Merl. *dec.* 198. *dec.* 543. *part.* 3. *rec.* Adden. ad Buratt. *dec.* 25. & tamquam abſolutum habetur in dicta Bonon. coram Meltio, ac ſupponitur *d. dec.* 330. *part.* 9. *& ſub tit. de paroch. dec.* 37.

In ſecundo autem caſu non intrat dicta forma Concilii, ſed potius Conſt. 47. Pii V. ut proviſio fieri debeat ad nominationem Abbatis, vel Prælati Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, de cujus menſa ſit ipſa parochialis, cum approbatione tamen Epiſcopi, tam circa litteras, quam circa mores, prævio examine habendo coram Examinatoribus ſynodalibus, adeout etiamſi quandoque concurſus adhiberi conſueviſſet, id non attendatur, ut pluries in præcedentibus, *& in d. tit. de paroch.* & conſequenter omnes diſputationes reducuntur ad factum, an ſcilicet conſtet necne de unione, quæ in dubio non præſumitur, ſed per allegantem probanda eſt, ut advertitur *diſc. præced. & paſſim*, & ſuper qua probatione, certa, & determinata regula dari non poteſt, cum totum pendeat ex facti qualitate, & circumſtantiis.

NUCE-

NUCERIÆ PAGANORUM CAPPELLANIÆ, PRO JOSEPHO PIGNATARIO, CUM DOMINICO PEPE.

Casus disputatus coram Prælato Judice commissario, & resolutus pro Josepho.

An in Cappellaniis, seu aliis Beneficiis existentibus in Ecclesia parochiali, cum onere curæ animarum, requiratur concursus ad formam Concilii; Et quomodo in una Ecclesia dentur plures Rectores, vel Beneficiati habentes curam.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De operatione decreti irritantis in genere.*
4 *Quod observantia non attendatur in hac materia concursus habendi, vel non habendi.*
5 *Declaratur quando observantiæ obstet decretum irritans necne.*
6 *An possint dari plura beneficia curata in Ecclesia parochiali.*
7 *Quod possint dari plures Ecclesiæ Cathedrales ad unam Cathedram efformandam, vel plures Episcopi in una Cathedrali.*
8 *Quod possint dari plures primæ dignitates coæquales.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num. 6.*
10 *Quod justa sit & rationabilis consuetudo, seu lex concedens optionem, seu ascensum a minori beneficio ad majus.*

D I S C. XIV.

1 IN Ecclesia parochiali S. Felicis, ultra Rectorem, tres alii cappellani perpetui in titulum provideri soliti, ab antiquo adesse consueverunt, curam animarum quoque exercentes, ac sacramenta ministrantes, de decimis aliisque juribus parochialibus participantes; Quia vero ob excrescentiam populi, alii ministri desiderabantur, hinc Episcopus ad supplicationem, tam Rectoris, & cappellanorum, quam parochianorum, de anno 1519. quartam erexit cappellaniam, sub ea tamen lege, quod iste cappellanus non deberet æqualiter cum aliis participare, sed quadam congrua, seu minori participatione contentus esset, cum jure optandi unam ex tribus antiquis, quando casus vacationis contingeret, atque ita observatum fuit usque ad annum 1653. in quo, vacante una ex dictis tribus cappellaniis, Vicarius Capitularis, rejecta petitione Josephi possidentis quartam cappellaniam super jure optandi, indixit concursum ad formam Concilii Trid. atque æque idoneis renunciatis, eodem Josepho, ac Dominico, iste prælectus fuit: Quare interposita per Josephum appellatione, & commissa causa Prælato Curiæ, Dominicus, ut titulos, ac jura cumularet, impe-
2 trationem Apostolicam fecit ob concursum male servatum, atque literis coram eodem Prælato præsentatis, assumptaque disputatione, cuinam ex contendentibus dicta cappellania adjudicanda esset, pro Josepho judicatum fuit cum subsequuto effectu, dum altera pars acquievit.

In disputationibus desuper habitis, punctus erat, an in hujusmodi cappellaniis servari deberet forma præscripta per Conc. Trid. & Constitutionem *Pii V.* in provisione parochialium, vel potius intret jus optandi absque alio concursu, dum Joseph, cui tale jus competebat, quamvis examini se exposuerit, cum protestatione, dictum jus præservare curaverat.

Scribens ego pro Josepho, tamquam Advocatus deducebam super jure optandi dictum decretum Episcopi in erectione quartæ cappellaniæ, necnon observantiam super earum provisione, sine concursu adhiberi tantum solito in provisionibus ipsius principalis Rectoriæ; Verum ista sola, & de per se parvi momenti erant, quatenus beneficium esset vere curatum, adeout caderet sub decreto Conciliari, ac Piana Constitutione, quoniam ultra generalia, quæ habemus circa
3 operationem decreti irritantis inficientis quamcumque possessionem, & observantiam ex plene deductis *dec. 400. part. 4. & dec. 199. part. 12. rec. & passim.*

In his specialibus terminis observantiæ affirmativæ, vel negativæ concursus habiti, ubi haberi non debet, vel non habiti, ubi debet haberi, quod attendi non debeat propter decretum irritans contentum in Concilio, seu Constitutione *Pii IV.* super ejusdem Concilii confirmatione, & in Constitutionibus *Pii V.* cæteris relatis firmatur *dec. 330. part. 9. recent. n. 130. dec.* 4
104. n. 12. part. 10. & Alerien. *Vicariæ 26. Junii 1654.* cor. Bichio, in quibus habetur eam potius dicendam esse abusum; Idemque circa defectum potestatis Episcopi decernendi contra dictum decretum Conciliare, & constitutiones Apostolicas.

Quare punctus erat, an intrarent, necne decretum, & constitutiones prædictæ, itaut reduceretur ad probabile dubium, quo posito planum remanebat deferendum esse dictæ observantiæ tamquam interpretativæ, non obstante dicto decreto irritanti, quoniam, ut pluries advertitur hoc eodem *tit. & sub altero de Benefic.* 5
ac alibi, illius operatio bene intrat, quando certum est illi locum esse, itaut agatur de actu contrario, seu destructivo, ac de observantia præscriptiva, secus autem ubi cadat probabile dubium super comprehensione, unde observantia attendatur tamquam inter pres.

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum, Dicebant scribentes pro Dominico, quod licet regulariter non dentur plures Rectores unius Ecclesiæ, ne detur monstrum plurium capitum in uno corpore, seu ne 6
dentur plures viri unius mulieris; Attamen non implicat, ut formalis, seu intellectualis unica persona Rectoris resideat in pluribus personis materialibus, qui tamquam per speciem Collegii efformet unicum corpus repræsentativum Rectoris, & consequenter, quod omnia beneficia dicantur principaliter curata; ut ad intellectum *cons. 67.* Oldrad. habetur cæteris relatis apud Garz. *p. 9. c. 2. n. 298. & seq. & in addit. ad d. c. 2. ad n. 191.* bene Rot. *dec. 48. p. 1. divers. n. 5. cum seq.*

Ad quod ego ponderabam conferre quoque ea, quæ habentur *in Cæsaraugustana Cathedralitatis, & in Sipontina sub tit. de Præemin. disc. 2. & 4.* & super Ecclesia Cathe- 7
drali unica, & individua, non apta habere nisi unum sponsum, quod tamen ipsa repræsentari potest per plures Ecclesias materiales, coæquali jure concurrentes ad unam Cathedram efformandam; Sive quod unica etiam materialis habere possit suum unicum sponsum, cujus formalem personam repræsentare possint duo Episcopi, vel Rectores citra monstrum, ob respectuum diversitatem, quia nempe unus sit pro ritu græco, alter pro latino; Eodem modo quo in casu converso dari non potest vir, qui habeat duas uxores, & tamen passim habemus unum Episcopum duarum Cathedralium æque principaliter unitarum ex deductis *in eod. tit. de præem. in Ampurien. & Civitaten. disc. 7.* & in aliis, quoniam ejus persona consideratur reduplicative, atque in qualibet Ecclesia reputatur unicum, seu quoad ipsum Episcopum reputantur pro una, ut habetur etiam supra *sub tit. de Benefic. in Marianen. seu Accien. disc. 19. cum similibus.*

Ac etiam conferre videntur ea quæ habemus de prima dignitate in Cathedrali, vel Collegiata cadente sub Regula quarta, seu quinta, quod non implicat eam, quæ unica supponitur, repræsentari per duas coæquales, æque 8
cadentes sub dicta regula, deductis *decis. 99. part. 10. recent. cum similibus.*

Dicebam tamen, etiam in sensu veritatis, præmissa recte procedere, quando ista Ecclesia non haberet proprium Rectorem, ac sponsum, ita repræsentatum per Collegium hujusmodi cappellanorum, atque in his terminis, & cum hoc præsupposito procedunt supra allegata, ac similes au- 9
ctoritates ad casum non applicabiles, dum ista Ecclesia habet proprium Rectorem, pœnes quem residet cura, non solum habitualis, sed etiam actualis, ac omnimoda, & qui provideri solet per concursum juxta formam Conciliarem; Dicti vero cappellani sunt potius vicarii, seu adjutores Rectoris, habentes curam in exercitio, non autem in habitu, qui totus est pœnes ipsum Rectorem, ut bene habetur apud Gregor. *dec. 370. n. 5.* ubi Add. *n. 11.* ubique concordantes; Et propterea, quemadmodum in terminis fortioribus vicarii quamvis unici Ecclesiæ parochialis annexæ alicui Collegio, vel Dignitati, cui incumbat solum cura habitualis, non intrat concursus, ut pluries habetur in præcedentibus, præsertim *disc. 10.* ita, & multo minus in præsenti, dum adest Rector, non solum cum cura habituali tantum, sed etiam cum actuali ac omnimoda, cum quo servatur dicta forma Conciliaris, adeout etiamsi de hoc puncto citra aliquam observantiam in solo puncto juris agendum esset, adhuc negative probabilius respondendum veniret, multo vero magis stante tam diuturna observantia, quæ in omnibus dicitur optima interpres.

Exclu-

Exclusa vero dicta necessitate concursus, ac positiva resistentia decreti Conciliaris, de plano sequebatur ut optioni locus esset ex dicta lege erectionis nimium justæ
10 & rationabilis, ut qui in minori beneficio cum minori stipendio Ecclesiæ inserviit cum ista spe, non debeat illa defraudatus remanere; Ut in proximis terminis consuetudinis, quod dimidius Beneficiatus succedere debeat in integro beneficio primum vacante, habetur apud Burat. *decis.* 839. *n.* 1. Dictamque consuetudinem, seu legem esse satis justam, ac rationabilem probat text. *in cap. fin. de consuetud. in 6. ubi gloss. & DD.* & advertitur apud Burat. *dec.* 195. *num.* 1. & bene confert Seraph. *decis.* 912. *num.* 8. *circa finem*, ubi consideratur magnum inconveniens, ut qui per plures annos Ecclesiæ servitio insudavit, excludatur per alium nullum servitii meritum habentem.

FAVENTINA PAROCHIALIS, PRO SEBASTIANO MIGNANO, CUM ANDREA GORIO.

Casus decisus per Rotam, ut infra.

An intret concursus in Parochialibus de jurepatronatus laicorum, & quid ubi istud est dubium atque ultimus status est de libero.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *Resolutiones causæ.*
3 *In parochialibus de jurepatronatus laicali vel mixto non servatur concursus.*
4 *Attenditur ultimus status, an parochialis sit libera vel de jurepatronatus.*
5 *Quid requiratur ad firmandum hunc statum.*
6 *Lis in qua possessor vicit, non interrumpit bonam fidem.*
7 *Declaratur materia ultimi status cum distinctione.*
8 *Et de materia* text. in c. consultationibus, de jurepatronatus, *quando inspectio boni juris attendatur.*

DISC. XV.

1 Vacata parochiali S. Mariæ in Ferculis locis *Flangipanis*, Ordinarius in dicto concursu juxta formam Conciliarem illam contulit Sebastiano cum subsequuto effectu. Andreas autem cum præsupposito, quod illa esset de jurepatronatus laicorum, quodque a Patronis, vel eorum majori parte præsentatus esset, obtinuit provisionem Apostolicam, cujus vigore Vicarius Ravennaten. executor in litteris deputatus, de facto ad executionem processit, quare commissa causa in Rota coram Bourlemont cum clausula *parito litteris arbitrio*, proposita causa super dubio ex rescripti ventre resultante
2 *An intraret arbitrium*, sub die 23. *Junii* 1662 dictum fuit, ut apposito sequestro videretur de bono jure, super quo assumpta disputatione sub die 4 *Decembris ejusdem anni*, prodiit resolutio Sebastiano favorabilis, quod constaret de ejus bono jure, dictaque resolutione confirmata, assumpta fuit disputatio coram Ninot subrogato, an Sebastiano danda esset manutentio cum revocatione sequestri, atque sub die 4. *Julii* 1663. prodiit resolutio, per quam bene firmatur punctus in abstracto, quod sequestrum provisionale non privat possessione, neque impedit quin possessor legitimus, ac certus debeat manuteneri, sed habita fuit difficultas, quod non bene probaretur ejusdem Sebastiani possessio, & in repropositione dictum fuit, quod istud esset potius sequestrum in vim Clementinæ non revocandum nisi in fine litis; Verum detecto isto æquivoco, factaque meliori probatione possessionis, sub die 17. *Martii* 1664. prodiit resolutio ad favorem Sebastiani pro ejus manutentione, ac revocatione sequestri, & reproposita causa sub die ... *Junii* 1664. perstitum fuit in decisis, unde credo, quod altera pars acquieverit, cum amplius de causa actum non audierim.

Istæ disputationes fuerunt partim super concernentibus ordinem, seu possessorium, ac nullitatem dictæ executionis concessæ per executorem litterarum Apostolicarum, qui absque dubio erat mixtus, & partim super bono jure. Super hoc autem scribentes pro dicto proviso Apostolico, & pro Patronis eum præsentantibus, qui pro suo jure adhærebant, (imo forte principaliter litem sustinebant) nimium se diffundebant in eo, quod Conciliare decretum super
3 per concursu adhibendo in parochialibus locum non habeat in illis quæ sunt de jurepatronatus laicali, vel mixto, cum decretum Conciliare disponat concursui subjicere tantum illas, quæ essent de jurepatronatus ecclesiastico, ideoque in aliis de jurepatronatus laicali, vel mixto sufficit, quod præsentatus sit idoneus ex deductis apud Burrat. *dec.* 942. *n.* 1. *in fin.* Add. ad eum *dec.* 25. Add. ad Greg. *dec.* 494. Rota *dec.* 73. *in fin. p.* 7. *rec.* & in aliis pluries, præsertim *in Laudem. parochialis 9. Junii* 1649. cor. Meltio, *dec.* 321. *art.* 10. *rec.* ubi firmatur punctus, de quo alias dubitabatur ex deductis per Add. ad Gregor. & Burrat. *ubi supra*, ut etiam juspatronatus mixtum huic decreto non subjaceat, & de qua *Laudem. sub tit. de jurepatronatus, disc.* 6.

Scribens ego pro Sebastiano proviso per Ordinarium non negabam veritatem dictæ conclusionis in abstracto; Dicebam tamen illam extraneam esse a casu, dum ita supponebatur pro conclusione, id quod erat principaliter in quæstione, an scilicet ista parochialis esset necne de jurepatronatus, quod negabatur; Licet enim ad illius probationem exhiberentur quædam antiqua documenta, attamen ultra inspectionem, an illa essent in forma probanti, necne, quod consistebat potius in facto, quam in jure.

In sensu etiam veritatis, dicebam omnem difficultatem cessare, dum ultimus status annorum centum, & ultra erat tamquam de libero, & consequenter ille attendendus
venicbat ad effectum concurrentis vacationis, ut ultra ge- 4
neralia circa ultimum statum, de quibus Adden. ad Greg. *dec.* 77. Adden. ad Burrat *dec.* 776. cum aliis *sub tit. de Beneficiis in genere*; In specialibus terminis ultimi status Ecclesiæ parochialis, ad effectum, ut tamquam libera provideri debeat per concursum, non obstante prætensa qualitate patronali bene firmatur per Rotam *dec.* 435. *par.* 2. *recent. & in Novarien. jurispatr. seu parochialis* 10. *Decembris* 1649. *prima Julii* 1650. & 16. *Januarii* 1651. cor. Peuting. quarum ultima est *dec.* 106. *part* 11. *rec.* & habetur in hac eadem causa *sub tit. de jurepatr. disc.* 11.

Pro tollendo istud fundamentum, dicti scribentes in con-
trarium, eum copiosis allegationibus nimium se diffun- 5
debant in probando, quod ad effectum firmandi statum beneficii, illudque de patronali faciendi liberum, requiratur bona fides, sine qua de jure Canonico non datur præscriptio, quam bonam fidem cessare dicebant ob quasdam lites, ac interruptiones, & consequenter, quod cessante præscriptione libertatis, atque constito de qualitate patronali in bono jure, istud absorbere debebat possessorium, & non intrabat dispositio text. in c. *consultationib. de jurep.* totum pœne desumendo ex firmatis in *Capuana Abbatiæ* 5. *Junii* 1659 & 16. *Jan.* 1660. coram Priolo, quæ causa habetur in dicta sua materia *sub tit. de Jurepatronat. disc.* 36.

Verum, ultra plures responsiones, quæ dabantur ad- 6
versus interruptiones, ex quibus mala fidea deduci prætendebatur, stante quod lis mota possessori victoriam reportanti, non inducit malam fidem, sed potius confirmat bonam, & consequenter præscriptionem non impedit, ex generaliter deductis apud Greg. *decis.* 467. n. 1. Burrat. *decis.* 172. *num* 16. cum aliis in prima decisione coram Bourlemont & in terminis beneficialibus bene firmatur in Majuricen. beneficii 27. *Junii* 1648. coram Bichio.

Advertebam in hoc procedi cum claro æquivoco, ad quod advertitur *in dicta dec.* 435. *part* 2. *rec.* quod scilicet aliud
est agere de ultimo statu ad effectum illum firmandi in per- 7
petuum, & tamquam per formalem præscriptionem, ad cujus effectum tamquam in determinatione petitorii cum gravi, ac perpetuo præjudicio, rigorose quæritur de requisitis ad præscriptionem necessariis, ut advertitur in ista causa in dicta sua materia *sub tit. de Jurepat. disc.* 11. Aliud vero agere de ultimo statu in possessorio, ad effectum providendi Ecclesiam interim lite pendente, ne alias diuturnam vacationem pati cogatur, quæ diuturna vacatio, si in quocumque beneficio de jure improbata est, multo magis ubi agitur de parochiali, dum non solum adest præjudicium ipsius Ecclesiæ circa cultum, sed etiam præjudicium ovium remanentium sine pastore; Ideoque ultimus status, quamvis recens, ac per unicum actum sufficere videtur, ut in specie *dicta decis.* 435. ex ea clara ratione, quod quemadmodum in prophanis, aliisque indifferentibus, in possessorio non quæritur de justitia, vel injustitia possessionis, quæ reservatur ad petitorium, sed attenditur nudum factum, ita in præsenti, dum prætensio præsertim adeo antiquata sine dubio discutienda erat in judicio ordinario petitorii terminando per tres conformes, non debebat interim Ordinarius privari quasi possessione conferendi tamquam de libero, in qua reperiebatur, præsertim dum non erat possessio recens, & per unicum actum,

sed antiqua per annos centum, & ultra, & cum tot actibus, ideoque intrare videbantur eadem, quæ a simili habentur supra in Senogallien. *disc.* 12.

Et ad aliam conclusionem, quod quando constat de bono jure, istud absorbere debeat possessorium, ac faciat cessare dispositionem text. *in c. Consultationibus, de*
8 *Jurepatr.* plures dabam responsiones, ex quibus in eodem sensu veritatis dicta conclusio non intrabat; Primo scilicet, quod id procedat, quando bonum jus est clarum per confessionem partis, vel per rem judicatam, aut ad summam per instrumentum publicum, & clarum, quod faciat rem probatam, & manifestam, nullamque patiatur exceptionem, ut habetur pluries *sub d. tit. de Jurepatr.* & est generalis propositio quotidiana, de qua *sub tit. de Judiciis* in materia possessorii retinendæ, vel reintegrandæ impediendi, necne per exceptionem boni juris, quod in præsenti erat turbidissimum; Tum quia nimium dubitari poterat de fide probante instrumenta concessionis; Tum etiam quia videbatur in continenti constare de ejusdem concessionis infectione, cum facta esset ab Episcopo non habente potestatem faciendi servatam Ecclesiam liberam; Ac demum quia tam diuturna contraria observantia magnum præbebat argumentum, quod dicta concessio sublata fuisset per Concil. Tridentinum, vel per Constitutionem revocatoriam Hadriani, & sic erat bonum jus turbidissimum, in quo sine dubio dicta conclusio non intrat.

Secundo, quia eadem conclusio recte procedit, quando res esset in fieri, quia scilicet sequuta vacatione, priusquam sequeretur effectuatio provisionis, vel institutionis constaret de bono jure petitoris, secus autem ubi in statu bonæ fidei, atque continuando antiquam possessionem, jam facta, & exequuta est provisio, itaut agatur de expellendo provisum, ac possessorem, qualis erat præsens casus, tunc enim dicta conclusio non intrat, ut ita distinguendo habetur *in eadem Capuana Abbatiæ, sub tit. de jurepatr. disc.* 36. & in aliis ibidem.

Et tertio ponderabam, quod etiam reintegra dicta conclusio de facili admittenda est, ubi nulla quæstio esset super qualitate beneficii, ac existentia jurispatronatus in genere, sed solum ageretur de lite inter compatronos super pertinentia juxta casum, de quo in dicta Capuana, cum similibus, cum tunc aliqua videatur vigere ratio æquitatis, & congruentiæ discedendi a juris rigore ad beneficium possessoris, de cujus malo jure constat, ut ibi advertitur; Secus autem, ubi quæstio est super natura beneficii ejusque libertate, quoniam tunc æquitas assistit libertati in exclusionem servitutis, atque de facili admittenda est beneficii reversio ad suam primævam naturam; Potissime vero ob duplicem circumstantiam in hac facti specie concurrentem dirimentem omnem difficultatem; Primo scilicet, quod agitur de beneficio curato, in cujus diuturna vacatione duplex concurrit præjudicium ut supra; Et secundo, quod constat de antiquo statu libero, dum prætensum juspatronatus non deducebatur ex fundatione, itaut Ecclesia nata esset in ipso statu servitutis, sed deducebatur ex concessione; Ideoque ex pluribus omnino certum videbatur, quod Ordinarius bene concursum indixerit, atque servata forma Concilii Ecclesiam providerit, quodque improbabilis esset prætensio alterius impetrantis: Et hæc circa materiam concursus ratione parochialitatis; quo vero ad concernentia juspatronatus habentur in hac eadem causa *d. tit. de jurepatr. disc.* 11.

PAMPILONEN. JURIS EXAMINANDI CURATOS,

PRO EPISCOPO CUM CURATIS.

Casus disputatus in S. Congregatione Concilii, & in Signatura Gratiæ, & resolutus, ut infra.

An Episcopus possit novo examini subjicere parochos jam approbatos; Et quid ad istum effectum requiratur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones Sacræ Congregationis quando Episcopus possit examinare curatos jam approbatos.*
3 *Decisio Rotæ reprobans parochum jam approbatum.*
4 *Quod parochus semel approbatus sine causa non possit examinari.*
5 *Expenditur decisio Rotæ, de qua n. 4.*
6 *Referuntur auctores volentes fieri posse novum examen.*
7 *Distinguuntur effectus, & ad quos dictum examen fieri possit.*
8 *Quod etiam docti non studendo efficiantur indocti.*
9 *De ratione ob quam expedit, quod Episcopi habeant hanc potestatem.*
10 *De distinctione inter approbatos in concursu, vel sine cum simplici examine.*

DISC. XVI.

Renuentibus aliquibus curatis hujus diœcesis se exponere novo examini, quod modernus Episcopus ob relationes habitas de illorum insufficientia in visitatione facere intendebat, consuluit idem Episcopus S. Congregationem Concilii cum tribus quæsitis; Primo an posset Episcopus examinare parochos a se, vel prædecessore jam approbatos, quando ex rationabili causa habetur vehemens suspicio imperitiæ; Secundo, an id facere posset etiam extra visitationem respectu alicujus parochi, de cujus imperitia certa notitia habeatur; Et tertio, an ad hunc effectum sufficeret informatio, seu notitia extrajudicialis, Et in omnibus Sacra Congregatio sub die 15. Januarii 1667. affirmative respondit, istæque declarationes registrantur per modernum collectorem Pignatell. *consul.* 132. *n.* 18. *& seqq.* Deindeque petiit etiam declarari, an in actu visitationis possit etiam procedere ad dictum examen, quamvis nulla vigeret imperitiæ suspicio, & Sacr. Congregatio sub die 22. Septembris 1668. respondit negative. 1 2

Cumque super hujusmodi declarationum exequutione in ipsa Curia Episcopali, ac etiam in Metropolitana, ad aliqua acta judicialia processum esset, atque parochorum Universitas interposita appellatione curasset causam committi in Rota, obtentaque solita citatione cum inhibitione, itaut Episcopus impediretur ad dictum examen procedere; Hinc denuo adivit dictam Sacram Congregationem, quæ censuit Episcopum, inhibitionibus non obstantibus, ad exequutionem dictarum declarationum procedere posse, quare dicta Universitas Parochorum adiit Signaturam Gratiæ, ex cujus rescripto causa remissa fuit ad Rotam, ubi pendet, ita tamen, quod interim non retardaretur exequutio examinis, ad quod procedi possit.

In hac autem formali disputatione habita in Signatura, ultra ea, quæ sunt ordinis, & an causa remittenda esset ad dictam Sacram Congreg. vel ad Rotam, quod magis pendebat ex circumstantiis facti circa aliqua acta judicialia; Cum etiam incidenter, juxta stylum, actum esset de concernentibus negotium principale, an scilicet posset necne Episcopus ad dictum examen procedere; Scribentes pro parochis potissimum fundamentum constituebant in decisione Rotæ apud Peniam *decis.* 444. *repetit. decis.* 23. *part.* 3. *recent.* ubi in individuo revocatur sententia Ordinarii, per quam parochus ob insufficientiam suspensus fuerat, eique datus coadjutor. 3

Quodque parochi semel approbati non possint, nisi nova superveniente causa novo examini subjici, fuisse declaratum per Sacr. Congregationem referunt Barbos. *ad Concil. sess.* 23. *cap.* 7. *n.* 8. Nicolius *in flosc. verbo Examen, num.* 9. & forsan alii similes collectores. 4

Scribens Ego pro Episcopo, quatenus pertinet ad dictam decisionem Rotæ, coram Penia, dicebam, illam extraneam videri a casu quæstionis; ibi enim agitur de casu particulari unius parochi appellantis, non ab evocatione ad novum examen, sed a gravamine illato circa declarationem imperitiæ, quam cum examine habito in Urbe coram examinatoribus Cardinalis Vicarii detectum est non subsistere quod non negabam, per singulos parochos suspensos, ac sentientes se gravatos fieri posse, sed non erat iste casus quæstionis, in qua agebatur in genere de puncto potestatis evocandi ad novum examen. 5

Circa quem, ultra dictas declarationes S. Congregationis illum decidentes, adducebam plures Auctores id firmantes, ut scilicet Episcopus probabilem habens suspicionem de insufficientia parochorum, possit, mediante novo examine, hanc suspicionem tollere, ut præsertim firmant Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 4. *n.* 101. Riccius *in prax. fori Ecclesiast. dec.* 574. Barbos. *de Parocho, part.* 1. *cap.* 2. *n.* 10. *& part.* 2. *cap.* 23. *n.* 8. *cum seqq. & in Collect. ad Concil. sess.* 21. *de reform. cap.* 6. *n.* 4. bene Cardinalis de Lugo *de pœnitent. disput.* 21. *sect.* 3. §. 2. *n.* 66. 6

Præ-

Præterea advertebam quod dicta quæstio, an semel approbatus ad parochialem possit reprobari, in sensu negantium percutit casum omnimodæ reprobationis cum privatione beneficii, quod ita tamquam vacans possit alteri conferri, atque ad hunc effectum necessaria est formalis justificatio imperitiæ talis, quod cessaret probabilis spes addiscendi, seu reminiscendi, dum alias
7 idoneus declaratus fuerat, quod difficile est ad praxim deducere, atque in hoc sensu recte procedit propositio; ut semel approbatus non possit amplius reprobari, juxta theoricam Abb. in c. *scriptum*, *n. 16. de elect. & c. cum Venerabilis*, *n. 55. eod.* cum aliis apud Mant. *dec. 274. n. 2.* & admittitur in *dec. 174. p. 5. rec. & dec. 348. n. 5. & seqq. p.* 10. & in aliis, in quibus dubitatio alt, an approbatio ad unam parochiam sufficiat ad alteram.

Secus autem, ubi ob conceptam suspicionem, vel extrajudiciales informationes; Episcopus vult procedere ad novum examen; non ad effectum reprobandi, ac privandi beneficio, sed ad solum effectum providendi, ut ille, qui, studiis neglectis, parum idoneus detegatur in exercitio curæ, ac administratione sacramentorum, suspendatur ad tempus cum provisionali deputatione coadjutoris, ut studia reassumendo, ad prio-
8 rem idoneitatem ex reminiscentia redire valeat, Ut enim egomet expertus sum, quamplures mei condiscipuli, vel socii praxis Tribunalium, tunc ingeniosissimi, atque scholarum primarii, otio postmodum dediti, ita prioris doctrinæ obliti sunt perinde ac si studiis numquam vacassent, cum etiam ingenia, ad instar terræ quamvis fœcundæ, ac bene cultæ, non continuante cultura, sterilia, & infructuosa reddantur; idcoque dicebam, omnino hanc facultatem Episcopis tribuendam esse, non solum, ut consulatur in casu particulari illius parochi, de cujus insufficientia suspicio habeatur, sed etiam, ut ista facultas omnibus timorem incutiat,
9 atque stimulum præbeat ad non deserendum studia, potissimum vero in parochis villarum & castrorum, ubi verificari non potest id quod per omnes Episcopos in quibuslibet locis, ubi fieri potest, introduci deberet, conferentiæ scilicet casuum conscientiæ singulis hebdomadis, vel saltem singulis mensibus.

Clarius vero præmissa procedere dicebam in hac facti specie, in qua supponebatur, quod parochiæ non providerentur per concursum juxta formam a Concilio Trid. præscriptam, sed ad præsentationem, Universi-
10 tatis parochianorum, seu aliorum patronorum, unde institutio sequitur cum simplici examine super idoneitate, qui casus videtur longe diversus, quoniam formalis concursus sapere videtur quandam speciem Doctoratus solemnis in hac materia, simplex vero examen super idoneitate, importare videtur quandam simplicem declarationem habilitatis, non tamen adeo solemnem, sed adinstar illius, quæ fieri solet de simplicibus confessariis, quibus, sive sæcularibus, sive regularibus, hodie ex pluribus declarationibus S. Congregationis extra controversiam est, licentias posse suspendi, vel tolli, nisi novo examini se supponant; Cumque dictæ declarationes S. Congregationis indefinite percutiant etiam parochos approbatos in concursu formali, seu solemni, multo magis eas recipiendas esse dicebam isto casu, in quo agitur de privata, & non solemni approbatione.

MAJORICEN. VICARIÆ, PRO BENEFICIATIS ECCLESIÆ S. CRUCIS, CUM MELCHIORE GARZIA.

Casus decisus per Rotam Beneficiatis:

An Vicarius perpetuus Ecclesiæ parochialis habens Vicariam in titulum, deputare possit alterum Vicarium ad exercitium curę; Et in quo differant Rector, & Vicarius perpetuus.

Et an idem Vicarius participare debeat de distributionibus massæ Beneficiorum, seu Cappellanorum eidem Ecclesiæ inservientium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Vicarius Vicarium non deputat.*
4 *Vicarius non est rector, & verus sponsus Ecclesiæ.*
5 *An in hoc differat Vicarius perpetuus a manuali.*
6 *Quod Vicarius non debeat participare de massa distributionum.*

Card. de Luca, Lib. XIII.

D I S C. XVII.

Cum Monasterium Chartusianorum dimisisset Episco- 1
po jus quod habebat nominandi Vicarium pro exercitio curæ in Ecclesia parochiali S. Crucis, Episcopus autem decrevisset, talem facultatem competere debere ejusdem Ecclesiæ Beneficiatis, seu cappellanis quandam Collegii speciem, juxta frequentiorem Hispaniæ usum, de facto constituentibus, qui Vicarium amovibile deputare solebant, Modernus vero Episcopus statuisset, inhærendo dispositioni, vel intentioni S. C. T. illum esse debere perpetuum; Hinc inter Vicarium ita deputatum non habentem amplius timorem dimissionis, ac dictos Beneficiatos, aliquæ exortæ sunt controversiæ, præsertim, Primo, an ipse deputare posset alterum Vicarium, vel substitutum ad exercitium curæ; Et secundo, an participare deberet de massa communi distributionum Cumque super utroque Episcopus ad ejusdem Vicarii favorem decrevisset, Hinc interposita per Beneficiatos appellatione, & commissa causa in Rota coram Ninot, ipsis Beneficiatis tantum informantibus, sub die *prima Februarii* 1662. super utroque negativa prodiit resolutio,
incertumque est quid inde in causa sequutum fuerit, dum 2
de illa amplius actum non audivi; Et sic duo erant diversi controversiæ puncti, Unus super facultate deputandi Vicarium, seu coadjutorem ad curæ exercitium, Et alter super participatione dictæ massæ distributionum.

Quoad primum, clara est decisio text. in *Cleric 4 de off. Vicarii*, ubi ad litteram disponitur, quod Vicarius
Vicarium substituere non potest, & firmant communi- 3
ter DD. ibidem collecti per Rice. *collectan.* 1599. Barbos. *ad eundem text. & de jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 37. & de Parocho, cap. 17. n. 38. & cap. 19. n. 37. cum seq.* bene Squillant. *de priv Clericor. cap. 2. num. 33. & seq.* ex ea clara ratione; quod Vicarius non dicitur Rector & sponsus Ecclesiæ, illam habens in titulum jure proprio, sed dicitur potius famulus, vel minister deputatus
ad exercitium a Rectore, qualis dicitur ille pœnes quem 4
resider cura habitualis juxta receptam gloss. *finalem in cap. ad hæc* il terzo *de off. Vicarii*, Cavaler. *decis* 59. *n.* 2. & 3. Greg & Adden. *decis.* 174. Baratr. & Adden. *dec.* 214. *dec.* 445. *part.* 5. *rec. & sæpius*. Sive consideratur tamquam delegatus, qui non concurrente formali consuetudine, non potest subdelegare ad universitatem causarum, sed solum ad negotia particularia, eo quia habens auctoritatem alieno jure, non potest sibi æqualem constituere, ut ratiocinatur Squillan. *ubi supra*.

Et quamvis satis elaboraretur super puncto, an hæc vicaria dicenda esset perpetua, vel manualis, atque probabiliter videretur dici posse eam esse potius manualem, non obstante dispositione Conc. Tridentini loco citato
procedente in cura animarum annexa Capitulis & Ec- 5
clesiis sæcularibus, non autem Monasteriis Regularium, ut habetur *decis.* 5. *num.* 7. & 8. *part.* 7. *recent.* (Quod tamen patiebatur difficultate, ex eo quod stante dicta cessione facta per monasterium Episcopo, qui jus sibi cessum declaraverat competere Beneficiatis, videbatur effecta sæcularis,) Nihilominus dicebam hunc esse inanem laborem, quoniam hujusmodi inspectio manualitatis, vel perpetuitatis non tollit dictas rationes, neque inducit in Curato Rectoriam, seu jus proprium independens, sed solum quoddam jus famulatus irrevocabile; Et sic alia non videtur adesse differentia, nisi quod unus sit amovibilis, alter non, uterque tamen delegatus ad solum exercitium; Unde videmus quod coæqualiter, sive in perpetuis, sive in manualibus vicariis, ex eadem ratione non servatur forma concursus in parochialibus præscripta per Sac. Concil. Tridentinum, sed proceditur juxta Constitutionem Pii V. dum potissime non concurrit illa circumstantia, ob quam pœnes Vicarium residere dicatur etiam jus habituale, prout est quando universitas jurium parochialium ei competit, cum huic Vicario solum assignata sit tertia pars fructuum pro congrua, reliquis remanentibus pœnes ipsum Monasterium, cui Ecclesia annexa est.

Quo vero ad alteram dubii partem super participatione distributionum una cum Beneficiatis, pariter negativa probabilior cum sensu etiam veritatis mihi videbatur, quoniam distributiones dicuntur merx laboris, seu salarium
operariorum psallentium in choro, aliaque divina pro cul- 6
tu Ecclesiæ celebrantium, ex plene collectis per Add. *ad dec.* 576. *n.* 12. *p.* 4. *rec. tom.* 3. & pluries *sub tit. de Canonicis & Capitulo*, ubi de hac materia distributionum, unde

cum iste Vicarius non esset de corpore Beneficiatorum, neque deputatus ad servitium chori & Ecclesiæ, sed solum ad exercitium curæ, & administrationem sacramentorum cum suo salatio, seu congrua, ista debet esse contentus, & si prætendit eam modicam, & insufficientem, agere debet pro suppletione adversus Monasterium cui annexa est cura, cum perceptione universitatis fructuum, & emolumentorum juxta *decisionem* 420. *part.* 1. *recentior.* & 230. *part.* 6. & habetur supra *in Perusina congruæ*, *disc.* 19. Dicta vero participatio distributionum practicari solet, quando Vicarius est unus de capitulo, seu Collegio, cui annexa est cura, dictæque distributiones cedunt in locum congruæ, itaut adinstar Canonici Pœnitentiarii assistens in confessionario, seu alias in exercitio curæ, & administratione Sacramentorum impeditus, habeatur pro assistente in choro, juxta practicata in una *Acernen.* enunciata infra *in Murana Congruæ*, *disc.* 20. sed ista circumstantia cessante, non videtur subesse ratio, cui hæc prætensio innitatur.

ANNOT. AD DISC. XVI.

SUper data facultate deputandi alium Vicarium videri poterunt deducta *hoc eod. tit. disc.* 45. occasione agendi de puncto, an valeat concursus habitus coram Vicario substituendi.

MELPHITEN. CONGRUÆ AD PETITIONEM EPISCOPI, ET CAPITULI.

Responsum pro veritate.

Ubi nullæ adsunt Parochiæ, sed cura pro universo populo exercetur in Ecclesia Cathedrali per illos de Capitulo, & Clero ejusdem Ecclesiæ; An superveniente præcepto Superiorum, ut ad ejus exercitium deputari debeant certi Vicarii ad formam Decreti Concilii Tridentini, & Constitutionis 47. Pii V. incumbat onus præstandi congruam Episcopo, vel potius capitulo, aut populo.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod magis expediat deputare Vicarios quam erigere parochias.*
3 *Onus congruæ solvendæ Vicario incumbit habenti curam habitualem.*
4 *Ubi parochiæ non sunt distinctæ, cura est pœnes Episcopum.*
5 *Quod onus congruæ incumbat ei qui percipit emolumenta parochialia.*
6 *An pro licentia laborandi diebus festivis possit aliquid exigi.*
7 *An præstatio quam exigit Episcopus, referri debeat ad decimas.*
8 *De congrua detrahenda ab emolumentis parochialibus.*
9 *An & quæ emolumenta non computentur in congrua.*
10 *Habens curam habitualem non tenetur pro congrua solvere ultra id quod percipit a parochia.*
11 *Quando emolumenta non sufficiunt ad substentationem Curati, populus debet supplere.*
12 *Quando habeatur ratio de incertis circa congruam.*

DISC. XVIII.

1 CUm in Civitate Melphitensi, proportionabiliter ad brevem recinctum, nimium populo plena in numero animarum circiter 7. m. nullæ adessent parochiæ distinctæ, sed cura animarum indeterminate exerceretur in Ecclesia Cathedrali per ejus Canonicos, & cappellanos, qui participantes nuncupantur, & qui adinstar Canonicorum idem capitulum constituere videntur; Sacra vero Congregatio Concil. Trid. Interpretum, referente Episcopo statum Ecclesiæ occasione visitandi limina Apostolorum, id incongruum reputaret, ac potius absusum, ideoque mandasset, ut ad formam decreti Conciliaris, & *Constitutionis* 47. Pii V. erigerentur parochiæ populi numero proportionatæ, vel deputarentur certi Vicarii perpetui ad curæ exercitium, ut ita oves certum agnoscerent pastorem; Hinc orta est extrajudicialis contentio inter Episcopum, & Capitulum, super qua concorditer meum consilium pro veritate expetitum fuit, cuinam incumberet onus solvendi dictis Vicariis congruam juxta taxam in eadem Piana Constitutione præscriptam; Licet enim decretum Sacræ 2
Congregat. alternative disponeret, Vel erigi parochias in quibus tamquam filiabus Cathedralis, cura exerceretur ad formam decreti contenti *sess.* 21. *de reform.* c. 4. Vel non immutato loco, deputari Vicarios ad formam Decreti *cap.* 7. *sess.* 7. *de reform.* & *dictæ Constitutionis Pii V.* Attamen me consulente, omnino expediebat hanc secundam partem eligere; Tum ad effectum non immutandi mores, cum quibus iste populus vivere consueverat, recipiendo divina in Cathedrali; Tum etiam ob minus onus, quoniam ad mentem ejusdem Concilii, ac dictæ Constitutionis Pianæ, major debet esse dos Ecclesiæ parochialis, quam congrua Vicarii, quam sufficit non esse minorem scutorum 50. Ac etiam quia data erectione parochialium, istarum provisio esse deberet necessaria juxta Conciliarem formam per concursum, cum omnibus, sive civibus, sive exteris, invitis etiam Episcopo & Capitulo respective, pateret aditus, cum obligatione præeligendi digniorem; E converso autem erigendo vicarias, illarum provisio facienda esset de personis gratis ad nominationem ejus, cui declararetur curam habitualem imminere; Et quatenus immineret Capitulo, cum modico istius incommodo id sequi posset, deputando duos, vel tres ex eisdem Capitularibus, alias de massa communi participantibus, assignando participationem loco congruæ, cum sola suppletione, quatenus dicta participatio non constitueret taxam a dicta Piana Constitutione præscriptam, juxta casum, de quo infra in Murana, *disc.* 20. dum stante nimia Capituli & cleri numerositate, nil penitus cultui, & Ecclesiæ servitio præjudicaret, quod duo, vel tres Capitulares a choro, aliisque divinis absentes & curæ exercitio incumbentes haberentur pro interessentibus.

Quatenus igitur pertinet ad punctum prædictum, cui scilicet incumberet onus suppeditandi dictam congruam; Dicebam, in puncto juris regulam esse certam, ut incumberet ei, qui percipit decimas, aliaque parochialia emolumenta, etiamsi nullam haberet curæ participationem, 3
quinimo etiamsi esset laicus, ut constat ex *decis.* 101. Comitoli *decis.* 420. *part.* 1. *recentior.* & ex aliis de materia agentibus, de quibus *in Perusina congruæ*, *discurs. sequenti*; Licet enim regula sit, quod ubi parochiæ non sunt distinctæ, cura universa animarum dicatur esse pœnes Episcopum, qui dicitur parochus universalis, non autem pœnes Capitulum, ex deductis per Burrat. & Adden. *decis.* 164. & 401. *decis.* 22. *n.* 1. *part.* 6. Toletana decimarum 15. Junii 1648. Celso inter suas 4
decis. 44. *num.* 4. ac frequenter in aliis; Nihilominus id procedit ad effectum pertinentiæ juris decimandi, aliorumque jurium parochialium, tam jurisdictionalium quam bursalium, juxta ea quæ habentur, *sub titul. de decimis*, præsertim *in Hispalen.* & *in aliis*, sed ubi dicti jura, & emolumenta pœnes alium quam Episcopum sunt, tunc quidquid sit ad alios effectus, ad istum tamen suppletionis congruæ, extranea est dicta quæstio, pœnes quem habitualis cura resideat, cum certum sit onus ferendum esse ab eo, qui habet emolumentum, non curato dicto jure habituali.

Quare difficultas consistebat potius in facto quam in jure, pœnes quam scilicet ex ipsis contendentibus, dicta jura, & emolumenta parochialia residerent, cum in ea Civitate juxta frequentiorem illarum partium consuetudinem non solvantur decimæ; Episcopus enim prætendebat emolumenta parochialia percipi per Capitulum, consistentia in funeralibus, & matrimoniis, ac baptismate, quorum Episcopus percipit quartam, & quædam portio, seu species assignatur Sacristiæ ab eodem capitulo electo, cui consuevit incumbere onus administrandi infirmis sacramentum Eucharistiæ pro viatico, & extremæ unctionis, necnon baptizandi, & assistendi matrimoniis, ac interveniendi in funeralibus cum stola, faciendo figuram parochi, & sic dicebat Episcopus quod ex his emolumentis, dictæ congruæ detrahendæ erant ad præscriptum ejusdem *Constitutionis Pii V.*

E converso autem capitulum pretendebat quod Episcopus exigeret decimas de piscibus, qui capiuntur in illis festivis diebus, in quibus Ecclesia duplex officium celebrare solet, ac etiam sub nomine decimæ annuam præstationem scutorum circiter 300. ab emolumentis Doganæ spectantibus ad Baronem, seu dominium temporalem, Atque respondendo ad dictam Episcopi prætensionem, dicebat, dicta emolumenta percipi tamquam speciem distributionum

tionum

tionum quotidianarum ratione laboris, ac assignantiæ personalis in funeribus aliisque functionibus, istaque continebantur in notula transmissa, in qua motiva hinc inde deducebantur.

Quoad dictum emolumentum decimæ piscium, habebam difficultatem, quod illud referendum esset ad illam decimam parochialem, quæ solvitur curato ob administrationem sacramentorum, quoniam si talis esset, deberet indistincte exigi, sive pisces caperentur in die festivo, sive in die feriato, unde propterea, stante præsertim consuetudine, seu verius nimium damnabili illarum partium abusu dandi aliquam recognitionem Episcopo concedenti in diebus festivis illam licentiam, quam accedente justa causa gratis dare tenetur, quod dicta decima referen-
6 da potius esset ad illam eleemosynam, quæ in specie præcipitur *in cap. licet, de feriis*: Et licet *gloss.* ibi dicat, hanc esse speciem decimæ prædialis, attamen hoc dicit ad effectum taxandi quotam in Canone non præscriptam, non autem ut dicatur illa decima, quæ solvitur Parocho ratione sacramentorum pro ejus substentatione, dum ad præscriptum dicti Canonis solvitur Episcopo ex ratione permittendi laborem in die festivo tamquam species eleemosynæ ab eodem Episcopo distribuendæ pauperibus, *vel* in alios pios usus erogandæ, ut practicant Episcopi timoratæ conscientiæ, non autem sibi applicandi, ut alii male faciunt.

Magis de decimæ specie participare videbatur dicta annua præstatio ex emolumentis Doganæ, quæ solvitur per populum ratione introductionis, vel extractionis olei, aliarumque rerum, quasi quod per vim concordiæ, ab antiquo in locum decimarum ex singulis fructibus solvenda-
7 rum, dicta præstatio subrogata esset. Verum adhuc actus remanebat æquivocus, dum referri poterat ad conventionem pro aliqua subjectione, quam in dicto onere, sive directe, sive indirecte patiuntur Ecclesiastici; Ideoque tota quæstio consistebat in facto omnino obscuro, quo dilucidato planus fuisset punctus juris, quoniam si dicta emolumenta Episcopi, juxta antiquas traditiones, ac populi opinionem, essent ratione decimarum, atque eorum loco subrogata, exinde sequeretur tamquam absolutum de jure; quod ab eis dictæ congruæ, seu earum suppletio ultra emolumenta, de quibus infra, detrahendæ essent, ut in specie contra Episcopum habetur apud
8 Mantic. *dec.* 269. & generaliter Millin. *dicta dec.* 101. & *dicta dec.* 420. *part.* 1. *recent.* cum aliis, de quibus in sequenti.

Unde tenendo quandam mediam viam, dicebam quoad primam speciem emolumentorum, quæ percipiuntur per capitulum, distinguendum esse inter illa, quæ in funeralibus aliisque functionibus solvuntur singulis ratione laboris, ac interessentiæ personalis; Et illa quæ solvuntur pro jure parochiali, ut præsertim censenda veniunt emolumenta matrimoniorum, & baptismatum, ac in funeribus illa pars quæ vulgo dici solet pro *stola*. Cum enim ista sint emolumenta parochialia, assignari deberent dictis Vicariis, & non ponenda in massa capitulari, dum supponebatur non esse talia, quod exclu-
9 derem, quinimo neque congruarum modicam partem constituerent, nulla ratione habita dictorum emolumentorum, quæ singulis capitularibus aliisque clericis solvuntur ratione honorificæ associationis funeris, ac laboris mere personalis, cum istæ sint mere distributiones quotidianæ.

Quia vero ista emolumenta, quæ dici possunt mere parochialia, erant valde modica, absque dubio insufficientia, atque certum est de jure, capitulum cui annexa sit cura non teneri uni, vel pluribus Vicariis constituendis pro congrua dare ultra id quod percipit a parochia & parochialibus emolumentis; Hinc proinde cum non constaret, aliud ratione parochiæ possideri, vel percipi, ad aliud
10 teneri non debebat, ut ad litteram disponitur in eadem *Constitutione* 47. *Pii V.* §. 2. *in fine*, ideoque pro suppletione eram in voto, ut Episcopus deberet de dictis emolumentis in aliqua moderata parte contribuere, saltem ad tollendum scandalum, ac populi murmurationem, stante dicta opinione, quæ ex antiquis traditionibus in populo habetur, quod dicta emolumenta, & præsertim doganæ percipiantur loco decimarum.

Et quando, ut supponebatur, dicta moderata contributio neque sufficeret, tunc dicebam, quod Populus, utpote non solvens decimas ad hujusmodi suppletionem tene-
11 retur, atque cum ecclesiasticis remediis cogendus esset, cum de jure sit pariter receptum, quod quando emolumenta, quæ ratione curæ percipiuntur, non sufficiunt ad congruam parochi substentationem, tunc cogi debeat populus de ea supplenda, ut expresse disponitur per S. Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.* ac etiam sit cautum de jure communi, ubi præsertim populus nullas solvit decimas, vel ita exiguas, ut ad congruam substentationem curati non sufficiant, ut per Abbatem *in cap. de Rectoribus*, *num.* 6. *de Cler. ægrot.* Surd. *de alim. tit.* 1. *quæst.* 60. *n.* 2. Bellet. *disquis. Clerical. tit. de Clerico debitore*, §. 14. *num.* 7. Barbos. *ad idem Concil. dicto cap.* 4. *num.* 15. ubi *num.* 6. agit in specie de necessitate erigendi parochiam novam, seu deputandi particularem Vicarium in alia Ecclesia existente extra muros, ac recinctum Civitatis pro administrandis sacramentis populo in hac parte viventi, præsertim tempore nocturno, in quo portæ Civitatis sunt clausæ, qualis erat casus præcisus, ac potissima ratio, ob quam S. Congregatio ita decrevit.

Sed quia difficile est cum populo dictam contributionem practicare absque exercitio gladii spiritualis,
ex quo multa inconvenientia resultare solent, idcirco 12
mea sententia erat, quando alias concorditer & pacifice consuli non posset, ut moderate, ac ad necessitatem augerentur dicta emolumenta ratione administrationis sacramentorum a populo solvenda; Et quamvis pro ratione dubitandi obstare videretur conclusio, quod ad hujusmodi Bullæ præscriptum, in dicta congrua habenda non est ratio de incertis, ut advertitur *decis.* 5. *num.* 3. & *seq. part.* 2. *divers.* Mant. *decis.* 269. *in fin.* & *d. decis.* 420. *num.* 2. *part.* 1. *recent.* Attamen non videbatur motivum considerabile, quoniam dicta conclusio intelligenda est de illis emolumentis mere incertis, & voluntariis, quæ pendent a sola populi devotione, & quæ possunt nulla esse: Secus autem in emolumentis parochialibus solvendis occasione sacramentorum, vel sepulturæ, cum non possit populus non mori, non nasci, & non baptizari, atque non contrahere matrimonia, ut ita distinguendo habetur præsertim *in Lucana prioratus, sub tit. de Jurepatr. disc.* 10. & *sub tit. de Beneficiis*, *disc.* 50. ubi generaliter de valore beneficiorum; In plerisque enim parochiis nullum alium redditum habentibus, ista sola emolumenta, ob populi numerositatem, adeo magnum redditum constituunt, quod sufficiunt etiam ad substentationem Collegii, cujus beneficia adeo pinguia reputantur, ut etiam graventur pensionibus, ut praxis docet in Ecclesia parochiali S. Joannis Majoris Civitatis Neapolis, de qua infra, *disc.* 28.

ANNOT. AD DISC. XVIII. & seqq.

De materia congruæ conciliaris in his discursibus peracta, habetur quoque actum *in hoc tit. disc.* 39.

Decisio prodita in casu, de quo *discurs.* 19. *est impress. part.* 12. *recent. decis.* 48.

Priores decisiones editæ in *disc.* 20. *sunt impressæ ead. part.* 13. *disc.* 347. & 392.

PERUSINA CONGRUÆ, PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM VICARIO PAROCHIALIS S. ANGELI.

Casus decisus per Rotam pro Capitulo:

An concordia inita inter Vicarium, & eum, cui parochia annexa est super congrua Vicarii, impugnari possit sub prætextu diminutionis fructuum, seu bonorum assignatorum; Et an competat actio ad petendum supplementum summæ taxatæ per Constitutionem Pianam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Congruæ taxa, vel assignatio semel facta, an debeat alterari.*
4 *Beneplacitum Apostolicum requiritur etiam in transactione inter Ecclesias.*
5 *Quando intret beneplacitum præsumptum.*
6 *Facta electione in alternativis non licet variare,*
7 *Non intrat læsio ex futura contingentia, quæ poterat dare lucrum.*

DISC. XIX.

1 Cum capitulo Ecclesiæ Cathedralis annexa esset parochialis Ecclesia S. Angeli Perusii, Cardinalis a Cornea Episcopus Perusinus de anno 1567. ut satisfaceret Decreto S. C. T. tunc de recenti publicato, erexit in dicta Ecclesia perpetuam vicariam cum congrua Vicario præstanda scut. 60. auri, & anno sequenti inter capitulum & Vicarium deputatum deventum est ad concordiam, per quam capitulum loco congruæ assignavit Vicario quædam bona & redditus, quibus tam primus, quam cæteri successores Vicarii, stantibus etiam emolumentis incertis & diurnis contenti fuerunt usque ad annum 1654. quando modernus Vicarius prætendens dictorum bonorum, ac redditaum notabilem diminutionem, dictamque concordiam eum non ligare, judicium instituit contra capitulum coram Ordinario, a quo sententiam obtinuit, ab A. C. confirmatam super solutione scut. 60. auri ad formam erectionis; Commissa vero per appellationem causa in Rota coram Bevilacqua, datoque dubio, an & ad quam rationem congrua debeatur, sub die 24. Martii 1659. ad favorem capituli resolutum fuit, eam scilicet non deberi stante concordia, qua dictus Vicarius contentus esse debet, qui proinde acquievit, seu alias cum capitulo se concordare curavit, dum causa ulteriorem prosequutionem non habuit.

In hac unica disputatione habita in Rota, in qua solum pro capitulo scripsi, dicebam, etiam cum sensu veritatis, minus probabilem esse prætensionem hujus moderni Vicarii, a suorum prædecessorum vestigiis, ac observantia discedentis, quoniam assignatio semel facta, longissimo 88. annorum spatio observata attendi debet; neque ab ea recedi potest, nisi tractu temporis adeo ad tenuitatem redacta sit, ut Vicarius nullatenus se substentare posset, Mant. *dec.* 22. Greg. *dec.* 419. *dec.* 449. *part.* 2. *num.* 5. & 230. *n.* 6. *part.* 6. *rec.* Hoc autem in dubio non præsumitur, atque ex parte actoris justificatum non erat, & quo casu solum supplementum necessitatis peti posset, ut in allegatis decisionibus, & per Lotter. *lib.* 2. *q.* 12. *n.* 27. *cum seqq.*

Scribentes in contrarium super tribus insistebant; Primo quod dicta conventio, seu assignatio fuisset personalis cum primo Vicarii deputato; Secundo quod careret beneplacito Apostolico, quod juxta magis communem, ac receptam opinionem, requiritur etiam in transactionibus, aliisque alienationibus, quæ fierent inter Ecclesiasticos etiam super incorporalibus puta ju-
4 risdictione cum similibus ex deductis *in Murana, disc. seq.* Et tertio quod assignatio facta esset contra formam Concilii clarius explicati per Bullam Pii, quod scilicet congrua esset quantitativa, dum disponitur non debere excedere centum, ac esse ultra 50. ut comprobabat eadem erectio facta per Episcopum in scutis 60. auri.

Nulla vero ex his oppositionibus subsistentiam habebat; Prima enim utpote consistens in facto, in eo tollebatur cum sola lectura instrumenti dictæ assignationis, cujus contextus clare ostendebat fuisse quidem verba directa in Baldosium primum vicarium, sed demonstrative pro omnibus in vicaria succedentibus; Et si quæ ambiguitas super dictis verbis cadere potuisset, illa tollebatur cum observantia diuturna optimi interprete: super secunda, defectus beneplaciti Apostolici (ultra quod probabilius videtur illud in hujusmodi conventionibus non requiri ex iis, quæ habentur *in d. Murana, disc. seq.*) tollebatur difficultas ex illius præsumptione resultante a tam longa pacifica observantia annorum 88. cum tamen sufficeret illa 30. annor. non obstante *Constitutione Urbani VIII.* dirimente beneplacitum præsumptum, dum omnino verius est illam non complecti contractus inter Ecclesias & ecclesiasticos, ut paulo post eamdem Constitutionem editam, dictum fuit *in Vicen. portionum* 1. *Junii* 1643. coram Dunozzeto in-
5 ter suas *dec.* 713. & quamvis postea in aliquibus aliis dubitatum fuerit, idem tamen deinde constanter pluries firmatum, ut habetur sub diversis materiis pluries deductum, præsertim in ejus propria alienationis bonorum Ecclesiæ *sub tit. de alienationibus, & contractibus.*

Et quoad tertium, in quo aliqua suberat difficultas, dicebam eam de plano tolli ex eisdem decreto Conciliari, & Constitutione Piana, mandantibus congruam assignari, vel in pecunia, vel in fructibus, unde pro-
6 pterea in alternatis eligendo unum, satisfactum est obligationi; Potissime quia dum assignatio fit pro substentatione, & sic pro victu, iste non consistit in pecunia, sed in fructibus pro quibus comparandis pecunia servit, ideoque si haberi potest ex bonis propriis, impletur finis, ob quem lex prodiit, non obstante taxa numerica, seu quantitativa, quoniam eadem tam in materia beneficiorum quam pensionum passim datur ad ostendendum valorem, non autem ad taxationem pecuniæ, ut videmus in taxa congruæ facta per Concilium in Episcopatibus, vel parochialibus, *dummodo centum, seu mille.*

Dicebatur, quod si fuisset in pecunia, Vicarius non fuisset subjectus adeo notabili diminutioni subsequutæ; Verum erat levis replicatio, quoniam futurus eventus poterat etiam producere augmentum, longeque majorem utilitatem, ideoque in eventualibus æque se habentibus ad commodum, vel incommodum non intrat læsio, ad text. *l. fideicommisso, C. de transact. cum ibi communiter notatis*, & in his terminis alienationis bonorum Ecclesiæ Duran. *dec.* 397. *cum seq.* & frequenter, receptaque conclusio est spectandum esse tempus ipsius contractus, non curata accidentali alteratione postmodum sequuta.

Clarius vero ex duplici facti circumstantia, Una scilicet quod justificabatur minorem fructuum perceptionem causari a mala, seu parum diligenti cultura bonorum, quæ etiam de præsenti apta erant ad consuetam productionem; Et altera quod, vel idem Vicarius actor, vel ejus prædecessor, ad proprium incommodum, vel laborem minuendum, passus erat ab hujusmodi parochiali dismembrari aliquas domos, seu familias aliqualiter distantes, ac assignari alteri parochiæ magis contiguæ, ex qua dismembratione aliqua diminutio emolumentorum oriebatur; Et ex his *in una Recanaten.* cum parochiani ad impediendam suppressionem parochiæ quam Episcopus ob tenuitatem facere intendebat, assignassent quædam bona quæsita ex collecta inter eos facta, dictorumque fructuum redditus essent tractu temporis diminuti, consultus pro veritate respondi, parochianos non teneri ad suppletionem, nisi retentis dictis terminis.

MURANA CONGRUÆ, PRO ARCHIPRESBYTERO, CUM CAPITULO CATHEDRALIS.

Casus decisus per Rotam ut infra.

De eadem materia congruæ debitæ Dignitati, vel Canonico, cui fixe ac perpetuo annexum est exercitium curæ annexæ ipsi Capitulo, quanta sit; Et an in eam imputari debeant fructus certi, vel incerti ipsius dignitatis, vel Canonicatus, qui & quomodo; Et incidenter aliqua de declaratoria contra non obedientem, an possit decerni etiam pro solutionibus in futurum.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Resolutiones causæ.
3 Ille, cui annexa est cura habitualis, tenetur dare congruam Vicario.
4 An concordia super congrua valeat, & afficiat successores, & quando.
5 Quanta debeat esse congrua.
6 Non tenetur habens curam de proprio ad congruam, si vult assignare omnia emolumenta Ecclesiæ.
7 Quid veniat imputandum in congruam Vicarii, si iste est canonicus, seu de corpore Capituli.
8 De distinctione massæ communis grossæ, & quid imputetur.
9 Quid de portione duplicata ratione Dignitatis.
10 Ad materiam declaratoriarum; Et an decerni possint pro culpis futuris remissive.

DISC. XX.

Cum Ecclesiæ Cathedrali Muranæ annexa esset quædam parochia, cujus curæ exercitium ab antiquo annexum est Archipresbytero secundæ Dignitati, solito etiam habere unum coadjutorem ex cappellanis seu presbyteris participantibus ejusdem Cathedralis, exortis aliquibus controversiis inter capitulum, & Archipresbyterum prædecessorem, deventum est ad concordiam, per quam Archipresbyter contentus exitit certa quantitate frumenti, ac emolumentis quotidianis, ultra portionem sibi debitam ratione 1

tione Dignitatibus a massa communi; Successore autem dictæ concordiæ non acquiescente, introductaque causa cor. A. C. pro ipso prodiit sententia favorabilis, a qua per appellationem introducta causa in Rota cor. Bourlemont sub die 4. Febr. 1661. solo Archipresbytero informante, neglecta dicta concordia, resolutum fuit, congruam a capitulo debitam esse Archipresby-
2 tero, reservata provisione super taxa, ob non bene justificata requisita, quæ judici innotescere debent pro regulando eo arbitrio, ex quo illa taxa facienda est, pro servitii, ac onerum, & Ecclesiæ redituum qualitate; Concessa vero capitulo nova audientia, assumptaque disputatione sub die 15. *Junii ejusdem anni* 1661. cor. eodem Bourlemont, perstitum fuit in decisis, ac etiam taxata congrua in ducatis quinquaginta monetæ illarum partium computatis fructibus ac introitibus certis debitis ratione Archipresbyteratus, non autem ratione laboris, & servitii, nullaque ratione habita incertorum; Expeditisque ad normam decisionum sententia, & deinde executorialibus ob non paritionem, sub die 13. Februarii 1663. cor. Cerro subrogato, decretæ fuerunt declaratoriæ, denuo ob eandem contumaciam in non parendo decretæ sub die 4. Decembris 1669. coram Bevilaqua etiam subrogato, atque in hoc statu causa pendet.

In his autem disputationibus quatuor fuerunt puncti; Primo scilicet; an congrua debeatur a capitulo, non obstante concordia; Secundo, in qua summa; Tertio, quid in eam veniat imputandum; Et quarto, demum circa declaratorias.

Super primo, satis modica pœneque nulla fuit dubita-
3 tio, quoniam tam ex Constitutione 47. Pii V. quam etiam de jure communi, certum est quod ille, cui annexa est cura habitualis, ejusque jura, & emolumenta percipit, tenetur Vicario, aliisque ministris in curæ exercitio inservientibus, congruam mercedem laboris, ac servitii suppeditare, ut qui altari servit, de altari vivat, ad text. *in cap. extirpandæ, de præben. in sexto cum concordant.* per Mant. *decis.* 269. Greg. & Add. *decis.* 429. cum aliis deductis in duobus *disc. proxime præced.*

Neque curata fuit concordia, quoniam quidquid sit, an illa indigeret, necne Beneplacito Apostolico, ac formali causæ cognitione, ad hoc, ut sit successorum obligatoria, de quo infra *in Comen. disc.* 26. cessabat omnis difficultas; Tum quia expresse adversabatur dictæ Pianæ Constitutioni disponenti, ut congrua non sit minor quinquaginta, & non major centum; Tum etiam quia constabat de evidenti læsione, ac insufficientia; ideoque remanebat personalis, successorum non
4 obligatoria, ex deduct. per Gregor. & Adden. *decis.* 152. Burrat. *decis.* 152. *dec.* 402. *num.* 1. *part.* 5. *recent. decis.* 430. *num.* 8. *part.* 6. potissime ubi non concurrunt circumstantiæ, de quibus *in Perusina disc. praeced. & in dict. disc.* 26.

Nullaque pariter difficultas fuit circa secundum punctum taxæ, dum ad præscriptum Pianæ Constitutionis non poterat in minori summa decerni, eam Constitu-
5 tione disponente congruam non posse esse infra summam quinquaginta, neque supra centum; Cadente solum quæstione infra summam intermediam, quod remissum est superioris arbitrio ex facti qualitate regulando, ideoque si dici poterat adesse gravamen, illud erat potius ex hac parte, cum haberetur etiam coadjutor; Verum attenta qualitate loci, attentisque ipsius parochiæ redditibus, visum est adæquate dictam summam taxatam fuisse, quamvis etiam de illa conquereretur capitulum ob asserram tenuitatem fructuum dictæ parochiæ, super quo tandem merito exauditum non fuit, quoniam ego admittendo, quod teneri non deberet de proprio, ac ultra id quod Ecclesiæ redditus important, ut habetur etiam *disc. præced.* Dicebam tamen quod nemo ad id cogebat, dum in suo li-
6 bito erat dimittere omnes redditus ad commodum Archipresbyteri, qui plus prætendere non poterat.

Major igitur, ac pœne tota difficultas erat super tertio puncto, quid scilicet in dictam summam taxatam veniret imputandum, ex iis quæ Archipresbyter percipit ratione Archipresbyteratus; in ratione fructuum, non autem in ratione distributionum, seu mercedis laboris personalis; In hac etenim qualitate Ecclesiæ, de dicto jure nihil imputari debuisset, cum in illis partibus non de facili den-
7 tur præbendæ, seu fructus certi obtinendi ex sola ratione residentiæ absque necessitate interessentiæ ac servitii, sed ultra distributiones minutas singulis diebus, contingenter potius, quam fixe juxta locorum diversos usus percipi solitas, ab exequiis, & cadaverum associationibus, obtinetur solum in fine anni quædam portio frumenti aliarumque frugum, ac assignatio aliquorum reddentium in pecunia, tamquam per distributionem massæ grossæ, quæ tamen neque sub nomine fructuum ex facti qualitate venire poterant, quoniam ut advertitur pluries supra *sub tit. de Canonicis, & Capitulo*, præsertim in Anglonen. *disc.* 16. ac etiam *sub tit de pensionib.* conclusio, quod ubi nullæ adsunt præbendæ, distributio massæ grossæ, succedat loco præbendæ, ejusque naturam sortiatur, procedit quando eadem distributio fiat inter præsentes veros, vel fictos, ex sola ratione residentiæ, non autem ratione interessentiæ, ac servitii, secus autem ubi ad mensuram, ac proportionem servitii, atque ut dici solet per punctaturas; quoniam tunc dicuntur veræ distributiones quotidianæ, quæ singulis diebus ac horis percipiuntur, tamquam merx servitii, & laboris personalis, dilata solutione in finem anni, seu in aliud tempus, ideoque revera nihil percipitur ratione beneficii.

Expertus tamen, occasione consimilis controversiæ circa professionis initia disputatæ in Sac. Congregatione Concilii in una Arcenen. quod sensus dictæ Congregationis; (& quidem rationabiliter juxta distinctionem de qua infra) est ut ista massa grossa imputari deberet, 8
consului Archipresbytero, ut acquiesceret, cum hac tamen distinctione, quod, Aut dicta participatio massæ erat ex sola ratione servitii in choro, missæ conventualis per turnum absque alio onere celebrationis missarum privatarum pro satisfaciendo anniversariis, ac piis legatis ex quibus frequentius annui redditus, vel alia bona obtineri solent, & tunc totum veniret imputandum, atque participatio haberet naturam præbendæ ad hunc effectum, stante quod servitium parochiæ, & in exercitio curæ; succedit loco servitii in choro, dum pro non interessentia ob dictum impedimentum, non punctatur, atque ista est congrua ratio, ex qua Sac. Congregatio ita sentit; Aut vero adest etiam admixtum onus celebrationis missarum, in quo non datur adimplementum fictum, seu per æquipollens, ut est prædictum aliud onus interveniendi in choro, & tunc eleemosyna proportionata huic oneri sine dubio deducenda venit, ac non imputanda, cum in ea cadat adamussim illa ratio, quæ cadit in distributionibus mere quotidianis, ac minutis, quinimo fortior.

Quia tamen in ista Ecclesia consuetudo est, ut Dignitates, quæ sunt quinque, habeant aliquam majorem portionem, quam habeant Canonici, vel simplices presbyteri participantes; Hinc in ultima disputatione habita coram Certo super puncto declaratoriæ, opponebatur ex parte Capituli, quod ista portio duplicata, seu alias major, deberet imputari; Verum id quoque rejectum fuit; Licet enim pro imputatione nimium stringere videretur, quod illa excrescentia, vere, ac proprie esset illud emolumentum, quod percipitur in sola ratione beneficii; non autem laboris; Attamen e converso pro non imputatione magis obstat (ut in decisione advertitur) quod etiam hoc debetur per punctos ratione servitii; Atque observabam considerandum esse, quod ista excrescentia, referenda veniat quidem ad præeminentiam Dignitatis, sed propter majora onera, quæ magis Dignitatibus, quam reliquis Canonicis, & cappellanis incumbunt, tam circa majorem assistentiam faciendam Episcopo celebranti, vel assistenti in throno, ac etiam circa missas solemnes, aliasque functiones in majoribus solemnitatibus, quam ob majorem impensam, quam inferre coguntur in famulam, & aliis pro majori decore Dignitatis, & sic quod vere esset compensatio oneris, ac laboris magis quam fructus beneficii, ut etiam advertitur in Nazarena, *sub tit. de Canonic. disc.* 17.

Quartus demum punctus declaratoriæ respicit potius ordinem, de quo habetur actum in sua materia, *sub tit. de judic.* ac etiam sub altero *de censur.* In eo autem dicta ultima decisio sub die 4. Decembris 1669. coram Bevilaqua 10
notabilis videtur, quod firmatur, (& quidem juste, ac rationabiliter) decerni posse ex nunc declaratorias pro annis sequentibus, quatenus solutio non fieret juxta *decis.* 588. Buratt. *num.* 4. cum aliis ibi allegatis; Licet enim regula sit ut non dentur declaratoriæ pro culpis futuris, quoniam esset inferre pœnam ante delictum, attamen in iis quæ habent tractum successivum, itaut non sufficiat semel paruisse, tunc recte decernuntur ita conditionaliter, nam alias magnum absurdum esset, ut singulis quibusque annis cogeretur iste Vicarius, pro modica suppletione assumere novas lites, & disputationes in Rota, cum expensis emolumentum superantibus, ut in causæ decisione, ac in dictis respective sedibus materiæ.

VOLATERRANA CONGRUÆ, PRO PETRO ANTONIO DE CLARENTIS, CUM MONASTERIO CAMALDULENSIUM FLORENTIÆ.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus, ut infra.

De eadem materia congruæ debitæ vicario, a quo tempore debeatur; & an habeatur jure fructuum beneficii pro tempore quo vicaria vacat, ad effectum videndi, ad quem pertineat.

Et de Vicario sæculari præficiendo exercitio curæ in Ecclesiis parochialibus annexis Monasteriis Regularibus.

S U M M A R I U M.

1 *Ecclesiis parochialibus annexis Monasteriis regularibus dandus est Vicarius sæcularis.*
2 *Facti series cum resolutione.*
3 *An dicta vicaria debeat esse manualis, vel perpetua.*
4 *In Ecclesia regulari, vel de illius mensa esse possunt beneficia sæcularia perpetua.*
5 *De taxa congrua.*
6 *In arbitrariis difficile est convincere gravamen.*
7 *Vicariæ perpetuæ regulantur jure beneficiorum.*
8 *An congrua vicariæ pro tempore, quo vacat, spectet ad successorem, vel ad Cameram.*
9 *Quando bona assignata pro congrua dicantur dismembrata ab Ecclesia dominante, & quando non.*

D I S C. XXI.

1 Disponente Constitutione Innocentii X. edita de anno 1650. super reformatione Regularium, ut in Ecclesiis parochialibus annexis Monasteriis, vel Ecclesiis Regularibus, erigi deberent vicariæ sæculares perpetuæ, vel manuales, arbitrio Ordinariorum, ad hoc ut cura populi sæcularis per Clericum sæcularem exerceatur; Cum Monasterio Camaldulensium Florentiæ annexa esset Ecclesia parochialis Mucchii, hinc proinde in executionem dictæ Constitutionis, Sacra Congregatio ejusdem reformationis injunxit Episcopo Volaterrano, ut ad erectionem dictæ vicariæ procederet, unde Vicarius Generalis, asserendo id agere de mandato Epis-
2 copi absentis, ad erectionem processit Vicariæ perpetuæ cum assignatione congruæ scutorum 100. sed ob brevi subsequutam mortem Episcopi sequuta non fuit illius provisio, illinc ad triennium facta per Episcopum successorem in persona Petri Antonii. Ab hoc autem actu appellante Abbate ad A. C. ac prætendente ad istam congruam etiam in futurum non teneri; E converso autem Petro Antonio petente etiam annualitates decursas a die erectionis, prodiit sententia utrique parti respective favorabilis, Vicario scilicet, et decernendo congruam a die suscepti exercitii curæ, & Abbati, eum absolvendo ab annualitatibus decursis; Atque mihi pro Petro Antonio scribenti utraque determinatio probabilis visa fuit.

Tres autem erant controversiæ puncti; Primo, super ipsa erectione vicariæ perpetuæ in genere; Secundo, super taxa congruæ; Et tertio, super dictis annualitatibus decursis.

Quatenus igitur pertinet ad primum, Scribentes pro
3 Monasterio, nimium se diffundebant super indebita erectione facta de vicaria perpetua, quodque potius deberet esse manualis, ex eo quod accessorium regulari debet a sua causa, atque membrum debet esse ejus naturæ cujus est caput, adinstar eorum, quæ habemus de sub emphyteusi, vel subfeudo, ut sit ejusdem naturæ, cujus est caput, cum similibus, & consequenter cum ipsa Abbatia juxta naturam beneficiorum Regularium esset manualis, ita debebat esse ista vicaria tamquam accessoria, seu membrum Abbatiæ.

Contrarium dicebam ego scribens pro Vicario: etiam in sensu veritatis, quoniam hujusmodi inspectio intraret, quando edita non esset dicta Constitutio Innocentii, ac successive non adesset provisio particularis dictæ Sac. Congregationis pro ejusdem Constitutionis executione, etiam in vicariam perpetuam arbitrio Ordinarii; ideoque tamquam in claris, ac expressis cessant quæstiones & argumenta juxta sæpius insinuatam vulgarem regulam text. *in leg. aut ille, ff. de legatis tertio* plene exornatam per Rot. *decis. 44. n. 14. part. 11. recent.*

Et nihilominus, quod probabilius in puncto juris, vel, in sensu Sacri Concilii Tridentini, Ecclesiis parochialibus unitis Monasteriis, vel Ecclesiis Regularibus, vicaria debeat esse perpetua, ut oves habeant fixum, ac determinatum pastorem, qui eas cognoscat, ac bene curare valeat; late sustinet Fagnan. *in cap. ex part. n. 19. & seq. de officio Vicarii*, quod ex dicta ratione videtur satis congruum ac probabile.

Neque argumentum deductum a qualitate Abbatiæ concludit, quoniam in ea id provenit ex qualitate provisi, qui ob votum obedientiæ non potest se opponere præce-
ptis, ac nutui Superioris, ut advertitur *sub tit. de benefic.* ad 4
materiam manualium *disc. 97.* & sic potius ratione rei; Neque implicat in Ecclesia Regulari conferenda Regularibus cum dicta qualitate manualitatis, adesse proprie ac materialiter, vel per annexionem, cappellanias, vel beneficia sæcularia, conferenda in titulum perpetuum clericis sæcularibus per ipsos Regulares Lotter. *lib. 2. q. 34. n. 8.* Gonz. *gloss 8. n. 38.* Rot. *decis. 578. n. 2. part. 1. recent. decis. 65. num. 15. part. 11.* & sæpius.

Quo vero ad secundum punctum taxæ, cum ea non excederet taxam Pianæ Constitutionis præscribentis tan-
tum duo extrema, ut scilicet non sit intra 50. & non 5
supra 100. relinquendo arbitrio Ordinarii, id quod intra dicta duo extrema intermediat, hinc si Ordinarius arbitrium pro non diminutione extremi majoris non interponit, non de facili gravamen convinci potest, nisi doceatur de irrationabilitate, quæ non præsumitur, ex iis quæ habentur in materia irrationabilis judicii circa prælectionem magis idonei in concursu, ideoque frequentem in foro propositionem habemus,
quod in arbitrariis non intrat gravamen; Potissime ve- 6
ro quia ex facti circumstantiis constare videbatur arbitrium esse bene regulatum.

Demum quoad tertium punctum; Scribens tamquam 7
Advocatus dicebam, quod hujusmodi vicariæ erectæ in titulum perpetuum collativum habentur jure beneficiorum, adeout omnia quæ in beneficiis disposita sunt, etiam in istis varie procedant, ut ex Oldrad. *cons. 67. n. 2. & aliis* Garz. *part. 9. cap. 2. n. 286.* Spada *cons. 147. n. 2. lib. 3.* Fagnan. *in d. cap. ex part. de offic. Vicarii, num. 19. & seq.* ubi concordantes.

Et consequentar, cum fructus beneficii etiam curati pro tempore vacationis, quoties non intrat Constitutio Julii III. ad favorem Cameræ, de jure pertineant ad Ecclesiam, atque ex ejus persona ad successorem ex deductis apud Merlin. *decis. 503. num. 3.* & pluries *sub tit. de benef.* hinc detracto solum salario, quod
durante vacatione præstari debet œconomo, seu Vica- 8
rio provisionali ad præscriptum S. C. T. *sess. 24. de reform. cap. 18.* fundata diceretur intentio successoris petentis decursas annualitates a die erectionis.

Reflectendo autem ad veritatem, petitio videbatur minus probabilis; ut libere ab initio actori, seu pro eo agentibus insinuavi, non ex defectu conclusionis, quam ut supra deducebam, sed ex defectu applicationis ad casum; Ea enim procedit, quando tam erectio vicariæ, quam assignatio congruæ, jam effectum sortita est, adeout agatur de tempore vacationis ob cessum, vel decessum possessoris, tunc enim congrua jam taxata, dismembrata dicitur a Monasterio, ejusque bonis ac redditibus, adeout ad præscriptum Constitutionis 47. Pii V. pro hac rata Monasterium eximatur ab onere quindenniorum, ipseque fructus consideretur stans de per se, omnino independens a priori sua cau-
sa; Adinstar eorum quæ habemus de subfeudis, vel 9
membris feudi, ut efficiantur funda in capite, ut in sua materia *sub tit. de feudis*, præsertim in Mantuana *disc. 8.* Et in his terminis beneficiorum curatorum habetur *sub tit. de decimis* in proposito Ecclesiarum filiarum erectarum per dismembrationem ab alia Ecclesia, cum similibus; Secus autem ubi erectio adhuc effectuata non est, sed solum adest sententia, vel provisio de erigendo, cum tunc adhuc sequuta non dicatur dismembratio, seu bonorum separatio, ex conclusione quod sententia non privat dominio, vel possessione sine executione, atque mandatum de adjudicando, seu vendendo, aut dando in solutum non importat adjudicationem, seu venditionem, aut dationem in solutum, Gregor. *decis. 546. num. 9. decis. 248. num. 4. & 5. & decis. 424. n. 2. part. 9. recent.* & sæpius.

RO-

ROMANA JURIUM PAROCHIALIUM, PRO, VICARIO S. ANGELI IN FORO PISCIUM, CUM CAPITULO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Vicario.

An & quæ jura, & emolumenta parochialia competant Capitulo, vel alteri habenti curam habitualem; Et quæ competant Vicario habenti exercitium curæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series:*
2 *Determinatio causæ:*
3 *Vicariæ parochialium Urbis sunt perpetuæ; & conferuntur in titulum.*
4 *Describuntur jura per Rotam decreta Vicario.*
5 *De alia controversia, & decisione Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ.*
6 *An in legibus Papalibus dari possit de non usu.*
7 *Jura parochialia de jure pertinent ad habentem curam habitualem.*
8 *Damnatur stylus deducendi superflua & male applicata.*
9 *De alio casu consimilis controversiæ, ejusque resolutione.*
10 *De pluribus speciebus unionis, & de illa per viam alluvionis, quæ facit ut unitum censeatur ejusdem juris, & naturæ.*

DISC. XXII.

1 ORta controversia in Tribunali A. C. inter Capitulum Ecclesię Collegiatę S. Angeli in foro piscium, quæ est etiam parochialis, & Vicariumperpetuum provisum in titulum ad præscriptum Constit. 139. Pii V. super juribus ac emolumentis Parochialibus, quę scilitet spectarent ad Capitulum, cui annexa est cura habitualis, & quæ ad Vicarium habentem actualem, in possessorio summariissimo manutentionis decretum fuit pro Capitulo; in petitorio autem prodiit sentencia deffinitiva ad favorem Vicarii, deindeque ad honestam concordiam deventum est:

In disputationibus autem desuper habitis, etiam in
2 sensu veritatis, dicebam justitiam assistere Vicario super quarta funerali, aliisque emolumentis parochialibus, ob expressam ac litteralem dispositionem dictæ Constitutionis 139. Pii V. per quam statuendo, quod vicariæ undecim parochiarum Urbis, quæ annexæ sunt Capitulis, vel Collegiis, debeant esse perpetuæ, ac in titulum collativæ, disponitur etiam, ut ultra congruam in quantitate ibi præfinitam, debeat etiam ad Vicarium spectare, & ideo dum habetur lex clara, quæ in verbis ita determinat, aliud quærendum non est in iis, quæ ibi deciduntur.

3 Clarius vero, quoniam exorta consimili controversia inter Capitulum, & Vicarium Ecclesiæ S. Mariæ in via lata, & introducta causa in Rota coram Coccino intitulata Romana funeralium sub diebus 14. Junii 1619 & Decembris 1629 ad favorem Vicarii ad prædictę Constitutionis præscriptum prodierunt resolutiones, in quarum prima describuntur illa jura, seu emolumenta pa-
4 rochialia, quæ Vicario competere debent, consistentia videlicet; Primo, in cera, quæ feretrum comitatur, dum cadaver defertur ad Ecclesiam; Secundo, in alia cera, quæ ponitur circa cadaver in Ecclesia; Tertio, in quarta funerali, quando cadaver sepelitur extra parochiam; Quarto, in eleemosyna dari solita pro sepultura; Quinto, in fasciculo candelarum dari solito parocho; Sexto, in obventibus, & eleemosynis pro administratione sacramentorum; Septimo, in eleemosynis, quę proveniunt ex benedictione ovorum, & domorum de
5 tempore Paschali; Octavo, in convocatione sacerdotum tam illius Ecclesiæ, quam extra ad funus; Et nono, ut ab ejusdem Ecclesiæ clericis inserviatur, in iis, quæ necessaria sunt pro sacramentorum administratione; Et in secunda decisione, etiam in petitorio decreta fuit ad favorem ejusdem Vicarii quarta funeralis debita Ecclesiæ parochiali, in casu electæ sepulturæ in alia Ecclesia.

Et exorta consimili controversia in Sacr. Congregatione Visitationis Apostolicę de anno 1639. inter Vicarium, & Capitulum Lateranense, idem decisum fuit ad præscriptum dictæ Constitutionis, unde constat, eam esse in viridi observantia, per quam omnis cessat difficultas, quæ alias in casu non usus, vel contrarii usus cadere posset; Licet enim receptum principium sit, quod leges Papales in hoc diversificantes ab aliis legibus tolli non possunt per non usum, vel contrarium usum ex duplici ratione; Una scilicet decreti irritantis in eis contineri so- 6
liti, quod inficit quamcumque contrariam observantiam; Et altera, quod cum Papa potestatem habeat a Deo, non autem a populo, quam habent alii Principes, hinc proinde in ejus legibus non intrant illa requisita, quæ in aliis desiderantur, ut advertitur supra, *sub tit. de Beneficiis in Leodien. disc. 76. & sub tit. de cens. disc. 1.* ac alibi pluries; Attamen dari etiam potest earum tacita abolitio per non usum, ipso Papa sciente, & tolerante, a quo proinde ita potius quam a non usu populi, talis abolitio resultare dicitur, ut advertitur *decis. 194. part. 4. rec. tom. 2. n. 14. & seq.* ac pluries alibi habetur, quæ tamen difficultas in præsenti cessabat ut supra.

Hinc proinde corruere ex defectu applicationis dicebam ea, quæ scribentes in contrarium deducebant, regulariter in puncto juris vera, quod scilicet in hujusmodi parochiis annexis alicui Capitulo, seu alteri cor- 7
pori universali, aut etiam alicui Dignitati omnia jura, & emolumenta parochialia spectare debeant ad eum, cui cura habitualis competit, quoniam ille vere dicitur Parochus, seu Rector; Vicarius autem, seu alio nomine nuncupatus ad solam curam actualem, seu ejus exercitium deputatus, jure famuli, seu operarii censendus, contentus esse debeat ejus congrua tamquam salario, seu mercede operis, ac laboris, juxta *consil. 190. Gabriel. lib. 2. n. 7. & 8.* pluries canonizatum etiam dicta secunda decisione Romana funeralium 4. Decembris 1629. coram Coccino, & in Romana jurium 8
parochialium coram Celso inter suas *dec. 135. n. 5. repet. dec. 204. part. 11. rec. n. 4.* & in aliis; Attamen ob dictam legem particularem contrarium expresse determinantem, totum id non in terminis generalibus juris communis plena manu, & cum magno allegationum cumulo deducebatur, continebat laborem prorsus inanem ac superfluam chartarum repletionem, juxta modernum frequentem abusum ignaro vulgo placitum, apud sensatos autem nauseativum, ac irrisione dignum; dum ita est componere magnum corpus inutile absque anima, vel spiritu, consistente in applicatione ad casum, de quo agitur, quæ eo melius resultat, quo cum breviori, sed bene strigenti stylo motiva deducantur. Unde respondendo, dicebam scribens pro Vicario, id quod in scholis frequenter dici solet, accepto totum, sed nego consequentiam.

Pleraque alia deducebantur circa concordias cum prædecessoribus Vicarii, sed vere discursu indigna erant, utpote ex solo facto sublata, sive in jure omnino clara, nullam admittentia probabilem dubietatem.

Consimilis etiam controversia orta fuit inter Capitu- 9
lum, & Vicarium S. Nicolai in carcere; Non negabatur enim per Capitulum, quod ad limites dictæ Constitutionis, jura, & emolumenta recensita in dicta prima decisione Coccini spectarent ad Vicarium, sed dicebatur, quod id intelligendum esset intra propriam antiquam parochiam, & in eo statu, in quo erat de tempore, quo edita fuit dicta Piana Constitutio, non autem in argumento postmodum supervento ex suppressione trium parochiarum, cum distributione parochianorum inter 10
parochias adjacentes; Et introducta causa in Sacr. Congregat. Visitationis Apostolicę, prodiit resolutio ad favorem Vicarii, pro quo ego scribebam; Et merito, quoniam non agebatur de aliqua unione æque principaliter, itaut res unita retineret suam antiquam naturam, & consideraretur ut quid diversum ab ea cui unio facta esset, quo casu intrare posset difficultas, an esset casus omissus remanens unio accessoria, sed unitiva, quæ alterare non dicitur priorem statum, sed ipsa parochia dicitur una, & eadem qualis prius, juxta illarum unionum species, ac distinctiones, de quibus præsertim in Ampurien. & Civitaten. & in Pampilonen. *sub tit. de præem. disc. 7. & 19.* Et conferunt quæ habentur in Urbinaten. prædii *sub tit. de feudis, disc. 83* super articulo, an lex alicujus Principatus attendi debeat in locis, vel provinciis additis; Potissime vero ob rationis identitatem, dum Vicarius huic populo accreto, vel superaddito, pariformiter, & absque aliqua discretione sacramenta aliaque divina ministret, ideoque revera erat punctus satis modica disputationis dote dignus.

ANNOT. AD DISC. XXII.

AD materiam *præsentis disc.* conferunt deducta *in eod. tit. disc. 49.*

RO-

ROMANA JURIUM FUNERALIUM, PRO PP. HOSPITALIS B. JOANNIS COLABITÆ; CUM PAROCHO S. BARTHOLOMÆI IN INSULA.

Casus decisus per Rotam ut infra.

De juribus, ac emolumentis parochialibus pro funeribus, & exequiis morientium in Hospitali existente intra fines alicujus parochiæ, si illi sint de eadem, vel de aliena parochia, ad quem respective pertineant.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De privilegiis Apostolicis Hospitalium, ut eorum Rectores administrent sacramenta, & reputentur tamquam parochi.*
4 *Quod in dictis privilegiis requiratur expressa derogatio Clementinæ Dudum.*
5 *Non requiritur, si constat de voluntate Papæ.*
6 *An & quando requiratur derogatio specialis Conciliis generalibus.*
7 *Emolumenta parochialia debentur correspective ad labores pro administratione sacramentorum.*
8 *Jus parochiale consistit in reciproca necessitate parochi, & parochianorum.*
9 *Per accidentalem habitationem extra parochiam non immutatur jus parochi.*
10 *Quid in hoc disponat statutum cleri Romani.*
11 *Reo sufficit vincere per non jus actoris.*
12 *Quod hæc privilegia concessa Hospitalibus sint rationabilia, & quare.*
13 *De eodem, de quo n. 3. ut Hospitalia dicantur parochiæ infirmorum.*
14 *An in hoc adsit aliqua differentia inter Ecclesiam annexam Hospitali & Cœmeterium ejusdem Hospitalis.*
15 *Morientes in Hospitali qui sepeliuntur in alia Ecclesia, subjacent proprio parocho.*
16 *Quale sit jus parochiale Rectoris Hospitalis.*
17 *De requisitis necessariis ad faciendam parochiam.*
18 *Quale sit territorium Monasteris, seu Conventus Regularium.*
19 *Ad quos effectus Rector Hospitalis habeatur tamquam parochus infirmorum.*
20 *Etiam ad illum testamenti ad terminos text. in cap. cum esset.*

D I S C. XXIII.

1 CUm in Insula Urbis, ubi adest Ecclesia parochialis S. Bartholomæi, cujus cura administratur per Minores Observantes, adest etiam Hospitale B. Joannis Colabitæ administratum per PP. Ordinis B. Joannis Dei, qui vulgo nuncupantur *fate ben fratelli*, ex quorum instituto, unus, vel plures, juxta infirmorum numerum, ac indigentiam, in sacris constituti ejusdem Ordinis, sacramenta infirmis administrant, ac etiam eis morientibus funus celebrant, aliaque divina peragunt; contingat autem morientes in diversis locis sepeliri, aliquos scilicet in cæmeterio, alios in Ecclesia ejusdem Hospitalis, ac alios in diversa Ecclesia, in qua sepulturam ipsi elegerint; Hinc proinde excitata est prætensio parochi dictæ Eccle-
2 siæ S. Bartholomæi super juribus parochialibus, vel respective super quarta respectu eorum, qui tumularentur, non in cæmeterio, sed in ipsa Ecclesia, vel in aliis Ecclesiis, atque post disputatam causam in Tribunali Vicarii, illa introducta in Rota coram Zarata, datoque dubio, an & ad quos spectarent quarta & alia jura parochialia, sub die 4. Julii 1653. prodiit resolutio, ut quoad morientes in Hospitali absque alia electione sepulturæ, sive in Ecclesia, sive in cæmeterio sepelirentur, nullum jus parocho competat, neque in quarta; Quo vero ad eos qui sepulturam eligerent in alia Ecclesia, ut jus competat ipsorum defunctorum parochis, absque eo, quod Religiosi dicti Hospitalis aliquid prætendere possent, ut liquet ex decisione desuper edita, quæ habetur impressa *p. 11. rec. dec.* 348. cui contendentes acquieverunt, ideoque causa ulteriorem progressum non habuit, atque mihi pro Hospitali scribenti, resolutio probabilis, beneque fundata visa est.

In hac igitur disputatione tres erant puncti; *Primo* scilicet, quoad eos qui in Hospitali morientes absque alia electione sepulturæ, ibi, sive in cæmeterio, sive in Ecclesia tumularentur; Secundo, circa morientes in eodem Hospitali, in alia Ecclesia tumulandos; Et tertio, circa morientes in propriis domibus, vel alibi, qui in ejusdem Hospitalis Ecclesia ex electione, vel ob familiare sepulchrum tumularentur.

Quoad primam speciem, bene dictum fuit, parocho, intra cujus limites Hospitale situm est, nullum jus competere, quoniam ex pluribus Apostolicis indultis huic Religioni in genere, ac etiam huic Ho- 3
spitali in specie, seu per communicationem concessis per Pium V. Greg. XIII. & Greg. XIV. ista Hospitalia exempta sunt a parochorum jurisdictione, quoniam ille qui ex eodem Ordine, seu alias deputatus ad administrandum sacramenta infirmis, habetur loco parochi, ipsumque Hospitale intra suum ambitum dicitur habere territorium separatum, atque quoad ibi viventes constituere quandam speciem parochiæ diversæ, ac stantis de per se, juxta ea, quæ frequenter in materia exemptionis Monasteriorum, seu Conventuum Regularium a jurisdictione Ordinarii circa personas in ipsis Monasteriis viventes, habentur in sua materia *sub tit. de jurisd.* Et in his terminis specialibus Hospitalium hujusmodi Religiosorum usque ab anno 1639. firmatum etiam fuit per Rotam in Licien. coram Royas inter suas *decis.* 36. cum aliis in hujus causæ decisione.

Et quamvis scribentes pro parocho insisterent in eo, quod dicta privilegia Apostolica non contineant derogationem decreti Conciliaris contenti *in Clem. dudum, de* 4
sepultur. cujus specialem derogationem necessariam esse firmatur *dec.* 122. *n.* 1. *p.* 1. *divers.* & apud Cavaler. *decis.* 101. *n.* 2. & in aliis; Attamen replicabam ego scribens 5
pro Hospitali sufficere derogationem implicitam, quoniam specialis derogatio requiritur ad effectum certitudinis voluntatis Papæ derogandi dictæ Clementinæ, unde quando hæc voluntas aliunde sufficienter desumatur, id sufficit, ex deductis per Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 25. *& de paroch. cap.* 25. *utrobique n.* 8. Rota in Cracovien. quartæ funeralis 25. Maji 1646. Peutingerio, & in hujus causæ decisione.

Ad quod conferunt ea quæ habentur *sub tit. de decim.* ad materiam derogationis Concilii generalis contenti *in* 6
cap. Nuper, de decim. quod licet receptum sit, Concilia Generalia (excepto Tridentino) non venire sub derogationibus generalibus, sed requiri derogationem specialem; Attamen si ex prægnantia verborum, seu alias constet de voluntate Papæ derogandi etiam Conciliis Generalibus, id sufficit, cum conclusio fundetur in alias præsumpta cessatione voluntatis.

Potissime vero, ubi (ut in hac facti specie) cessat ratio dictæ *Clem. dudum,* quod scilicet parochus nullum suffert 7
in sacramentorum administratione laborem, cujus ratione quarta funeralis, aliaque emolumenta parochialia debita sunt; tunc enim intrat potius dispositio alterius *Clem. fin.* §. *fin. de religios. dom.* ubi Abb. Imol. Vitalin. & cæteri deducti per Genuen. *in prax. Archip. cap.* 6. *n.* 1. Amaya *observ. n.* 18. *cum seqq.* cum aliis in hujus causæ decisione.

Ac etiam quia, vel nulli, vel nimium rari sunt casus, quod in hoc Hospitali moriantur subditi hujus parochiæ, cum frequentius id contingat in illis aliarum parochiarum, ideoque iste parochus nullum jus in hoc habebat, cum quarta funeralis aliaque emolumenta parochialia debeantur parocho ratione jurisdictionis parochialis.

Ista vero jurisdictio, seu jus parochiale consistit in mu- 8
tua, & reciproca necessitate super administratione, ac respective perceptione sacramentorum, quod scilicet parochus quamvis invitus teneatur subministrare sacramenta, & funera parochianis, qui licet inviti ab eo recipere teneantur *glos. in d. Clem. dudum,* ubi Ancharan. Imol. & alii, de quibus apud Gregor. *dec.* 103. *n.* 3. *& dec.* 537. *n.* 7. ubi Adden. & frequenter, cum sit principium certum.

Necessitas vero prædicta non quoad eos, qui ex 9
diversis parochiis Urbis, vel extra occasionaliter confluunt ad Hospitale causa curationis, quoniam causativa, seu accidentalis mutatio domicilii absque animo deferendi primum, & acquirendi secundum non facit cessare jurisdictionem proprii parochi, neque illam inducit in eo, intra cujus parochiæ limites hujusmodi accidentale, seu causativum domicilium habeatur, ad text. *in cap. de iis, de sepult. cap.* 1. *&* 2. *eod. tit. in* 6. *cum concord. collect.* per Barbos. *de paroch. c.* 25. *n.* 26 *cum seqq.* & in causæ decisione, ac habetur pluries præsertim in Romana nullitatis matrimonii *sub tit. de*

matrim.

matrim. ubi etiam in hujus causæ decisione advertitur, 10 id fortius procedere in Urbe stante Statuto cleri expresse disponente, ut saltem bimestralis habitatio requiratur in nova parochia, ut jus parochiale acquiratur.

Ideoque cum alii parochi non essent in causa, atque ut dictum est, de facili detur casus, quod habitatores hujus parochiæ satis breves limites habentes in hoc Hospitali decedant, hinc dicebam, atque in decisione admittitur, bene intrare regulam de reo vincente pro non jus actoris, quod locum habere in omni materia etiam in beneficialibus habetur pluries supra, *sub tit. de benefic.* & alibi.

Præterea, ubi etiam alii parochi essent in casu, adhuc dicebam, etiam in sensu veritatis, idem respondendum esse, stantibus dictis privilegiis Apostolicis, quæ 11 potius juris, rationi, vel intentioni conformia, quam difformia, & exorbitantia videntur, ideoque merito per Sedem Apostolicam omnibus fere Hospitalibus, præsertim magnarum Civitatum concessa sunt; Tum ob cessantem rationem laboris, & incommodi ut supra; Tum etiam ob magnam confusionem alias resultantem circa sacramentorum administrationem, quam frequentius ex improviso & quacumque hora, etiam de nocte facere oportet, si pro singulis infirmis diversarum parochiarum, etiam distantium, convocare oporteret proprios parochos, quod esset impracticabile.

12 Idemque firmum, ac rationabile videtur id, quod supra dictum est, quod scilicet hujusmodi Hospitalia habentia proprios Sacerdotes & cappellanos legitime approbatos, ac deputatos ad administrandum sacramenta infirmis, pro istis tantum, ac pro eis ministrantibus, qui intra eorum septa vivant, constituunt quandam impropriam parochiam, atque quoddam improprium territorium separatum, eo modo, quo tam circa administrationem sacramentorum cum ipsis viventibus intra septa, quam circa alia, ordinariam, non autem delegatam jurisdictionem concernentia, habentur de Regularium Monasteriis, & Conventibus frequenter *sub tit. de jurisd.* præsertim in Faventina, *disc.* 4. in Maceraten. *disc.* 6. & in aliis.

13 Insistebant scribentes in contrarium, quod id procedere posset quoad morientes in ipso Hospitali, qui tumulantur in ejusdem Hospitalis ordinario cœmeterio, secus autem quoad eos, qui pariter in Hospitali morientes, cum aliqua funeris pompa sepeliuntur in Ecclesia publica, quasi quod ista dicenda esset potius Ecclesia Conventus dictorum Religiosorum, quam Hospitalis; Verum erat motivum nullum habens probabile fundamentum, ideoque merito rejectum; Siquidem ut bene in decisione advertitur, Ecclesia dicitur membrum, ac pars ipsius Hos- 14 pitalis, pro cujus usu, & conservatione sacramentorum illa necessaria videtur, neque inter claustra, seu recinctum, & Ecclesiam ibi annexam, & incorporatam, adesse videtur considerabilis differentia, quoad viventes vel morientes, intra ipsa claustra, seu recinctum, ut comprobat communis praxis Monasteriorum, & Conventuum Regularium, in quorum Ecclesiis, non obstante exemptione, adesse dicitur jurisdictio Ordinarii, vel parochi, in concernentibus curam animarum ac administrationem Sacramentorum, non in ratione ipsius loci materialis, vel personarum ibi viventium, sed ratione cleri, & populi subditi Ordinario, vel respective parocho, ad talem Ecclesiam confluentis, juxta distinctionem, de qua pluries sub *dict. tit. de Jurisdict.*

15 Atque ex hoc dicebam in congressibus habitis, clarum esse bonum jus, tam istius, quam aliorum parochorum super tertio puncto supra distincto, quoad eos scilicet qui extra Hospitale viventes, ac morientes, in ista Ecclesia ex electione, vel ob sepulturam majorum ibi existentem sepeliuntur, quoniam ad istum effectum, seu isto casu recte intrat dicta consideratio, quod Ecclesia consideretur de per se, ut quid distinctum ab Hospitali, cujus privilegia proinde non intrent.

Quo vero ad secundum punctum, morientium scilicet in Hospitali ex electione, alibi sepeliendorum (qui tamen casus nimium raro contingit) dicebam pariter in congressibus pro causæ directione, utriusque contendentis malum jus concurrere, actoris scilicet, quoties non ageretur de ejus parochianis, dum cum aliis nullam habet jurisdictionem ut supra, & ipsorum PP. reorum, qui pariter extra Hospitale nullum jus, nullamque jurisdictionem parochialem habent, sed jus associandi cadaver cum stola in forma jurisdictionali, ac successive percipiendi quartam funeralem, aliaque emolumenta parochialia pertinet ad proprium parochum ejus, qui tumulandus est, quamvis accidentaliter extra parochiam decesserit, cum id non tollat subjectionem, seu respective jurisdictionem parochialem.

Et quamvis, ut supra, istud Hospitale sapere videatur quandam speciem parochiæ quoad infirmos ibi viventes, ac morientes, quorum parochus dicitur ille sacerdos, vel Cappellanus, qui pro ejusdem Hospitalis servitio est deputatus, attamen dicitur quoddam jus parochiale improprium, & cum quadam jurisdictione in personas sine territorio, juxta illam speciem jurisdictionis in personas absque territorio, seu verius juxta illam impropriam territorii separationem, quæ ad hunc effectum consideratur in Monasteriis, & Conventibus Regularium.

Ad essentiam enim veræ ac propriæ parochiæ requiruntur quatuor requisita recensita per Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 6. *ex n.* 34. Barbos. *de Parochis, part.* 1. *cap.* 1. *n.* 27. *& seqq. dec.* 52. *part.* 2. *divers. &* 380. *part.* 5. 16 cum aliis in hac decisione in fine, inter quæ est illud territorii, in quo vivit populus constitutus ex aliquo congruo numero familiarum, saltem decem; Ista vero qualitas adesse non dicitur in hujusmodi Hospitalibus, vel Conventibus, & Monasteriis, quorum territorium con- 17 sistere dicitur intra ipsum recinctum, quod non egreditur, juxta magistralem doctrinam Cardinalis *in Clem.* 1. *de stat. monach.* ut pluries advertitur *in d. tit. de jurisdict.* ac etiam habetur pluries *sub tit. de regular.* seu *in Miscellan. variar. rer. Ecclesiast.* occasione processionum aliarumque functionum, quæ per Regulares fiant intra, vel respective extra claustra.

Dictum vero jus parochiale Rectoris Hospitalis, vel sacerdotis ibi deputati, admittendum venit quoad ea, 18 quæ infirmis viventibus, vel morientibus in Hospitali congrua sunt, & in quibus militet dicta ratio confusionis, & in quibus militet dicta ratio confusionis, & impracticabilitatis, circa scilicet sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac extremæ Unctionis, necnon circa tumulationem, non autem circa sacramentum ma- 19 trimonii, cum ad hunc effectum major jurisdictio, seu juris parochialis formalitas requisita videatur, ut in dicta Romana nullitatis matrimonii, ac in aliis in dicta sua materia *sub tit. de matrim.* Bene tamen talis sacerdos, vel Rector Hospitalis loco parochi habendus est pro testamentis, quæ per infirmos condantur ad formam text. *in cap. cum esses, de testam.* cum etiam simplex confessarius, quamvis non parochus, pro dicta forma sufficiat, ut in sua materia *sub tit. de testam.* ut in specie ad hunc effectum advertitur *in d. dec.* 36. Royas *n.* 6. *& seqq.* & de eadem materia infra, *disc.* 38.

ANNOT. AD DISC. XXIII.

DE hac eadem materia habetur actum *in allegat. in hoc tit. disc.* 41. *& disc.* 38.

ROMANA PAROCHIALITATIS, PRO PAROCHORUM UNIVERSITATE, CUM ECCLESIA SANCTI JOANNIS FLORENTINORUM.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Visitationis, & remissus ad Rotam.

De privilegio parochialitatis concessa alicui Ecclesiæ in personis alicujus nationis quamvis viventibus in alienis parochiis; An amissum dicatur per non usum; Et de materia parochialitatis in personis absque territorio.

SUMMARIUM.

1 F*acti series.*
2 *Ecclesia parochialis debet habere territorium, & populum.*
3 *Quod dari possit jurisdictio, vel parochialitas in personis sine territorio.*
4 *Lex, vel privilegium tollitur per non usum.*
5 *Maxime si nunquam fuit effectuatum.*
6 *Ut non procedat quando adest decretum irritans.*
7 *Effectuatio in parte suffirit in totum, præsertim in causa universali.*
8 *Negligentia aliquorum non utendi privilegiis non præjudicat universitati.*
9 *Privilegia recipiunt normam ab eorum usu.*
10 *Quando non usus, vel limitatus attendatur pro interpretatione.*
11 *Ex quibus censeatur revocatum privilegium parochialitatis in personas.*

12 Fons

12 *Fons baptismalis non probat parochialitatem.*
13 *Quod praeceptum Paschale impletur in Ecclesia Cathedrali, vel alia maiori.*
14 *De conclusione, de qua num. 6. in materia decreti irritantis, quando impediat effectus resultantes a non usu.*

DISC. XXIV.

1 DEstinante Florentinorum natione construere in Ur-
be Ecclesiam (postmodum cum sumptuosa structu-
ra constructam,) sub invocatione S. Joannis Bapti-
stæ, Leo X. indultum concessit, ut postquam dicta Ec-
clesia constructa erit, esse deberet parochia dictorum
nationalium in Urbe commorantium: Usus vero de-
dit, quod dicta etiam constructione sequuta, nationa-
les prædicti continuarunt, ut prius, subjectionem Ec-
clesiis parochialibus, intra quorum fines vivebant, tam
circa sacramentorum administrationem, quam circa se-
pulturam, ac funus, consueverunt tamen præceptum
paschale communionis adimplere in illa Ecclesia, eo-
rumque pueros ibidem baptizare; Cumque occasione
dicti fontis baptismalis nonnullæ exortæ essent contro-
versiæ cum proxima Ecclesia parochiali S. Celsi, post
aliquas sententias, introducta fuit causa in Rota, ubi
utraque parte acquiescente, atque in dicto statu conti-
nuante prosequuta non fuit; Verum recurrente de anno
1659. universitate parochorum ad Sacr. Congregationem
Visitationis, ut inhiberetur dicta administratio sacramen-
ti Eucharistiæ in die Paschatis, atque e converso peten-
tibus Administratoribus ejusdem Ecclesiæ demandari
observantiam præfati indulti Apostolici, ac ad ejus
normam declarari dictam Ecclesiam parochialem omnium
nationalium, assumptaque desuper disputatione, Con-
gregatio, habita notitia dictæ commissionis in Rota,
eidem causam remisit, quæ hucusque prudenter quie-
scit, continuante eodem statu antiquo ut supra.
2 In unica igitur disputatione, in qua ob non com-
municata jura hinc inde, maturum judicium pro veri-
tate scribendo pro Universitate parochorum efforma-
re non potui, controversia reducebatur ad punctum,
an dictum indultum ex præfato contrario longo usu abo-
litum esset necne; Posita enim illius subsistentia, pla-
num fuisset bonum jus dictæ Ecclesiæ indultariæ, quo-
niam licet ex deductis *disc. praeced.* inter quatuor re-
quisita parochialitatis, illud sit præcipuum territorii,
in quo vivat populus cum numero competenti familia-
tum; Attamen non implicat dari ex Apostolico indul-
to, vel antiqua legitima consuetudine jurisdictionem
3 parochialem in personas, seu familias, quamvis in alie-
no territorio viventes, ex iis quæ de hac jurisdictio-
ne in personas absque territorio habentur pluries *sub
tit. de jurisd.* præsertim in Nazarena, seu Tranen. *disc.*
20. & in Lauretana *disc. 34.* Et de parochiis distin-
ctis per familias, quamvis sparsim, ac promiscue ha-
bitantes, habetur infra in Novar. divisionis parochia-
4 lium *disc. 33. & seq.* E converso autem secluso dicto
indulto planum erat bonum jus parochorum in omni-
bus concernentibus jurisdictionem, omniaque jura pa-
rochialia cum viventibus intra parochiæ fines, & con-
sequenter tota disputatio erat, an per non usum, seu
alias dictum indultum non suffragaretur.
In hoc autem dicebam, regulam assistere parochis,
ex juris recepta propositione, quod etiam leges gene-
5 rales, multo vero magis, & absque dubio particula-
ria privilegia per non usum, seu contrarium usum abo-
lentur ac cessant, ad text. *in cap. si de terra, & cap.
accedentibus de privil.* gl. Bart. & cæteri *in l. 1. ff. de
Nundinis.* Aponr. *de Potest. Proreg. tit. de mercat. n.*
13. Capye. *dec.* 134. ubi Adden. cum aliis collect. per
Barbos. *de Episcop. alleg.* 26. *n.* 10. *& seqq.* Rot. apud
Orthob. *dec.* 175. *n.* 9. & supponitur in infra allegan-
dis Januen. privilegiorum coram Royas & Corrado,
& in aliis pluries, & non negatur *disc.* 38.
Quod si procedit etiam in lege, vel privilegio alias
exequuto, ac effectum sortito, multo magis, ac extra
6 minorem controversiam, ubi non usus, vel contrarius
usus impedit ne lex, vel privilegium incipiat, seu ef-
fectum sortiatur, ut advertitur præsertim in Neapo-
litana *sub tit. de servit. disc. 1. & alibi.*
Cum autem communicata non essem jura alterius par-
tis, incertum est qualia essent ejus fundamenta; Quantum
vero supponebatur per causæ Patronum, pro hac parte in
facto scribentem, tria erant; Primo scilicet ratione decreti
irritantis contenti in dicto indulto, inficientis quamcum-
que contrariam possessionem, & observantiam, ideoque
prohibentis dari de non usu, ut in specie advertitur
apud Cavaler. *decis.* 423. cum aliis plene cumulatis *de-
cis. 400. part. 9. rec. & dec. 199. part. 12.*
Secundo, quod idem indultum jam executioni deman-
datum, ac effectuatum esset in parte circa dicta jura pa-
rochialia præcepti paschalis, ac fontis baptismalis, ideo-
que intraret conclusio quod effectuatio in parte suffraga-
tur pro effectuatione in totum, ex deductis per Gregor. &
Add. *dec.* 557 *n* 6. *& cum seqq.* cum aliis, *de quibus sub
tit. de benefic.* in Sorana, *disc.* 43. ac etiam in Toletana 7
sub tit. de jurisdict. disc. 1 in materia causæ universalis
ut per aliquos actus etiam unicos illa in totum con-
servetur, de quo late Adden. ad Gregor. ubi supra.
Et tertio, quod negligentia, vel non usus prædeces-
sorum particularium præjudicare non potuerat succes-
soribus, ac nationi in universum, ut de actibus gestis
per particulares non præjudicantibus Civitatibus, vel
Universitatibus, cæteris relatis, Cavaler. *decis.* 631. *n.*
7. & habetur pluries alibi deductum, præsertim vero
in Sabinen. transitus *sub tit. de Regal. disc.* 136. Et
latius quod per non usum privilegiorum concessorum
non præjudicetur Religioni, vel Universitati, quando 8
hæc uti velit, plene firmatur in Januen. privilegiorum
coram Royas inter suas *dec.* 327. *&* 356. & in eadem
coram Corrado *dec.* 337. *part.* 10. *recent.*
His tamen non obstantibus, credebam bonum jus
utrique parti respective assistere, ad limites dicti usus,
cum utraque pars (aliud non inquirendo) acquiescere
deberet, ex regula quod privilegia a longo usu non
normam recipiunt, unde si habens privilegium latum,
strictius, ac in parte utatur, in hac tantum parte suf-
fragatur per dispositionem text. *in leg. si aut usum fruct.
ff. quibus mod. usus fruct. amitt. & leg. usum aquæ, C. de
aquæduct. lib.* 11. & advertitur cæteris relatis per Fran-
ch. *dec.* 56. *n* 6. *&* 10 *& dec.* 22. *n.* 5. Anna *alleg.* 120.
n 6. Capyc. Latr. *consult.* 1 2. *n.* 6. Otthob. *d. dec.* 175.
Clarius vero, quoniam plura concurrebant, ex qui-
bus in puncto juris prætendi poterat dictum indultum
revocatum fuisse, ac viribus non subsistere; Et propte-
rea quidquid sit de singulorum motivorum subsisten-
tia, cum solum obiter insinuarentur, sufficere dicebam 9
ita earum reddi probabiliter dubium, ad effectum, ut
dictus usus ita discretus attendendus veniret, potius
tamquam interpretativus, seu inductivus cujusdam im-
plicitæ concordiæ, per quam nationales in reliquis ce-
derent, contenti dictis duobus juribus fontis baptisma-
lis, & præcepti paschalis, quibus e converso cederent
parochi, reliqua omnia jura parochialia obtinentes.
Dubietatem autem prædictam resultare dicebam ex 10
pluribus; Primo scilicet ex Constit. 94 Pii IV. revocan-
te similia indulta, potissime dum ob adhuc non sequutam
Ecclesiæ constructionem illud adhuc effectuatum non
erat; Secundo, in idem ob regulam Cancellariæ Pauli
III. & successorum revocatoriam quarumcumque unio-
num, dismembrationum, & gratiarum effectum non
sortitarum; Tertio, quia in illis temporibus plures ir-
repserant abusus, pro quibus tollendis convocatum fuit
Concil. Trid. quod præ cæteris *sess.* 24 *cap.* 13. *de re-* 11
form. disponit, quod populus debeat esse distinctus in
proprias, ac certas parochias propter plura inconvenien-
tia alias resultantia; Et quarto, ob eandem impracti-
cabilitatem ponderatam supra, *disc. prox. præced.* Cum
enim nationales viverent sparsi per Urbem, cujus si-
tus nimium vastus est, hinc prorsus impracticabile vi-
detur, ut deputatus ad exercitium curæ in dicta Ec-
clesia nationali, prompte omnibus occurrere posset,
ac sacramenta aliaque divina, vel solemnia, vivis, &
defunctis ministrare.
E converso autem tolerabilis videbatur dictus usus 12
præcepti paschalis, ac fontis baptismalis, Tum quia
fons baptismalis non importat peronecesse parochialita-
tem, sed esse potest etiam in Ecclesia non parochiali,
Gregor. *dec.* 108. *&* 387. & in aliis, Tum etiam quia
sicuti fere ubique servatur, quod sufficiat satisfacere
præcepto paschali in Ecclesia Cathedrali, ac in Urbe
in tribus Basilicis Patriarchalibus, ita non incongruum,
sed potius congruum videtur id explicari posse in Ec-
clesia nationali, ex majori spirituali consolatione na- 13
tionalium in ea solemnitate ibi congregatorum.
Atque his stantibus, obstare non videbantur contraria;
Siquidem quoad decretum irritans, ut advertitur pluries
hoc tit. ac etiam in altero *de benef.* & alibi pluries, tunc de- 14
cretum irritans dictam operationem facit quando certum,
& clarum est illud intrare, itaut agatur de non usu, vel con-
trario usu mere præscriptivo, seu certe leges destructivo, se-
cus

rus autem ubi probabiliter dubitari potest, an illud
intret, necne, itaut non usus, vel contrarius dicatur
potius interpretativus quam præscriptivus.
Et ulterius ut advertitur præsertim apud Otthobon.
d. disc. 175. & habetur alibi pluries, dicta conclusio,
quod, stante decreto irritanti dari non possit de non
usu, procedit adversus leges generales, vel alias pro-
visiones Pontificias ex causa publica, secus autem in
indultis, & privilegiis particularibus, quoniam privi-
legiatus potest non uti privilegio sibi concesso, seu il-
lo uti limitate, ut supra.
Eademque responsione cessante alia motiva proce-
debant, ubi ageretur de aliquibus particularium ve-
risimiliter ignotis ipsi Universitati, secus autem ubi
de observantia universali, ac diuturna per omnes; Et
fortius, ubi non agitur de amittendo jus omnino cer-
tum, & clarum, sed de jure ex præmissis nimium du-
bio in omnibus juribus, etiam illis, quorum usus
permissus fuit, unde propterea intrare videbatur di-
cta consideratio tacitæ, seu implicitæ concordiæ ita
ex dicto usu resultantis, ac probatæ, atque ista mi-
hi videbatur veritas.

ANNOT. AD DISC. XXIV.

De materia privilegii amittendi per non usum,
necne, habetur quoque actum *sub tit. de jurisd.
disc. 7. & de præmin. disc. 2.*

ROMANA QUARTÆ FUNERALIUM. PRO UNIVERSITATE PAROCHORUM URBIS, CUM CONVENTU ARÆ COELI.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & resolutus pro Parochis.

De quarta funerali de jure debita Parochis, An debeatur ex funeribus quæ fiunt in Ecclesiis Regularium super hoc habentium privilegia exemptiva, An scilicet istis per Sacrum Conc. Trid. derogatum fuerit; Et de differentia inter quartam funeralium ipsa die humationis, & quartam legatorum, seu anniversariorum &c. Et aliqua de observantia particulari Urbis.

S U M M A R I U M.

1 *Quod in Urbe portio Canonica sit dimidia, & exigatur in omnibus Ecclesiis.*
2 *De casu controversiæ, ac privilegiis Regularium;*
3 *Resolutio causæ.*
4 *An decretum irritans contentum in privilegiis impediat non usum.*
5 *Quod etiam in Constitutionibus Apostolicis intret non usus.*
6 *Quod declarationes Sacræ Congregationis, & aliæ provisiones, non capiant urbem.*
7 *De privilegio particulari Conventus Aræ Cœli.*
8 *De alio casu controversiæ.*
9 *De illius resolutione.*
10 *Quod de legatis non debeatur quarta.*
11 *Declaratur quando debeatur.*
12 *Quid differat conferre dispositionem in arbitrium, vel in voluntate.*
13 *De exemptione Regularium a quarta.*
14 *Advertitur ad modum extendendi decisiones.*
15 *Declaratur exemptio, de qua n. 13 & distinguuntur privilegia, & quæ fuerunt revocata.*
16 *De revocatione contenta in Concilio Tridentino*
17 *De moderatione dictæ revocationis per Constitutionem Pii V. & de alia Constitutione Greg. XIII.*
18 *Conciliis Generalibus requiritur derogatio specialis.*
19 *De jure faciendi officium in funere remissive.*

D I S C. XXV.

1 Cum in Urbe ex consuetudine, vel antiquo Sta-
tuto cleri, parochis debeatur canonica portio fu-
nerum, quæ quarta nuncupatur, in majori quota,
nempe in medietate, in quibuscumque Ecclesiis Cada-
vera sepeliri contingat, seu funera fieri; Et de quo Sta-
tuto, seu consuetudine testatur Sylvester *in summa, ver-
bo Canonica portio, in fine*, ac etiam enunciatus in mo-
derno Statuto parochorum impress. de an. 1618. Mino-
res autem Observantes existentes in Ecclesia, quæ di-
citur *Ara Cœli*, excitassent prætensionem eorum exem-
ptionis ad hujusmodi portione; Tum ob privilegia
Apostolica generalia super hujusmodi exemptione con-
cessa per Clem. IV. Alexandrum III. Julium III. Pium
V. & alios Pontifices; Tum etiam ob privilegium par-
ticulare huic Conventui, seu Ecclesiæ concessum per 2
Innocentium VIII. Hinc proinde per Innocentium X.
deputata fuit Cong. particularis trium Cardinalium,
cum interventu etiam V. Gerentis, atque partibus plu-
ries auditis, quatenus pertinet ad quartam funeralium
in ipsa die humationis cadaveris, de qua solum actum 3
fuit, prodiit resolutio ad favorem parochorum, cum
subsequuta sententia, cui dicti Religiosi acquieverunt,
atque ita passim servatur absque controversia.
Resolutio mihi pro parochis scribenti probabilis visa
est, quoniam quicquid sit de hujusmodi privilegis in aliis
locis juxta infrascriptas decisiones Rotæ, quæ ex parte
Regularium deducebantur; Advertebam, in Urbe cessa-
re difficultatem ex ejus particulari antiqua & inconcussa
supra enunciata consuetudine, cui innixa fuit resolutio
absque alia discussione privilegiorum in genere, quam-
vis plura hinc inde desuper deducerentur.
Et quamvis scribentes pro dictis Regularibus, ni- 4
mium insisterent in pluries enunciata conclusione, in Ro-
mana Curia nimis frequenti, quod scilicet ob decretum
irritans in præfatis Apostolicis Indultis contentum, infi-
citur quæcumque possessio, sine qua non datur consuetu-
do, vel præscriptio, quæ proinde ita impedita remanet
ne unquam nascatur; Attamen ut plures in præcedenti-
bus, ac *sub tit. de Beneficiis*, & alibi advertitur, id pro-
cedit in Constitutionibus generalibus pro bono publico
editis per viam legis, non autem in privilegiis particula-
ribus, quibus potest privilegiatus non uti, vel uti limi-
tate, ut habetur etiam *disc. præced.*
Et clarius, quia licet adversus Apostolicas Constitutio-
nes non detur de non usu, attamen id non procedit quan- 5
do ille est in faciem ipsius Pontificis scientis, ac toleran-
tis, ut advertitur *decis. 194. num. 16. & seqq. part. 4. re-
cent. tom. 2.* Cumque ista consuetudo sit antiquissima,
observabam non versari in casu non usus præscriptivi, seu
abrogativi legis jam in esse productæ, ac effectuatæ, sed
potius impeditivi, ne illa pro Urbe unquam effectuata
sit; Seu quod ita interpretatio resultet, ut intentio Pon-
tificum concedentium hujusmodi privilegia fuerit, quod
non traherentur ad Urbem; Eo modo quo habemus de
decretis generalibus, ac resolutionibus Sacrarum Congre- 6
gat. Urbem non comprehendentibus, adeout in Romana
hæreditatis, de qua habetur actum *sub tit. de Fideicomm.
disc.* 155. ac etiam *sub tit. de Regularibus*, nimium dis-
putatum fuerit, An constitutiones Apostolicæ super no-
vorum conventuum erectionibus, Urbem comprehen-
dant, ut patet ex decisione in ea causa edita 28. Apri-
lis 1659. coram Meltio impress. post collucationes Bon-
fin. *disc.* 62.
Et quoad Indultum speciale per Innocentium VIII.
huic Ecclesiæ, seu Conventui concessum, ultra inspe-
ctionem revocationis hujusmodi privilegiorum resultan-
tis a Concilio Tridentino, de qua infra, ac aliam
circa inefficaciam dicti Indulti, utpote non continen-
tis specialem derogationem Concilii Generalis Viennen-
sis registrati *in Clementina Dudum, de sepultur.* ut re-
gulariter in Concil. Generalibus requiritur.
Cessabat omnis difficultas ex facto, quoniam cum ex
dispositione dicti Concilii Generalis, parochis decer-
natur, nedum quarta, seu portio Canonica funerum 7
ipsa die humationis cadaverum, sed etiam aliorum quæ
fierent tertia, septima, vigesima, & altera die post
sepulturam, necnon de legatis aliisque obventionibus
factis in Ecclesiis, in quibus defunctos sepeliri contin-
gat, tam ad usus terminatos, quam indeterminatos;
Atque Sixtus IV. Constitur. 6. generaliter huic Ordi-
ni concesserit exemptionem a quarta eorum, quæ per
defunctos, vel eorum conjunctos occasione sepulturæ
extra ipsum funus dari contingeret pro usibus deter-
minatis, hinc Innocentius VIII. ex speciali Indulto
pro isto Conventu, eamdem exemptionem ampliavit
etiam ad ea quæ darentur pro usibus indeterminatis,
& sic extra eam quartam funeralium, de qua solum ac
præcise agebatur, ita non cadente sub Indulto; Acce-
dente potissimum observantia id bene interpretante.
Quatenus vero pertinet ad punctum dictæ exemptionis
in genere tam pro Urbe, quam ubique locorum ad for-
mam privilegiorum generalium concessorum toti Ordini,

in

in ista causa actum fuit solum incidenter; De illo autem formiter actum fuit in alia Romana quartæ inter
8 Parochum, seu Vicarium S. Angeli in foro piscium, ac eosdem Minores strictoris observantiæ Conventus S. Francisci ad Ripam, non super quarta funerali ipsa die humationis, sed super quarta legatorum, aliarumque pecuniarum datarum seu relictarum pro celebratione missarum; Cum enim Nicolaus Rentius eligendo sepulturam in dicta Ecclesia S. Francisci, aliquam pecuniarum summam reliquisset pro missis ibi celebrandis, aliud fecisset legatum scut. 4. mill. pro restauratione ejusdem Ecclesiæ ruinam minantis, relinquendo tamen desuper totum sub pleno, & amplo arbitrio P. Provincialis ac executorum, eoque defuncto executores testamentarii concorditer cum Provinciali, ac Diffinitorio in illam causam legatum applicassent; Hinc prætensionem excitavit dictus parochus, intra cujus parochiæ fines testator vivebat ac obiit, quod de dicto quoque legato quarta sibi deberetur; Et introducta causa coram A. C. seu Prælato deputato, me scribente pro parocho, contra eum prodiit sententia dicti Conventus absolutoria; Introductaque per appellationem causa in Rota coram Bourlemont ac dato dubio, An & quæ canonicæ portiones parocho debeantur, aliis pro parocho scribentibus, sub die 4. Junii 1668. resolutum fuit nullas portiones deberi.

9 Tam resolutio Judicis primæ instantiæ, quam ista Rotalis, mihi reflectenti ad veritatem probabiles visæ fuerunt, super particulari, seu præciso puncto, de quo agebatur, portionis scilicet a parocho prætensæ de dicto legato facto, ac applicato in restaurationem Ecclesiæ minantis ruinam, cum seclusis etiam privilegiis, ex hujusmodi legatis portio canonica non debeatur, ad text. *in c. ult. de testam.* ubi Abb. *n.* 2. Burr. *consil.* 26. Petr. de Ubald. *de Canonic. Episcop. cap.* 6. Rot. apud Seraph. *dec.* 726. *n.* 2. *cum seqq. cum concord. collectis*, per Barbos. *de Episcop. alleg.* 86. *n.* 23. *cum seq. & parocho, cap.* 25. *n.* 47.

Et quamvis ex deductis per Barbos. *d. c.* 25. *n.* 50. ista
10 legandi causa non attendatur, quando ea non est necessaria, sed remissa ad liberam voluntatem, ac dispositionem ipsorum Religiosorum, cum ita videatur color quæsitus ad fraudandum jus parochi, juxta sensum ejusdem Concilii Viennensis *in d. Clementina dudum, de sepulturis*; Attamen cessabat applicatio, cum relictum non esset in liberam voluntatem Religiosorum, sed in arbitrium, quod
11 regulandum est a jure, ac rationabiliter interponi debet tamquam a bono viro; Ut ultra generalem distinctionem inter arbitrium & voluntatem, de qua apud Cavaler. *dec.* 374. *& sub tit. de fideicommissis, disc.* 61. *&* 62. ac etiam pluries *sub tit. de testam.* ad materiam dispositionis collatæ in alienam voluntatem, seu alienum arbitrium.

In his terminis executionis ultimarum voluntatum, cæteris relatis Carpius *de executor. testam. membr.* 6. *n.* 145. *& seq.* Borgnin. *dec.* 41. *n.* 12. *&* 13. *part.* 5. & apud Seraph. *dec.* 726. *num.* 1. Arbitrium siquidem prædictum aspiciebat potius modum quam substantiam legati, qua-
12 tenus scilicet tanta summa necessaria non esset pro restauratione, unde propterea expediens, ac rationabile reputaretur, dicti legati partem ejusdem Ecclesiæ ornamento, vel cultu in sacra seppellectili erogare, absque eo quod immutaretur substantia legati ad favorem Ecclesiæ, illudque non caderet ad commodum & utilitatem ipsorum Religiosorum, unde propterea ab initio quo parochus in prima instantia meum imploravit patrocinium, libere juxta stylum, difficultatem insinuavi.

Quamvis autem dicta Rotalis resolutio fuerit juxta votum, non tamen placuit decisio desuper extensa, dum initio præsupponit quod ageretur de canonica portione tam ex funeralibus, quam ex dicto legato, atque priusquam descendatur ad dictum motivum principale, cui innixa est resolutio, firmatur generaliter nullas portiones deberi in vim privilegiorum, ita simpliciter procedendo cum antiqua decisione in Hispalen. funerum 4. Junii 1590. coram Pamphilio, & in Licien. quartæ 15. Junii 1618. coram Coccino, impress. post Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *dec.* 84. *& registrat.* apud Barbos. *de Episc. d. alleg.* 86. *n.* 17. & in alia Licien. coram Royas inter suas *dec.* 179. cum quibus proceditur etiam in Ca-
13 salen funerum 2. Julii 1665. coram Carpineo, ita in dicta decisione cumulando antiqua & moderna privilegia, eo modo quo per Rodriquez, & Vadinghum ejusdem Religionis professores collecta, seu registrata fuerunt.

Sub ista etenim generalitate de omni portione ita venit etiam illa funeris ipsa die humationis cadaveris, quę proprie ac stricte dicitur quarta funeralis, & tamen de ista non agebatur, certumque est eam, privilegiis non obstantibus, in Urbe deberi ex particulari consuetudine juxta superius dicta, atque de facto iste parochus citra aliquam controversiam istam quartam habuerat, ideoque numquam intellectum captivare potui in hujus styli obsequium, evagandi pro libito extensoris super punctis sub disputatione præcisa non cadentibus, cum de- 14
cisiones edi debeant stricte, ac præcise super ipso solo puncto disputato ac deciso; Quamvis enim eadem Rota prudenter pluries protestata fuerit, ac in dies protestetur, decisiones dici solum eas, quæ continent præcisum punctum disputatum ac decisum, non autem in iis, quæ obiter, seu ad ornatum decisionum dicuntur; Non per hoc tamen tollitur inconveniens apud judices inferiores, ac pedaneos, multo vero magis si sint non multum periti, dum capiendo decisiones in solo sensu verbali, quinimo (ut pluries sum expertus) arguendo etiam super verbis a contrario sensu, vel nolunt, vel ignorant advertere ad has distinctiones, quas reputant Advocatorum subtilitates, cum non modico justitiæ detrimento.

In disputationibus ergo in prima instantia habitis in 15
hac particulari controversia, ac etiam in dicta alia controversia generali pro Universitate parochorum, super ipsa quarta funerali ipsa die humationis; Reflectendo quod dictæ decisiones coram Coccino & Royas, ita generaliter ac indefinite hujusmodi privilegia canonizantes, non viderentur omnino maturæ, cum dicta prima decisio coram Coccino, cum qua deinde processum fuit in alia coram Royas prodierit, informantibus tantum ipsis Regularibus absque oppositore, & sic quod dici non posset articulus formiter, ac mature discussus & decisus.

Hinc dicebam, tres classes hujusmodi privilegiorum, seu Apostolicarum Constitutionum constituendas esse, ideoque non bene ita generaliter cumulari; *Prima* siquidem species est illorum, quæ prodierunt ante dictum Concilium Viennense registratum *in d. Clement. Dudum de sepult.* Altera vero intermedia eorum quæ post dictum Concilium Viennense concessa fuerunt ante publicationem alterius Concilii Trid. Et tertia eorum quæ post Concilii publicationem sequutam de anno 1564. concessa sint.

De prima specie nulla penitus ratio habenda est, ob expressam revocationem contentam *in d. Clement. Dudum*, solumque observabam, hujusmodi antiquas Constitutiones, vel privilegia attendi debere pro interpretatione modernorum ex propositione pluries per Rotam firmata, præsertim in Ferrarien. pensionis *de qua sub tit. de Pension.* quod Apostolicæ Constitutiones quamvis revocatæ, seu alias moderatæ, adhuc attendi debent saltem tamquam doctrinæ magistrales pro interpretatione juris dubii, in reliquis autem merentur poni ad partes; Ac propterea observabam dictas decisiones coram Coccino & Royas, non esse omnino bene digestas, excusabiliter tamen, utpote una tantum parte informante editas.

Super secunda vero specie; Dicebam, regulam generalem statui non posse, sed in singulis quibusque casibus ex 16
eorum particulari qualitate ac circumstantiis resolutionem pendere, Ac scilicet verificentur extrema, quæ continentur in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de reform. cap.* 13. ubi in specie revocatur Constitutio Sixti IV. quæ omnibus amplior est, atque ex ejus amplitudine Mare magnum nuncupatur, qua freti Regulares credunt omnia sibi licere, Concilium siquidem distinguit Domos Regulares fundatas per quadraginta annos ante, vel respective post ejus convocationem, ac etiam, an ex illa Ecclesia solitus esset parochus hanc portionem percipere.

Et quamvis in dictis decisionibus coram Coccino, & Royas, cum quibus proceditur etiam in hac ultima 17
coram Bourlemont, dicatur, hæc intermedia privilegia, illud præsertim Sixti IV. non cadere sub hac revocatione, ob declarationem Pii V. & consequenter quod suffragarentur tam dicta Constitutio Sixti IV. quam aliæ, illa præsertim Pauli IV. atque cum quadam decisione coram Coccino juxta consuetum stylum collectoris, aliud non examinando, procedit Barbos. *de parocho d. cap.* 25. *n.* 14. non obstante Constitutione 9. Greg. XIII. reducente ad terminos juris dictam Constitut. Pii V. ad favorem Regularium editam, quasi quod dicta reductio sit circa ea quæ declarat; Atque cum hoc sensu communiter procedant Morales, qui utpote Regulares, causam propriam fovere student.

Attamen intellectus non de facili acquiescebat, cum tenor dictæ Constit. Gregorii XIII. contrarium suadere videa-

deatur, quod scilicet dicta moderatio esset generalis quoad omnia; Sed quoniam stantibus tot decisionibus, ac doctrinis, temerarium esset in foro contrariam asserere, vel substinere, hinc proinde, tam super hoc, quam super pluribus aliis desideranda videtur matura declaratio Sacr. Congregationis Concilii per viam regulæ, seu legis generalis, ut ita dirimantur adeo frequentes controversiæ, quæ præsertim extra Urbem, non absque magnis scandalis & inconvenientibus, contingere solent inter clericos sæculares, & regulares.

Demum circa tertiam speciem privilegiorum, quæ concessa essent post Concilium Trident. Adhuc dicebam esse quæstionem facti, an scilicet illa adsint necne, & quatenus adsint, an contineant expressam derogationem dicti Concilii generalis Viennensis, quam esse necessariam in specie advertitur apud Cavaler. *decis. 101. & decis. 83.* post Tamburin. *de jur. Abb. tom. 3.* & est recepta propositio generalis, de qua alias supra, ac etiam *sub tit. de Benefic.* sequentius vero *sub tit. de Decimis*, occasione Concil. Lateranensis registrati *in cap. nuper, de Decimis*; Quamvis enim in dicta ultima decisione coram Bourlemont, ponderentur aliqua privilegia Pauli V. & Urbani VIII. Attamen id continere videtur aliquod æquivocum, cum istæ sint confirmationes generales privilegiorum, absque eo quod sensus Pontificum fuerit reintegrandi hanc speciem exemptionis per duo Concilia Generalia damnatæ.

De jure autem, seu præeminentia Regularium, vel respective parochorum circa celebrationem officii faciendi in funere, seu super cadavere; Et quid in casu quo interveniat Capitulum Cathedralis, habetur actum *sub tit. de præemin.* præsertim in Calaguritana funerum *disc. 22.* ubi de hac materia videri potest.

ANNOT. AD DISC. XXV.

DE hac eadem materia, an scilicet, & de quibus per Regulares debeatur quarta, seu portio Canonica habetur *in hoc tit. disc. 44.*

COMEN. FUNERUM,

PRO CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. FIDELIS, CUM PRÆPOSITO,

Casus decisus per Rotam pro Præposito.

An in concordiis super emolumentis funerum, aliisque juribus parochialibus inter Capitulum, & Vicarium, seu alium ad curæ exercitium deputatum, vel inter ejusdem Ecclesiæ clericos & ministros, requirantur necne solemnitates alias in alienationibus, vel concordiis super bonis & juribus Ecclesiæ requisitæ. Et quando hujusmodi concordiæ dicantur personales successorum non obligatoriæ, vel e converso eos obligent.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De Regulis in materia possessorii.*
4 *Quod concordiæ dicantur favorabiles non de facili irritandæ.*
5 *Quod non possit fieri transactio de bonis & juribus Ecclesiæ, etiam inter duas Ecclesias sine beneplacito Apostolico.*
6 *Secus ubi inter ministros, & servientes ejusdem Ecclesiæ.*
7 *Quando hæc transactio sit successorum obligatoria necne.*
8 *An Vicarius Generalis possit auctorizare concordias, easque facere successorum obligatorias remissive.*
9 *Quando sufficiat observantia longi temporis, vel requiratur longissimi ad inducendam præsumptionem solemnitatum.*

D I S C. XXVI.

1 EXortis controversiis inter Capitulum, cui annexa est cura habitualis, & Præpositum habentem per seipsum, vel coadjutores curæ exercitium, super emolumentis funeralibus, aliisque juribus parochialibus, de an. 1629. deventum est ad concordiam, a Vicario Generali auctorizatam, super æquali dictorum emolumentorum, ac funeralium divisione, cui concordiæ tractu temporis non acquiescente Capitulo, introducente causam rescissionis coram Ordinario, prodiit sententia in possessorio ad favorem Præpositi; Introducta vero per appellationem causa coram A. C. ab isto prodiit decretum in eodem possessorio ad favorem Capituli, commissaque causa in Rota coram Meltio, ac dato dubio in eodem possessorio, cui scilicet dandum esset mandatum de manutenendo, sub die 7. Junii 1652 ad favorem Præpositi responsum fuit, dictaque resolutio habetur impressa *part. 11. rec. dec. 360.* cui puto quod Capitulum, sequendo meum consilium, acquieverit, attento quod mihi pro dicto Capitulo scribenti resolutio probabilis visa sit; Non quidem ob generalitates, cum quibus proceditur in decisione desuper edita circa hoc judicium possessorium, super justificatione scilicet possessionis in facto, ac super vulgaribus & quotidianis juris propositionibus, quod in hoc judicio non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis, atque remittuntur concernentia bonum jus ad petitorium, adeout sufficiat esse dubium, an nullitas transactionis, vel aliæ exceptiones, subsisterent necne; Sed quia occasione maturius examinandi ipsum negotium principale, mihi videbatur non adesse læsionem, seu defectum causæ, eo modo quo concurrebat in consimili concordia merito neglecta, de qua supra in Murana, *dec. 20.* Ideoque prætensio Capituli annulare volentis hujusmodi concordiam restringebatur ad solum defectum solemnitatum, in quo (cessante altero defectu causæ) in concordiis præsertim aliquo tempore observatis, ac effectum sortitis, cum aliqua circumspectione proceditur: Nimium enim favorabilis reputatur in jure transactio, ubi præsertim effectum sortita est per aliquod tempus, ideoque non de facili admittitur ejus annullatio vel rescissio, cum etiam præceptum testatoris de non transigendo sperni valeat, ut pluries alibi advertitur. 2 3 4

Duo autem erant Capituli fundamenta: Primo scilicet, quod concordia munita non esset beneplacito Apostolico; Et secundo, quod quatenus istud non esset necessarium, sed sufficeret illud Episcopi, adhuc tamen actus erat defectivus, vel saltem personalis, successorum non obligatorius, utpote præstitus, non ab Episcopo, sed a Vicario Generali talem facultatem non habente, ac etiam quia per Episcopum quoque, seu per Vicarium, quatenus talem facultatem habeat, adhiberi debet cum causæ cognitione. 5

Quatenus igitur pertinet ad primum; Quamvis ego scribens tamquam Advocatus dicerem, quod quicquid per scribentes variatum fuerit super articulo, An transactio dicatur alienatio prohibita cadens *sub extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* necne, Aliquibus simpliciter negantibus, Aliis vero distinguentibus, an Ecclesia dimittat bona, & intret affirmativa, secus autem si aliquo dato in pecunia, vel mobilibus alienari non prohibitis, retineat, seu acquirat; Attamen in Rota, & Curia Romana indefinite recepta videtur opinio affirmativa, ad effectum, ut transactio sit perpetua & successorum obligatoria, non solum si ea sequatur super bonis stabilibus, sed etiamsi super juribus incorporalibus, ac etiam super jurisdictione, vel præeminentiis; Idque licet sequeretur inter duas Ecclesias, quinimo & inter ejusdem Ecclesiæ duas cappellas vel beneficia, ex recepta vulgari propositione, quod non debet discooperiri unum altare, ut alterum cooperiatur, ex iis quæ cæteris relatis, in terminis transactionis cum Episcopi auctoritate initæ inter Capitulum Cathedralis, & illud Collegiatæ super jurisdictione, ac deputatione Vicarii Sede vacante, habentur in Acernen. Vicarii coram Otthobono inter suas *dec. 220.* & in eadem 31. Januarii 1652. coram Bichio, de qua causa habetur actum *sub tit. de Jurisd. disc. 24.* ac etiam habetur pluries in sua materia *sub tit. de alienat. & contractib. & sub tit. de Decimis.*

Attamen reflectendo ad veritatem, fallacia consistebat in applicatione; Id enim recte procedit, ubi agatur de transactione inter duas Ecclesias, adeout agatur de privando unam aliquo jure in toto, vel in parte, ut illud alteri acquiratur, & in his terminis recte procedit dicta conclusio; Secus autem, ubi jus habituale Ecclesiæ integrum ac salvum remanet, nullamque patitur scissuram, sed oritur discordia inter ejusdem Ecclesiæ servientes, ac ministros super fruitione, ac distributione & pertinentia emolumentorum, aliorumque jurium; tunc enim quoties ipsi Ecclesiæ præ-

præjudicium non resultet circa servitium, seu cultum, quod scilicet adjudicando majora emolumenta aliquibus, alii servitium deserant, vel negligant, sed non immutato servitio, vel cultu, componantur controversiæ super emolumentorum repartitione, & tunc cum Ecclesia remaneat integra domina & possessitrix, neque ejus principaliter intersit, an uno, vel alio modo, servientes, ac ministri emolumenta dividant verius est non intrare terminos ac dispositionem *extravag. Ambitiosæ*, sed cum sola auctoritate Ordinarii, licite ac valide transigi potest, juxta dispositionem text. *in cap.*
6 *1. & finali de pactis in sexto*, quorum jurium dispositio alterata non est per *dictam Extravag.* ut advertitur *dec. 402. n. 1, part. 5. rec.* cum aliis in hujus causæ decisione, & habetur in dicta sua materia *sub tit. de alenation.* dictæ vero decisiones *Acernen.* & similes percutiunt casus, in quibus agatur inter duas diversas Ecclesias, vel duo Capitula seu diversa corpora Ecclesiastica, quibus casibus alia rigoris moderatio non habetur, nisi illa, quod non intret novissima Constitutio Urbani VIII. quæ substulit beneplacitum præsumptum, quod ad limites juris communis resultat ex observantia longissimi temporis, ut advertitur *in d. Acernen. sub tit. de jurisdict. disc. 24.* & pluries in dicta sua materia *sub tit. de alienat. & supra de Canonic. disc. 30.*

7 Alicujus majoris soliditatis videbatur alterum motivum, quod scilicet non accessisset auctoritas ipsius Episcopi, sed Vicarii, ac etiam quia ubi accessisset, seu quod Vicarius hanc haberet facultatem, non adhibita esset causæ cognitio, sine qua retentis etiam dictis terminis text. *in cap. 1. & fine de pact. in 6.* concordia remanet personalis, ac successorum non obligatoria, Abb. *& cæteri in cap multiplici de decim. eadem decis. 402. part 5. rec. 270. n. 3. part. 4. decis. 410. eadem part. 5.* Gregor. & Adden. *decis. 152.* Buratt. & Adden. *decis. citam 152.*

Verum quidquid sit de puncto juris in abstracto circa potestatem Vicarii Generalis absque speciali delegatione, super quo Rota in hujus causæ decisione,
8 relatis utriusque sententiæ sequacibus, nihil firmat super utroque defectu; Pro meo sensu difficultas tolli videbatur ex pacifica longa observantia decem annorum, ex qua utriusque requisiti resumptio resultare dicitur, quod scilicet Episcopus dedisset Vicario hanc facultatem, vel quod accesserit ejus ratihabitio, quæ mandato æquiparatur, ejusque vim habet, quodque id gestum fuerit causa cognita, & serv. serv. Licet enim in hac materia inducendi præsumptionem ex lapsu temporis juncti cum observantia, sub quæstione sit inter scribentes, an sufficiat longum, vel potius requiratur longissimum tempus; Vera tamen recepta distinctio est, inter casum, in quo adsit juris resistentia, ut est quando intrat prohibitio *extravag. Ambitiosæ*, & casum, in quo dicta resistentia non adsit, quamvis non adesset assistentia, ut in primo requiratur tempus longissimum, in secundo autem sufficiat longum, ex plene de-
9 ductis per Gabriel. *de præscript. conclus. 1.* Menoch. *lib. 3 præsumpt. 141. & seqq.* Gregor. & Adden. *decis. 52. & 354* & in dicta sua materia *sub tit. de alienat.*

In præsenti autem nulla aderat resistentia, ut supra, cum in effectu ageretur de conventione salarii, seu mercedis super congrua, tamquam inter dominum & famulum, juxta casum, de quo supra in Perusina congruæ, *disc. 19.*

ANNOT. AD DISC. XXVI.

Transactio inter Clericos ejusdem Ecclesiæ quando subjaceat *Extravag. Ambitiosæ*, habetur *sub titul. de alien. & contract. probib. disc. 1. n. 142. & disc. 17. 54. in eod. tit.*

TRANEN. JURIS SEPELIENDI, PRO ECCLESIA PAROCHIALI S. JACOBI, CUM PAROCHIALI S. MARIÆ BAROLI.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Ecclesia S. Jacobi.

De jure sepeliendi eos qui decedant non facta electione sepulturæ; An competere valeat uni Ecclesiæ parochiali privative ad aliam; Et quid ad hunc effectum requiratur.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Jus sepeliendi morientes sine electione sepulturæ est parochiale, ac pertinet ad proprium parochum.
3 Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam, & qui allegat limitationem, debet eam probare.
4 In vim immemorabilis potest allegari quicumque titulus de mundo melior.
5 Probatio immemorabilis quid requirat, & quando ea sit impossibilis.
6 Lis in qua actor succubuit, vel derelicta non interrumpit bonam fidem, ac præscriptionem.
7 Præscriptio immemorabilis impeditur etiam per extrajudicialem contradictorem.
8 Ad desertionem litis non sufficit tempus longissimum sine malo jure.
9 In Ecclesia filiali dari potest, ut aliqua jura parochialia remaneant penes matricem.
10 Matricitatis vocabulum est æquivocum.
11 De casu duarum parochialium ob diversum ritum.
12 De antiqua potestate Patriarchæ Constantinopolitani in aliquibus partibus Italiæ.
13 Quomodo fuerint erectæ Ecclesiæ Cathedrales Provinciæ Barensis.

DISC. XXVII.

Cum in insigni Oppido Barolitano, cura animarum 1
promiscue absque finium, ac populi distinctione incumberet Ecclesiis S. Mariæ, & S. Jacobi, quod in ea provincia, & alibi etiam hodie practicatur, præsertim in proxima Civitate Andrien. ubi cura indefinite absque finium ac populi distinctione exercetur per Capitulum Cathedralis, ac per aliud Capitulum Collegiatæ S. Nicolai, ut occasione aliquarum functionum insinuatur *sub tit. de præem. disc. 10. n. 12.* Archiepiscopus Tranensis Ordinarius, inhærendo decreto S. Conc. Trid. *sess. 24. de reform. c. 13. circa finem, §. in iis quoque Civitatibus*, de anno 1594. in visitatione, populum, ac territorium divisit, unicuique Ecclesiæ certos limites præscribendo, ut ita oves proprium ac certum pastorem, & e converso pastor proprias oves agnoscerent, cum subsequuta dictæ divisionis effectuatione in reliquis omnibus juribus parochialibus, ac aliis curam animarum, ac sacramentorum administrationem concernentibus pacifice, & sine contradictione, præterquam quod jus sepeliendi mortuos non eligentes sepulturam, quod Ecclesia S. Mariæ, (quæ supponitur matrix, seu aliquam Collegiatæ majorem figuram facit) prætendit ad se spectare privative, etiam intra fines alterius parochiæ, & quoad ejus subditos; Quare desuper de anno 2
1633. coram Ordinario introducta fuit lis, quæ ulteriorem progressum non habuit, continuantibus controversiis de facto, cum aliquibus etiam inconvenientibus, quando casus contigit: Reassumpta vero, seu innovata dicta lite coram Ordinario, prodiit ad favorem dictæ Ecclesiæ S. Mariæ sententia, vel decretum in possessorio retinendæ; Introductaque per appellationem causa coram A. C. Cum mihi scribenti pro altera Ecclesia S. Jacobi ob aliquos actus possessorios dictæ alteri Ecclesiæ assistentes, visum fuerit magis opportunum acquiescendo judicio possessorio, assumere petitorium, hinc assumpta in eo disputatione prodiit sententia huic parti favorabilis, in exclusionem dicti prætensi juris privativi, a qua pendet appellatio in Rota.

Quamvis autem ob subsequutam mortem Procuratoris, seu causæ Patroni, dicta sententia lata fuerit in contumatiam, seu, ut in Curia dicitur, *per contradictas*, Attamen, ante casum dictæ mortis, pluries habitæ fuerunt disputationes in contradictorio judicio cum informationibus hinc inde; Cumque verisimile sit deducta fuisse omnia dictæ alterius partis fundamenta, hinc proinde, saltem ex hactenus deductis, mihi videbatur quod etiam in sensu veritatis, justitia huic parti assisteret, dictumque jus privativum non haberet probabile fundamentum.

Regula enim assistit parocho quoad morientes intra fines ejus parochiæ, qui jam parochiani, ac subditi effecti erant, alibi sepulturam non eligentes, cum hoc dicatur jus parochiale, in quo alter parochus se ingerere non potest, ut expresse statuitur per Concilium Generale Viennense *in Clement. dudum §. hujusmodi, de sepulturis*, Abb. *in cap. abolendæ, n 6. extra eodem tit. & in rubr. de parochis num. 2.* & scribentes communiter *in cap. 1. eod. tit. de sepult.*

fult. in sexto, ac cæteri collecti per Barbos. *de paro-*
cho c. 26. n. 1. Rot. *dec.* 348. *n.* 9. *& per tot. par.* 11. *rec.*
edita occasione morientium in Hospitali, in Romana fu-
nerum, de qua *supra disc.* 23. *& infra disc.* 38.

Et consequenter cum ista Ecclesia haberet pro se cer-
tam regulam, ista sufficit, ut fundata dicatur ejus in-
tentio, donec ille qui allegat limitationem, eam con-
3 cludenter probet, cum in dubio non præsumatur, jux-
ta vulgare, ac satis frequens axioma, de quo Barbos.
axiom. 198. Rot. apud Mant. *dec.* 251. *n.* 4. *dec.* 357.
n. 24. *p.* 10. *rec. & frequenter*.

Allegabatur per alteram partem consuetudo immemo-
rabilis, qua posita, scribentes in contrarium cum copio-
sis superfluis allegationibus super certo principio, quod
4 præsupponendum est, late insistebant super effectu exinde
resultante facultatis allegandi quemcumque titulum de
mundo meliorem, & sic etiam privilegium Apostolicum,
sive ejusdem juris præservationem in dicta divisione,
Aut quod dicta Ecclesia S. Mariæ utpote matricis fi-
guram faciens, ac præeminentias retinens, antiquitus
esset unica, deinde vero ob populi excrescentiam ere-
cta esset altera S. Jacobi tamquam filialis, vel adjutrix,
atque super hac ultima ratione magis insistebatur.

Verum punctus erat potius facti, quam juris; Non
negabam etiam ego dictos effectus de jure resultantes
ab immemorabili, quatenus probata esset, sed difficul-
tas forte inevitabilis consistebat in hoc, quod illa pro-
5 batio de facto non adesset, ac etiam esset impossibi-
lis, stante lite mota ut supra usque ab anno 1633. quo
tempore subducto cum testes de immemorabili depo-
nentes habere debeant saltem ætatem annorum 54 ad
effectum, ut post tempus pubertatis deponere valeant
de quadragenaria pacifica de visu, quod est primarium
magisque necessarium requisitum, ex iis quæ ad imme-
morabilis probationem recenset satis vulgaris, ac re-
cepta glos. in c. 1 *de præscript. in sexto*, cum qua pas-
sim proceditur, hinc proinde testes esse deberent ad
minus annorum 128. dum præsens disputatio habeba-
tur de anno 1669. quod est impossibile, ideoque ex
isto capite Rota pluries denegare consuevit remissoriam
petitam ad probandum immemorabilem, ut habetur
præsertim apud Buratt. *dec.* 551. *&* 864. *dec.* 344. *p.*
11. rec. & sæpius.

Et licet replicaretur, quod dicta lis habenda non esset
in consideratione, utpote derelicta per longissimum spa-
tium annorum 30. & ultra, per quod ejus desertio induci-
tur etiam de jure Canonico, quo attento instantia est
perpetua, & non datur illa peremptio, quæ datur de jure
6 civili, unde propterea inserebant ad conclusionem præsup-
posito facto de jure veram, quod lis in qua possessor obti-
nuit, seu quam actor deseruit, non interrumpit præscri-
ptionem, dum potius ea confirmat bonam fidem possesso-
ris, ut *dec.* 240. n. 22. *p.* 10. *rec.* Buratt. & Add. *dec.* 172.
Greg. & Adden. *dec.* 467. Sarlinaten. feudi 20. Decembris
1638. Coccino, impress. apud Capyc. Latr. *consult.* 75.

Attamen cessabat pariter applicatio ad factum, stan-
tibus continuatis contradictionibus, ac jurgiis de fa-
cto, quando casus contigit, quod sufficit ad interum-
pendam, & impediendam immemorabilem, cujus alte-
rum essentiale requisitum est, ut nunquam in contra-
rium aliquod gestum, visum, vel auditum fuerit, ad-
7 eout etiam contrarius rumor sufficiat, Otthob. *dec.* 159.
n. 6. late *dec.* 153. *n.* 15. *& seqq. p.* 11. *rec.*

Ac etiam quia, ut pluries habetur supra *sub tit. de ben.*
disc. 91. ad materiam Regulæ de triennali, seu litis super
8 beneficio, ad effectum inducendi desertionem non suffi-
cit longissimum silentium, nisi etiam concurrat ma-
lum jus, de cujus vehementi fumo saltem doceatur.

Dicebant scribentes in contrarium, mali juris fu-
mum vehementem resultare ex eo, quod ista Ecclesia
S. Jacobi esset filialis, seu adjutrix, & consequenter,
quemadmodum matrici remanere solet jus decimandi,
9 aliaque jura parochialia, ut habetur *sub tit. de deci-*
mis, in Novarien. & in aliis, ita congruum ac veri-
simile videbatur istud jus in hac erectione remansis-
se, ac fuisse præservatum, ut plurium locorum pra-
xis docet, præsertim in Ecclesia S. Joannis Majoris
Neapolis, juxta casum de quo *disc. proxime seq.* Verum
pariter remanebat verus discursus de jure absque aliquo
fundamento facti, quoniam licet dicta Ecclesia S. Ma-
riæ præcedentiam habeat, atque matricis & Collegia-
tæ, saltem de facto, figuram faciat, non tamen exin-
de inferri potest, quod ista Ecclesia esset filialis, vel
adjutrix, nisi alia detur probatio, quoniam istud vo-
cabulum, *matricis*, est æquivocum, id non conclu-
dens pernecesse, utpote referibile ad quamdam majorem
præeminentiam, quod scilicet esset Ecclesia ratione an-
tiquitatis, vel ex aliis circumstantiis major, juxta ca-
sum de quo in Messanen. *sub tit. de Præem. disc.* 9.

Ponderabam, stante frequentiori hujus Provinciæ usu, 10
ac antiquo statu hujus partis Italiæ, quod in istis dua-
bus Ecclesiis congruerent ea quæ habentur in d. Messa-
nen erectionis Collegiatæ *sub tit. de præem. disc.* 9. quod
scilicet iste populus sub duplici ritu, græco & latino an-
tiquitus viveret, ita promiscue sparsus, quodque propte-
rea duplex erecta esset Ecclesia pro utriusque ritus exer- 11
citio absque distinctione finium & populi, eamdemque
observabam esse casum, de quo in ibi proxima Civitate
Andrien. ac in aliis locis illius regionis.

Cum enim ista Regio per notabile tempus, etiam post
erectionem Imperii occidentalis remansisset sub Imperio
Orientali, seu Græco, ita contradistincta a reliqua Ita-
lia, quod etiam contigit in aliis partibus maris Adria- 12
tici, & Jonii; Hinc sequebatur quod ritu græco magis
viveretur; Paulatim vero deinde, postquam Græci per
Normandos expulsi fuerunt, introductus fuit ritus lati-
nus, unde propterea oportuit pro utroque ritu habere
duplicem parochum duplicemque Ecclesiam. Cumque
durante dicta dominatione Græcorum, Patriarcha Con-
stantinopolitanus, saltem de facto, in hac parte se ge-
reret tamquam pro Pontifice, hinc proinde in ista provin-
cia quasi privative ad alias Italiæ partes, atque cum raro
exemplo introductus fuit, ac cernitur adeo frequens
usus Episcoporum in sola Civitate sine diœcesi, in locis
adeo contiguis, & cum tam exiguo territorio, quod, ut
dici solet, vix Episcopus benedictionem impartiri possit
cum brachio totaliter extenso, quod suum territorium
non egrediatur, eo quia Epiphaneus Constantinopolita-
nus Patriarcha de anno 530. auctorizante, vel per-
mittente Felice IV. Ecclesiam Barensem in Metropolita-
nam erexisset, cum potestate eidem Archiepiscopo or-
dinandi duodecim Episcopos suffraganeos, ita ordinatos
in qualibet Civitate ex adjacentibus, tamquam per speciem
tot Archipresbyterorum, seu Plebanorum, cum usu
pontificalium: Expulsis vero Græcis, cessataque dicta
vel intrusiva, vel per Sedem Apost. demandata pote-
state dicti patriarchæ, Sedes Apostolica, vel pro bene-
volentia, & quiete illorum populorum, vel in gratiam
novorum Principum Normandorum, seu aliàs, eorum-
dem Episcoporum usum, & continuationem toleravit,
adeout isti Episcopatus dici non possunt de erectis in
primæva divisione sequuta sub Dionysio juxta magis
communem opinionem, quam sequitur Curia, ex plu-
ries deductis ad hanc materiam Cathedralitatis, vel
jurisdictionis Episcopalis *sub tit. de jurisdict.* ac sub al-
tero de *Præemin.* neque habuerint erectionem cum ea
causæ cognitione, cum qua per Papam in pleno
Concistorio Cathedralium erectiones sequuntur, ut ha-
betur *eod. tit. de Præem. disc.* 1. sed potius cum sola
auctoritate dicti Archiepiscopi Barensis; Et tamen ho-
die cernimus quod Episcopi adjacentes, etiam exigua-
rum Civitatum, cum satis modico populo, & terri-
torio, adeout vix titulus Plebanorum eis conveniat,
ut ex. gr. sunt Bitecten. Juvenarien. Minerbinen. & si-
miles in titulis, aliisque tractatibus omnimodam æquali-
tatem cum dicto Archiepiscopo prætendunt; Talis est
conditio temporum, ex quibus primævus rerum status
adeo immutatus est.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

IN hac causa introducta postmodum in Rota emanarunt duæ decisiones ad favorem Ecclesiæ S. Jacobi Majoris, prima sub die 2. Decembris 1671. coram Priolo, & secunda sub die 13. Januarii 1673. coram Rondinino, ad quarum normam obtentæ fuerunt sententiæ conformes.

NEAPOLITANA FUNERALIUM, PRO COLLEGIO HEBDOMADARIORUM S. JO: MAJORIS, CUM CONGREGATIONE CONFRATRUM EJUSDEM ECCLESIÆ.

Casus varie decisus per Rotam, postea concordatus;

De jure funerandi, & participatione emolumentorum funeralium quoad clericos Ecclesiæ parochialis non habentibus participationem in cura animarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Datur restitutio in integrum adversus rem judicatam ob injustitiam, de qua queri solet.*
4 *Quod augmentum reguletur eodem jure, quo ipsa res cui fit accretio.*
5 *Aucto labore augere debet salarium, & n. 11.*
6 *Interventus parochi in funeribus est necessarius active & passive.*
7 *Sed non tenetur parochus ad magnum non necessarium laborem pro sola pompa, & voluptate partium.*
8 *Distinguuntur exequiæ simplices a pomposis.*
9 *De distinctione mercedis, quæ datur singulis, & illius quæ datur Capitulo, seu Collegio in universum.*
10 *Ex deficientia singulorum non alteratur ipsum corpus capituli, vel Collegii.*
11 *Declaratur conclusio, de qua n. 5.*
12 *Emolumentum a consuetudine taxatum pro interventu in funeribus non debet alterari.*
13 *An beneficiati, cappellani, & clerici participent de legatis factis Capitulo pro funeribus, & anniversariis.*

D I S C. XXVIII.

1 IN magna Neapolitana Civitate, inter alias antiquas Ecclesias parochiales, adest illa (forte in Catholico Orbe singularis) S. Joannis Majoris, quæ utpote sita in extrema parte antiquæ longe magis angustæ Civitatis suæ ab eadem Ecclesia versus celebrem Sebetem, seu forum magnum, illaque sub se habebat eam magnam partem territorii, tunc campestris, ac sine habitatoribus, quæ nunc nobiliorem, ac forte majorem ejusdem Civitatis partem constituit, usque ad montem Pausilippum, ac fines Puteolanæ diœcesis, adeout ante maximum Divini belli excidium sequutum de anno 1656. 300. m. circiter animæ in hac moderniori parte viverent quibus cum in illa Ecclesia sacramenta, aliaque divina ministrari non possent, hinc tractu temporis, ob excrescantiam populi, quamplures Ecclesiæ filiales erectæ fuerunt proprium Parochum, seu Rectorem in titulum habentes, reservato Ecclesiæ Matrici jure funerandi quod intra antiquos fines residet penes istius Ecclesiæ Collegium nuncupatum Hebdomadariorum, quorum redditus in hujusmodi funeralium emolumentis consistunt, saltem pro notabiliori parte; Cumque in eadem Ecclesia erecta esset quædam Congregatio clericorum, seu sacerdotum qui *confratres*, seu *fratanfarii* vulgo appellantur, ad funera præsertim solemnia invitari soliti, atque casus frequenter præbeat; quod, vel ob itineris distantiam, vel ob nocturnum tempus, in quo cum quadam vana pompa, a solidis Urbis moribus merito expulsa, exequiæ, seu funera in ea Civitata fieri solent, dictum Collegium Hebdomadariorum, seu ejus œconomus, qui Cellerarius nuncupatur, convenire soler de aliquo augmento consuetæ mercedis; Hinc dicti confratres prætensionem excitarunt super dicti augmenti participatione, quasi quod esset unum & idem corpus, eodem jure regulandum, seu quod eadem excreti laboris ratio eis quoque conveniret; Et introducta desuper lite cor. Ordinario, ab isto favore confratrum prodiit quoddam decretum provisionale, a quo introducta per appellationem causa cor. A. C. in contumaciam contra Hebdomadarios indefensos super dicta confratrum participatione prodiit sententia, quæ ob non interpositam in tempore appellationem in judicatum transiit, unde propterea habita notitia, & commissa causa restitutionis in inte-
2 grum in Rota coram Verospio, dictoque solito dubio ex commissionis venere resultante; An scilicet constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, sub die 29 Junii 1601 affirmative in prima, negative autem in secunda ad favorem confratrum resolutum fuit, sed reproposita causa sub die 12. Maji 1602 facto melius dilucidato, recedendo a decisis, oppositum dictum fuit, atque post aliam disputationem habitam super remissoria, honesta concordia liti finem dedit, me quoque consulente.

In his autem disputationibus, nulla fuit quæstio su-
3 per iis quæ sunt ordinis, quoniam planum est, ut ob non interpositam in tempore appellationem, sententia fecit transitum in judicatum, atque rari sunt casus, in quibus ob nullitates, res judicata impetratur, cum laudabilis Curiæ stylus frequentior sit non multum immorandi super scrupulosis rigoribus ordinis judiciarii, sed fere omnes quæstiones esse soleant circa injustitiam, ob quam, receptum principium est, cessare rem judicatam, in quam sententia injusta nunquam transit; Atque ad hunc effectum non requiritur injustitia notoria, eo modo quo desideratur, ut adversus possidentem facto judicis competere possit extraordinarium remedium possessorii retinendæ, vel reintegrandæ; Et consequenter (ut pluries alibi advertitur,) quasi cæremonialis remanet materia rei judicatæ ob non interpositam, vel non prosequutam appellationem, cum in gradu restitutionis in integrum disputari etiam soleat de justitia, vel injustitia tamquam ex integro.

In prima igitur decisione processum fuit cum gene- 4
rali regula, quod accessorium regulatur eo modo, quo principale, seu augmentum est ejusdem naturæ, cujus est res, cui fit accretio, ex deductis apud Gregor. *dec.* 232. *n.* 17. & 144. *n.* 14. apud Dunozett. *dec.* 857. *n.* 6. ubi de augmento gabellæ; Seu cum alia genera-
litate, quod cum ista merx præstetur tam Hebdoma- 5
dariis, quam confratribus ex causa laboris, ob ejus augmentum merx augetur, idcirco ad omnium commodum cedere debet, cum omnibus congruat eadem ratio, ut aucto labore salarium seu merx augeatur, ex deductis per Mastrill. *de magistrat. l.* 1. *c.* 21. *n.* 2. 73. & 79. apud Merlin. *dec.* 108. *n.* 3. cum aliis in prima decisione.

Verum id continebat æquivocum, quo agnito, me-
rito recessum fuit, adeout, etiam reflectendo ad solam 6
veritatem, ultima resolutio probabilior visa sit, quoniam coæquale non est jus hebdomadariorum, & confratrum; Primi enim repræsentant parochum, cui de jure competit jus interveniendi in funeribus, hinc inde coactivum, & ex necessitate reciproca, seu activa & passiva, quod scilicet ipse tenetur quamvis invitus intervenire, & e converso parochiani tenentur quamvis inviti eum vocare ad text. *in cap.* 1. *de sepulturis Clement. Dudum*, §. *verum eodem tit.* ubi omnes, & habetur pluries in præcedentibus, & sic non dicitur sola merx ratione laboris, ut in prima decisione supponitur, sed est emolumentum juris parochialis, quod in summa determinata (quando non adest incommodum extraordinarium)
præstandum est; Sed quia parochus non tenetur hujus- 7
modi functiones facere de nocte, seu in forma pomposa cum extraordinario, ac magno incommodo & labore, hinc proinde hæredes defuncti cupientes majorem functionis pompam, aliquam majorem præstant recognitionem, in qua nullam dicta Congregatio seu Confraternitas participationem prætendere potest, quoniam ipsa non est de corpore dicti collegii, neque aliquam habet participationem in cura animarum, ideoque non intrat dicta reciproca necessitas activa, & passiva, quæ viget in parocho, dum dicti confratres nolentes in funeribus intervenire, ad id cogi non possunt; Et e converso non possunt cogere partes ad eos convocandos.

Et quamvis scribentes pro dicta confraternitate nimium insisterent, quod partes tenerentur ex antiqua consuetudine eam convocare; Attamen duplicem ego præbebam responsionem, Primo scilicet, quod de hoc ipsi confratres videant cum partibus, a quibus curent mercedem augeri, sed non per hoc resultat ista participatio; Et secundo clarius, quoniam vere id nullam habebat subsistentiam; Siquidem in duplici specie sunt
exequiæ. Una enim est simplicium cum illo solo collegio 8
hebdomadariorum, cum quibus tamquam unus ex eis, intervenit Rector illius Ecclesiæ filialis, intra cujus fines defunctus vivebat, ac etiam convocantur ex placito partium aliqui clerici conductitii. Altera vero dicitur duplicium, seu pomposarum, ad quas convocantur etiam alia collegia sæcularia Civitatis, necnon Regulares, & quandoque ipsummet Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ; Istoque secundo casu, ex quadam epicheja seu congruentia vocantur isti confratres, quoniam justum ac rationabile est, quod dum clerici aliarum Ecclesiarum invitantur, negligi non debeant clerici inservientes ipsi Ecclesiæ parochiali, seu matrici; Et ex qua etiam ratione, vel omnes, vel aliqui ex eis pro libito partium invitantur etiam quandoque in exequiis simplicibus, Utroque tamen
casu merx pro functionis qualitate habet certam taxam; 9
non collegiative, sed singulariter, ac distributive, ad rationem scilicet tot granorum pro quolibet, unde si casus præbet, quod non omnes, sed eorum aliqui tantum interveniant, eorum merx non crescit, sed non interveniendum stipendium remanet penes partes.

Non sic est in mercede collegii hebdomadariorum, habente certam taxam majorem, vel respective minorem,

pro

pro qualitate funeris, quod fiat intra, vel extra muros Civitatis, quoniam non est singulorum, sed ipsius collegii in universum, adeout si non omnes hebdomadarii interveniant, ob vacationem, vel absentiam, seu aliud impedimentum, non per hoc dicta taxa minuitur, sed accrescit interessentibus juxta naturam distributionum quotidianarum, cum spectetur ipsum collegium tamquam constitutivum, seu repræsentativum personæ parochi, non curato, an major, vel minor collegialium numerus interveniat, quonism de jure aliis absentibus, vel impeditis, collegia, vel Capitula, aliaque corpora politica, etiam per minorem partem, imo per unum constitui ac repræsentari possunt, ex iis quæ
10 habentur supra *in Casatang. Canonic. sub tit. de benef. disc.* 13.

Cumque taxa singularis in dictis confratribus, quamvis esset, non ratione juris parochialis, ut est in hebdomadariis, sed ex sola ratione laboris, ac servitii personalis, normam non recipiat a majori, vel mi-
11 nori labore resultante a majori vel minori distantia, seu itinere, cum eadem obtineatur, etiam quando labor est modicus; Hinc proinde non intrat dicta regula, quod aucto labore augeri debet salarium, sed major labor in uno casu compensatur cum minori in altero, absque mercedis alteratione, ex deductis apud Merlin. *d. dec.* 108. *n.* 4. Zacch. *de Salario q.* 11. *n.* 31. & in secunda hujus causæ decisione, ubi in specie allegantur Genuen. *in praxi Eccl. q.* 638. alias 640. *n.* 2. & Lavor. *de funeribus*, *tit.* 2. c. 10. *n.* 35. super prohibita alteratione hujusmodi mercedis per antiquam consuetudinem taxatæ.

Sed quidquid sit de hoc, ego insistebam in eo, quod
12 hæc inspectio cadit inter ipsos clericos, seu confratres, ac partes invitantes ad funus, dum eorum interventus est voluntarius, non autem necessarius, sicuti est ille collegii hebdomadariorum; utpote repræsentantis parochum, ideoque ubi credunt funus esse minus incommodum, quod non interveniant.

Magnam vim constituebant scribentes pro dictis confratribus in iis quæ habentur apud Merlin. *dec.* 685. alias *dec.* 59. *p.* 7. *rec.* ubi disputatur quæstio, an beneficiati, cappellani, & clerici Basilicæ Libe-
13 rianæ, seu S. Mariæ Majoris participare debeant de legatis, seu aliis dispositionibus factis ad favorem Capituli pro anniversariis, seu aliis functionibus, & deciditur ad favorem beneficiatorum, & cappellanorum, atque clericorum, ex verisimili voluntate disponentium; Ac etiam quia licet isti non sint de Capitulo, attamen id intelligitur circa actus capitulares, ac præeminentiam habendi vocem in Capitulo, necnon administrandi bona Ecclesiæ, aliaque jura exercendi, sed quoad actus chorales, ac alios concernentes divina, præsertim funera & anniversaria, vel unum & idem corpus constituunt juxta graduum, seu ordinum diversitatem, vel saltem tamquam Capituli servitores, ac ministri sunt de illius appenditiis, ita saltem de facto eamdem universitatem constituentes, quod non congruit hujusmodi confratribus, intervenientibus quidem in choro in iis quæ concernunt solemnitates & cultum Ecclesiæ, eo modo quo in qualibet alia Ecclesia non parochiali, independenter tamen a cura animarum, & administratione sacramentorum, quæ resident penes solum Collegium hebdomadariorum, adeout confratres non dicantur, neque de corpore, neque de appenditiis, quamvis, ut dictum est, ad hanc functionem parochialem magis solemniter, seu cum majori numero clericorum faciendam, potius ipsi quam alii extranei clerici aliarum Ecclesiarum convocentur; Ideoque revera ista prætensio nullum habebat probabile fundamentum, quamvis ego scribens pro hebdomadariis, satis laudaverim, atque consuluerim aliquam concordiam, potius ad redimendas litis molestias, ac expensas, forte longe excedentes emolumentum, quod erat in lite, & fortius ad tollenda jurgia & scandala ex hac lite resultantia inter clericos eidem Ecclesiæ servientes.

ANNOT. AD DISC. XXVIII.

De participatione hujusmodi Clericorum, & Beneficiatorum, actum quoque fuit *in præced. tit. de Canon. & Capitulo, disc.* 7. 18. *&* 20.

Posterior ex decisionibus insinuatis in *præsenti disc. est impress. dec.* 448. *p.* 13. *rec.*

ROMANA PRETATICI, PRO UNIVERSITATE HEBRÆORUM, CUM PAROCHO S. ANGELI IN FORO PISCIUM.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ, & resolutus pro Universitate.

An parochus aliquod emolumentum exigere possit ab Hebræis, vel aliis infidelibus ratione damnorum & interesse, in locum decimarum, vel emolumentorum, quæ perciperentur a Christianis, qui alias habitarent domus per ipsos Hebræos, seu infideles inhabitatas.

Et an eadem refectio peti valeat a Religiosis, qui pro nova fundatione Conventus, vel antiqui ampliatione, occupent domus, in quibus alias habitabant sæculares.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod parochus nil obtineat ab Hebræis habitantibus in parochia.*
4 *Nisi id quod competeret pro decimis prædialibus.*
5 *Observantia longæva facit præsumere solemnitates.*
6 *An parochus petat recompensam a religiosis pro domibus sæcularium, quas convertunt in erectionem conventuum.*
7 *Religiosi non solvunt decimas pro domibus, & hortis ad usum proprium.*
8 *De ratione ob quam id non dicatur importare præjudicium parochis.*
9 *In quo consistat præjudicium parochi ob novam erectionem conventus.*
10 *Reficere non est construere, vel fundare de novo.*

D I S C. XXIX.

Cum sub Paulo IV. Hebræi, qui in Urbe sparsim 1
vivebant, more Christianorum, (& forte cum majori luxu) reclusi essent in ghetto, hinc adjacentibus parochis, Incertum est, an in refectionem emolumentorum, ita deficientium ob diminutos parochianos viventes in domibus in dicto ghetto inclusis, vel ex alia causa, inolevit usus, quod aliqui parochi ex adjacentibus, exigerent ab Universitate Hebræorum annuam præstationem, vulgo *pretaticum* nuncupatam, ad rationem bononenorum 15. pro quolibet foculari, seu familia vivente intra illius parochiæ fines: Cum ista vero pariter adjacenti parochia Sancti Angeli, ab antiquo inita fuit concordia, per quam statuta fuit unica summa singulis annis præstanda; Cumque idem parochus, seu vicarius litium amator, qui me pro eo scribente contra ejusdem Ecclesiæ Capitulum, ac etiam contra Minores Conventus S. Francisci ad Ripam habuit lites, de quibus supra *disc.* 21. prætenderet hujusmodi concordiam esse nimium læsivam, ac præjudicialem, eo quia exigendo hanc præstationem ab Hebræis habitantibus intra suæ parochiæ fines ad dictam rationem, ad quam alii parochi exigunt, bononenorum 12. pro quolibet foculari, seu familia, id longe plus importaret; Hinc proinde recursum habuit ad Sacram Congregationem Visitationis Apostolicæ, petendo, quod, dicta concordia annullata, utpote læsiva, ac etiam invalida ob defectum beneplaciti Apostolici ex dispositione *extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienan.* licita sibi esset dicta exactio,
2 sed Congregatio hujusmodi prætensionem rejecit, mandando observari dictam concordiam, neque innovari solitum.

In hac autem disputatione, dicebam scribens pro Universitate, quod licet aliqui crediderint Hebræos teneri pro
3 domibus quas inhabitant, reficere parocho damna & interesse ob emolumenta, quæ alias perciperent a parochianis Christianis, easdem domos inhabitantibus; Attamen hæc opinio utpote nulli juridico fundamento innixa, rejecta est, atque contraria est verior, quam cæteris relatis probat Ricciul. *de jure personarum extra gremium existentium: lib.* 2. *cap.* 9. *per totum*, atque ad literam bene decidit textus *in cap. penult. de excessibus Prælatorum*, ubi in specie damnatur hæc prætensio per verba præcisa, *Necnon de habitaculis fratrum, sicut de judæorum domibus contendunt reddituus ex-*

torquere, asserend. quod nisi fratres morerentur, ibidem ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur, &c.

Et quamvis in contrarium adduceretur text. *in c. 4. §. finali de usuris*, ubi disponitur, Hebræos teneri ad certam refectionem parocho; Attamen textus loquitur
4 de decimis realibus, seu prædialibus, secus autem de decimis personalibus, quæ exiguntur ex sola ratione administrationis sacramentorum, aliorumque divinorum vel de aliis emolumentis parochialibus, quæ ex frequentiori Urbis, ac Italiæ usu subrogata sunt loco decimarum personalium, quæ ab anla quodammodo in hac regione recessisse videntur, cum enim istud sit emolumentum causativum tamquam merx, seu præmium laboris, cessante causa cessare debet; Et consequenter si ex consuetudine aliqua recognitio introducta est, sive ex ista, sive ex alia nobis ignota causa, ad ejus limitas illa servari debet, ideoque hæc prætensio nullum habebat probabile fundamentum; Potissime vero quia dicta concordia erat antiqua habens longissimi temporis uniformem ac pacificam observantiam, ex qua resultat præ-
5 sumptio cujuscumque solemnitatis, ex deductis per Gabr. *de præscript. conclus.* 1. Gerg. & Adden. *dec.* 61. *&* 354. Buratt. & Adden. *dec.* 45. & habetur in aliis supra, præsertim in Cumen. *disc.* 26. & in sua materia *sub tit. de alienat.* Et clarius, quia non agitur de alienatione bonorum, vel jurium, quæ pro certo competerent, unde propterea obstare posset Constitutio Urbani VIII. quæ hujusmodi præsumptionem sobstulit.

Idem parochus consimilem litem excitavit coram V. Gereote contra PP. Congregationis Lucensis; Cum
6 enim isti duas haberent domus, unam sub invocatione S. Mariæ in campitellu, Alteram vero sub invocatione S. Mariæ in porticu, atque juxta facti seriem enarratam *sub tit. de præeminentiis, disc. fin.* derelicta secunda domo in porticu, Religiosi in ea viventes se transtulissent ad primam in campitello; quam proinde notabiliter ampliare oportuit, incorporando plures domos adjacentes per sæculares inhabitatas, existentes infra hujus parochiæ fines; Hinc dictus parochus prætendebat sibi deberi recompensam, seu refectionem emolumentorum, quæ a prædictarum domorum incolis percipiebantur, quod tamen in sensu veritatis, dicebam nullam habere subsistentiam; Tum ob claram decisionem superius allegati text. *in cap. penult. de excess. Prælatorum*; Tum clarius, quod religiosi pro domibus quas inhabitant, seu pro prædiis quamvis alias decimabilibus, quæ acquirunt pro construenda Ecclesia, vel Conventu, sive pro hortis
7 deservientibus ad usum eorumdem propria manu, vel sumptu excultis, neque decimas prædiales debent, ut deberi per hebræos supra advertitur ad text. *in cap. ex parte* il primo *de decimis*, ubi Abb. & cæteri communiter, Rebuff. *de decim. quæst.* 14. Pæna *dec.* 172. & plures in sua materia *sub tit. de decimis*; Igitur multo minus in ordine ad hæc emolumenta subrogata loco decimarum personalium, quibus nullum causatur præjudicium, cum illa populus non cesset, sed alias suscipiat habitationes, dictaque emolumenta parocho præstet.

Et quamvis replicaretur, quod populus prædictus in alienis parochiis ita domicilium eligeret, non tamen videbatur responsio considerabilis, cum ita parochi at-
8 tendi debeant tamquam universitas, cui in genere nullum causatur præjudicium, & quoad singulos, quilibet ita se habet ad commodum & incommodum; quoniam quemadmodum casus præbuit, ut in ista parochia hujusmodi erectio, vel ampliatio sequuta sit, unde pars populi ad aliam parochiam accesserit, ita a converso in casu novæ erectionis, vel ampliationis domorum regularium in aliis parochiis, ista augmentum recepit; vel recipere in futurum potest.

Deducebantur pro magno fundamento firmata per Rotam in pluribus decisionibus, quæ in pluribus instantiis
9 editæ fuerunt in Cæsaraugust. fundat. Conventus, de qua habetur actum *sub tit. de Regul.* coram Bevilacqua, Cerro, & Meltio, quarum duæ sunt 289. & 309. *p.* 12. *rec.* super præjudicio, quod parocho resultare dicitur ex novorum Conventuum, seu domorum regularium fundationibus, unde propterea receptum est, ejus consensum requiri, seu
10 licite habere jus se opponendi, cum id extraneum a casu videbatur; Tum quia in præsenti non agebatur de nova constructione, sed de refectione, seu ampliatione juxta decisionem 131. Manticæ; Tum clarius, quia dictum præjudicium non consideratur in ordine ad domos materiales, alias per sæculares inhabitari solitas, quas ita Religiosi occuparent, dum ut supra, populus non evanescit, neque imminuitur, sed consideratur in ordine ad anniversaria, & electionem sepulturæ, ac administrationem sacramentorum, seu ob diminutionem concursus populi ad Ecclesiam parochialem; Eodem modo quo ex ista ratione, vel altera æmulationis statutum habetur fieri non posse novas erectiones, reluctantibus Religiosis, vel aliis Rectoribus Ecclesiarum intra tot cannas, juxta deducta in dicta sua materia *sub tit. de Regul.* Unde propterea si fieret erectio domus absque Ecclesia habente januam ad publicum, adeout non daretur aditus populi ad sacramenta, aliaque divina recipienda, seu ad eligendum sepulturam cum similibus, hæc erectio non venit sub dicta prohibitione ex deductis in Neapol. Seminarii *eod. tit. de Regular.* & in decisione Rotæ desuper edita cor. Dunozetto inter suas *dec.* 982.

Accedente etiam totius Catholici Orbis praxi ac observantia, quod scilicet nunquam auditum est, Religiosos ob novas constructiones, vel ampliationes, ad hujusmodi recompensam, seu refectionem teneri, ideoque merito, atque cum justitiæ fundamento hujusmodi prætensio rejecta fuit; Potissime vero dum ista ampliatio non fuerat voluntaria, sed potius quodammodo coacta, & de mandato Papæ cum suppressione alterius domus, juxta seriem, de *dicto disc. finali, sub tit. de Præeminentiis*.

ANNOT. AD DISC. XXIX.

De consensu Parochi, & aliorum in fundatione Conventuum habetur in sua Sede, *sub tit. de Regul. disc.* 29. *&* 30.

MAJORICEN. SOLEMNITATUM, ET FUNERUM, PRO MAGISTRO CAPPELLÆ ECCLESIÆ CATHEDRALIS, CUM PAROCHO S. EULALIÆ.

Responsum pro veritate super casu postea disputato in Rota.

An in Ecclesia parochiali, invito parocho, tam in funeribus, seu exequiis, & anniversariis, quam etiam in solemnitatibus, adhiberi possint Cantores, & Organistæ, atque alii cleri seculares, vel regulares convocari, pro libito piarum Congregationum, seu privatorum solemnitates, vel funera suo sumptu magis pompose celebrare volentium; Et incidenter de Statutis, seu provisionibus sæcularium circa moderationes pompæ, & expensarum in exequiis, ac funeribus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quales sint preeminentie parochiales in funeribus.*
3 *Quid de funeribus in Ecclesiis Regularium, in quibus interveniat Capitulum Cathedrales remissive.*
4 *Est in libito partium vocare clericos saculares & regulares, aliaque facere concernentia pompam funeris, ubi Parocho in ejus juribus parochialibus non prajudicetur.*
5 *An valeant statuta sacularia super reformatione pompa funebris, & quando.*
6 *Quid de aliis solemnitatibus, qua in Ecclesia parochiali celebrantur, an parochus possit eas impedire.*
7 *Magister cappella non habet titulum, neque officium jure proprio, ut invitus conducatur.*

DISC. XXX.

Cum in Ecclesia parochiali S. Eulaliæ, pluribusque aliis ejus filialibus, vel adjutricibus, seu alias dependentibus, plures erectæ essent piæ Congregationes sæculares ad pietatis opera exercenda (ut ubique cernimus) per quas pleræque anni solemnitates pompose celebrari solent, ac etiam in solemnitatibus suis, seu pomposis funeribus musici convocarentur, hinc orta est dissensio inter magistrum cappellæ & musicos Ecclesiæ Cathedralis per dictas Congregationes, vel privatos ad hujusmodi functiones evocari non posse ipso invito, nisi suum magistrum cappellæ ac musicos, quibus in parochiæ solemnitatibus ipse utitur; Quare desuper pro veritate consultus, ex parte magistri cappellæ Cathedralis, seu Capituli illi assistentis; 1

Re-

Respondi, distinguendo funera & anniversaria ab aliis solemnitatibus; Quatenus pertinet ad primam speciem, sine dubio improbabilem parumque fundatam videri parochi prætensionem, jus enim parochiale,
2 quod sibi privative ad omnes in funeribus, seu exequiis competit, versatur circa præeminentiam occupandi primum locum cum stola, seu pluviali, necnon faciendi officium super cadavere, juxta ea quæ habentur pluries in præcedentibus deducta, præsertim in Romana jurium parochialium *disc.* 23. & in decisione in ea causa edita, quæ habetur *impress. p.* 11. *rec. dec.* 348. ac etiam apud Merlin. *dec.* 480. & in aliis, & habetur et-
3 iam in Calaritana funerum *sub tit. de Præemin. disc.* 21. ubi de puncto, an ista præeminentia parochialis competat in funeribus, quæ celebrantur in Ecclesiis Regularium, seu alias exemptis.

Secluso autem isto jure parochiali, quod active ac passive est necessarium, ut supra in Neapolitana *disc.* 28. & in aliis; Quatenus pertinet ad eorumdem funerum, pro locorum consuetudine, majorem pompam, ac solemnitatem ab Ecclesiæ Catholicæ ritibus non aberrantem, neque a Rituali reprobatam, nullum jus habere dicitur parochus, ac cui sufficit dictam præe-
4 minentiam sibi non tolli, neque minui solita emolumenta parochialia, quorum augmentum quandoque licite petere, ac obtinere potest, ratione majoris laboris, vel incommodi ex hujusmodi pompa, vel solemnitate resultantis, puta ob tempus nocturnum, sive ob longum iter &c. ex deductis *disc.* 28. In reliquis autem in libito partium positum est, quoties velint facere ea quæ a Rituali improbata non sunt, convocare clericos sæculares, ac regulares pro sibi placito numero, necnon adhibere majorem, vel minorem numerum facularum, seu cereorum, & candelarum, ac minus, vel magis pomposas culcitras, cum similibus, absque eo quo parochus opponere se valeat, quoniam ubi desuper in jure provisum non reperitur, pro partium libertate judicandum est, ut in his terminis advertit Riccius *dec.* 124. *p.* 3. atque ita fuisse pluries decisum per S. Congr. Rituum testatur Barbos. *de parocho, c.* 26. *n.* 57. *cum seq. & in collect. ad Conc. Trid. sess.* 25. *de refor. c.* 13. *n.* 10. *cum seq.* talisque est communis recepta praxis Urbis, & Orbis.

Solumque obiter insinuabam, difficultatem in hac materia cadere, non circa jus parochiale, sed circa jurisdictio-
5 nem ac potestatem sæcularem, an scilicet possit desuper dicta sæcularis potestas se ingerere, faciendo Statuta, vel alias ordinationes, seu reformationes super hujusmodi pompis & solemnitatibus funerum juxta *singul.* 358. *Romani*, de quo agunt Marta *de jurisdict.* Sebast. Medices *de sepult.* & alii relati per Bellet. *disquis. clerical. tit. de exemp. cleric. a Statuto* §. 3. *n.* 17. & 18. & habetur apud Rot. in Romana pecun. 22. Junii 1657. coram Cerro *dec.* 264. *n.* 6. *p.* 12. *rec.* edita in causa, de qua *sub tit. de Dote, disc.* 22. ubi etiam hoc obiter insinuatur; Atque recepta distinctio est, quod; Aut agitur de spiritualibus concernentibus suffragium animæ defuncti, vel conservationem devotionis ac pietatis populi, puta circa celebrationes missarum, & convocationem majoris, vel minori numeri clericorum, tam sæcularium quam regularium, cum similibus, puta circa distributionem eleemosynarum pauperibus &c. & tunc sæcularis potestas desuper se ingerere non valeat; Aut circa ea, quæ superfluam, ac mere temporalem pompam respiciunt, ut sunt culcitræ pomposæ, vestes lugubres, castrum doloris, & similia, & secus; Cadente solum quæstione in facibus, seu cereis præsertim extra Ecclesiam, an dicantur de una, vel altera specie.

Quo vero ad alias solemnitates, distinguebam, quod, Aut
6 agitur de illis quæ per parochum, seu rectorem Ecclesiæ celebrandæ sunt, adinstar earum quæ in Cathedralibus, vel Collegiatis dicuntur Pontificales, seu majores per Episcopum, vel Prælatum, aut primam Dignitatem celebrandæ, ut e.g. sunt, solemnitates Nativitatis & Resurrectionis Domini, ac Pentecostes & Corporis Christi, aut Sancti Titularis cum similibus; Et tunc dicantur de jure parochiali; neque laicales, vel laicorum congregationes in hoc se ingerere possunt, vel debent invito parocho, nisi legitime præscripta consuetudo, vel privilegium, aut legitime inita concordia cum ipso parocho aliud statuat; Aut vero de aliis solemnitatibus ad ipsius congregationis, vel populi, seu privatorum meram devotionem, ac pietatem; Et tunc, quoties agitur de ipsa Ecclesia parochiali, vel ejus filiali seu adjutrice, loco parochialis habenda, jus parochi consistere videtur circa celebrationem ipsius missæ, vel alterius functionis, ut ab eo, non autem ab extraneo fieri debeat, juxta ea quæ habentur in Parmen. *disc. seq.* Reliqua vero tendentia ad majorem cultum ac servitium ipsius Ecclesiæ, quoties, ut dictum est, a Romanæ Ecclesiæ probatis ritibus non aberrant, reponi debent in libito partium, ex eisdem rationibus, de quibus supra; Neque in hoc magister cappellæ ipsius parochiæ aliquod non habeat in officium, seu dignitatem sub nomine Primicerii, vel Cantoris, in jure explicatam, sed dicatur nudus minister conductitius, ut in specie organistæ; Rot. apud Seraph. *dec.* 639. *n.* 6. & 7. & *dec.* 645. *n.* 2. & 3. & in eadem causa apud Carill. *dec.* 96. & consequenter suæ partes erunt servire parocho eum conducenti, non autem ut invitus ab aliis conduci debeat; Quia vero Episcopus desuper aliqua dedit decreta, quibus neutra partium contendentium acquievit, hinc commissa fuit per appellationem causa in Rota cor. Emerix, ubi imminet disputatio, ideoque resolutio adnotabitur in calce post *ult. disc.*

ANNOT. AD DISC. XXX. & XXXI.

Conferunt ad præsentes discursus deducta *in hoc eod. tit. disc.* 43. occasione agendi de puncto, an Parochus, vel Capitulum prohibere valeat Regularibus ne funera peragant, neque in eis interveniant.

Et proposita causa, de qua *disc.* 30. cor. Emerix juxta ibi deduct. pro libertate evocandi placitos Cantores decisum fuit sub die 1. Decembris 1670.

PARMEN. ORATORII, PRO CONGREGATIONE B. MARIÆ DE SCALA CUM PAROCHO SANCTI MICHAELIS DE ARCU.

Responsum in causa extra Curiam super casu, qui etiam incidenter disputatus fuit in S. Congregatione Episcoporum.

An & quando parochus impedire possit, ne alii sacerdotes celebrent missas solemnes, aliasque Ecclesiasticas functiones explicent in Ecclesiis, vel Oratoriis intra ejus parochiæ fines existentibus.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Quod Sacr. Congregatio non se ingerat in causis judicialiter introductis.*
3 *Etiam in judicio possessorio, vel alio incidenti ad facilitandum expedit deducere bonum jus, si hoc assistit.*
4 *In Oratoriis privatis parochus impedit functiones parochiales.*
5 *Secus autem in functionibus, quæ fiant in Ecclesia publica quoties non præjudicetur juribus mere parochialibus.*
6 *Ecclesiæ constructæ intra fines parochiæ non sunt illi subjectæ.*
7 *Etiam circa officium in funere, quod fiat in alia Ecclesia quam parochiali.*
8 *Quæ dicantur jura proprie, ac præcise parochialia.*

DISC. XXXI.

Erecta cum Ordinarii auctoritate, usque ab anno 1
1555. intra limites parochiæ S. Michaelis de Arcu Civitatis Parmen. conspicua congregatione, cum Ecclesia, vulgo *Oratorio* nuncupata, cujus caput, seu Primicerius esse solet unus ex Canonicis, vel Dignitatibus Cathedralis, qui consuevit in aliquibus diebus festivis solemnitatem celebrare; præsertim vero in anniversaria solemnitate B. Mariæ de Scala, sub cujus titulo ac protectione dicta erectio sequuta fuit, invitando etiam honorificentiæ gratia parochum, eique aliquam benevolam recognitionem præbendo; Cum hodiernus parochus dictam adeo diuturnam observantiam impugnando, prætenderet, quod ipso invito, seu ipso volente celebrare, non posset dictus Primicerius in ejusmodi solemnitatibus se ingerere; Hinc ex parte congregationis coram Ordinario introductum fuit judicium possessorium super manutentione in hoc statu, quo pene instructo, parochus recursum habuit ad Sacram Congregationem Episcoporum, juxta stylum rescribentem Episcopo pro informatione, qua sequuta super statu litis judicialiter introductæ ac pendentis, Sac. Congregatio rescripsit eidem Ordinario, quod prout juris fuerit, procederet in causa, in qua post dictam remissionem, ego scribens etiam in S. Congr. pro dicta remissione ad favorem Congr. responsum quoque dedi ad opportunitatem causæ more Advocati.

Quamvis autem in informatione data in S. Congr,
2 punctus principalis consisteret in eo quod ex dispositione Const. 74. Sixti V. ac juxta stylum istius, & aliarum Congregationum, in causis jam judicialiter cœptis, ac pendentibus, non soleant apponi manus; Atque in dicta alia informatione coram Ordinario, stante suspensione petitorii, principalis insistentia esset in possessorio, plures desuper deducendo conclusiones satis vulgares, & quotidianas, super quibus tamen quamvis præsupponendis, adhibendo apud me nimium odibilem, & contemptibilem stylum, ad ornatum, seu ad vulgi satisfactionem, aliquam decisionum,
3 ac auctoritatum copiam deducebam, attamen in utraque agebam etiam de bono jure, ut laudabilis Curiæ stylus est, quoties illud assistit, ad facilitandum incidens, de quo agitur.

Dicebam igitur, etiam cum sensu veritatis (qualem quoque habebat ipsa S. Congregatio) quod ob plures ejusdem declarationes, omnino improbabilis, malæque
4 fundata erat dicti parochi prætensio, quoniam non agebatur de privato oratorio, minusque de juribus mere parochialibus, in quibus terminis cum utroque præsupposito in specie consimilis controversiæ loquitur decisio Rotæ 294. apud Mantic. qua fretus parochus, forte hujusmodi prætensionem excitavit, sed agebatur
5 de Ecclesia publice habente januam ad viam; Atque non agebatur de juribus, seu functionibus mere parochialibus, sed de solemnitatibus ad devotionem, & Ecclesiæ majorem cultum, ac incitamentum ad opera pietatis, in quibus actibus, utpote ex voluntate, seu devotione, atque jus parochiale non concernentibus, vel usurpantibus, quoties a rituali Ecclesiastico non aberratur (de quo tamen non ad parochum, sed ad Ordinarium inspicere pertinet) non potest ipse impedire, vel se ingerere invitis partibus, juxta deducta in Majoricen. *disc. præced.*

Ecclesiæ siquidem intra alicujus parochiæ limites fundatæ, non dicuntur ipsius parochiæ subditæ, neque ab ea aliquam habent dependentiam, nisi ex lege
6 fundationis, aut legitima consuetudine, seu alias id specialiter probet, cum id soli Cathedrali competat, ad text. *in cap. finali de off. Archid.* & bene firmat Rota in Aversana funeralium 23. Junii 1634. cor. Coccino *impress. dec. 552. p. 5. rec. n. 11. & seq.* quæ decisio est in materia magistralis, etiam in terminis fortioribus, ut eligente defuncto sepulturam in aliqua ex hujusmodi Ecclesiis, quamvis intra parochiæ limites exi-
7 stentibus, non ad parochum, sed ad ipsius Ecclesiæ Rectorem, vel alium, qui hujusmodi functiones peragere solet, officium supra funus in ipsa Ecclesia pertineat, salvo jure parochi, tam in associatione cadaveris, quam etiam in quarta, aliisque emolumentis parochialibus, quod etiam dictum fuit in Romana funeralium *supr. disc.* 23. Et conferunt quæ de partium facultate convocandi alios clericos & cantores, aliaque faciendi, juribus parochialibus non præjudicantia, etiam in functionibus, quæ fiant in ipsismet Ecclesiis parochialibus, vel earum filialibus habentur *disc. proxime præc.* quoniam, ut dictum est, salvis juribus parochialibus, hujusmodi Ecclesiæ nullam subjectionem, vel dependentiam habent a parochia; Adeo ut S. Congregatio declaraverit, etiam in oratoriis ruralibus non posse parochum prohibere celebrationem missæ, antequam celebretur in ipsa parochiali, ut refert Barbos. *de Parocho*, c. 15. n. 23.

Atque circa facultatem celebrandi solemnitates juribus parochialibus non præjudicantes, nedum in Ecclesiis, sed etiam in oratoriis legitime erectis, itaut aliud non obstet, dicebam omne dubium cessare ex communi & inconcussa notoria observantia Urbis, totiusque Orbis Christiani.

Ut enim advertitur *in d. dec. 552. n. 3 cum seq.* jus parochiale consistit in jure decimandi, ac percipiendi oblationes, necnon in obligatione parochianorum re-
8 cipiendi sacramentum Eucharistiæ in die Paschatis, aliaque sacramenta moribundis conferri solita, illud scilicet Eucharistiæ, quod sumitur pro viatico, ac aliud extremæ Unctionis, necnon in jure funerandi, ac sepulturæ, quoties defunctus in alia Ecclesia sepulturam non eligat vel sepulturam majorum non habeat; quo casu quarta, seu portio canonica sibi debetur; Licet enim inter jura parochialia numeretur obligatio parochianorum audiendi missam diebus festivis in parochia, de consuetudine tamen id non servatur, ut *ead. dec. 552. n. 3. p. 5. rec.*

ROMANA IMAGINIS, AC FINIUM PAROCHIALIUM, PRO ECCLESIA S. MARIÆ MONTIUM; CUM BASILICA LATERANENSI.

Casus disputatus coram Vicario.

De Sacris Imaginibus, quæ in privatis, ac prophanis locis existentes, vel repertæ, aliquam devotionem, ac populi concursum habeant, eisque oblationes fiant, An pertineant ad parochum, tam circa facultatem asportandi Imaginem ad parochiam, quam circa jus percipiendi oblationes, & aliqua de finibus parochialibus, eorumque probatione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De materia probationis finium, seu limitum parochialium.*
3 *Quando & ad cujus favorem archivium præbeat fidem scripturæ.*
4 *Oblationes, quæ fiant imagini repertæ intra fines parochiæ, pertinent ad parochum.*
5 *Declaratur.*
6 *Episcopus non potest transferre imaginem ad alium locum.*
7 *De custodia imaginis per sæculares, & quale jus in hoc habeat Rector Ecclesiæ remissive.*

D I S C. XXXII.

Cum ad Imaginem B. Mariæ, ex privata devotione de 1
recenti depictam supra portam, seu cancellum cujusdam horti, ex quibusdam accidentibus, magnus populi concursus haberetur, pluresque fierent oblationes; Hinc orta est controversia inter Basilicam Vaticanam, cui annexa est quædam parochia, & Ecclesiam parochialem S. Mariæ de Montibus, intra cujus parochiæ fines dicta Imago existere dicebatur; Introductaque causa coram Vicario, duo erant puncti, unus facti super finibus utriusque parochiæ, ad effectum videndi intra quos esset dictus murus, seu cancellus, in quo Imago depicta erat, & alter juris, posita scilicet situatione intra unam, vel alteram parochiam, quale esset jus parochi.

Quatenus pertinet ad primum punctum; Dicebam scribens pro Ecclesia B. Mariæ de Montibus, istam finium quæstionem esse nudi facti, ideoque decidendam ex ejus
qualitate ac particularibus circumstantiis, præsertim ex 2
majori observantia circa frequentiorem administrationem sacramentorum, ac exercitium jurium parochialium, ut inhærendo prius firmatis *in Barchinonen. confinium 19. Januarii* 1607. cor. Sacrato firmatur *in Caven. limitum parochialium dec. 433. & 446. par. 5. rec.* cum quibus tamquam in hac materia magistralibus passim proceditur, ut ego in pluribus similibus controversiis disputatis sum expertus, præsertim in alia *Caven.* inter Ecclesiam parochialem Sanctissimæ Annuntiatæ, & alteram S. Petri ad præsepe; Cum enim illa quamvis populata Civitas non habeat aliarum Civitatum formam, seu figuram, sed ejus incolæ per universum territorium sparsim vivant in tot pagis, seu villis in magno numero, unicum Civitatis corpus constituentibus, quod etiam in aliis illius regionis locis cernitur, ut insinuatur *in Acernen. sub tit. de Jurisd. disc.* 24. Hinc proinde frequenter hujusmodi finium quæstiones oriri solent, occasione novarum domuum, quæ ita in locis apertis, circa unius, ac alterius parochiæ fines construuntur.

Istis autem actibus attentis, pro ista Ecclesia B. Mariæ potius respondendum videbatur, dum docebatur ejus parochum, frequentius, ac pene semper, exceptis quibusdam clandestinis, vel casualibus recentibus actibus, sacramenta ministrasse, aliaque jura parochialia exercuisse cum hujus horti, ac adjacentium locorum incolis; Et quamvis ex parte Basilicę Vaticanę parochiam annexam habentis constitueretur fundamentum in quadam notula in ejus archivio existente, ita illius parochiæ fines describente, quod iste locus contineretur; Attamen ultra motivum, quod ar-
chivium proprium suffragari non potest ex deductis, *dec. 59.* 3
n. 18. p. 11. rec. cum aliis ibi relatis; quodque esset archivium privatum, ex plene collectis per Add. ad Buratt. *dec. 667. n. 14. & 15.* Dicebam, dictam notulam nullam mereri fidem, cum ex sui facie detegeretur informis, ac simplex

car-

castula, cui archivium fidem, seu robur non præstat, Caputaq. *dec.* 41. *n.* 3. *p.* 1. Cavaler. *dec.* 193. *n.* 3. Royas *dec.* 513. *n.* 12. cum aliis per Add. ad Busatr. *d. dec.* 667. *n.* 18. ubi etiam *n.* 29. *ac in d. dec.* 59. *in fin. p.* 51. habetur, quod constare debet, da quo rempore scriptura in archivio raposita sit, cum de recenti apponi potuerit.

Fortius vero ax duplici contrario admiuiculo: Uno scilicet contrariæ observantiæ, quæ in hac materia nimium attendi debet, ac pene totum facit, ut in dictis decisionibus 433. & 446. *p.* 5. *rec.* Et altero resultante ex Bulla *Paschalis II.* registrata etiam in Bullario, in qua fines hujus parochiæ Lateranensis describuntur, restricti intra certos terminos ultra Coliseum, qui continere dicitur terminum certum, notorium, ac invariabilem, ex quibus videbatur bonum jus huic parti assistere; quamvis in hujusmodi quæstionibus puri facti ac probationum, quarum præsertim adminiculativarum relevantia in judicis arbitrio reposita est, certa regula generalis, certumque ac determinatum judicium dari non potest.

Quovero ad alterum punctum magis juris quam facti; Dicebam, posita situatione, fundatam esse intentionem parochi in jure percipiendi oblationes, quæ
4 hujusmodi imaginibus fiant, juxta communem traditionem *Canonistarum in rub. de parochiis*; ac aliorum, de quibus Marescot. *l. 1. var. c.* 42. *n.* 2. Genuen. *in praxi Archiep.* 72. *n.* 1. *tum seq.* Ventrig. *var. rec. Eccles. adnot.* 26. *§. unico n.* 2. Rota apud Merlin. *dec.* 357. *repetit. dec.* 37. *p.* 4. *rec.*

Quod tamen neque certam ac determinatam regulam
5 generalem habet, quoniam, ut patet ex allegatis, quoties oblationes sunt magnæ, magnusque est populi concursus, præclusum non est Ordinarii arbitrium, ita bene regulatum, ut in eodem loco Ecclesia ad Imaginis honorem ædificetur, ut de istamet Ecclesia B. Mariæ de Montibus sequutum fuit, & de alio casu *in Rossanen. sub tit. de Jurepatr.* ac praxis docet in tot insignibus Ecclesiis, quas in Orbe Catholico habemus, ita initium habentibus.

Non posse autem Episcopum, vel Ordinarium trans-
6 ferre hujusmodi Imagines ad aliam Ecclesiam, vel cappellam contradicente parocho, decisum fuit per Rot. *in Hispalen. translationis* 9. *Martii* 1598. coram Pamphilio, quam referunt Marescott. *l.* 2. *var. c.* 42. *n.* 10. & Ventrigl. *in praxi rerum Eccles. adnot.* 16. *§. unic. n.* 26. *& cæteri*.
7 De custodia vero alicujus devotæ imaginis in Ecclesia competente sæcularibus, & quale jus sit parochi, vel rectoris Ecclesiæ, habetur actum *sub tit. de Præeminentiis, disc. fin.* ubi videri potest.

ANNOT. AD DISC. XXXII.

De oblationibus, *vide sub tit. de Decimis disc.* 19. *& disc.* 12. *de Jurepatr.*

NOVARIEN. DIVISIONIS PAROCHIALIUM, PRO ECCLESIA S. MARIÆ. CUM ECCLESIA S. GREGORII VALLIS UGGIÆ.

Casus varie decisus per Rotam.

Existentibus in eodem territorio duabus Ecclesiis proprios habentibus Rectores distinctos in titulum collativum, quorum quilibet curam animarum promiscue exerceat; An dicantur duæ Ecclesiæ parochiales, vel potius una per duas efformata, vel una matrix, altera vero filialis seu adjutrix, & quatenus cura dividi debeat, quomodo divisio facienda sit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *Qualis sit controversia punctus.*
4 *Inter duas parochias coæquali jure coram administrantes facienda est æqualis divisio.*
5 *Arbitrium Episcopi in hoc debet esse regulatum a jure.*
6 *Ecclesia adjutrix nullum habet jus parochiale, quod totum est penes Ecclesiam matricem adjutam.*
7 *Quod constaret, antiquam Ecclesiam esse unicam parochialem, & de non danda plura capita in uno corpore, vel duos rectores unius Ecclesiæ,*

8 *Non implicat tamen, personam individuam rectoris repræsentari per plures personas materiales, & de exemplis.*
9 *In quo differant scholastici a forensibus.*
10 *Quomodo dari possit, ut vicarius, seu minister parochi sit ab eo independens, & dantur exempla.*
11 *Et an vicarius, vel nudus adjutor prætendere possit loca congruæ æqualem participationem exercitii curæ, ac emolumentorum.*

D I S C. XXXIII.

In Valla Uggiæ (ubi ac in montibus adjacentibus, 1
adinstar eorum, quæ insinuantur, *disc. præced.* incolæ
vivunt in domibus ruralibus, vel pagis per universum territorium sparsi) antiquitus una aderat Ecclesia parochialis sub invocatione S. Georgii; Cumque populus ita crevisset, quod d. Ecclesia eum capere non posset, neque unus rector illi sacramenta, aliaque divina ministrare, hine circa annum 1413. Ordinarius ad ejusdem populi supplicationem, concessit facultatem construendi aliam Ecclesiam sub invocatione S. Mariæ, ubi per alterum sacerdotem ibi præficiendum, promiscue, ac absque aliqua territorii, vel familiarum distinctione, sacramenta, aliaque divina administrari possent; atque ita continuatum fuit, istius etiam Ecclesiæ presbytero, seu rectore in titulum collativum providari solito usque ad annum 1646. quando Ordinarius in visitatione, inhærendo decreto *Sacri Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. c.* 13. *§. In his vero*, istam curam divisit, assignando antiquæ Ecclesiæ S. Georgii, cum notabili inæqualitate, 183. familias, quæ ditiores ac majores supponebantur, alteri vero S. Mariæ familias 109. pauperiores ac minores. Quare per istum rectorem ac aliquos parochianos ei adhærentes, interposita appellatione ad Metropolitanum, sequuta fuit aliqua reductio
dictæ divisionis ad majorem æqualitatem, cum aliqua
majori prærogativa Ecclesiæ antiquæ, illi scilicet assi- 2
gnando familias 156. moderniori autem 136. Istaque
sententia in gradu appellationis confirmata fuit per A. C. Introducta vero causa in Rota coram Verospio *sub die* 4. *Aprilis* 1661. pro dictarum sententiarum confirmatione responsum fuit, sed reproposita causa coram eodem, *sub die* 6 *Februarii* 1662. recedendo a decisis, resolutum fuit, Ecclesiam Sancti Georgii esse unicam parochialem, ejusque Rectori competere jus administrandi sacramenta in universo territorio, aliam vero Ecclesiam esse filialem, seu adjutricem, ejusque presbyterum esse vicarium a dicto rectore dependentem, cui debita esset congrua, istaque resolutione confirmata *sub die* 5. *Junii sequentis*, emanavit sententia, confirmata in altera instantia coram Emerix, prævia decisione 16. *Martii* 1665. & commissa denuo causa appellationis in eadem Rota coram Albergato, *sub die* 5. *Julii* 1666. responsum fuit pro dictarum sententiarum infirmatione. Reproposita vero causa 4 *Martii* 1667. recedendo a decisis, pro confirmatione responsum fuit, idemque affirmatum *sub die* 13. *Junii* 1668. ac expedita in hac tertia sententia, commissaque per Signaturam denuo causa appellationis in eadem Rota coram Calataju, cum clausula, *consilita de tribus*, *sub die* 10. *Maji* 1669. affirmativa prodiit resolutio, me tamen in his ultimis disputationibus, (parte forsan defatigata) non scribente.

Causæ punctus erat in eo, an ista nova Ecclesia S.
Mariæ dicenda esset vere parochialis habens coæqua-
le jus cum altera S. Georgii absque dependentia, ad-
eout essent in hujusmodi territorio & cura sociæ, to-
tum insolidum pro communi possidentes juxta casus in- 3
sinuatos supra *in Tranen. disc.* 27. cum similibus. Vel
a converso esset Ecclesia adjutrix, ac dependens, tam-
quam ejus membrum, adeout ejus presbyter, vicarius
potius, quam rector independens dicendus esset.

Primo enim casu, huic parti assistebat regula plene
firmata in prima decisione 4. *Aprilis* 1661. super æ-
quali divisione facienda inter socios pro communi rem 4
æqualiter possidentes ad text. *in c.* 1. *de parochis sum
concord.* generaliter in materia inæqualis divisionis ad
æqualitatem reducandæ ex deductis apud Celsum,
dec. 286. *dec.* 700. *p.* 5. *rec.* & frequenter; Licet
enim per dictum decretum Conciliare *sess.* 24. *c.*
13. hujusmodi divisio remittatur arbitrio Ordinarii;
Attamen istud debet esse arbitrium boni viri, regu-
latum a jure, a quo tamquam irrationabili juridice 5
datur appellatio, ac successive reductio concedenda per

Superiorem, ut in dicta prima decisione, quæ retento dicti facti præsupposito non impugnatur in aliis sequentibus.

E converso autem, posito quod ista moderna Ecclesia non esset parochialis independens cum jure coæquali, sed filialis impropria, idest adjutrix, seu pars, ac membrum parochiæ pro commodiori curæ exercitio, ac sacramentorum administratione ad præscriptum
6 ejusdem S. C. T. *sess.* 21. *de refor. c.* 4. tunc certum est, curam, ac jus parochiale in solidum esse penes Ecclesiam matricem, quæ unica dicitur parochialis; Et consequenter non intrant termini divisionis, qui dantur inter duos dominos coæquali jure pro communi possidentes, non autem inter dominum & famulum, cujus jure, adjutricis Ecclesiæ vicarius censetur, contentus congrua tamquam laboris mercede, vel salario, cujus vice non incongrue aliquam emolumentorum parochialium partem cum hujusmodi familiarum distributione assignari; Unde propterea quoad juris theoricas, seu propositiones in abstracto, nulla, vel modica videbatur adesse discrepantia, quæ potius pro meo sensu erat facti, seu applicationis, an scilicet versaremur in casu unius, vel alterius præsuppositi.

Super hoc autem magna fuit quæstio, quoniam licet haberetur initium utriusque Ecclesiæ, atque in facto non dubitaretur, antiquiorem S. Georgii fuisse unicam; Alteram vero erectam fuisse ob illius incapacitatem, ac unius sacerdotis insufficientiam, & sic non eramus in casu, de quo in dicta *Tranen.* ac aliis ibidem insinuatis, ubi
7 duarum Ecclesiarum promiscua cura erat antiquissima, hinc proinde fundata videbatur intentio Ecclesiæ antiquæ in universo territorio, dum de istius aliqua dismembratione, vel separatione non constabat, & consequenter unica dicenda est parochia, atque unicus ejus rector, ne alias detur monstrum plurium capitum in uno corpore, seu pluralitas virorum unius sponsæ, quod in jure implicat, ex plene deductis in causæ decisionibus; Atque in proposito Ecclesiarum Cathedralium, seu quæstionum, quæ habentur inter Ordinarios, ac Prælatos inferiores habetur plures *sub tit. de Jurisd.* ac sub altero ibidem annexo *de Præemin.*

Ego & cæteri pro hac parte scribentes, non negabamus hujus assumpti veritatem. Dicebamus tamen unum de duobus, vel scilicet non implicare quod jus parochiale sit individuum, residens in una persona for-
8 mali, seu intellectuali efformata, seu repræsentata per plures personas materiales, penes quas insolidum sit exercitium juxta traditionem Inn. *in c. cum non ignoris, sub n.* 1. *de præbendis, ubi Hostiens. n.* 7. Butr. *n* 4. Zabarella *n.* 1. Anan. *n.* 2. & alii apud Lotter. *l.* 1. *q.* 10. *n.* 115. *& seq. & n.* 142. *cum seq.* Greg. *dec.* 479. ac in prima decisione huic parti favorabili cor. Alberg. 5. *Julii* 1666. Atque in hac decisione ponderatur simile, quod deducebam de feudo dignitatis individuo, cujus possessio, ac fructio esse possit apud plures agnatos coæquali jure possidentes tamquam plures personas materiales repræsentantes unam formalem individuam, *sub tit. de feud. disc.* 8. At etiam quæ *sub d. tit. de Præem. in Cæsaraugustana, & Sypontina*, & in aliis habentur de unica Cathedrali repræsentabili per plures Ecclesias materiales, quamvis inter se distinctas.

Vel quod, sicuti excrescente populo, poterat Ordinarius, prævia dismembratione partis territorii ac populi (præsertim ante Concilium Tridentinum) novam parochialem ab antiqua independentem erigere, antiquæ tantum remanente quadam honorifica præeminentia matricitatis supra novam, quæ filialis in jure dicitur. Ita non videbatur quid prohiberet facere hanc novam erectionem, cum implicita dismembratione medietatis territorii, ac populi, absque eo quod deveniretur ad actualem divisionem, ita occultando quandam novam societatem inter hujusmodi Ecclesias, quamvis coæquales ac æque parochiales, atque super hoc nimium acuendo ingenium, plura hinc inde deducebantur quæ in decisionibus insinuata sunt, præsertim in ultimis cor. Albergato, & Calataju, quaedam tamen metaphysicæ speciem continentia.

Mihi vero reflectenti ad veritatem, videbatur quod superflui essent hujusmodi labores, quodque ista causa academico potius quam forensi more tractata esset, quoniam ut plurima alibi advertitur, in hoc scholastici, seu
9 academici differunt a forensibus, quod illi pro ingenii acumine, ac exercitio idealiter tractant quæstiones in abstracto, isti vero stricte immorantur in concreto ad præcisum effectum quæstionis, effugiendo superflua, seu extranea, quamvis apud modernos iste laudabilis stylus adhuc nimium corruptus videatur.

Effectus igitur quæstionis erat inæqualitas familiarum, ex qua resultabat altera inæqualitas emolumentorum, quæ præbebat causam edicto; Licet enim Ecclesiarum presbyteri, seu rectores, ad captandam parochianorum assistentiam pro litis sumptibus sustinendis, principaliter contendere in verbis ostenderent de præeminentia, seu dependentia, vel independentia, attamen quoad eos in effectu videbatur principaliter agi de æqualitate, vel inæqualitate emolumentorum.

Hoc autem posito, nil referre videbatur assumere tam alias quæstiones, quoniam, posito etiam quod (ut probabiliter advertitur in posterioribus decisionibus) nedum ex defectu potestatis, sed etiam ex illo voluntatis, ut formalis erectio novæ parochiæ independentis ex hac parte prætensa sequuta non esset, itaut revera unica parochia esset dicta antiqua, seu matrix, moderna vero per quamdam impropriotatem potius quam proprie dicta filialis, esset adjutrix, ejusque pars, vel membrum, & consequenter quod sacerdos in ista præpositus, non rector, sed vicarius, seu adjutor rectoris dicendus esset, adhuc tamen non implicat utrum- 10
que effectum, tam independentiæ de facto, quam æqualitatis in exercitio curæ, ac participatione emolumentorum resultare.

Quatenus enim pertinet ad independentiam de facto, compatibilem cum dependentia de jure, tam in Urbe quam alibi praxis id docet; Ut pura Vicarius Urbis est unicus, unicum constituens Tribunal in exercitio jurisdictionis ordinariæ Papæ, non tamquam Papæ, sed tamquam Episcopi Urbis; Ob amplitudinem vero administrationis, habet V. Gerentem, ac Locumtenentes, absque dubio ejus adjutores ac dependentes, nullum coæquale jus habituale habentes in Episcopali, seu ordinaria jurisdictione habituali, sed adjutores in solo exercitio, & tamen deputantur a Papa, non autem ab ipso Vicario, atque ita de facto sunt independentes, quamvis de jure sint dependentes; Idemque de Auditore Cameræ ejusque Locumtenentibus, cum similibus, & in Regno Neapolitano de Substitutis, seu Locumtenentibus N. Camerarii, vel M. Justitiarii &c. Et generaliter antiquitus habebatur de Archidiacono, & Archipresbytero, qui erant Vicarii nati Episcopi, unus in temporalibus, & alter in spiritualibus, adjutores in exercitio jurisdictionis Episcopalis, quæ penes solum Episcopum habitualiter existebat, cum dependentia ab eo de jure, non autem de facto, quia providebantur in titulum &c.

Et quoad æqualitatem in exercitio, ac omnibus emolumentis, quemadmodum si super congrua inter rectorem, & Vicarium fiat concordia diu servata super ali- 11
quorum bonorum, vel jurium assignatione, illa servanda est, quamvis tractu temporis, unius, vel alterius partis læsiva, seu præjudicialis efficiatur, quoties læsio ad iniquitatem non reducatur, ut habetur supra *in Perusina congruæ, disc.* 19. Ita cum ex diuturna observantia duorum sæculorum, & ultra æqualis fuerit in vicario participatio emolumentorum cum æquali exercitio, non bene dici videtur, ut omnia emolumenta debeant esse rectoris, obligati solum ad congruam, pro arbitrio Episcopi, seu Rotæ, nunc ex integro taxandam, quoniam super dicta congrua, ita cum assignatione medietatis, seu æqualis participationis exercitii, ac emolumentorum concordatum jam fuit; ideoque fallacia consistere videbatur in applicatione, seu consequentia, magis quam in conclusionibus juris.

Est quidem iste famulatus, sed necessarius, ut scil. quis cogatur habere illum famulum, vel ministrum, seu adjutorem, quem superior illi quamvis invito assignet, ideoque illud salarium, quod ita per concordiam a tam diuturna observantia inductum, seu præsumptum est, non debet minui; Quemadmodum si populus diminutus esset, non posset iste Vicarius prætendere congruæ supplementum, juxta deduct. *in d. Perusina, disc.* 19 In plerisque siquidem diœcesibus Vicario Generali non datur salarium, cujus loco succedit medietas, vel tertia, seu alia quota emolumentorum cancellariæ, atque datur casus Vicarii necessarii, quem S. Congregatio mandat Episcopo, ut deputet cum consuetis emolumentis, ideoque ista sunt recte compatibilia.

AN-

ANNOT. AD DISC. XXXIII.

DE materia præsentis discursus videri poterunt deducta *in hoc tit. disc.* 40. occasione agendi de puncto, quando una Parochia sit subdita, & dependens alterius, ejusque filialis, ut propterea obedientiam, & subjectionem agnoscere teneatur.

Decisiones enunciatæ habentur *impress. dec.* 313. *&* 397. *p.* 13. *dec.* 284. *p.* 14. *& dec.* 39. *&* 281. *p.* 15. *rec.*

NOVARIEN. ERECTIONIS PAROCHIALIS,

PRO CAPITULO CATHEDRALIS, ET CURATIS BACCENI,

CUM ALIQUIBUS PAROCHIANIS.

Casus disputatus in Sacr. Congreg. Concilii, & credo, resolutus pro Capitulo.

An & quando procedi debeat, vel possit ad erectionem novæ parochiæ; cum dismembratione territorii, & populi ab antiqua.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De materia novæ erectionis parochialis cum dismembratione antiquæ, & an detur in hoc regula.*
3 *Facilius defertur Episcopo deneganti quam concedenti dismembrationem, ac novam erectionem, in qua circumspecte proceditur.*
4 *De ratione denegationis novæ erectionis.*
5 *Quod expediat Ecclesiis habere numerum clericorum ad opportunitatem servitii.*
6 *De alio casu, in quo prætendebatur denegata dismembratio cum nova erectione.*

D I S C. XXXIV.

1 ECclesia parochialis Bacceni, quæ, vel ratione annexionis, seu jurispatronatus, aut alio titulo est subjecta capitulo Cathedralis, ob finium amplitudinem ac populi numerum, plures habet capellanos & clericos, adeout faciat figuram conspicuæ Collegiatæ juxta illas Ecclesias, de quibus occasione reservationis primæ dignitatis habetur pluries mentio *sub tit. de Beneficiis*; Cum autem quædam contrata, seu pars populi, ex motivo distantiæ, ac asperitatis itineris, præsertim hyberno tempore, petiisset ab Ordinario Ecclesiam S. Michaelis ibi constructam pro commoditate administrationis sacramentorum aliorumque divinorum, prævia dismembratione partis territorii & populi, erigi in parochialem, Ordinarius autem denegasset, hinc recursum habuit ad S. Congregationem Concilii, quæ prævia ejusdem Ordinarii informatione, ac partibus auditis, de anno 1661. hujusmodi petitionem quoque rejecit.

In hac autem disputatione, plura elaborata edita fuerunt responsa per scribentes in Curia, plenius vero per illos de partibus ad favorem petentium dictam dismembrationem, conficiendo speciem commentariorum super Constitutione *Alexandri III.* registrata *in c. ad audientiam, de Eccles. ædifican.* innovata *per Sac. C. Trid. sess.* 21. *de refor. c.* 4. ac deducendo quantum per antiquos, ac modernos adnotatum sit in hac materia novæ erectionis parochiæ cum dismembratione antiquæ, cum stylus exterus sit deducere totum id quod scitur, ac reperitur in materia.

Scribens autem pro dicta Ecclesia Bacceni & capitulo illi adhærente, brevis dicebam, adeo magnum laborem inanem videri, cum ista materia certam ac determinatam regulam non recipiat, utpote reposita in arbitrio Episcopi, adversus quod, licet ubi est irrationabile, detur appellatio vel recursus, ut in præcedentibus pluries habetur præsertim occasione prælectionis in concursu; Attamen rarum, ac difficile est, ut illud de injustitia positiva convinci valeat, quoties, ut in præsenti, interponitur pro dismembrationis denegatione, frequenter autem reprobari solet in casu converso, in quo tamquam in specie formalis alienationis rigorose proceditur super interventu causæ & solemnitatis, juxta ea quæ habentur *in Bonon. disc. proxime sequ.* Atque super hoc laborant scribentes super dicta Constitutione *Alexandri III.* ad effectum scilicet substinendi hujusmodi dismembrationes, ac respective novas erectiones, quando Episcopo videatur eas concedere, secus autem in casu opposito, cum forte nulli, vel nimium rari sint casus, in quibus (Episcopo deneganre) Rom. Cur. in gradu appellationis, vel recursus id præcipiat, quoniam moderno tempore, ut præsertim docet praxis plurium erectionum Cathedralium cum dismembratione ab antiquis habetur *in Burgen. sub tit. de Præem. disc.* 6. & alibi, satis mature, ac circumspecte proceditur, quod utinam sequutum fuisset retroactis temporibus, quoniam *ita* non videremus tot exiguas, ac pene contemptibiles Cathedrales, ob quas dignitas Episcopalis adeo vilescit.

Clarius vero in hac facti specie, in qua cessabat illa 3
præcisa, vel saltem nimium moralis necessitas, quæ ad hunc effectum desiderata videtur ex deductis, *disc. seq.* quoniam de tempore impedimenti in ista Ecclesia, quam prætendebatur erigi in parochialem, tamquam adjutrice administrabantur sacramenta, aliaque divina per Vicarium, seu presbyterum ad id deputatum juxta sensum S. Conc. Trid. loco ubi sup. Ac etiam quia per Episcopum virum probatissimum, atque zelo ecclesiastico plenum, satis congruæ assignabantur rationes in informatione data S. Congregationi super hujusmodi denegatione, illam præsertim, quod cum in hac regione populus vivat sparsus per universum territorium in domibus rusticanis, seu parvis villis, ac pagis, eo modo quo insinuatur in alia *Novarien. disc. præced.* eadem ratio distantiæ, ac asperitatis itineris hyberno tempore ex regionis qualitate viget
in aliis contratis, quinimo in aliquibus fortius, unde 4
propterea plures consimiles novas erectiones, ac respective dismembrationes concedere oporteret, atque ita dissolvere dictum considerabile corpus, quod ob populi & clericorum numerum, ista Ecclesia constituit, cum majori animarum profectu, ac divini cultus decore, non solum quia missæ conventuales, aliaque divina statutis temporibus solemniter celebrantur more Cathedralium, vel Collegiatarum, quod in singulis parochiis sequi non potest; Sed fortius, quia in hujusmodi ruralibus parochiis facilius quam in iis quæ sunt in Civitatibus, vel locis inhabitatis sub oculis Superiorum plura resultare inconvenientia comprobat praxis, tam circa desertionem studiorum, ac successive illiteraturam exinde resultantem in parochis, quam etiam circa vitam & mores; E converso autem in hujusmodi Ecclesiis speciem collegii constituentibus, ultra meliorem cultum divi-
norum ac cæremoniarum peritiam, & frequentem revi- 5
sionem Superioris, habere solent singulis hebdomadis, vel aliis statutis temporibus conferentiæ, seu congregationes casuum conscientiæ, quæ per omnes Episcopos in Cathedralibus, vel Collegiatis demandari deberent, quod exercitium etiam apud ignavos, ac studiorum inimicos deservit pro aliquali studio conservante idoneitatem pro exercitio curæ, ac administratione sacramentorum; Et conferunt quæ a simili per Apostolicas constitutiones disponuntur circa parvos Conventus Regularium, quodque non nisi in competenti numero duodenario erigantur.

Et ulterius vehemens accedebat fumus, quod hæc pe- 9
titio proveniret magis a quadam hujus contratæ, seu partis populi æmulatione, vel ambitione non patiendi subjectionem erga dictam Ecclesiam matricem Bacceni, dum mediantibus Ecclesiis adjutricibus per istud territorium erectis, ita consulebatur de tempore impedimenti.

Item in hoc proposito; Cum Monasterio Olivetanorum sub invocatione Sanctorum Bartholomei, & Pontiani Civitatis Lucanę, annexa esset parochia, cujus fines se extendunt extra Civitatem, consimilem prætensionem excitarunt incolę cujusdam vici nuncupati *de Arancio* extra Civitatem, sub eo prætextu, quod de nocte, quando portæ Civitatis claudantur, remaneant sine administratione sacramentorum infirmi juxta currentes necessitates facienda. Cumque desuper doctum, satisque elaboratum responsum pro Monasterio edidisset quidam J. C. Lucanus, desuper consultus pro veritate de meo sensu, ac de subscriptione, libenter, dicto sensu veritatis retento, subscripsi, ex eisdem rationibus, de quibus supra, dum prælato inconvenienti recte consuli potest cum deputatione Vicarii, seu presbyteri in aliqua Ecclesia existente extra portas pro administratione sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ; cum illud extremæ Unctionis sit quidem congruum & salutare, non autem præcise necessarium, juxta ea, quæ in consimili casu habentur supra *in Melphiten. disc.* 18.

A D.

ANNOT. AD DISC. XXXIV. & seq.

De hac eadem materia erectionis novæ Parochiæ, cum dismembratione antiquæ, habetur actum *hoc eodem tit. in disc.* 42.

Decisiones emanatæ in casu, de quo *disc.* 35. *sunt impress. p.* 13. *rec. dec.* 29. *&* 165. *& dec.* 226. *p.* 15.

BONONIEN. DISMEMBRATIONIS PRO SEMINARIO BONONIÆ,

CUM RECTORE ECCLESIÆ PAROCHIALIS SANCTI JACOBI BAGNAROLÆ.

Casus decisus per Rotam pro Rectore.

De eadem materia dismembrationis factę ab Ecclesia parochiali, quid requiratur, ad effectum, ut substineatur ac valeat, & quid ubi non esset dismembratio status antiqui, sed solum dissolutio antiquę unionis duarum Ecclesiarum, quarum quælibet ad primævum statum reducatur.

S U M M A R I U M.

1 Facti series.
2 Resolutio causæ.
3 De motivo congruentiæ, ob quod resolutiones videntur rigorosæ.
4 Non possunt uniri seminario Ecclesiæ Parochiales.
5 Unio æquè pluraliter duarum Ecclesiarum non altera earum primum statum, ideoque utraque est parochialis, licet in una tantum cura exerceatur.
6 Dismembratio est species alienationis, & quid ad ejus validitatem requirat.
7 Quando sit dismembratio, & quando dissolutio unionis, quodque attendi debeat substantia veritatis, non formula verborum.
8 An & quando Ordinarius possit dissolvere unionem duarum Ecclesiarum.
9 Data potestate, quæ solemnitates requirantur.
10 De potestate Coadjutoris Episcopi, in quibus possit se ingerere.
11 De præsumptione solemnitatum ex longa, vel longissima observantia.
12 Unio præscribitur pro 40. annis.
13 De motivo dubitandi ob quod resolutione de stricto jure subsistant.
14 Quod quandoque debeat interponi arbitrium pro moderatione rigoris juris.

D I S C. XXXV.

1 Vacantibus de anno 1376. Ecclesiis Parochialibus S. Jacobi, & Sancti Blasii loci Bagnarolæ, Ordinarius ob earum tenuitatem ad invicem æque principaliter univit, sed quamvis unio esset æque principaliter, attamen ad majorem commoditatem, ac meliorem cultum longæva observantia dedit, quod in sola Ecclesia Sancti Jacobi fons baptismalis, aliaque sacramentalia retineri, ac administrari consueverunt, adeout altera Sancti Blasii figuram fecerit simplicis Ecclesiæ sine cura, quinimo in pluribus provisionibus dictæ alterius Ecclesiæ Sancti Jacobi, tamquam talis enunciari consuevit; Cum autem dicta Ecclesia Parochialis Sancti Jacobi ex piis dispositionibus, aliisque contingentiis ditata, beneque provisa esset; E converso autem cum aliqua admiratione Seminarium ejusdem Civitatis, quæ mater studiorum dicitur, esset satis male provisum; Hinc proinde de anno 1594. sequuta vacatione, Coadjutor Cardinalis Paleotti tunc Archiepiscopi, dissolvendo dictam unionem, providit ad præscriptum Sac. Conc. Tridentini Ecclesiam Sancti Jacobi, alteram vero Sancti Blasii univit Seminario, dictaque unione pacificum effectum sortiente usque ad annum 1653. de hoc tempore Rector dictæ Ecclesiæ Sancti
2 Jacobi, judicium instituit contra Seminarium super reintegratione ad possessionem alterius dictæ Ecclesiæ; Et introducta causa in Rota coram Verospio, sub die 22. *Martii* 1658. ad favorem actoris, pro reintegratione prodiit resolutio, quæ habetur impressa inter *rec. p.* 12. *dec.* 320. in repropositione coram eodem confirmata, unde expedita sententia, & commissa causa appellationis coram Bevilacqua, pro confirmatione dictæ sententiæ sub die 20. Februarii 1666. responsum fuit, atque expedita secunda sententia, commissaque denuo causa coram Taja, pro confirmatione pariter responsum fuit sub die 16. Aprilis 1668. unde stantibus tribus conformibus forte exequutis, credo quod causa finem habuerit.

Ego scripsi solum in hac ultima instantia, quando causa ob tot resolutiones semimortua dici poterat, atque reflectendo ad veritatem, cum cujus sensibus præsertim discurrere occasio dedit in congressu, qui pro causæ directione habitus fuit, Dicebam hujusmodi resolutiones, attenta quadam epicheja, seu non inscripta æquitate, non de facili mereri commendationem, cum 3
in facto supponeretur dictam aliam Ecclesiam Sancti Jacobi esse bene provisam, adeout hujusmodi reintegratio deservire deberet pro ea majori ditatione, quæ forte ipsismet Ecclesiis ita ditatis, earumque Rectoribus magis præjudicialis esse solet, ob onus pensionum, quod ita adjicitur, alias non adjiciendum, adeout quandoque experientia doceat, præsertim in Episcopatibus, meliorem esse conditionem pauperum, ac exiguarum Ecclesiarum, quam divitum, ac magni nominis; Et e converso ita magnum parabatur præjudicium Seminario, quod præjudicium publicum magis quam privatum dicendum est, stante præsertim adeo diuturna observantia annorum 60.

De stricto autem jure, ejusque principiis, ac propositionibus rigorose attentis, non possunt de injustitia redargui, sed potius bene fundatæ dici possunt, cum nimio tamen rigore; Ideoque credebam, non quidem judicis, sed Pontificis partes de congruo in ista causa interponi debuisse ad favorem Seminarii, cum ea potestate, quam Papa in beneficialibus habet absolutam, *ut disc.* 148. *de Regalib.*

De stricto siquidem jure, juste dictum fuit, (inhærendo tot præcedentibus ejusdem Rotæ decisionibus,) hujusmodi dismembrationem, ac respective unionem invalidam esse, adeout defectus in utroque actu dignosceretur; Super unione scilicet facta Seminario, quoniam licet ex decreto *Sac. Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 18. Ordinario concedatur facultas faciendi beneficiorum uniones ad favorem Seminarii, attamen id intelligitur de beneficiis simplicibus, non autem de curatis, sub dicto Conciliari decreto non cadentibus, Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *num.* 63. *&* 64. *cum seqq.* Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 20. *n.* 162. cum aliis in causæ decisionibus. 4

Et quamvis ex hac parte replicaretur istam Ecclesiam constitutam esse ut supra cum longæva observantia in statu simplicis non autem curatæ, non tamen videbatur tuta responsio, quoniam cum constaret explicite unionem fuisse æque principaliter, per quam status Ecclesiarum in nihilo alteratur, præterquam in administratione penes unum existente, reliquis omnibus in suo primævo statu remanentibus, ac perseverantibus, ex iis, quæ in hac materia unionis æque principaliter habentur *in Ampurien. & Civitaten. sub tit. de præeminent. disc.* 7. Hinc proinde si de facto, ob residentiam Episcopi, seu Rectoris in una Ecclesia, in qua curam administret, seu Pontificalia exerceat, altera de facto his functionibus destituta, suam primævam figuram non faciat, cum id percutiat solum exercitium, non autem substantiam, idcirco naturam immutat, *ut d. disc.* 7. *de præemin.* 5

Aderat etiam defectus in ipsa dismembratione, quoniam recepta conclusio est, dismembrationem unius Ecclesiæ ab altera sapere speciem veræ alienationis, ideoque requiri copulativum concursum solemnitatis, ac justæ causæ, juxta doctrinam Abb. *in c. ad audientiam il primo, n.* 2. *de Eccles. ædific.* Achill. *dec. unic. de reb. Eccles. non alienan.* Greg. & Adden. *dec.* 504. & frequenter in aliis, de quibus late apud Otthob. *dec.* 6. & latius, *dec.* 224. *part.* 10. *recent.* cum aliis in hujus causæ decisionibus; atque inter cætera requiruntur consensus rectoris, & parochianorum, ac alia, quæ in præsenti non justificabantur, & super quibus non statur assertioni Episcopi dismembrantis, sed aliunde constare debet, ex regula, quod in prohibitis non statur assertioni, ne quod directe est prohibitum, indirecte sequatur, *ut in allegatis decisionibus.* 6

Non negabamus ego & cęteri veritatem dictę conclusionis, quodque procedendo per viam dismembrationis, actus non esset substentabilis; Insistebamus vero in eo, quod cum ista unio ut supra facta esset non subjective, itaut Ecclesia unita effecta sit membrum, seu prædium alterius, cui

facta

facta est unio; sed æque principaliter, eamquam per speciem cujusdam societatis, hine proinde extranei remanebant termini dismembrationis cadentes in prima specie unionis, non autem in ista, & consequenter quod dictæ auctoritates, ac similes non facerent ad calum.

Et quamvis præsertim in decisione coram Bevilacqua 20. *Februarii* 1660. insisteretur in eo, quod decretum Ordinarii uteretur verbis denotantibus dismem-
7 brationem, attamen non videbatur bona responsio; Tum ob elausulam *omni modo meliori*; Tum elarius ob receptum principium in omni materia ante oculos principaliter habendum, ideoque satis frequenter *sub tit. de Fideicommissis*, & sub altero *de Contractibus*, & alibi enunciatur, ne non formula verborum, sed substantia veritatis attendi debeat.

Prout in sensu etiam veritatis, dicebam non relevare, quod aliqui dicant, ut etiam in dissolutione unionis requiratur beneplacitum Apostolicum, quoniam ultra illius præsumptionem resultantem a longissima observantia, Advertebam istam quæstionem percutere casum, in quo unio facta esset per Papam, quasi quod distractus fieri debeat cum eadem auctoritate, cum qua initus fuit contractus, & tamen etiam istu casu Petrus de Perusin *in tractat. de revocatione unionis*, *cap.* 4.
8 distinguit, an unio facta sit per Papam de potestate ordinaria, vel de suprema, & cum istius plenitudine, ut istu secundo casu non possit, secus autem in primo. Quidquid autem sit de hoc puncto, (quem examinare non oportuit, dum unin facta erat cum sola potestate Ordinarii) planum remanebat, quod cessante causa depauperationis, ob quam unio facta erat, eadem manus, quæ ligaverat, solvere poterat, atque Ecclesias ad primævum statum reducere, ad text. *in cap. fin. de Parochis cum concord.* per Rebuff. *de unionem revoc. num.* 1. *& seq. & num.* 15. Garz. *p.* 12. c. 2. *num.* 302. *cum seqq.* Gaccialup. *de unione*, *art.* 9. *cum seqq.* & communiter.

Est bene verum, quod etiam hic actus exigit aliquas solemnitates, nempe consensum capituli, ac illum parochianorum, vel saltem eorum citationem, ex deductis per Barbos. *de Episcopo*, *alleg.* 67. *n.* 16. *&*
9 17. Rota *dec.* 239. *num.* 5. *par.* 5. *recent.* & in aliis: Prout etiam dubitari poterat de potestate Coadjutoris, qui, excepto casu, quod datus esset ob imbecillitatem mentis Coadjuti, non habentis hanc potestatem, præsertim in beneficialibus, ex deductis per Paris. *de resignat. lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 2. *& sequent.* Barbos. *de Episcopo*, *alleg.* 118. *in fine*, *& de jure Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *de coadjutoris*, *n.* 23. *cum seqq.* Verum facilis
1 erat responsio, quod omnes isti defectus sanati remanebant a longissima pacifica observantia annorum 60. circiter; Si enim, etiam in terminis veræ alienationis requirentis per necesse beneplacitum Apostolicum ad limites *Extravag. Ambit. de reb. Eccles. non alien.* receptum est sufficere observantiam tricennalem, etiam hodie non obstante Constitutione *Urbani VIII.* dum ista non procedit inter Ecclesias, & ecclesiasticos, ut alibi pluries firmatur: Multo magis intrat præsumptio in hujusmodi minoribus solemnitatibus, in quibus non adest adeo positiva resistentia inducta per decretum irritans contentum in dicta *Extravag. Ambit.* adeout non improbabiliter etiam decennalis sufficere videatur. Potissime vero quia non agebatur de actu elandestino, in quo dubitari posset de scientia capituli, & Episcopi, cum actus gestus esset ad favorem corporis publici existentis sub administratione Episcopi, & capituli respective, atque ad publicam utilitatem, ideoque incontrovertibilis videbatur, tam scientia, quam ratificatio, quæ æquipollet mandato, seu consensui, ideoque observabam quod conclusiones, quibus decisiones innituntur, sunt in suis casibus veræ, sed incongrue applicari videbantur ad casum.

Fortius vero, quia si habemus, quod unio, quæ in jure reputatur odibilis, præscribitur, seu firmatur per observantiam quadragenariam, ex deductis per Greg. & Adden. *dec.* 51. Burrat. *dec.* 734. *num.* 7. *&* 8. bene *dec.* 413. *num.* 5. *cum sequent. par.* 9. *recent.* ubi quod ita præsumitur etiam beneplacitum Apostolicum, multo magis per observantiam 60. annorum firmatus remanere debebat actus, qui in jure reputatur potius favorabilis, quam odiosus, & per quem res redirent ad suum primævum statum, suamque causam.

Difficultas autem, quæ me torquebat, non consistebat in dictarum decisionum fundamentis utpote pro meo sensu generalibus, ac percutientibus potius materiam veræ dismembrationis, quam dissolutionis hujus commu- 13
nionis, sed in eo quod posita etiam veritate omnium, quæ ex hac parte dicebantur super validitate dictæ dissolutionis unionis æque principalis, ac sociativæ, adhuc tamen actus remanebat infectus, cum evidenti læsione ac præjudicio Ecclesiæ actricis, quoniam ubi societas dissolvitur, tunc omnia redeunt ad suum primævum statum, & quilibet ex sociis reassumit ejus bona & jura cum suis oneribus, prout antea; Et consequenter ista Ecclesia S. Blasii debuisset reassumere onus curæ animarum, ac administrationis sacramentorum, quod reassumptum non fuit, sed remansit, atque continuavit in altera Ecclesia; ideoque iste actus ita remanebat leoninus, dissolvendo scilicet unionem pro solo commodo bonorum ac fructuum; non autem pro incommodo ac oneribus; Vel (& magis proprie,) quod ita eadem unio continuaret circa substantiam consistentem in jure parochiali, & cura animarum, actus vero etiam spectata substantia veritatis, denotaret, seu importaret dismembrationen potius bonorum, ac redditu um ad istam Ecclesiam pertinentium, quam veram dissolutionem unionis ipsarum Ecclesiarum, atque ex hoc motivo credebam, quod de stricto rigore actus remaneret invalidus, a lapsu temporis non sanatus, stante observantia contraria in substantialibus; Adhuc tamen videbatur quod esset nimius rigor, ut dici solet, leguleicus, pro cujus moderatione, seu temperantia credebam recte in magnis Tribunalibus intrare posse, ac debere arbitrium; Siquidem quoad Deum & Ecclesiam in universum, nulla sequi dicitur alienatio, vel dismembratio, sed solum ita fieri commutatio de uno ecclesiastico, ac pio usu in alteram, ex satis justa & rationabili causa concernente publicam utilitatem ejusdem Ecclesiæ in universum, præponendam utilitati privatæ concernenti, vel superfluam hujus *rectoris* ditationem, in clericis potius damnabilem, quam commendabilem, sive aditum ad magis eamdem Ecclesiam gravandam ut supra, ideoque resolutiones de stricto jure, potius probabiles quam improbabiles dicendæ sunt ex dicto motivo congruentiæ, ac æquitatis, non omnino placuernt.

NOVARIEN. FUNCTIONUM PAROCHIALIUM

PRO PAROCHO OIRÆ,

CUM PAROCHO CREBOLÆ.

Casus disputatur cor. A. C. & in possessorio resolutus pro Parocho Oiræ.

Erecta Ecclesia filiali, mediante dismembratione populi, & territorii ab antiqua Ecclesia parochiali, quænam functiones pertineant ad Matricem privative ad filialem.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *In possessoria non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis etiam in processionibus, & similibus.*
3 *Ubi possessio est temporis considerabilis, excluditur titulus facultatis.*
4 *Quod in claris propositionibus non debeat fieri cumulus allegationum.*
5 *An jus decimandi spectet ad matricem, vel filialem remissive.*
6 *Facta dismembratione, ac nova erectione, finguntur duæ Ecclesiæ distinctæ.*
7 *Si filialis erigitur in Collegiatam, præcedit matricem.*
8 *Exceptio firmat regulam generalem in aliis.*
9 *Processiones, & solemnitates in eodem loco non debent fieri eodem die, & quomodo practicandum sit.*
10 *Si loca sunt diversa, in quolibet facienda est processio &c.*

22 *Neque oportet referre omnes qualitates.*
23 *Relatio debet fieri in eo actu collegiative.*
24 *In hoc Episcopus, vel Vicarius Generalis non habet votum decisivum.*
25 *De adhæsione competente Episcopo, vel Vicario, ubi vota sunt paria, & quomodo intelligenda sit.*
26 *Prælectio inter approbatos pertinet ad Episcopum, seu Vicarium.*
27 *Non tenetur sequi majorem partem votorum, sed sufficit eligere unum ex approbatis.*
28 *Attendi debet in uno ex approbatis diffamatio criminis pro exclusione.*
29 *Actus prælectionis fieri potest diverso tempore, & loco.*
30 *Fieri potest per diversas personas, quia Vicarius Generalis præsideat in concursu, & Episcopus præligat.*
31 *Dictum arbitrium prælegendi debet esse regulatum a ratione.*
32 *Alias appellatur ab irrationabili judicio.*
33 *Sed hæc appellatio non retardat.*
44 *De concernentibus appellationem, & irrationabilitatem remissive.*
35 *Et ad quem de hoc pertinet inspicere.*
36 *Non requiritur concursus, si cura est annexa dignitati, vel canonicatui.*
37 *Vel si Capitulo, seu Monasterio.*
38 *Neque in vicariis.*
39 *Etiamsi fuisset solitum ita provideri.*
40 *Declaratur quando in vicariis intret concursus.*
41 *Quando dicatur agi de vicaria, & quando non.*
42 *Quando Ecclesia dicatur unita, vel censita, seu de jurepatronatus, & de probatione unionis.*
43 *Quod in dubio Episcopus debeat indicere concursum.*
44 *In parochiali de jurepatronatus laicali non requiritur concursus.*
45 *Quando etiam hæc forma intret.*
46 *Bene intrat in illa de jurepatronatus ecclesiastico.*
47 *Quid in mixto.*
48 *De aliis casibus, in quibus dicta forma non servetur remissive.*
49 *De ratione ob quam in provisionibus Papæ non requiritur concursus.*
50 *In beneficiis curatis facienda est mentio curæ in omnibus provisionibus.*
51 *Etiam in casibus, in quibus non est servanda forma concursus, adhuc examen super idoneitate faciendum est per examinatores synodales.*
52 *Quid de parochialibus exemptis sub jurisdictione Prælati inferioris, ut debeat adhiberi concursus, vel fieri approbatio ab Episcopo.*
53 *De ratione ob quam exemptio non suffragetur.*
54 *Licet examen sit faciendum coram Episcopo, attamen institutio, vel collatio pertinet ad Prælatum inferiorem.*
55 *Secus si in territorio separato, & nullius.*
56 *Declaratur quando id procedat.*
57 *Quales debeant deputari in examinatores.*
58 *Examinatoribus nullum præmium dari debet.*
59 *Qui dicantur digniores, & quæ qualitates attendantur.*
60 *De potestate Capituli Sede vacante in hac materia concursus, & quod fieri debeat coram Vicario Capitulari, non coram Capitulo.*

D I S C. XXXVII.

CUm quidam Curialis (Aulicus tamen potius quam forensis,) charus amicus, provisus esset de Episcopatu, in quo magna copia est Ecclesiarum parochialium,
1 ipsique innotescerent plures lites, quæ in Curia agitatæ fuerant, ac agitabantur fere in omnibus parochialium vacationibus, seu provisionibus de tempore prædecessoris (qui Theologus erat) ob male servatam formam concursus, unde sequebantur impetrationes Apostolicæ, nuncupatæ, *juxta Constitutionem Pii V.* Hinc proinde ad istud inconveniens evitandum a me desuper petiit instructionem, quam dedi, ut sequitur.

Inter cetera, quæ sacro œcumenico Tridentino Conci-
2 lio *a* pro fidei Catholicæ conservatione, ac animarum salute magis cordi fuerunt, merito fuit ista provisionis parochialium, ut ita ovibus boni præberentur pastores, ideoque restringendo facultatem de jure communi alias Episcopis, vel ordinariis collatoribus competentem, novam præscripsit formam concursus, juxta quam Ecclesiæ parochiales provideri deberent, sub decreto annullativo quatenus alias fieret, dictæque Conciliaris dispositionis formam, vel declarando, vel in aliquo augendo, magis servari debere statuit Constitutio *Pii V. b* cui pro- 3
inde apud Beneficialistas refertur illa impetratio, quæ a Sede Apostolica fieri solet, parochialium tamquam vacantium ob nullitatem provisionis resultantem a dictæ formæ inobservantia. Adeoque nullus remanet actus, quo constito de dictæ formæ inobservantia, neque suffragetur in possessorio. *c*

Forma igitur est, quod contingente Ecclesiæ parochialis vacatione, nulla mensium, vel temporum facta distinctione, sive in mense Apostolico, ac reser- 4
vato, sive in ordinario, sive quod alias realis, vel personalis affectio Apostolica adesset, *d* Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis, providere in primis debet Ecclesiam de Vicario cum honesta congrua, qui, donec 5
provisio sequatur, curam animarum exercere, sacramenta ministrare, aliasque parochiales functiones peragere debeat, ne interim oves absque pastore remaneant, & ne verificetur Prophetæ dictum, *filii petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. e*

Dictaque provisione sequuta, quando Episcopo opportunum videbitur, infra sex, vel respective quatuor menses, apponi debet, seu affigi publicum edi- 6
ctum in ipsa Ecclesia parochiali, aliisque locis consuetis, cum termino decem dierum ad comparendum statutis loco, & die coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, ac Examinatoribus synodalibus, ut concurrere volentes examini circa idoneitatem se exponant; *f* Iste autem terminus, quamvis a Conciliari decreto statutus sit decem dierum, attamen per Episcopum, vel Vicarium pluries prorogari potest, dum- 7
modo non excedat terminum viginti dierum, ad quem prorogatus est per Constitutionem *Pii V. g*

Non potest autem fieri alia prorogatio, quoties in terminis præfixis, vel respective prorogatis intra hoc spatium aliqui concurrere volentes comparuerint, quibus ita jus quæsitum videatur, in cujus præjudicium 8
ulterior prorogatio fieri non valet, secus autem si nemo comparuerit, tunc enim, cum tamquam per reversionem ad antiqui juris dispositionem, in libera Episcopi facultate repositum sit absque alio concursu Ecclesiam conferre sibi placitæ personæ, quam idoneam judicet; *h* Hinc proinde novam prorogationem faciendo, pinguius, ac urbanius agere dicitur in gratiam concurrentium, qui in hac nova exuberanti prorogatione comparentes, nullam conquerendi, 9
vel opponendi causam habere possunt, nec debent.

Comparentibus igitur statutis loco, & die concurren- 10
tibus, haberi debet eorum examen coram Episcopo, seu Vicario Generali, & examinatoribus in ultima synodo deputatis, qui sint non minus quam tres, *l* absque mixtura, seu interventu aliorum, qui non sint synodales, atque alias iste interventus etiam unius non 11
synodalis vitiat actum; *m* Quod tamen intelligendum venit de mixtura, sive interventu formali, quia nempe ille qui non est de examinatoribus synodalibus, det votum decisivum super approbatione, vel reprobatione, constituendo unum corpus collegiativum cum examinatoribus. Secus autem ubi interventus esset solum materialis pro assistentia Episcopi, adeout non se ingerat in functione dandi votum, seu alias constituen- 12
di illud corpus collegiativum, quod per solum Episcopum, vel eo absente, seu impedito, per Vicarium Generalem tamquam caput, seu Præsidentem, solosque examinatores synodales constituitur; Adinstar functionis examinis pro doctoratu in Collegio, vel Universitate, quod scilicet illi tantum qui sunt de Collegio examinant, seu argumentant ex officio, ac præbent votum approbativum, vel reprobativum absque aliqua mixtura non collegialium, qui tamen non prohibentur esse præsentes functioni; ac etiam juxta diversos Collegiorum, seu universitatum usus interrogare, vel argumentari. Quo enim magis examen est publicum, eo magis detegitur idoneitas examinati.

Et propterea licet decretum Conciliare, alternative demandet interventum Episcopi, vel eo absente, seu impedito, illius Vicarii Generalis, atque alternatorum natura sit, ut uno posito, alterum excludatur, attamen de communi praxi receptum est, ut præsidente Episcopo cum examinatoribus, interveniat etiam Vicarius Generalis, qui etiam interroget, absque tamen voto, 13
sed

fed tamquam affeffor, five affiftens Epifcopo; nam etiam cancellarius in plerifque Epifcopatibus affiftere folet, pariter abfque voto, cum vis confiftat in interventu formali in ipfo corpore collegiativo, a quo pendet approbatio, vel reprobatio.

14 Non folum autem examinatores debent effe deputati
in ultima fynodo legitime convocata, itaut non fynodales habeantur pro extraneis, ac potius vitient actum ut fupra; Sed etiam ad ejufdem Conciliaris decreti præfcriptum, præftare debent juramentum fuper iis, quæ ibi demandantur, adeout fi unus eorum tale juramentum non præftitiffet, habeatur pro extraneo, atque actus vitietur, eo modo fupra circa vere extranei interventum dictum eft; n Non tamen opus eft, ut dictum juramentum præftetur in fingulo actu, feu concurfu habendo, fed fufficit illud femel præ-
15 ftitum fuiffe in genere pro omnibus concurfibus habendis. o

Adeoque requiritur, ut examinatores fint fynodales, quod fi duæ Cathedrales fub uno Epifcopo effent æque principaliter unitæ, in fynodo autem etiam
16 pro utraque celebrato diftincta fieret examinatorum
deputatio, quod fcilicet alii pro una, & alii pro altera diœcefi deputarentur, non poffunt examinatores unius intervenire in concurfibus parochialium alterius diœcefis, quamvis unus & idem fit Epifcopus, qui præfideat. p

Ubi vero ob mortem, vel abfentiam, feu aliud impedimentum non adfint tot examinatores, qui concurfum perficere valeant, cum, ut dictum eft, non poffint effe minus, quam tres, tunc Epifcopus, de confilio tamen capituli, deputare, vel fubrogare poteft
17 alios ad illum actum tantum, feu etiam ad omnes,
ufque ad fynodum proxime celebrandam; q Dummodo tamen id fequatur intra annum a fynodo jam celebrata, fecus autem poft annum elapfum, cum ad ejufdem Concilii præfcriptum, teneatur Epifcopus fingulis anni fynodum convocare ac celebrare; r Unde propterea licet in quolibet Epifcopatu raræ fint fynodi folemnes, in quibus edantur Conftitutiones circa omnia concernentia regimen diœcefis cum notabili intervallo inter unam & alteram, frequenter tamen convocantur, & congregantur fynodi in forma magis privata pro aliquibus particularibus occurrentiis, confirmando proprias, vel prædecefforum jam editas fynodales Conftitutiones, præfertim vero ad iftum effectum renovandi examinatores, novofque in locum deficientium fubrogandi.

Congregatis igitur examinatoribus, cum Epifcopo, vel Vicario ut fupra, atque concurrentibus, ac fe exponentibus examini; Certa iftius forma præfcripta non habetur, fed varia eft locorum, feu Epifcopatuum confuetudo; Alicubi enim fervatur ftylus examinato-
18 rum Vicarii Urbis, quod omnes concurrentes eodem
tempore interrogantur, ut videatur quis melius refpondeat; Alicubi vero, & frequentius, examen eft fingulares, abfque eo quod unus videat, vel audiat interrogationes, ac refponfiones alterius concurrentis; Prout etiam varius eft examinandi modus circa interrogationes; nam alicubi omnes, quamvis feparatim interrogantur fuper eifdem quæfitis, alicubi vero fuper diverfis pro examinatorum ftylo, vel arbitrio, cum ex iis quæ expreffe ftatuta non funt, non videatur prohibitum, unum vel alterum modum adhibere; Frequentior autem ac laudabilior videtur ftylus interrogandi omnes fuper eifdem, ut ita comparative dignofcatur major, vel minor idoneitas.

Peracto examine, Examinatores, five in fcriptis, five oretenus (cum requifita non fit pernecesse fcri-
19 ptura, vel proceffus) f renunciare debent Epifcopo,
vel refpective Vicario Generali, qui in locum Epifcopi, vel impediti præfideat, quos reputent idoneos, & quos non. t Et quamvis fere ubique hujufmodi examinatorum opinatio fit, ut ad ipfos pertineat judicare, quifnam fit dignior, feu magis idoneus, attamen id folum fervatur in Urbe ex ftylo particulari: Generaliter autem erronea eft opinatio, quoniam eorum partes funt approbandi, vel reprobandi,
20 feu referendi quos reputent idoneos, & quos non; u
cum Epifcopi fint partes præeligendi inter plures approbatos.

Approbati autem dicuntur illi, qui habent majorem partem votorum favorabilium, quamvis minor per eos reprobaret, minufque idoneos renunciaret, quoniam tamquam in actu capitulari, feu collegiativo, major pars attrahit ad fe minorem, eamque fuffocat, itaut habeatur, ac fi actus ab omnibus geftus effet. x

Neque opus eft, quod examinatores referant omnes 21
qualitates concurrentium in decreto Conciliari fpecificatas, fed fufficit, quod dicant in genere, an reputent idoneum necne. y

Neque ut dictum eft, in hoc requiritur fcriptura, 22
vel rogitus cancellarii, fed fufficit, quod oretenus, Epifcopo, vel Vicario præfidenti referant, ita tamen, quod relatio fiat ab omnibus, non autem quod unus, vel duo nomine omnium id agant, cum ifte fit actus explicandus, ac perficiendus, tunc, & illico perfecto examine, vel fingulorum, vel omnium in forma collegiativa, & prius quam diffolvatur congreffus, 23
feu refolvatur illud politicum corpus, ita per Epifcopum, vel Vicarium, ac examinatores efformatum. z

Atque in hac functione approbandi, vel reprobandi Epifcopus, vel refpective Vicarius Generalis, nullum habet votum decifivum; a Unde fi (ex. g.) ex 24
quinque, vel tribus examinatoribus, tres, ac refpective duo reprobent, erit ille reprobatus, neque poterit Epifcopus, vel Vicarius adhærendo uni, vel refpective duobus approbantibus, facere votorum paritatem. b

Solumque Epifcopo, vel Vicario præfidenti, ac eodem decreto Conciliari conceditur adhæfio in cafu paritatis votorum, quod fcil. fi concurrens habeat duo vota approbantia, & duo reprobantia, unde propterea ob votorum paritatem, neutrum dici poteft legitime conclufum, ilJeque concurrens ita remaneat anceps, nec approbatus, nec reprobatus, tunc adhæfio 25
Epifcopi operabitur conclufionem actus, tamquam per fpeciem præponderantiæ additæ in æquilibrio, ideoque fi adhærebit approbantibus erit approbatus, & e contra fi reprobantibus, reprobatus; Licet enim longe poft hanc inftructionem datam, fuper intellectu decreti Conciliaris circa hujufmodi adhæfionem, in S. Congreg. Concilii, magna fuerit quæftio, magnaque votorum fciffura, attamen ita decifum fuit, atque videtur germanus, ac verus Concilii fenfus. c

His peractis, inter eos, qui in candidatorum albo jam fcripti funt, Epifcopus, feu eo abfente, vel impedito Vicarius Generalis (quatenus ejus faculta- 26
tes ad hoc etiam fe extendant) unum pro ejus arbitrio præeligere poteft, tamquam digniorem ab eo reputatum, atque fi collatio parochialis ad eum pertinet, ita ad provifionem procedere, fi vero ad Sedem Apoftolicam ob aliquam refervationem, vel affectionem, feu etiam ad alium collatorem, literas teftimoniales defuper dabit, ad quarum normam in perfona prælecta facienda eft provifio. d

Non tenetur autem in hujufmodi prælectione Epifcopus fequi majorem partem votorum, fed fufficit, quod prælectus fit de ordine approbatorum, etiam quantum præcife neceffarium eft ad conftituendam 27
majorem partem, feu etiam in paritate per adhæfionem ut fupra, quamvis alii concurrentes longe majorem partem fuffragiorum habeant, ac etiamfi aliqui adfint, qui cum plenis fuffragiis idonei relati fint, e quoniam in regulando arbitrio fuper prælectione, non attenditur fola major idoneitas literaturæ, vel alterius fupereminentis qualitatis, fed habenda eft ratio prudentiæ, ac vitæ & morum, aliarumque qualitatum, ex quibus præeligendus, magis charus, ac benevolus, feu magis proficuus populo effe credatur, vel fperetur, cum circa litteraturam, attendatur talis idoneitas quæ fufficiat. f

Ad illud autem præ cæteris advertendum eft, an aliquis ex concurrentibus fit de crimine diffamatus, quamvis non condemnatus; quinimo abfolutus, fi de facto adhuc diffamatio, feu criminis opinatio duret, 28
itaut ejus prælectio fcandalum in populo caufare valeat, cum ifta dicatur notabilis circumftantia, quæ illum reputari facere debet minus dignum, quamvis alias literatura, gradu, natalibus, vel ætate dignior effet; Et multo magis fi diffamatio effet circa ipfum minifterium curæ, vel circa ipfum actum concurfus; g Vel etiam concurrat talis circumftantia, quod licet non redoleat delictum, adhuc præbeat de facto aliquod fcandalum. h

Prælectionis actus explicandus pernecefse non eft in ip- 29
fo confefsu habito pro concurfu, ac examine, fed in diverfo loco, diverfoque tempore, etiam cum notabili intervallo expli-

explicari potest, cum sufficiat explicari intra tempus
præfinitum ad conferendum, adeout non sit factus lo-
cus devolutioni. *i*
Quinimo dari potest personarum diversitas; quod sc.
absente, vel impedito, aut nolente Episcopo, Vica-
rius Generalis in concursu præsideat cum examinato-
ribus, ipse autem Episcopus in diverso loco, diverso-
30 que tempore præeligat, ut præsertim in magnis &
conspicuis Episcopatibus frequentior praxis docet. *l*
Dictum vero præeligendi arbitrium non est liberum
ac effrænatum, sed potius tamquam boni viri, a ra-
tione regulandum est, præeligendo illum qui omnibus
31 qualitatibus, ac circumstantiis simul ponderatis repu-
tetur dignior, quo neglecto, in his beneficiis curatis,
minus dignus præeligi non potest; *m* Adeout alias de-
tur postposito jus appellandi ab irrationabili judicio
Episcopi. *n*
32 Hæc autem appellatio ex ejusdem decreti Concilia-
ris præscripto, non operatur effectum suspensivum,
sed devolutivum tantum, adeout interim non ligentur
manus Episcopi providendi Ecclesiam, cum effectu,
seu executione unde provisus interim sit manutenen-
dus, *o* Vel dando literas testimoniales, ut sequi va-
leat provisio a Sede Apostolica, vel ab alio, ad quem
33 pertineat, atque huc usque se extendunt partes Epi-
scopi in concursu.
De aliis autem concernentibus appellationem, tam
circa provocationem ad novum examen in curia, quam
34 circa inspectionem, an judicium Episcopi (pro quo
tamen in dubio stat præsumptio,) *p* sit rationabile,
vel irrationabile, sive an appellatio ob notoriam irra-
tionabilitatem operari debuerit etiam effectum suspen-
sivum, itaut provisio dici mereatur attentata, cum
similibus, inspicere pertinet magis ad Judicem appel-
lationis, quam ad Episcopum, coram quo faciendus
est concursus, ac servanda est dicta forma Concilia-
ris, ideoque est extra institutum præsentis instructio-
nis. *q*
Advertere item debet Episcopus, an Ecclesia provi-
denda sit talis, quod in ea servari non debeat dicta
forma Conciliaris, quæ in pluribus casibus non est ser-
vanda, quamvis Ecclesiæ, vel beneficio animarum cu-
ra incumbat.
Primo scil. ubi Ecclesia parochialis, vel cura anne-
xa est alicui dignitati, vel canonicatui stanti princi-
paliter de per se, cui dicta annexio facta sit, etiamsi
36 exercitium sit penes possessorem ipsius dignitatis, vel
canonicatus, quoniam tunc non intrat hæc forma. *r*
Secundo, si Ecclesia parochialis, vel curata annexa
sit alicui capitulo, vel collegio, quoniam etiamsi sin-
guli canonici, seu collegiales curam exerceant, non per
37 hoc in provisione canonicatuum, vel aliorum benefi-
ciorum ista forma adhibenda est. *s*
Tertio, in Vicariis etiam perpetuis solitis provideri
in titulum illarum Ecclesiarum parochialium, quæ
38 unitæ, annexæ sint alicui capitulo, vel monasterio,
seu dignitati, penes quam dicatur residere cura habi-
tualis, residente solum penes Vicarium cura actuali,
seu curæ exercitio, quoniam tunc hujusmodi vicario-
rum provisio, ex Constitutione Pii V. facienda est no-
minatione ejus, cui cura habitualis incumbit. *t*
Non curando, quod de præterito provideri consue-
verit per concursum; Vel quia id potuerit sequi vo-
luntarie ad superabundantiam, ac meliorem provisionem
39 desideratam per habentem curam habitualem; Vel quia
processerit ex erronea opinione; *u* Nisi tamen aga-
tur de tali vicaria, penes quam resideat, tam cura a-
40 ctualis, quam habitualis, quoniam tunc solum vica-
riæ vocabulum sine effectu non alterat qualitatem pa-
rochialitatis, ideoque intrat concursus. *x*
Hinc proinde, quæstiones in hac materia cadentes,
remanent potius facti, & applicationis, quam juris,
an scilicet illa superioritas, vel præeminentia, quam
in Ecclesia parochiali habeat capitulum, vel mona-
sterium, seu aliud corpus universale, aut etiam aliqua
dignitas &c. importet curam habitualem, ratione for-
malis unionis, seu quod sit membrum, ac de mensa,
41 adeout verificetur utrumque extremum, habitualitatis
scilicet penes corpus, vel dignitatem, solius, vero a-
ctualitatis penes vicarium; Vel e contra, dictum jus,
seu præeminentia importet solum qualitatem patrona-
lem, vel censitam, seu protectionem &c. universo jure
habituali, ac actuali residente penes providendum,
non curato vocabulo, seu nuncupatione, an scilicet
dicatur rector, vel vicarius, quoniam non verborum
formula, sed substantia veritatis attendi debet. *y*
Quando autem dicamur esse in una, vel in altera
specie, certa & determinata regula generalis dari non
potest, cum totum pendeat a singulorum casuum par-
ticularibus circumstantiis, ac probationibus, inter 42
quas, ubi res ad probabilem dubietatem reducatur,
magnæ considerationis est ultimus status, qui tamen
data contraria clara probatione, ubi præsertim res est
integra, & in fieri, non attenditur; Quoties tamen
est talis, quod vim habeat interpretativi, secus au-
tem ubi posset habere vim præscriptivi, seu immu-
tativi status præcedentis, quod totum pendet ex
facto. *z*
Illa solum juris regula generali cadente, quod cum
unio dicatur in jure odiosa, ideoque in dubio non præ-
sumenda, sed perfecte, & concludenter probanda sit per
allegantem; Hinc proinde fundata est intentio ordina-
rii super concursu, atque actus æquivoci, potius ad
juspatronatus, vel protectionem, seu aliam subjectio-
nem, quam ad formalem unionem, vel omnimodam
dependentiam referendi sunt; Et consequenter ordina-
rius in dubio bene suas partes implebit indicendi con-
cursum, ac affigendi edicta, quæ ita deservire pote-
runt, non solum ad invitandum concurrere volentes;
sed etiam ad excitandum illum qui prætendat habere
curam habitualem, ut deducat ejus jura, & probatio-
nes, quibus concludenter concurrentibus, abstinebit a 43
concursu, ac providebit ad nominationem, quoties ista
sequatur de persona idonea per ipsum Episcopum exa-
minanda, & approbanda per examinatores synodales,
& non alias. *a*
Quarto, cessat hæc forma concursus in parochiali-
bus de jurepatronatus laicorum, cum provisio fieri de-
beat ad præsentationem Patroni; Competente solum
Episcopo jure examinandi, ac inquirendi de idonei-
tate, tam circa literaturam, quam circa vitam & mo-
res, aliaque requisita. Solumque isto casu videtur ad- 44
hiberi posse concursum, quando patroni concorditer
cumulative plures præsentarent, vel plures essent præ-
sentati in paritate votorum, adeout nemini de justi-
tia debita sit institutio, sed intret gratificatio, cum
pro hac vice, beneficium censeri videatur tamquam 45
liberum. *b*
Ubi vero agatur de jurepatronatus Ecclesiastico, in-
trat sine dubio concursus, *c* compatibiliter tamen cum
jurepatronatus passivo, quod scil. ex fundatione, vel
privilegio, aut legitimo statuto beneficium debeat cer-
to generi personarum, puta civibus, seu patrimonia-
libus &c. quoniam tunc intrat quidem eadem forma 46
concursus, sed cum hac restrictione, quod non patet
omnibus accessus, ut est in parochialibus liberæ colla-
tionis. *d*
In patronatu vero mixto, sub quæstione est, an dicta
forma intret necne, & de qua specie in proposito par-
ticipet, an scilicet potius laicalis quam Ecclesiastici,
vel e converso; Aliqui enim credunt jure Ecclesiasti-
ci potius censendum esse; Probabilior autem videtur
contraria, ut magis de laicali quam de Ecclesiastico 47
ad hunc effectum indefinite participet, absque illa di-
stinctione præponderantiæ, quæ attendi debet circa
reservationes, vel affectiones Apostolicas. *e*
Moderni collectores, alios annectere solent casus, in
quibus hujus formæ necessitas cesset; Ubi scilicet agatur
de permutatione, seu de resignatione ad favorem certæ
personæ; Aut etiam libera in manibus Papæ, vel de va- 48
catione in curia, cum similibus, in quibus provisio
Apostolica tantum intret; *f* Verum improprium est istos
casus considerare tamquam limitationes regulæ, ad effe-
ctum inspiciendi, an Episcopus servare debeat formam
concursus, vel ab illa abstinere, quoniam cum in istis
casibus præsupponatur Apostolica provisio ad favorem
certæ, ac determinatæ personæ, quam Papa, sciens qua-
litatem parochialem, ita providere voluit; improprii re-
manent isti termini, cum ob assistentiam ejus peritissi-
morum officialium, præsupponenda sit certa, & indubi- 49
tata notitia dicti Conciliaris decreti, dictæque formæ
alias adhibendæ, ideoque ita providendo, tali decreto,
seu formæ, implicite dispensare dicitur; Atque hinc de-
ducta est recepta propositio, quod in provisionibus, om-
nibusque aliis dispositionibus Apostolicis, in beneficiis,
quibus imminet animarum cura, istius expressa ac spe-
cialis mentio fieri debeat, ut ita Papa notitiam habeat 50
eorum, quæ sunt facti, quæ ignorare potest, atque in
eis decipi, secus autem in iis, quæ cognito facto sunt
juris tantum.

In omnibus autem prædictis, vel similibus casibus,
in quibus, cessante forma concursus, de sola idoneita-
te, seu approbatione personæ nominatæ, vel provisæ
agatur, adhuc examen faciendum est per Episcopum,
vel Vicarium Generalem, ac examinatores synodales
51 habentes votum decisivum super approbatione, vel re-
probatione ut supra, neque alias Episcopus pro ejus
sola notitia nominatum, vel provisum instituere de-
bet. *g*

Quando autem, cessantibus limitationibus, intrat
regula super dicta forma habenda; Vel etiam intran-
tibus limitationibus, dictaque forma cessante, agatur
solum de inquirendo de idoneitate personæ nominatæ,
vel habentis mandatum de providendo, circa examen
faciendum collegiative cum examinatoribus synodali-
bus, ut supra; Tunc præmissa procedunt, non solum
in parochialibus, quæ sint, in, & de diœcesi sub o-
52 mnimoda ordinarii jurisdictione, sed etiam ubi sint,
sed non de diœcesi, quia nempe sint exemptæ, vel sub
jurisdictione, & collatione inferioris Prælati sæcula-
ris, vel regularis exempti, quoniam adhuc ad d. ef-
fectus hujusmodi parochiales regulandæ veniunt in o-
mnimoda Episcopi jurisdictione. *h*

Quoniam non attenditur in ipsa Ecclesia materiali ex-
empta, quæ provideri debeat, sed attenditur Ecclesia
53 formalis, idest clerus, & populus, qui vivit in ter-
titorio Episcopi, ad quem proinde inquirere pertinet
de sufficientia, & qualitate pastoris, qui ejus ovibus
præficiendus est. *i*

Remanente solum jure d. inferioris Prælati faciendi
institutionem, seu collationem, postquam Episcopi ap-
probatio sequuta sit, vel etiam illam præmittendo, sub
54 dicta explicita, vel implicita conditione, quatenus
Episcopo idoneus videatur, ejusque approbationem
habeat.

Quatenus autem agatur de parochiali existente extra
omnem diœcesim, sub Prælato habente omnimodam
ordinariam jurisdictionem, cum territorio proprie, ac
vere separato, in quo vivat clerus, & populus intra
parochiæ limites, atque, ut vulgo dicitur, *Nullius*,
itaut non dicantur oves Episcopi, sed potius oves di-
55 cti inferioris Prælati; Et tunc, aut hic Prælatus ha-
bet etiam jus indicendi synodum, quam de facto ce-
lebret, itaut adsint examinatores synodales, & coram
eo concursus habendus est, omniaque superius dicta
de Episcopo, etiam quoad alios inferiores Prælatos,
vel collatores comparative, sibi conveniunt, quoniam
exceptis iis quæ sunt ordinis Episcopalis, in reliquis
omnibus, hujusmodi Prælati tamquam veri ordinarii
56 etiam extra jurisdictionem delegatam censentur; *l* Si
vero jus indicendi synodum non habeat, vel habens
non indixerit, itaut non habeat examinatores synoda-
les, & consequenter dicta forma servari non valeat,
tunc concursus habendus est coram Episcopo vicinio-
re, ad quem pariter, in casibus, in quibus adhiben-
da non est dicta forma, pertinet examinare providen-
dum, cum alias ob defectum examinatorum synoda-
lium, res non sit practicabilis, *m*

Cujus autem qualitatis esse debeant illi, qui in sy-
nodo deputandi sunt examinatores, certa, & deter-
minata regula dari non potest; Licet enim id Conci-
57 liare decretum desiderare videatur ut sint decretorum,
vel S. Theologiæ Doctores, seu alias qualificati, At-
tamen id non in omni diœcesi est de facili practicabi-
le, præsertim vero in illis Italiæ partibus, in quibus
adeo exigui, ac infelices sunt Episcopatus, quod pro
Doctoribus primarii habentur illi, qui mediocriter
calleant linguam latinam, ac intelligant, seu explicare
sciant Concilium Tridentinum, seu cathechismum, at-
que aliquam talem qualem peritiam habeant casuum
conscientiæ; Ideoque invigilandum est in deputando
personas magis idoneas, & qualificatas, quæ juxta lo-
corum qualitatem haberi possint; Illud tamen adver-
tendo, ut examinatores ab omni sorde, omnique præ-
mio, etiam sub colore, vel specie expensarum, seu
58 mercedis laboris personalis, juxta ejusdem Conciliaris
decreti enixam dispositionem abstineant.

Qui vero dicendi sint digniores, quos Episcopus inter
approbatos præeligere debeat; Pariter certa & determina-
ta regula dari non potest, sed totum pendet ex facti qua-
litate, ac singulorum casuum particularibus circumstan-
59 tiis; Licet enim aliqui considerare soleant gradum, quod-
que doctor dicatur dignior non doctore; Vel ætatem, ut
senior præferri debeat juniori; Sive natales, ut nobilis
præferatur ignobili; Aut nationem, ut civis, vel nationalis
præferatur extero; Ac etiam provisionem quod scilicet
non provisus de beneficiis præferatur proviso, cum simili-
bus; Attamen illæ sunt quædam regulæ generales, præ
oculis quidem ab Episcopo habendæ pro quadam nor-
ma regulandi jus arbitrarium, non tamen arctative,
seu pernecesse id exigentes, quoniam ut supra adver-
titur, sæpius contingit, ut ex facti qualitate, oppor-
tunum sit, minus doctum, vel minus nobilem, seu
juniorem præferre alteri habenti aliquam ex prædi-
ctis majoribus qualitatibus, qui tamen in aliis deficiat,
seu aliud patiatur obstaculum, ita bene regulando
suum arbitrium, quod prudentis, ac boni viri dici
valeat, neque de irrationabilitate redargui possit, id-
eoque totum est facti potius, quam juris.

Demum quæ dicuntur de Episcopo, procedunt eti-
am de capitulo sede vacante, quod in hac Episco-
pali jurisdictione succedit, quoad jus indicendi, ac
habendi concursum, vel respective approbandi, ad ef-
fectum tamen dandi literas testimoniales pro obtinen-
da provisione Apostolica, quamvis de vacatione in 60
mensibus ordinariis agatur, ita tamen quod actus ex-
plicari debeat a vicario per ipsum capitulum ad ejus-
dem Conc. Trid præscriptum deputato pro universæ
diœcesis administratione, non autem ab ipso capitu-
lo, vel aliis ad id particulariter deputatis.

Et hæc sunt quæ in hac materia, quantum memo-
ria suggerat, adnotatione digna videntur pro Episco-
pi, vel Vicarii generalis directione, ut hanc formam
bene servare valeat. Reliqua vero locis allegatis per-
quiri poterunt.

ANNOT. AD DISC. XXXVII.

Iste discursus generaliter reassumit materiam concur-
sus, super qua adnotatum est ad *disc. 1. cum seqq.*

a *Sess. 24. de reform. c. 18.*
b *Constitut. 33*
c Mant. *de 40. n. 8.* Cocc *dec. 51. n. 4. dec. 48. n. 10. par. 5 rec. dec. 556 n 14. p. 10. Altericu. Vicariæ 26. Junii* 1654. Bichio.
d *Ut in eod. decreto Conciliari d. cap. 18. sess. 24.* ubi Barb *in collection n. 27.*
e *in eod. decreto Conciliari.*
f *in eod decreto Conciliari.*
g *d. constit. 33.*
h *supra, disc. 2.*
i *eod. disc. 2.*
l *in eod. decreto Conciliari ad litteram.*
m Buratt. *dec. 361.* Add *ad eum dec. 479.* Dunoz. *dec. 666. n. 7. supra d. disc. 2.*
n *supra, disc. 3.*
o *eod. disc. 3.*
p Rot. *in Frequentina nullitatis concursus 13. Junii* 1635. Cocc. *& supra d. disc. 2.*
q Buratt. *dec. 362. & dec. 479. & d. disc. 2.* Barbos. *in Col. n. 93. & seqq.*
r Burat. *d. dec. 479. & 362.* Barb. *ubi sup.*
s Caval. *dec. 299* Barbos. *in collect.*
t *apud eosdem ubi sup.*
u *dec. 68.* post Zuff. Adden. ad Buratt. *dec. 637. supra, dicto disc. 3.*
x *supra disc. 1.*
y Caval *dict. dec. 299.*
z *d. disc. 1.*
a *eod. disc. 1.*
b *eod. disc. 1.*
c *eod. disc. 1.*
d *ut eod. decreto Conciliari, & d. disc. 1.*
e *eodem disc. 1.*
f *d. disc. 1. & 2.*
g *disc. 7. & 8.*
h *ibidem.*
i *d. disc. 1.*
l *eod. disc. 1.*
m *disc. 1. & seqq., & disc. 6.*
n *eod. disc. 6. & seqq.*
o *dec. 154. n. 55. p. 5. rec. d. dec. 156. p. 10.*
p Barbos. *in collect. ad c. 18. n. 155.* Cels. *dec. 5. & 14.*
q *agitur supr. disc. 6. cum seqq.*
r *disc. 10. & seqq.*
s *ibidem t ibid. u ibid.*
x Buratt. *dec. 214 n. 2.*
y *disc. 10. & seqq. z ibid.*
a *De his disc 10. cum plur. seqq.*
b *disc. 55.* Buratt. *dec. 942.* Add. *ad eum dec. 25. Add.* ad Greg. *dec. 494.*

c ad

c *Ad literam in decreto Concilii*.
d *In tot. decisione Calagurit*.
e Adden. ad Gregor. *decis*. 404. Adden. ad Buratt. *decis*. 25. *in fin. decis*. 321. *num*. 1. *part*. 10. *recentior*.
f Barbos. *in collect. ad idem Concil. Trid. c*. 18.
g *disc*. 7.
h *disc*. 12. *& sub tit. de jurisdict. disc*. 14. *&* 15.
i *ibidem*.
l *ibidem*, *ac pluries in aliis eodem titul. de jurisdict*.
m Barbos. *in collect. ad idem Concil. c*. 18. *& disc*. *supra citatis*.
n Barbos. *ad cap. idem cap*. 18. *num*. 106. *& seqq*.

ROMANA HOSPITALIS,

SEU

JURIUM PAROCHIALIUM,

PRO

HOSPITALI S. SALVATORIS AD SANCTA SANCTORUM.

CUM

PAROCHO ECCLESIÆ LATERANEN.

Casus disputatus in S. Congreg. Visitationis Apostolicæ; & decisus pro Parocho.

De privilegiis Apostolicis concessis Hospitalibus super exemptione a jure Parochi, de quibus intelligenda sint; de eadem materia, de qua supra, disc. 23.

SUMMARIUM.

1 *Facti series*.
2 *Parochus habet intentionem fundatam etiam in Hospitali sito intra fines parochiæ, ubi non adest privilegium*.
3 *Communicatio privilegiorum non attenditur in iis quæ sunt tertio præjudicialia, & num*. 16.
4 *De privilegiis Basilicæ Lateranensis, & n*. 18.
5 *Ex quibus deduceretur observantia contraria privilegiis*.
6 *Privilegium cessat per non usum*.
7 *Item recipit interpretationem, vel restrictionem ab usu magis restricto*.
8 *Quando infirmi morientes in Hospitali sepeliuntur in alia Ecclesia non intrant Hospitalis privilegia*.
9 *Quid de baptismo puerorum ministrorum Hospitalis*.
10 *Fons baptismalis non est signum necessarium parochialitatis*.
11 *Quid de baptismo ministrando ipsis infirmis in Hospitali*.
12 *De Sacramento matrimonii ministrando in Hospitali*.
13 *Descriptio status animarum Hospitalis, ad quem pertineat*.
14 *In interpretatione privilegiorum attendi debet ratio, ac substantia voluntatis*.
15 *Quod privilegium Hospitalis redundet in utilitatem parochi proprii, & de ratione*.
16 *Declaratur conclusio, de qua num*. 3.
17 *An verbum exemptio, differat a verbo immunitas; & quid attendi debeat pro interpretatione privilegii*.
18 *De privilegiis Basilicæ Lateranensis*.
19 *Observantia debet esse univoca, & percutere casum præcisum*.
20 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum*.
21 *Resolutio causæ*.

DISC. XXXVIII.

1 AD instar antiquissimi, ac celeberrimi Hospitalis Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, cujus fundationis initii certa memoria non habetur, ac etiam conspicui, ac pariter celeberrimi Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia fundati sub Innoc. III. ut patet ex ejus Constitut. 7. sub Leone X. pro incurabili morbo laborantibus, fundatum fuit pariter conspicuum Hospitale Sancti Jacobi, quod incurabilium nuncupatur, cui idem Pontifex omnia privilegia, omnesque exemptiones præfatorum antiquorum Hospitalium concessit, seu communicavit; Cum autem in Urbis excidio, quod sub Clem. VII. sequutum est, dictum Hospitale Salvatoris, utpote in loco inhabitato, militum de prædationibus magis expositum omnium mobilium, ac scripturarum totalem peremptionem passum esset; Hinc idem Pontifex, anno dictum excidium subsequente, in effectu potius per viam restaurationis, quam novæ concessionis, prædictorum aliorum Hospitalium privilegia, præsertim a Leone illi Sancti Jacobi concessa amplissime communicavit, cum *clausula absque nulla penitus differentia*; Cumque istud Hospitale situm esset intra fines parochiæ annexæ ibi contiguæ Basilicæ Lateranensi; Hinc usque ab anno 1625. & forsan antea, controversiæ exortæ sunt inter dict. Hospitalis Administratores, dictæque Basilicæ curatum, seu vicarium exercitio curæ dictæ parochiæ deputatum, introductaque causa in Sacra Congregat. Visitationis Apostolicæ variæ provisionales, vel in possessorio prodierunt resolutiones.

Assumpta vero de ordine Papæ formali inspectione boni juris ad effectum totaliter hujusmodi controversias decidendi, eisque silentium imponendi, Scribentes pro parocho, sive pro capitulo dictæ Basilicæ illi adhærente dicebant (& in hac parte bene) totam vim consistere in dicto indulto Clem. VII. quod ex parte Hospitalis deducebatur pro exemptionis fundamento, eo siquidem non suffragante, extra controversiam remanet, fundatam esse parochi intentionem in juribus parochialibus intra fines ejus parochiæ, ut in consimili controversia cum alio Hospitali admittitur *supra disc*. 23. *& in decis. in ea causa edita*, neque ego, & cæteri pro Hospitali scribentes negabamus; 2
Indultum autem prædictum, ad effectum controversiæ non suffragari dicebant ex quatuor fundamentis; Primo scilicet, quod illud esset solum communicativum privilegiorum, ac immunitatum dicti alterius Hospitalis, ideoque operari non debeat in iis, quæ sunt tertio præjudicialia, cum ita de jure privilegiorum communicatio intelligenda veniat, juxta *decis. in Valent. decimarum* coram Lancell. apud Marches. *part*. 1. *fol*. 639. Pen. *decis*. 1090. *numer*. 14. *&* 15. Cavaler. *decis*. 101. *numer*. 3. *& sæpius*; Potissime in iis, quæ non de facili concedi solent, *ut decis*. 250. *numer*. 35. *& seqq. part*. 7. *recentior*. Pen. *ubi supra* Coccin. *decis*. 279. *numer*. 3. *&* 4. *& in aliis*. 3

Secundo fortius ob privilegia per Sedem Apostolicam concessa huic Basilicæ Lateranensi, ut ab aliis privilegiis ei præjudicialibus non afficiatur, nisi ejus mentio specialis fiat. 4

Tertio quod dictum indultum Clem. VII. enunciando, quod in dicto altero privilegio concesso Hospitali Sancti Jacobi per Leonem X. concederentur immunitates, ac exemptiones, in concessione, quæ fit huic Hospitali, omittitur verbum exemptionum, solumque agitur de immunitatibus, unde propterea deducebatur argumentum, quod minus concedere voluerit.

Et quarto magnum, ac potissimum fundamentum constituebatur in observantia, dum in facto justificabatur, quod iste parochus sepulturam dedisset pluribus in isto Hospitali defunctis in ipsa Basilica, vel ejus annexis, exigendo consueta emolumenta; Ac etiam quod Sacramentum baptismatis, & alterum matrimonii ministrasset, tam infirmis, ubi casus dedisset, quam ejusdem Hospitalis ministris; Nec non consuevisset singulis annis describere animas tam infirmorum quam ministrorum pro ea descriptione, quæ circa tempus paschatis fieri solet. Ideoque ita inferebant, quod, vel dictum privilegium per non usum sublatum esset juxta doctrinam Bartol. *in l*. 1. *ff. de nund. cum concordant*. per Capic. & Adden. *decis*. 134. Seraph. *decis*. 1043. Barbos. *de Episcop. allegat*. 26. *num*. 10. *& seq. & communiter*; Vel quod saltem concurrente dubietate quidnam illud contineret, ita interpretationem reciperet ab observantia ad text. *in cap. cum dilectus, de consuetud. cum concordant*. apud Mantic. *decis*. 320. *numer*. 5. Otthobon. *decis*. 165. *numer*. 10. Capic. Latr. *consultat*. 12. *numer*. 5. *cum seq*. ubi quod habens privilegium latum, si stricte utatur ad latitudinem redire non potest, 5 6 7

potest, juxta doctrinam Bald. *in l. usum aquæ, num.*
2. Cod. de aquaduct. lib. 11. & advertitur pluries
supra *hoc eod. tit.* & alibi frequenter.
E converso scribens ego pro Hospitali, pro metho-
dica hujus controversiæ inspectione, ac pro tollendis æ-
quivocis, quæ ex dicta observantia resultare possent;
Advertebam, reflectendum esse ad distinctionem ca-
suum, sive actuum, ac jurium parochialium, super qui-
bus cadebat controversia, & super quibus non.
Primus igitur casus est infirmorum, vel ministrorum,
qui morientes in Hospitali, sepulturam eligerent in
dicta Basilica, vel altera eis placita Ecclesia; Et in hoc
dicebam nullam cadere quæstionem, nihilque per Hos-
pitalis Administratores prætendi, quoniam eo ipso quod
cadaver extra januas, vel ambitum Hospitalis est, ut
asportetur ad Ecclesiam, in qua defunctus elegit se-
8 pulturam, nil refert quoad jura Hospitalis, an magis
unus quam alter parochus funus agat, atque emolu-
menta parochialia percipiat; cum tunc contentio cadat
inter proprium parochum defuncti, & parochum, seu
rectorem Ecclesiæ, in qua sepelitur juxta ea, quæ ha-
bentur supra in consimili controversia inter Parochum,
& Hospitale *disc.* 23. ac in decisione in ea causa edita
impress. part. 11. *recent. decis.* 48.
Alter casus est pro administratione Sacramenti baptis-
matis infantium, quos mulieres ministrantes in ipso
Hospitali, vel ministrorum uxores suscipiunt, vel ipsa-
rum mulierum infirmarum, sive etiam infidelium, qui
in fonte baptismali solemniter (cessante periculo) ba-
ptizari debent, ac solent, recte baptizari consueverunt
9 in dict. Basilica, cum in ea adesset fons baptismalis,
in ipsius Hospitalis Ecclesia non existens, ideoque ne-
cessitate, vel commoditate impellente id sequutum fuit.
Fons enim baptismalis non est signum necessarium
parochialitatis, sed bene ad ejus probationem, vel ad-
miniculum confert, ex deduct. per Greg. & Adden.
dec. 108. *&* 387. *decis.* 433. *part.* 5. & in aliis; Ille
siquidem esse solet in plerisque Ecclesiis, præsertim Ca-
10 thedralibus, vel Collegiatis, quæ non sint parochiales,
& e converso non adesse in Ecclesis parochialibus, un-
de propterea parochi accedunt ad alteram Ecclesiam pro
hujus sacramenti administratione, & consequenter ex
eadem supra insinuata ratione cadaverum alibi tumu-
landorum, ad Administratores non pertinet inquirere,
ubi infantes extra Hospitalis ambitum baptizentur.
Respectu vero infirmorum quibus idem Sacramen-
tum administrandum est in ipso Hospitali, ut aliquan-
11 do (licet nimium raro) contingit in infidelibus, qui
ex causa infirmitatis ad Hospitale accedentes morti
proximi ad fidem conversi baptisma suscipere volunt;
Dicebam procedere idem quod infra de sacramentis
pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ac extremæ Unctionis
habentur, ut ad ipsius Hospitalis cappellanum perti-
neant, ex eadem ratione, Neque in hoc aliqua obser-
vantia contraria dabatur, cum ea percuteret dictum
alium casum infantium, qui solemniter in fonte ba-
ptismali hoc Sacramentum susciperent.
Tertius est casus administrationis sacramenti matri-
monii & pariter in hoc nulla cadebat controversia;
12 Tum quia illud est extra Hospitalis institutum, ne-
que intrat ea ratio, quæ militat in aliis sacramen-
tis; Tum etiam quia pro hujus sacramenti admini-
stratione requiritur quædam major magisque formalis
subjectio parochialis, atque non attenditur locus ma-
terialis, sed attenduntur personæ, ut in sua materia
sub titul. de matrimon. Idque non percutiebar solum
jus istius parochi, sed omnium aliorum, intra quo-
rum fines vivebant infirmi, occasionaliter ad Hos-
pitale ob infirmitatem accedentes, advertitur supra,
d. disc. 23.
Quartus est casus dandi notam animarum, & hic
actus de stricto jure pariter spectare deberet ad o-
mnes parochos habentes in eo Hospitali subditos in-
firmos, quibus aditus denegari non posset, ut qui-
13 libet pastor proprias oves describeret; Sive, quod,
dicto ingressu denegato (ut probabiliter denegari pos-
se credebam) teneretur ejusdem Hospitalis capella-
nus, singulis parochis requirentibus, talem notulam
dare; Sed quoniam id, uno, vel altero modo ni-
mium incommodum est, hinc non mirum si iste pa-
rochus ratione majoris commoditatis propter adja-
centiam, vicario, seu mandatario jure omnium pa-
rochorum istas partes impleverit, quod revera pa-
rum, vel nihil refert, cum absque ingressu in Hos-
pitale, ac absque eo quod actum aliquem jurisdictio-
nalem exercere, ex relationibus ministrorum, has par-
tes explicare potuerit.
Quintus demum proprius, ac præcisus controver-
siæ casus erat ille administrationis sacramentorum Pœ-
nitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis infir-
morum, necnon sepulturæ eorumdem, ubi in ejusdem
Hospitalis cœmeterio, vel capella, seu Ecclesia sepe-
liri contingeret, & tunc credebam privilegium præ-
dictum intrare debere, non quidem ob verborum for-
malitatem, in qua hinc inde multum insistebatur, ela-
borando, an verbum *immunitas* idem importaret, ac
verbum *exemptio*, sed principaliter spectata ratione,
ob quam Sedes Apostolica omnibus fere totius Orbis 14
aliqualiter qualificatis Hospitalibus idem privilegium
concessit, & de qua supra, *d. discurs.* 23. quod scili-
cet de stricto jure, singulorum infirmorum proprii
parochi ad hæc peragenda evocandi essent, quod o-
mnino impracticabile est, præsertim in adeo magna
civitate, ac in loco adeo distanti a partibus inhabitatis;
Et de consequenti si non habent incommodum admi-
nistrationis sacramentorum, neque habere debent com-
modum emolumentorum sepulturæ, quæ in compen-
sationem dicti incommodi, ac laboris, per sacros
Canones demandata sunt; Idque non solum respicit
interesse, vel præjudicium istius parochi, sed omnium
aliorum.
Quinimo observabam, ex hoc privilegio notabile
commodum huic parocho de facto resultare, quoniam
cum frequenter infirmi, vel ex devotione, vel quan-
doque ex quadam vana ambitione, aliquid habentes 15
de proprio, sepulturam eligant in hac frequentius ad-
jacenti Basilica, ita ipse obtinet emolumenta sepultu-
ræ eorum, qui non sunt ejus subditi.
Hinc de plano cessare dicebam dd. quatuor objecta;
Quatenus enim pertinet ad primum super non admit-
tenda communicatione eorum quæ sunt tertio præju-
dicialia; Dicebam id procedere in iis quæ concernunt
nuda privilegia a jure exorbitantia, in quibus termi-
nis procedunt auctoritates hujusmodi conclusionem fir-
mantes; Et nihilominus etiam in illis, ubi amplitudo 16
verborum, seu alias conjecturata voluntas Papæ acce-
dit, talis regula limitatur, ex plene deduct. apud
Royas *decis.* 327. *&* 356. & latius *decis.* 337. *part.*
10. *recentior.* Fortius vero attenta identitate rationis,
ac etiam illis verbis pluries repetitis *absque ulla peni-*
tus differentia.
Quinimo advertebam, quod cum juxta dictam facti
seriem, istud Hospitale esset antiquius, magisque qua-
lificatum, ad cujus instar illud S. Jacobi fundatum
fuit, & cui istius privilegia communicata fuerunt, ex
dicto Urbis excidio perempta, ideoque potius per
Clem. VII. instaurata, hinc prorsus improbabile vide-
tur, ut Papa huic Hospitali minores exemptiones, ac
minora privilegia concedere voluerit.
Secundo fundamentum discretive inter verbum *exem-*
ptionis & immunitatis, vere nulla consideratione dignum
erat, tum quia alii pro hac parte scribentes, cum plu-
ribus juribus civilibus, & canonicis, ac Doctorum tra-
ditionibus bene probabant, istos terminos esse synony- 17
mos, ac frequenter unum pro alio usurpari; Tum et-
tiam quia, ut satis frequens est mea consuetudo dicen-
di, in quæstionibus voluntatis immorandum non est in
cortice, ac formula verborum, cum istæ sint grammati-
corum partes, sed attendi debet substantia verisimilis
voluntatis ex facti qualitate & circumstantiis; Præsertim
vero ex identitate rationis regulanda; Ac etiam quia
Pontificibus notorium est quod istud Hospitale adjecit d.
Basilicæ, cujus præeminentiæ apud Pontifices pariter no-
toriæ sunt, ideoque non agitur de rebus extra Urbem,
in quibus notitiæ defectus dari valeat, qui in Papa,
tamquam in re consistente in facto admittitur.
Ad tertium fundamentum deductum ex hujus Basili-
cæ privilegiis, deducebam ea, quæ circa illorum revoca-
tionem habentur supra *disc.* 9. Ac etiam quod in præ-
senti non ageretur de præjudicio Basilicæ principalis,
constituentis juxta unam opinionem, Urbis Cathedra-
lem, quæ juxta alteram efformari dicitur ex omnibus
Basilicis Patriarchalibus, quæ jure quodam sociativo 18
æque concurrunt ad unam Cathedram efformandam, ex
deduct. *sub tit. de præem.* sed agitur de simplici pa-
rochia alit annexa, in qua proinde dictæ præeminentiæ
ratio non intrat.
Quartum demum magis considerabile objectum obser-
vantiæ, de plano tollebatur ex facto cum dicta casuum di-
stinctione, cum actus ad illam probandam deducti percu-

terent

ferent dictos illos casus diversos diversam rationem
19 habentes, ac non cadentes sub indulto; Ideoque ad observantiam, sive interpretativam, sive præscriptivam inferri non poterat, ex vulgari quotidiana propositione, quod observantia debet esse univoca, ac percutere casum præcisum, non autem æquivoca percutiens casum di-
20 versum, ex deductis *decis.* 176. *num.* 46. *part.* 5. *recent. dec.* 268. *n.* 25. *part.* 12. apud Burat. *dec.* 474 *n.* 6. & frequenter; Ad quod conferunt quæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 30. super consuetudine non extendenda de casu ad casum, sed attendenda in casu præciso, ac individuo, adeout juxta dict. distinctionem actuum, illa videretur potius Hospitali assistere in actibus, de quibus erat quæstio.

Dum autem hic discursus erat sub prælo, proposita causa sub die 27. Novembris 1670. prodiit resolutio parocho favorabilis, ei scilicet competere jura parochialia in Hospitali; Incertum vero est quomodo, & in quibus actibus, & cum quibus fundamentis processum sit,
21 cum edi non soleant decisiones, ut unice in Urbe, Rotæ stylus est, dictaque notitia non habita, non de facili maturum judicium pro veritate efformari potuit, quamvis dicta Hospitalis fundamenta nimium probabilia viderentur præfatis generalitatibus præponderantia, quæ in contrarium deducebantur; Sæpius enim discussio causæ in ipsismet Advocatis succumbentiam patientibus, qui prius, etiam reflectendo ad veritatem diversum sensum habebant, mutationem sententiæ inducit, ut præsertim constat in casu, de quo *sub tit. jurisd. disc.* 41. & 95. Quare in supplemento in hujus discursivis observationibus maturius adnotabitur, cuinam probabilitas magis assistat, sive quomodo jura parochialia in Hospitali practicabilia sint, & pro quibus actibus.

ANNOT. AD DISC. XXXVIII.

ADnotatum fuit ad enunciatum *disc.* 23. *hoc tit.*

BARCHINON. VICARIÆ, VEL CONGRUÆ PRO BERNARDO MAISSER,

C U M

JACOBO CLEMENTE ARCHIDIACONO.

Casus decisus per Rotam pro Bernardo.

An ille, cui sit unita Ecclesia parochialis, prætendere valeat augmentum bonorum assignatorum Vicario pro ejus congrua, vel potius esse debeat contentus illa præstatione, quam Vicarius ei dare consuevit ad eandem materiam, de qua supra, disc. 19. & seqq.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series cum resolutionibus.*
2 *De conclusionibus, quæ habentur in materia unionis subjectivæ.*
3 *Quod sint veræ, sed procedunt in casibus suis, qui debent distingui, & alias inciditur in æquivoca.*
4 *De plerisque casibus, & quæstionibus diversis in materia.*
5 *Qualis sit casus præcisus quæstionis.*
6 *Habens centenariam potest allegare quemcumque titulum de mundo meliorem.*
7 *De casu converso diminutionis bonorum assignatorum Vicario.*
8 *De differentia inter unum casum, & alterum diminutionis, & respective augmenti.*

D I S C. XXXIX.

1 DE anno 1325. Episcopus Archidiaconatus dignitati univit Ecclesiam Parochialem S. Baudilii, ejus arbitrio reservando, quid Vicario pro ejus congrua assignandum esset, de anno vero sequenti statutum est quod Vicarius administret, & colligat omnes fructus, & det Archidiacono certam eorumdem portionem, sed postmodum ad tollendam omnem controversiæ occasionem statutum est, ut loco dictæ portionis fructuum, quæ varia esse solet, Vicarius daret Archidiacono singulis annis certam præstationem librarum 70. quæ important idem, ac 70. scutos monetæ Romanæ, atque ita per tria sæcula, & ultra servatum fuit; Modernus autem Archidiaconus videndo, quod redditus bonorum Ecclesiæ notabiliter creverint, prætensionem excitavit, quod ad ipsum tamquam dominum illi omnes pertinerent, Vicario autem danda esset congrua pro exercitio curæ, introductaque causa in Tribunali A. C. prodiit sententia absolutoria Vicarii, atque devoluta per appellationem causa in Rota coram Taya sub diebus 26. Novembris 1672. 17. Martii, & 17. Aprilis 1673. prodierunt pariter ad favorem Vicarii resolutiones, ad quarum normam expedita sententia, & commissa denuo causa in Rota coram Emerix sub die 16. Februarii 1674. per confirmationem sententiæ Rotalis responsum fuit, atque in hoc statu causa reperitur.

Cum autem in disputationibus desuper habitis, Scribentes pro Archidiacono, quibus adhærebant etiam aliqui ex Judicibus, quorum vota hinc inde recensentur in tertia decisione 17. Aprilis 1673. coram Taya, insisterent in multis propositionibus, quas habemus in materia unionis subjectivæ, quod scilicet Ecclesia unita efficiatur membrum, vel prædium ejus, cui facta sit unio, quodque Rector, vel Prælatus Ecclesiæ dominantis dicatur verus Re- 2
ctor habitualis, & Dominus, ac possessor bonorum & jurium ad illam pertinentium, Vicarius autem habeatur tamquam famulus, vel Minister ab eo dependens pro exercitio curæ, pro quo aliud jus non habeat, nisi illud exaquandi congruam pro ejus substentatione tamquam salarium, & mercedem laboris, non obstante quacumque contraria possessione, ob quam præscriptio, vel aliud jus privative ad principalem Rectorem prætendi non potest, ad instar famuli, vel Ministri non præscribentis contra Dominum; Ac propterea receptum est, quod in hujusmodi Ecclesiis ita unitis non datur vera vacatio, minusque intrat forma concursus in Vicariis providendis, ex deductis *supra disc.* 10. cum similibus propositionibus, quæ in materia habentur, in idem cumulando multas auctoritates, & decisiones desuper editas, præsertim vero præcisas, ac individuales super ista Ecclesia apud Merlin. *inter suas decis.* 95. & 115. & *in eadem* apud Ubald. *decis.* 580. *part.* 4. *recent. tom.* 3.

Hinc in hac ultima disputatione, reassumendo deducta in duabus præcedentibus instantiis, ut satisfieret objectis, ad quæ restringebatur disputatio, dicebam scribens pro Vicario, quod dictæ propositiones, ac respective auctoritates, & decisiones erant in suis casibus veræ, illasque admittebam, sed quod juxta fre- 3
quentiorem contingentiam, fallacia erat in applicatione, illas invicem confundendo, dum unum percutientes casum, vel effectum, aliis longe diversis applicabantur, istque est fons, vel scaturigo omnium æquivocorum, & confusionum, quæ in ista facultate dignoscuntur, ex pluries inculcato vitio procedendi in litera doctrinarum, & decisionum, illasque transcriptorio more cumulandi, quasi quod tota vis consistat in earum cumulo, & arithmetico numero, non ratiocinando, sive non distinguendo diversos casus, vel effectus; Ideoque ad æquivoca tollenda, & pro congrua applicatione advertebam ad plurium casuum, & respective effectuum distinctionem.

Primus itaque casus est quando de qualitate unionis, vel respective de natura Vicariæ agatur ad effectum, an eadem Vicaria importet plenam, ac veram rectoriam Ecclesiæ cum utraque actuali, & habituali Cu- 4
ra & cum omnimoda independentia ab altera Ecclesia, vel dignitate, ad effectum videndi, an provideri debeat per concursum, juxta formam Concilii Tridentini, vel potius e converso facienda sit provisio ad nominationem Prælati, vel Rectoris Ecclesiæ dominantis, juxta Constitutionem Pii V. atque iste est casus, vel respective effectus, de quo agitur *in decis.* 95. & 115. Merlin. & *dicta decis.* 580. *part.* 4. *recent. tom.* 3. & de hoc etiam in diversis Ecclesiis agitur apud Coccin. *decis.* 844. & *late decis.* 330. *part.* 9. *rec.* quæ est in altera Barchinonen. de qua agitur supra, *dicto discursu* 10. & *in aliis*; sed istæ, & similes decisiones, & auctoritates dicebam, quod ad rem nostram merebantur poni ad partes, utpote extraneæ a casu controversiæ, quamvis in casu veræ sint.

Alter casus est, ubi quæstio sit inter Rectorem habitualem Ecclesiæ scilicet dominantis, & Vicarium Ecclesiæ unitæ super juribus, & præeminentiis parochialibus, & dominicalibus, ipsaque cura habituali, quæ prætendantur per Vicarium privative ad Prælatum, vel Rectorem Eccle-

siæ dominantis, & ista est quæstio; de qua *dec.* 10. *part.* 13. *recent.* & *in aliis in eadem causa* proditis; atque ad hunc effectum intrat dicta propositio, quod famulus, vel minister non præscribit contra Dominum, dum ejus possessio ita jure familiaritatis, vel famulatus, & ministerii penes ipsum esse dicitur, ideoque pariter dicebam intrare idem, quod in casu præcedenti, quod sc. auctoritates, & propositiones, quæ desuper ad istum effectum habentur, sunt in suo casu veræ, sed extraneæ ab illo quæstionis, & merito segregandæ, ac ponendæ ad partes.

Tertius est casus, in quo agatur de jure decimandi, an competat Rectori Ecclesiæ dominantis, vel Vicario, & de hoc agitur in Aurien. parochialis, vel congruæ 14. Martii 1618. coram Ottembergo, in qua magnum fundamentum constitui videbatur, & in sua sede *sub tit. de decim.* sed iste casus tamquam præcedenti similis, atque cadens sub eisdem regulis, & propositionibus, pariter extraneus est a nostro.

Quartus est, ubi agatur de illis modernis Vicariis, quos oporteat deputare in Ecclesiis jam pleno jure unitis alicui capitulo, vel Monasterio ad tollendam Rectoris, & Pastoris illam incertitudinem, quæ resultat ab exercitio curæ esse solitæ penes omnes de aliquo corpore universali, puta capitulo, vel Monasterio, juxta decretum Concil. Tridentin. *sess.* 7. *cap.* 7. *de reformat.* adeout quæstio inter Rectorem habitualem, & Vicarium sit super majori, vel minori quantitate congruæ, quam solum Vicarius prætendat, juxta quæstiones, de quibus *supra*, *disc.* 13. & *seqq.* & in decisionibus, quæ in iis casibus prodierunt, quæ pariter in his disputationibus cumulabantur; Aut quod sit quæstio super augmento monetæ, præsertim scutorum auri juxta quæstionem desumptam apud Coc. *in dec.* 1340. in qua etiam magnum constituebatur fundamentum, sed frustra, utpote extra casum.

Quintus est casus inter Rectorem, vel Prælatum habitualem, & Vicarium super jure amovendi, ut præsertim contingit in Hispania, quod cura est penes Episcopum in universa Diœcesi, ad exercitium vero deputantur Vicarii, qui prætenduntur manuales, juxta celebres decisiones in Pampilon. juris amovendi curatos enunciatas *disc.* 80. *de benef.* & *supra hoc eod. tit. pluries*; Sed pariter extra quæstionem.

Sextus est casus quæstionis, de qua in Cæsaraugustana pensionum *sub tit. de canonicis*, & *cap. disc.* 7. in qua enunciantur plures decisiones proditæ in Barchinon. alimentorum, in quibus pariter nimium insistebatur, sed etiam frustra, utpote extra casum, dum ibi quæstio est inter capitulum Dominum, & quosdam Ministros Præpositos, vel alio vocabulo nuncupatos œconomicæ administrationi deputatos; Unde merito tamquam famuli, & ministri jure mere administratorio possidentes, non possunt ex possessione aliquod jus contra Dominum acquirere.

Ultimus demum (neglectis aliis, qui forte considerari possent, utpote ad rem minus facientibus, magisque extraneis) est casus præcisus quæstionis, quod sc. Vicaria nascatur eodem tempore, quo nascitur jus habituale Ecclesiæ dominantis, absque eo quod circa
5 perpetuitatem, ac independentem administrationem suam immutet naturam, quæ solum immutari dicatur circa modum provisionis, ut non fiat juxta formam Concilii per concursum, sed juxta alteram formam Bullæ Pianæ, in reliquis autem provideatur in titulum perpetuum, & collativum, adeout unio in substantia aliud non importet, nisi quamdam subventionem ejus, cui facta est unio ex fructibus, unde non detur tempus, in quo Ecclesia principalis actuale dominium, & possessionem habuerit bonorum, & jurium Ecclesiæ unitæ, qualis proprie juxta præmissam facti seriem erat casus controversiæ, adeout Vicaria non esset res nova, & omnino dependens jure famulatus a Rectore habituali Ecclesiæ dominantis, sed potius quædam continuatio de facto antiquæ Rectoriæ, & immutata solum ejus antiqua natura ex quadam fictione, vel intellectuali operatione, & metaphysica legis.

Et in isto casu dicebam, quod si ab initio unionis, atque in actu eam faciendi Episcopus hanc legem præscripsisset, quod sc. participatio dominicalis Archidiaconi esset uniformis in dictis libris 70. omnes autem fructus, & emolumenta essent Vicarii, non solum pro ejus congrua sustentatione, sed etiam pro supportandis Ecclesiæ oneribus, tunc utique nulla caderet ratio dubitandi, cum esset lex adjecta in limine unionis; Idemque si Episcopus sub diversa lege eamdem unionem fecisset. Papa vero in ejus confirmatione, quæ necessaria est, juxta ea, quæ habentur supra, *disc.* 35. & alibi, ita demandasset, cum pariter esset lex in limine.

Hoc autem præsupposito pro constanti, & absoluto, exinde sequi dicebam recte allegari posse hanc legem in ipso limine unionis, vel parum post in Apostolica confirmatione, quam præsupponendum est tamquam necessariam fuisse adjectam, quamvis ejus justificatio non daretur ob vim, & operationem possessionis tripliciter 6
centenariæ, dum etiam simplex centenaria istum operatur effectum, ut allegari possit quicumque titulus de mundo melior, ex deduct. *disc.* 3. *de alien.* & *contract. probib. disc.* 21. *de jud.* & *alibi frequenter*. Quamvis etenim titulus unionis factæ per Episcopum, de quo constabat, id non contineret, sed potius contrarium juxta præmissam facti seriem, ideoque inferebatur ad theoricam Innoc. *in c. Dudum, de decim.* de qua *disc.* 47. *de Regal.* cum aliis *in d. disc.* 3. *de alien.* & *disc.* 21. *de jud.* Attamen dicebam objectum removeri ex eadem responsione locis citatis data, & alibi, quod sc. difficultas caderet, quando hic titulus productus esset ab hac parte limitate, ac præcise, ac propterea excluderetur possibilitas alterius tituli melioris, secus autem ubi per alteram partem, ut in præsenti.

Neque his adversari dicebam dd. propositiones circa dominium bonorum, & jurium Ecclesiæ unitæ, ut esse dicatur penes Ecclesiam dominantem, ejusque Rectorem, vel Prælatum, quoniam stant simul, ut dominium directum, & habituale sit penes hujusmodi Rectorem vel Prælatum, & tamen dominium utile, vel subalternum sit penes Vicarium ad totale ejus commodum, & incommodum, eo modo quo sequitur in feudo, vel emphyteusi, & similibus, quod dominium directum, & habituale est penes dominum, sed ille prætendere non potest, nisi illam dominicalem portionem, quam conventio, vel consuetudo præscripsit, totum vero commodum, vel incommodum est feudatarii, vel emphyteutæ, ut etiam advertitur in specie in decisione hujus causæ 95. & 115. Merlin. ac etiam *in d. decis.* 330. *p.* 9. *rec. n.* 20.

Isti namque Rector, vel Prælatus, & Vicarius actualis dicuntur correlativi, ideoque ex natura correlativorum, quod in uno dicitur, alteri congruit, atque inter eos attendi debet regula *secundum naturam*; Ac propterea quemadmodum in casu controverso, de quo supra, *disc.* 7
19. quando Vicario assignantur quædam bona pro ejus congrua, non potest ipse prætendere supplementum ob eorum diminutionem, quæ ipsius tamquam domini saltem subalterni periculo cedere debet, sicuti e converso cederet augmentum, ex eo quod utrumque est effectus, & sequela dominii, ita e converso.

Et quamvis ubi in dicto alio casu valde notabilis esset diminutio, adeout revera id, quod superest, omnino insufficiens esset; intret suppletio ex deductis *eod. disc.* 19. Attamen ultra quod non oportebat hujusmodi inspectionem assumere ob deficientem assistentiam facti, dum ista dignitas continuando in eodem statu, adhuc erat bene provisa, neque deficiebant illi, qui eam acceptarent, quinimo ambirent etiam cum aliquo gravamine pensionis: Adhuc tamen argumentum non procedere dicebam ex diversitate rationis, quoniam in altero casu converso valde notabilis diminutionis redditnum assignatorum Vicario habenti curam actualem, adesse dicitur non solum præjudicium, & interesse ipsius Vicariæ, ejusque possessoris, sed principaliter interesse ipsius Ecclesiæ, quæ revera est domina bonorum, ne detrimentum patiatur in cultu ob inopiam ejus ministrorum, ac etiam præjudicium, & interesse animarum illi Ecclesiæ commissarum, ne Vicarius, qui revera, & de facto est earum pastor, cogatur ob inopiam aliunde victum sibi quærere, curam deserere, vel negligere; Et quæ rationes non intrant in casu converso, sed utcumque sit, non erat opus de his agere, cum non verificaretur casus; atque in idem considerabam ea, quæ habentur *disc.* 54. *de Emphyt.* quod scil. quandoque datur casus remissionis canonis ad favorem Emphyteutæ ob immutatum rei statum, ac diminutos fructus, rarius autem, ac difficilius datur augmentum canonis ad favorem Domini ob eorumdem fructuum augmentum, cum similibus. Et quemadmodum si hæc bona diminutionem passa essent, adeo tamen, ut congrua necessaria adesset, non posset Vicarius prætendere diminutionem dicti oneris, sed Archidiaconus posset prætendere illud integrum, ita e converso injusta mihi, etiam pro veritate, videbatur prætensio.

RO-

ROMANA PRÆEMINENTIÆ
PRO
CAPITULO S. LAURENTII IN DAMASO.
CUM
PAROCHO S. CATHERINÆ DE ROTA:

Casus disputatus coram diversis Judicibus, & varie resolutus.

An & quando una Parochia sit subdita, & dependens alterius, ejusque filialis, ut propterea obedientiam, & subjectionem agnoscere teneatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De actione negatoria.*
3 *De diversis speciebus matricitatis remissive.*
4 *De distinctione inter matricitatem dativam, & accidentalem, & nativam, sive originariam, & de effectibus exinde resultantibus.*
5 *De situatione alicujus Ecclesiæ intra fines alterius.*
6 *De ratione ob quam antiquitus erant latiores fines Cathedralium, & Parochialium, quodque postea aliæ Ecclesiæ filiales erectæ sint.*
7 *Datur distinctio inter jus competens ex causa universali, & alterum competens ex causa particulari ratione privilegii, vel præscriptionis.*

DISC. XL.

1 Cum antiqua Parochialis postmodum insignis collegiata Ecclesia S. Laurentii in Damaso nimium latos haberet fines, intra quos ob nova ædificia, nimiumque excretum populum, qui prius in aliquibus locis non aderat, oportuerit plures erigere parochias, aliqua eorumdem finium parte adjacente pro se retenta eodem adamussim modo, quo in casu, de quo agitur supra, *discurs.* 28. Hinc sequutum est, quod quamplures hujusmodi novæ parochiæ tamquam filiales, ac dependentes, illam S. Laurentii tamquam matricem, & superiorem agnoscunt; Cumque ex parte capituli prætenderetur, quod inter istas adesset etiam Parochia S. Catherinæ de Rota; Parochus autem, sed magis Capitulum Basilicæ Vaticanæ, quod prætendit quandam superioritatem in ista parochia habere, id negaret; Hinc introducta lite coram Prælato deputato, ut credo per Archipresbyterum dictæ Basilicæ prodiit resolutio ad favorem capituli, declarando, Ecclesiam S. Laurentii esse matricem, concedendo eidem manutentionem, sed concesso recursu, & commissa causa alteri Prælato cum facultate manutenendi quem de jure, iste concessit mandatum de manutenendo parocho, & forsan etiam pronunciavit pro Ecclesiæ libertate, & in hoc statu causa pendet.

Ego scripsi solum, & semel in hac ultima instantia, atque juxta illum evocatus fui in statu, quod causa semimortua dici poterat, dum Judex nimium tenax ejus opinionum jam votum propalaverat, atque causa erat in limine expeditionis, cumque non viderim jura alterius partis, neque formalis reiterata disputatio habita fuerit, non potui desuper efformare maturum judicium pro veritate, quod absque continuata disputationis trutina vix, sortaque unquam efformari non potest; sed quoniam præsupponebatur quod per alteram partem procederetur cum terminis generalibus actionis
2 negatoriæ, de quibus late *decis.* 101. *part.* 4. *recent. tom.* 2. & *disc.* 23. *de servit.* quod scilicet ille, qui allegat servitutem, atque negat subjectionem, habere dicitur intentionem fundatam contra allegantem superioritatem, ac matricitatem, quæ in dubio non præsumitur, sed probari debet, ut in specie matricitatis
3 habetur supra, *disc.* 23. ubi distinguuntur plures ejus species.

Hinc in unica informatione desuper data, dicebam reflectendum esse quod alia est illa matricitas, quæ præten-
4 datur ex aliquo jure speciali, & exorbitanti resultante a privilegio, vel præscriptione; Alia vero est illa, quæ resultat a dispositione juris, & ab ipso naturali statu, quod scilicet constet, Ecclesiam filialem moderniori tempore erectam fuisse intra fines antiquioris Ecclesiæ cum dismembratione alicujus partis ejus, populi, & Territorii, juxta casus de quibus supra, *d. disc.* 28. *cum plurib. seqq.* ac etiam juxta illos, qui recensentur *disc.* 6. *de præemin.* de pluribus cathedralibus de novo erectis ex parte Territorii, & populi alicujus cathedralis antiquæ, cum similibus. Priori etenim casu, stricte, & rigorose proceditur, ideoque perfecta, & concludens probatio requiritur, atque in dubio pro exclusione hujusmodi superioritatis est respondendum, quoniam agitur de re odibili, & exorbitanti, faciendi nempe servum alterius illum, qui natus est liber, & per consequens intrant omnes illæ regulæ, & præsumptiones, quæ libertati assistunt; Secus autem in altero, in quo res videtur in oppositum, quoniam omne jus divinum, naturale, & humanum, seu positivum docet, ac præcipit ut parentibus, a quibus progeniti sumus, atque nostrum recognoscimus esse, obsequium, obedientiam, & subjectionem profiteri debeamus, ideoque ista non dicitur subjectio, vel dependentia accidentalis, & dativa, quæ præjudicet naturali libertati, quæ alias retineretur, sed potius nativa, & per consequens benigne & favorabiliter est procedendum, atque regulæ, & præsumptiones potius huic matricitati assistunt, juxta illam subordinationem, quam membra suo capiti profiteri debent; Atque hinc sequitur ut hujusmodi quæstiones facti potius quam Juris censendæ videantur, ut in majori parte aliarum forensium quæstionum hodie verificari videtur, an scilicet in una, vel in altera specie, seu distinctionis parte versari dicamur.

Ad probandum itaque quod versaremur in hac posteriori parte matricitatis, ac respective filiationis, & subordinationis nativæ, deducebam in primis ea, quæ habentur pluries *sub tit. de jurisd. præsertim disc.* 1. Et in decisionibus editis in eo casu, ac in aliis, quæ in 5
sequentibus habentur, super probatione situationis loci intra fines, quod scilicet illa præsertim probari dicatur per circumdationem ab extremis, quibus positis media præsumuntur, dum in facto docebatur quod Territorium, vel confines istius parochiæ, ab omnibus extremitatibus circumdarentur a Territorio, & confinibus aliarum parochialium subditarum, & quæ hujusmodi matricitatem, & superioritatem non controvertunt, tam circa fontem baptismalem, qui in ista matrice solum retinetur, quam circa alios actus, & signa superioritatis, & matricitatis, cum aliis probationibus, & argumentis, quæ deducebantur in facto per causæ Patronum, ad quem juxta pluries insinuatum Curiæ stilum, non autem ad Advocatos pertinet agere de iis, quæ sunt facti.

In comprobationem tamen eorum, quæ in facto deducebantur, atque ad ostendendum quod essent nimium verisimilia, dicebam observandum esse quod antiquis temporibus Ecclesiæ primitivæ, in quibus ista Ecclesia Sancti Laurentii per S. Damasum fundata fuit, numerus fidelium non adeo non excreverat, neque adeo dilatatus erat divinus cultus, & frequens administratio sacramentorum, præsertim baptismatis, quoniam non administrabatur singulis infantibus paulo post nativitatem singulis diebus, & horis juxta hodiernam praxim, sed habebatur usus Neophytorum, qui tempus notabile postquam fidem susceperant, in eo statu perseverabant tamquam per speciem probationis, deindeque tanquam per speciem processionis solemnis in aliquibus solemnioribus anni temporibus, præsertim vero in Dominica prima post Pascha, quæ propterea in albis dicitur, turmatim, & in magno numero in sacro fonte abluebantur, & per consequens minor erat numerus tam Cathedralium, quam Parochialium, quæ longe majores habebant fines, adeout in ipsa Roma, quæ tunc triumphatrix erat adeo plena populo, ut juxta relationem historicorum pene majorem numerum animarum haberet, quam nunc habeat universa Italia, solum viginti quinque Parochiæ erectæ fuerint, ut ex deduct. *disc* 34. *de jurisd.* & *in* 1. *discept.* Cardin. de Albicis edita in eodem casu, & registrata *tod. titul. de jurisd.* occasione agendi de titulis Cardinalitiis, ac etiam patet ex iis, quæ super latioribus finibus Ecclesiarum Cathedralium habentur *d. disc.* 6 *de præemin.* & alibi, ideoque tractu temporis excrescente numero fidelium, ac etiam mutato stilo circa cultum, & administrationem sacramentorum, & præsertim baptismatis, ut supra oportuit novas Cathedrales, vel Parochias respective intra fines antiquarum erigere, retentis per antiquam tamquam matrem aliarum aliquibus juribus, vel præeminentiis juxta diversas erectionum formulas, vel diversas consuetudines, ut patet ex casibus recensitis supra, *disc.* 28. *cum pluribus seqq.*

Alia quoque magna verisimilitudine accedente in hac facti specie ex eadem circumstantia, de qua *d. disc.* 28. in cujus casu intra fines unius Parochiæ antiquæ aliæ viginti duo erectæ fuerunt, quarum singulæ hodie adhuc magnæ dici possunt, quod scilicet in hac parte nullus aderat populus, qui antiquitus vivebat in ea parte, quæ nunc desolata cernitur versus agrum Boarium, & Hortos Palatinos, sive Lateranum, aliasque ibi adjacentes partes, adeout ista sit Civitas nova constructa in Territorio campestri, & destinato culturæ. Et per consequens nimium verisimile est quod amplos fines ista Ecclesia haberet ob cessantem necessitatem existentiæ aliarum parochialium, quæ postmodum superventa mutatione status rerum, erectæ fuerunt, juxta id, quod in casu converso docet praxis super amplitudine finium Parochiæ, annexæ Basilicæ Lateranensi, quia nimium exiguus populus hodie in illis vivit, cum similibus.

His autem sic stantibus dicebam quod circa probationes criticandi non erant rigorose singuli actus, eo
7 modo quo sequitur in altera specie subjectionis dativæ, & ac cidentalis ratione privilegii, vel præscriptionis, in cujus casu stricte, & rigorose proceditur, cum regula, ut tantum præscriptum, quantum possessum, sive ut id solum competat; quod in privilegio continetur, & non ultra, denegata extensione de casu ad casum etiam ex identitate rationis juxta ea, quæ habentur *disc.* 21. *de judic.* in proposito præscriptionis, vel consuetudinis, ac etiam *disc.* 30. *de benefic.* & alibi, cum potius intrent alii termini causæ universalis, de quibus *d. disc.* 1. *de jurisd. & sub tit. de decim.* & alibi pluries, ut probatio, vel possessio aliquorum actuum sufficiat pro aliis cadentibus sub eadem causa universali tamquam sub eadem radice.

ROMANA JURIUM PAROCHIALIUM, PRO HOSPITALI S. SALVATORIS AD SANCTA SANCTORUM, CUM VICARIO, SEU CURATO BASILICÆ LATERANENSIS.

Casus disputatus in S. Congregatione Visitationis Apostolicæ, resolutus pro Curato.

De eadem materia, de qua supra disc. 23. & quæ jura competant parocho cum infirmis, & aliis existentibus in Hospitali sito intra Parochiam, ac etiam cum ibidem decedentibus.

S U M M A R I U M.

1 *Factis series.*
2 *Quod sit procedendum cum distinctione casuum, & damnantur generalitates.*
3 *De administratione sacramentorum baptismatis, & matrimonii in hospitalibus, cui incumbat.*
4 *De descriptione animarum.*
5 *De decedentibus in hospitalibus qui eligant sepulturam in alia Ecclesia.*
6 *De puncto principali super sepultura, & super administratione Sacramentorum, & fructuum parochialium in hospitalibus, & de vi observantiæ.*
7 *Observantia attenditur in interpretatione privilegiorum.*

D I S C. XLI.

1 CUm ob nimiam vicinitatem, forteque adjacentiam insignis Hospitalis Salvatoris ad Sancta Sanctorum sub administratione populi Romani, seu aliquorum nobilium sæcularium cum Basilica Lateranensi, functiones parochiales in eo exerceri consueverint per Vicarium, seu Curatum ejusdem Basilicæ, atque ex electione decedentium, major pars forte in eadem tumularetur, ex aliquibus tamen contingentiis administratores immutato stilo, ejusdem Hospitalis Capellanis dictas functiones committerent, Curato vero denegarent; Hinc orta controversia, eaque delata ad Sacr. Congregationem Visitationis Apostolicæ, atque assumpta desuper disputatione quæ in facto potius quam in jure consistebat super justificatione scilicet observantiæ, ex ista, quæ præsertim in Cardinalitiis Congregationibus nimium attendi solet, quasi quod nedum legales, sed etiam prudentiales regulæ ita exigant, ut solitum non alteretur, ad favorem Vicarii, seu Curati prodiit resolutio in iis, in quibus observantia assistebat, adeout in disputatione desuper habita modicæ fuerint partes Juristarum, dum inspectio fuit potius super facto nempe, & super probationibus observantiæ, quæ controvertebatur.

Scribens autem, in unica disputatione pro Hospitali, vidensque, quod potius Scribentes hinc inde procederent cum generalitatibus super juribus parochialibus in 2 abstracto, advertebam erroneum videri cum hujusmodi generalitatibus procedere, cum potius procedendum esset cum diversorum casuum, vel functionum distinctione, qua mediante conciliari dicebam ea, quæ hinc inde deducebantur pro majori parte desumpta ex decisione edita in alia consimili controversia, de qua *supra disc.* 23. *impressa decis.* 348. *part.* 11. *recent.* & inter illas Zaratæ *decis.* 45.

Primus itaque erat casus, vel punctus in administratione illorum sacramentorum, quæ de regulari natura, 3 sive pro frequentiori contingentia in hujusmodi Hospitalibus administrari non solent, nempe Baptismatis, & Matrimonii; dum quandoque datur casus eorum administrationis etiam cum personis, quæ in Hospitali degant; Et tunc dicebam distinguendum esse inter infirmos, quia a diversis Parochiis, & partibus Civitatis ac etiam a locis convicinis ad Hospitale confluant gratia curationis, cum quibus sacramenta quandoque administrari contingit, puta quia pauperes mulieres prægnantes infirmæ pariant, ideoque infantuli baptizari debeant, vel quia viri pro exoneratione conscientiæ, vel pro legitimatione filiorum, aliisque effectibus etiam in articulo mortis ibidem desponsare velint illas mulieres, cum quibus ratione concubinatus longam habuerint conversationem, & illas personas, quæ tamquam medici, vel Chirurgi, sive assistentes, & ministri, ac servientes in dicto Hospitali continuam moram agant.

Priori etenim casu certum videri dicebam, quod neutri contendentium hujusmodi Sacramentorum administratio competeret, sed propriis parochis infirmorum & præsertim respectu matrimonii pro nova inducta per Concilium Tridentinum, pro qua requiritur præsentia illius, qui est verus parochus proprius unius ex contrahentibus ratione veri, & juridici domicilii, non autem istius accidentalis, adeout non dicatur Parochus proprius ille, qui sit loci, in quo etiam rurandi gratia, vel pro salubritate aeris, vel ex alio accidenti, & occasionaliter vivatur, ut in sua sede *sub tit. de matrim. disc.* 1. *cum pluribus seqq.* Atque in baptismate infantulorum nulla urget necessitas ut tunc & illico baptizentur, dum antiquitus ista functio in Cathecumenis differebatur per annos, atque ubi necessitas urgeat ad imminentiam periculi mortis, a quocumque etiam ab obstetrice administrari potest, ideoque possunt infantuli asportari ad parochiam matris.

Quo vero ad alias personas in statu valetudinis existentes, & quæ occasione ministerii ut supra in Hospitali morentur, advertebam pariter, decisionem pendere a circumstantiis facti, an scilicet illæ personæ, ut frequenter contingit in forensibus, nullum aliud in ea Civitate habeant domicilium, adeout illud sit fixum, & continuum in Hospitali, vel ejus adjacentibus domibus, & mansionibus, vel e converso habentes in alia Parochia domicilium, ibi occasionaliter morentur, ut hoc posteriori casu dicendum sit idem, quod de infirmis; In priori autem pro Parocho potius contra Capellanum pro Hospitali esset respondendum, dum illorum respectu, cessantibus privilegiis Apostolicis, per quæ regula limitetur, non intrat illa ratio, quæ infra in administratione illorum sacramentorum, & aliorum divinorum, quæ congruunt infirmis, consideratur.

Alter erat controversiæ casus super illa descriptione animarum, quæ singulis annis per Parochum fieri debet, & so- 4
let prope diem paschatis, ad diversos bonos effectus, illum præsertim sciendi ac dignoscendi, quinam satisfaciant præcepto; atque isto casu de stricta juri censura advertebam dicendum videri idem, quod in præcedenti, ut pertineret ad singularum personarum Parochos proprios, quibus tamquam pastoribus ita incumbit tamquam in quodam rotulo habere descriptas proprias oves, earumque statum scire ut morbidos cognoscere, & curare valeant, sed quoniam id esset nimium incommodum, peneque impracticabile; hinc

hinc reflectendo ad veritatem credebam quod pro iſto Parocho potius reſpondendum eſſet, cum pariter non adaptaretur illa ratio, ob quam inolevit uſus, quod ipſorum Hoſpitalinm Cappellani, & miniſtri munera explicent parochialia, ex deductis *ſupra, eodem diſc.* 23. Ac propterea inter ipſos Parochos jure cujuſdam ſocietatis in hoc parochiali miniſterio ita adeſſe dicatur quoddam reciprocum mandatum, ut unus deſcribat animas alterius, quæ occaſionaliter eo tempore in ea parochia reperiantur, dum etiam in Hoſpitiis, & Canponis deſcribuntur forenſes, vel alii occaſionaliter ibi morantes, qui tamen vere non ſunt domiciliarii; Potiſſime quia iſta non eſt functio juriſdictionalis, ac præciſe parochialis, & per conſequens in hac parte juſta viſa eſt reſolutio.

Tertius erat caſus illorum, qui in Hoſpitali gratia curationis, vel occaſione miniſterii ut ſupra degentes, moriendo eligant ſepulturam in ipſa Baſilica, vel in alia
5 Eccleſia; Et tunc pariter advertebam, quod Cappellanus Hoſpitalis nullum jus, nullamque prærogativam prætendere poterat, quamvis ex privilegiis, vel conſuetudine, in ipſo Hoſpitali munus Parochi gereret, quoniam eo ipſo quod cadaver exiit januas, vel limites Hoſpitalis, nil ad ejuſdem Hoſpitalis adminiſtratores, & Cappellanos pertinet; Sed contentio eſſe ſolet inter Parochum proprium defuncti, & Rectorem illius Eccleſiæ, in qua electa ſit ſepultura, ac etiam Parochum loci, in quo Hoſpitale ſitum ſit, juxta firmata *d. deciſ.* 348. *part.* 11. *recent. & ſupra, d. diſc.* 23. & ſic extra caſum.

Quartus demum erat caſus in quo proprie difficultas reſidebat, ſuper adminiſtratione ſcilicet illorum ſacramentorum, quæ infirmis congruunt, & reſpective funeris, vel ſepulturæ illnrum, qui in Hoſpitali morientes nullam eligant ſepulturam; ideoque in ipſius Hoſpitalis Eccleſia, vel Cæmeterio tumulentur atque
6 in eo reciperent Sacramenta parochialia, qualia ſunt illa Viatici, & extremæ Unctionis, cum illud Pœnitentiæ ſit voluntarium; Et tunc, ut ſeclusis privilegiis, vel legitima conſuetudine, de ſtricta juris cenſura dicendum eſſet idem, quod ſupra in primo caſu dictum eſt: ut ſcilicet ad proprios cujuslibet infirmi Parochos id pertinere debeat, dum illa occaſionalis mora non inducit domicilium, ac veram ſubjectionem parochialem. Sed quoniam id videtur impracticabile, præſertim in adeo magna Civitate, atque in Hoſpitale adeo remoto a locis inhabitatis, ac etiam quia Parochus loci, in quo Hoſpitale ſitum eſt, juridice ſe opponere poteſt, ne alter Parochus in ejus Territorio crucem erigat, aliaſque juriſdictionales peragat functiones, dum ſacramentum matrimonii eſt actus voluntariæ juriſdictionis; idcirco, quoties privilegia Apoſtolica non aſſiſtant Cappellanis, & miniſtris Hoſpitalis, juxta caſum, de quo *in d. diſc.* 23. quatenus etiam nulla aſſiſtat conſuetudo, adhuc pro Parocho potius reſpondendum venit; ne alias detur caſus, quod in ejus territorio, ipſo inſcio, vel invito, jura parochialia per alium exerceantur; Quatenus vero adſit conſuetudo, quæ aſſiſtat Cappellanis, & miniſtris Hoſpitalis, tunc ſi iſta eſſet alicujus temporis conſiderabilis, quamvis non eſſet talis, quod ſufficeret in iis, quæ ſunt contra, ſed in iis, quæ ſunt præter jus, juxta diſtinctiones, de quibus *diſc.* 21. *de judic.* adhuc eam ſufficere videri dicebam, quaſi quod ita illa ſit potius interpretativa, ſeu probativa cujuſdam mandati, quod Parochorum univerſitas dederit illis Cappellanis, & miniſtris Hoſpitalis, ut eorum vice, ac nomine ille actus exerceretur pro eorum indemnitate, ne Parochus loci cum eorum ſubditis juriſdictionem exerceret, quam vere præſcriptiva; ſed quando iſta conſuetudo, vel obſervantia deeſt, tunc regula aſſiſtit Parocho ut ſupra, magis vero ubi eidem Parocho aſſiſtit quoque conſuetudo, vel obſervantia, cum tunc caſus pro eo videatur indubitatus; Ideoque reflectendo ad veritatem, adminiſtratoribus Hoſpitalis pro ſtylo libere inſinuatam, dicebam id quod initio ſupra inſinuatum eſt, quod quæſtio eſſet facti, & probationum potius quam juris, ſuper hac obſervantia, qua Parocho aſſiſtente, juſtam beneque fundatam credidi reſolutionem, quamvis ego more Advocati in contrarium objicerem, quod obſervantia non eſſet univoca, ut requiritur ad præſcriptionem, minuſque haberet alia præſcriptionis requiſita, de quibus *eodem diſc.* 21. *de judic.* cum non ageretur de obſervantia præſcriptiva, vel juri contraria, ſed quæ potius habebat juris aſſiſtentiam, vel eſſet interpretativa.

Actum quoque fuit de interpretatione privilegii conceſſi per Clem. VII. huic Hoſpitali, & pro cujus interpretatione per Scribentes hinc inde nimium inſiſtebatur ſuper verborum, & clauſularum formulis, & grammaticalibus ſignificationibus, ſed pariter advertebam quod obſervantia tamquam optima interpres erat ejuſdem quæſtionis judex, & deciſor, juxta deducta *eodem diſc.* 21. *de judic.* & alibi frequenter. 7

PARMEN. DISMEMBRATIONIS,

PRO

ALEXANDRO LENIO.

Reſponſum pro veritate.

De eadem materia de qua ſupra diſc. 34. & 35. An ſcilicet, & quando ſubſtineatur nova erectio parochiæ cum diſmembratione antiquæ, & cum iſtius unione.

SUMMARIUM.

1 F*acti ſeries.*
2 *Diſmembratio, & unio redolens prohibitam alienationem.*
3 *In quo differat iſta ſpecies alienationis ab alienatione bonorum.*
4 *De præſumptione ſolemnitatum reſultante ex lapſu temporis.*
5 *De cauſa requiſita ad effectum diſmembrationis, & unionis reſpective.*
6 *Præſumptio, de qua num. 4. ceſſat ubi actus ex ſui facie apparet.*
7 *De motivis ex quibus geſta mereantur approbationem.*

DISC. XLII.

Villa Monchii, quæ habet ſub ſe pleraſque villas minores enunciatas *ſub tit. de feud.* antiquitus habebat Eccleſiam parochialem, Plebaniam nuncupatam ſub invocatione SS. Laurentii, & Michaelis cum duobus Rectoribus, quorum unus dicebatur Rector portionis S. Laurentii, & alter Sancti Michaelis; Ad preces autem villarum minorum de anno 1637. per Ordinarium ſeu ejus Vicarium ſtantibus quibuſdam piis diſpoſitionibus ad hunc effectum factis, de conſenſu dd. duorum Rectorum in dictis Villis prævia earum diſmembratione, erecta fuit nova parochia ſub invocatione S. Rocchi, ſub ea lege, ut continuare deberet ſub eiſdem antiquis Rectoribus donec viverent, cum obligatione in ea tenendi unum Cappellanum, uno autem eorum moriente portio deficiens ſolidaretur in ſuperſtite, ut ex duabus efficeretur unica, & nova parochia provideretur: Super validitate autem præmiſſorum pro veritate conſultus fui, ex parte Lenii poſſeſſoris dd. portionum S. Michaelis, & S. Laurentii, an illas retinere poſſet, vel potius una earum eſſet impetrabilis. 1

Pro omnium invaliditate reſpondendum cenſui, ideout ubi in puncto juris ad diſputationis trutinam caſus reduceretur coram Judicibus, pro infirmatione probabilius judicandum eſſet; Ideoque conſului, ut recurri deberet ad Datariam pro revalidatione cum Apoſtolica auctoritate, dum ambo actus diſmembrationis ſcilicet dictarum Villarum ab antiqua Parochia pro erectione novæ, & unionis dd. portionum, redolent alienationem prohibitam ſine ſolemnitate, & cauſa, ex deductis *ſupra, diſc.* 34. *&* 35. *diſc.* 2. *de alien. & contr. prohib. n.* 44. *& ſeq. & diſc.* 8. *in adnot. ad Concil. Trident. & alibi.* 2

Utrumque autem requiſitum ceſſare advertebam ſolemnitatis, & cauſæ; Quatenus enim pertinet ad primum quamvis iſta ſpecies alienationis jurium ſpiritualium in eo differre videatur ab alienatione bonorum, & jurium temporalium, ut non requiratur beneplacitum Apoſtolicum, ſed fieri valeat cum auctoritate Ordinarii; adeout non ſit caſus regulandus ad terminos *Extravag. Ambitioſæ*, ſed potius cum Canonibus antiquioribus, attamen deſiderantur alia eorumdem Canonum requiſita, quæ in altera ſpecie alienationis, a beneplacito Apoſtolico remanent ſuppleta, nempe conſenſus Capituli, ac populi, & Rectoris. 3

Quando autem ad hunc ſolum defectum ſolemnitatum

difficultas restringeretur; dicebam, quod ea videretur
superabilis, stante lapsu temporis longissimi annorum
triginta, per quem præsumptio hujusmodi solemnita-
tum resultat, juxta deducta *eodem disc. 1. de alien. &*
4 *contract. probib. & disc. 143. de dote, & alibi* in hac
materia præsumptionis beneplaciti Apostolici, vel al-
terius extrinsecæ solemnitatis, quoniam licet de stri-
cta censura solum tempus non sufficiat, nisi accederet
etiam observantia metienda ex tempore, in quo ere-
ctio effectum sortita est cum provisione novæ parochiæ
in titulum, non computato tempore, in quo conti-
nuavit penes antiquos Rectores sub administratione Ca-
pellani manualis; Attamen adhuc videbatur, quod di-
ci posset difficultas superabilis, quoniam ista species so-
lemnitatum regulanda non videtur eo modo, quo illa
beneplaciti Apostolici, ad terminos *extravag. ambitiosæ*,
in qua adest magis positiva resistentia, ideoque suffice-
re posset observantia longi temporis, juxta distinctio-
nem, de qua *eodem disc. 1. de alien. & contract. pro-
bib. & disc. 143. de dote*.

Majorem itaque, ac forte insuperabilem difficultatem
consistere dicebam in defectu causæ, quæ magis in
hac materia prohibitæ alienationis attendenda videtur,
5 non solum quia de illius justificatione in actis non
constabat, ut constare debebat, adeout non deferatur
attestationibus Ordinarii, juxta deducta apud Otthob.
*dec. 6. decis. 224. part. 10. recent. & in aliis, de qui-
bus supra dd. disc. 34. & 35.* Sed etiam, quia con-
stabat potius de exclusione causæ, dum ista requiritur,
ut sit talis, quod alias consuli non valeat cum provi-
sione Ecclesiæ adjutricis, & Capellani in ea residentis
pro aliquo impedimento temporaneo, & accidentali,
ut advertitur locis citatis, *ac etiam disc. 16. in adnot.
ad Conc. & alibi*. Ita etenim probatum remanere di-
cebam, quod firma remanente cura habituali in anti-
qua parochia, & penes ejus Rectores exercitium esse
posset penes Capellanum in Ecclesia adjutrice, dum
6 pro tempore, in quo dd. Rectores vixerunt, ita ob-
servatum fuit, ergo non dicitur adesse illam præcisam
necessitatem, quæ ad hunc effectum desideretur ut su-
pra, ideoque dicebam intrare conclusionem, de qua
*eodem disc. 1. de alien. & contract. probib. & disc.
143. de dote, & alibi*, quod scilicet non intrat dicta
præsumptio, quam alias diuturna observantia inducit,
quando actus ex sui facie illam excludit, quoniam
præsumptio cedit veritati. Bene verum, quod stanti-
bus bonis pie elargitis ad hunc affectum, atque sub
ista lege, quodque necessitas hujus novæ erectionis, si
non esset præcisa, ut requiritur ad effectum, ut Ordi-
narius cum ejus auctoritate ad hunc actum devenire va-
leat, esset tamen moralis, idcirco dicebam, quod hæc
essent justa motiva, ex quibus de facili sperari posset
7 approbatio Sedis Apostolicæ, atque ita obtineri in-
tentum ponendi rem in tuto, dum posita ista nova
erectione secum ferente dismembrationem dd. Villarum,
cessabat ratio habendi duos Rectores in antiqua pa-
rochia, & per consequens unio justum habebat mo-
tivum, sed quod Apostolica approbatio in utroque
esset necessaria; Incertum tamen remanet, quid se-
quutum sit.

MAJORICEN. FUNERUM; PRO CLERO LOCI DE CAMPIS.

Responsum pro veritate.

An Parochus, vel Capitulum prohibere possit Regularibus ne funera peragant, neque in eis interveniant, quomodo, & quando.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Votum Auctoris:*
3 *Quomodo intelligi debeant hujusmodi conventiones;*
4. *De libertate Partium convocandi ad funus religiosos, & alios.*

DISC. XLIII.

Cum in Civitate, & Diœcesi Majoricen. adsit con-
cordia inter utrumque Clerum sæcularem, & re-
gularem innixa cuidam antiquæ consuetudini, per quam
1 conceditur facultas Regularibus ingrediendi Parochias,
atque elevata Cruce peragendi funera eorum, qui se-
pulturam in ipsorum Ecclesiis eligerent absque aliqua
Parochi, vel Cleri sæcularis licentia, ita tamen, quod
sub ista concordia comprehensi non essent sex Conven-
tus in eadem concordia specificati ex eo, quod in eo-
rum fundatione ita expresse cautum esset, atque de istis
sex aset ille Minimorum, loci de Campis, ut non pos-
sent funus peragere, sed quod ad Cappellanos Paro-
chiæ pertineret cadaver deferre ad eorum Ecclesiam,
ante cujus januas ipsi illud recepturi essent, aliqui ve-
ro eligentes sepulturam in ista Ecclesia cuperent, quod
in funere a Parocho, & a clero sæculari peragendo in-
tervenirent etiam Religiosi ipsius Ecclesiæ, in qua tu-
mulandi erant, id autem per Clerum sæcularem nega-
retur; Hinc introducta desuper lite coram Ordinario
prodiit sententia Regularibus favorabilis; Unde desu-
per ex parte Cleri sæcularis consultus fui pro verita-
te, ad effectum deliberandi super prosequutione ap-
pellationis. Respondi autem contra requirentes pro 2
justitia sententiæ consulendo, ut a prosequutione ab-
stinerent, incertum vero est, quid sequutum sit,
cum amplius de negotio actum non audiverim.

Cum itaque aliqui Scribentes de partibus, ac etiam
in Curia ad favorem Cleri vim constituerent in pacto
expresso adjecto in limine fundationis Conventus, ni-
mium se diffundendo in robore, & efficacia hujusmo-
di conventionum in limine fundationis, quæ alias se-
quuta non esset, chartas inutiliter pro consueta ine-
ptia replendo pro comprobatione istius absoluti, ac
præsupponendi principii; Hinc dicebam, quod omnia
desuper deducta, erant quidem vera, sed juxta fre-
quentiorem contingentiam fallacia erant in applicatio-
ne, cum ista conventio adjecta in limine fundationis 3
aliud non contineret, nisi moderationem præfatæ exor-
bitantis consuetudinis, ut Regulares possent absque li-
centia, vel interventu Parochi erigere Crucem, & pe-
ragere funus contra id, quod est de jure dispositum,
ex deductis supra, *disc. 23. & disc. 52. & 65. de re-
gul.* & alibi, sed non tollit libertatem morientibus,
vel eorum conjunctis, ne pro devotione, vel honori-
ficentia convocare possint regulares, ac etiam alios cle-
ricos sæculares, ac etiam confraternitates laicorum, & 4
musicos pro associatione, & solemnitate funeris quo-
niam Parocho sufficere debet, quod ipse peragat fu-
nus; atque sub ejus cruce alii incedant, adeout ipso
invito non possint proprias Cruces erigere, quoties le-
gitima consuetudo id non permittat, ex iis, quæ ha-
bentur in alia Majoricen. *supra disc. 30. ubi concor-
dantes*. Ideoque exceptuatio contenta in concordia ge-
nerali de dictis sex conventionibus, in quibus urgeret
ratio conventionis in fundatione, non alterat id, quod
de jure in hoc proposito dispositum sit super intelli-
gentia conventionum particularium, sed solum istas
præservet, ne alias eis præjudicetur, juxta naturam
præservativæ, quæ sicuti nihil tollit, ita nihil de
novo concedit, sed relinquit rem in eo statu in
quo sit.

ROMANA QUARTÆ FUNERALIUM, PRO PP. CONGREGATIONIS LUCENSIS,

VEL

SANCTÆ MARIÆ IN CAMPITELLO;

CUM

PAROCHO S. ANGELI IN FORO PISCIUM.

Responsum pro veritate.

De eadem materia; de qua supra disc. 25. An scilicet, & de quibus per Regulares debeatur quarta, seu portio canonica Parocho, & quando privilegia non solvendi suffragentur, necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series:*
2 *In quibus legatis, & dispositionibus non habeat locum Clementina* Dudum.
3. *Aliud est religio in universum, & aliud Ecclesia, cui religiosi inserviunt.*
4. *De consuetudine Urbis circa istam quartam:*

5 De

5 *De distinctione inter quartam funeris, & quartam legatorum.*

6 *Assumi non debent quæstiones generales dubiæ, ubi habentur motiva particularia solida.*

7 *Quando in conciliis requiratur derogatio specialis, vel sufficiat generalis.*

8 *An Clementina dudum procedat in clericis regularibus.*

9 *De intelligentia clausulæ apponi solita dummodo non sint Concilio Trident. & sacris Canonibus contraria.*

10 *Quomodo in his quæstionibus decidendis procedi debeat, & quod observantiæ nimium deferendum sit.*

D I S C. XLIV.

CUm Sancta Bellona, electa sepultura in Ecclesia
1 S. Mariæ in Campitello, hæredem instituisset
Congregationem Clericorum Regularium, quæ a dicta
Ecclesia, vel a Civitate Lucen. patria fundatoris nuncupationem
desumpsit cum onere, ut ex fructibus ejus
bonorum substentari deberent duo Novitii ultra numerum,
quem ipsa Congregatio suo sumptu substentare
solita esset, prætensionem excitavit Parochus, vel Vicarius
Parochiæ S. Angeli in foro piscium super quarta
hujusmodi dispositionis, ultra illam, quam jam obtinuerat
juxta consuetudinem Urbis in medietate certi funeris,
introductaque causa in Tribunali Vicarii, ex parte
dictæ Congregat. desuper consultus fui, tam super
casu præciso controversiæ, quam generaliter pro aliis,
qui in futurum ubique contingere possent; An scilicet
ei suffragaretur ampla communicatio privilegiorum omnium
aliorum Clericorum Regularium, exceptis Societatis
Jesu, sibi facta per Gregorium XV. atque in hoc
potissimum puncto generali magis insistebatur; Quare
distinguendo inspectiones.

Quatenus pertinet ad primam inspectionem particularem
respondi planam videri negativam contra Parochum,
cujus prætensio indebita censenda esset ex tribus
fundamentis, quorum unum sufficeret, multo magis simul
junctis. Primo nempe ex facto, quoniam ea, quæ
disponuntur in *Clementina* dudum percutiunt legata,
aliasque dispositiones, & emolumenta ratione sepulturæ,
seu ejus causa, & occasione ad favorem Ecclesiæ,
in qua illa electa sit, secus autem ubi ex diversa causa
2 onerosa, & correspectiva, vel etiam lucrativa, sed independenti,
juxta firmata *in alia Romana quarta 4. Junii 1668.*
coram Bourlemont *in casu de quo supra, disc.*
25. Multo vero magis, ac extra omne principium dubitandi,
quando etiam accedat alia diversitas personæ,
ad cujus favorem dispositio facta sit, atque utraque diversitas
in hac facti specie verificabatur; Tum quia dispositio
diversam habebat causam onerosam, & omnino
correspectivam substentationis duorum novitiorum
ultra numerum, pro qua supponebatur vix fructus bonorum
sufficere; Tum clarius ob diversitatem personæ,
cum dispositio facta esset ad favorem corporis, vel Universitatis
Congregationis, quæ licet in ista Domo novitiatum
retineat, attamen est per accidens, cum possit
alibi retinere; aliud etenim est Religio in universum,
aliud vero Ecclesia particularis, cui aliqui Religiosi
inserviant, adeout ista esse possit sæcularis, ac diversæ
naturæ sub diverso Rectore, juxta ea, quæ habentur
discurs. 34. de jurisdict. & alibi pluries: istudque
solum fundamentum de plano sufficere advertebam.

3 Secundo ex eodem motivo, de quo supra, *disc.* 25.
quod scilicet in Urbe diverso jure vivatur in hac materia
quartæ parochialis, quam in aliis Catholici orbis
Civitatibus, & locis, quoniam alibi regulariter,
cessante particulari consuetudine, ista portio canonica
ad limites *dictæ Clementinæ dudum*, est in sola quarta
4 parte, atque multæ Religiones ex privilegiis ab ea sunt
exemptæ, in Urbe vero est medietas, nullaque admittitur
exemptio, & per consequens, ut ibidem advertitur,
ista consuetudo, quæ est adeo favorabilis Parochis,
dividi non potest, neque in parte approbari, &
in parte reprobari, præsertim dum est adeo proficua,
ideoque compensativa alterius consuetudinis, ut nulla
præstaretur quarta legatorum, aliarumque rerum extra
funus.

Et tertio, quoniam aliud est agere de ipsa quarta
funerum, aliud vero de quarta funerum legatorum,
quoniam in prima specie assistunt tam *d. Clementina dudum*,
quam Concilium Tridentinum; Secus autem in
altera ob Constitutionem Pii V: quæ moderata non est
per alteram Constitutionem Gregorii XIII. ut advertitur 5
eod. disc. 25. & nihilominus advertebam sufficere,
ut esset dubium ad effectum, ut dicta observantia attendenda
veniret tamquam interpretativa potius, quam
præscriptiva, juxta frequenter enunciatam distinctionem,
de qua *disc. 21. de judic.* & alibi pluries.

Hinc ad effectum, de quo agebatur advertebam, opus
non esse, quinimo malum consilium esse, assumere
magis dubiam inspectionem generalem, dum habebantur
dicta motiva solida, beneque fundata, præsertim
primum, ex quo (aliis non neglectis) credo, quod
prodierit sententia absolutoria. Sed quatenus illa esset 6
assumenda, nullum dedi certum responsum, sed remansi
indeterminatus consulendo quod quando requirentes
vellent experiri aliam, recursum habere deberent ad S.
Congregationis Concilii oraculum, admonendo tamen,
quod experimentum esse poterat periculosum; observabam
etenim in primis cadere dubium, an privilegium
suffragaretur, dum non continebat derogationem decreti
concaliaris in *dicta Clementina Dudum*, ut in his
specialibus terminis habetur apud Cavaler. *decis.* 101. E
converso autem pro solutione hujus objecti duo considerabam;
Primo nempe latitudinem verborum, & clausularum,
ob quam ista derogatio adesse diceretur implicita,
quæ sufficit, cum ea non requiratur pro forma
præcisa, sed solum pro forma probatoria, ex generaliter
deductis *decis. 101. & 337. part. 10. recent.* & in
his specialibus terminis in Licien. coram Coccin. *decis.
1072. in Cracov.* coram Peuting. *decis. 243. & in* 7
d. Romana quarta coram Bourlemont *de qua supra, d.
disc.* 25. atque insinuatur *discurs. 1. in adnot. ad Conc.
Trid. & alibi.*

Et secundo, quod cum Clementina loquatur de Religiosi
mendicantibus, non comprehendit Clericos Regulares,
ex deductis per Passarin. *de statu hominum t.
2. quæst. 187. art. 4. num. 646.* Verum de hac secunda
responsione dubitabam quoniam ideo Concilium 8
non loquitur de Clericis Regularibus, quia tunc eorum
usus non habebatur, cum ille sit modernus a temporibus
Clement. VIII. circa per primam Cleri reformationem
factam per S. Cajetanum Thieneum, & Paulum
IV. aliosque socios, Unde postmodum ad instar
tot aliæ Congregationes Clericorum regularium excreverunt,
sed ratio est eadem; Potissime, quia idem Clerici
Regulares profitentur esse mendicantes vere, eorumque
privilegia, & naturam sortiri, ideo maturum
judicium desuper non efformavi, neque adhuc occasio
dedit efformandi cum disputationis trutina, & puncti
formali examine.

Aliud majus dubium oriebatur ex clausula in eodem
privilegio contenta, *dummodo tamen sint in usu, & non
sint revocata, ne Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini
Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent*,
dum ita expresse præservata videtur præfata conciliaris
dispositio registrata in dicta Clementina, in corpore
juris Canonici contenta; Si etenim Papa voluit 9
præservare simplices Canones Summorum Pontificum,
vel eorumdem Constitutiones, ac etiam Decreta Concil.
Trid. multo magis dicendum est præservare voluisse
istud Concilium generale magis privilegiatum,
dum in aliis etiam in Conc. Trid. sufficiunt derogationes
generales absque ratione speciali ex deductis
*eod. disc. 1. in adnot. ad Conc. Trid. & alibi
pluries.*

Considerabam posse responderi cum iis, quæ dicunt
aliqui moderni morales: & præsertim Lezana *quæst.
regul. tom. 3. verbo Plausum*, n. 27. & Bordon. *resol. mor.
tom. 2. resol. 52 num. 313.* ut illud verbum *Canonum*, intelligendum
sit de Canonibus ipsius Conc. Trid. non autem
de aliis contentis in corpore juris Canonici. Verum
de responsione nimium dubitabam ex deductis in
contrarium per Fagnan. *in cap. tuarum, de privil. n. 16.*
quodque responsio suffragare solum posset cum distinctione,
de qua supra in tertio motivo inter ipsam præcisam
quartam funeris, quæ non erat in controversia, &
quartam funeralium, de qua solum agebatur, quoniam
in prima specie adesse dicitur repugnantia positiva, in
altera vero secus, atque ad hunc effectum observabam,
quod Papa adhibet verbum *repugnare*, quod præsupponit
repugnantiam positivam, & claram; Unde propterea videbatur,
quod utraque opinio Lezanæ, & Bordoni, &
aliorum Moralium, & Fagnani respective, contineret
extrema vitiosa, illa scilicet Moralium super intellectu
prorsus improbabili, & illa Fagnani super nimia restrictiva,

ctiva, & privilegium suffragaretur solum in iis, quæ sint secundum, vel præter jus, cum ita quodammodo videantur privilegia de vento, sed quod clausula intelligi debeat in iis, in quibus adsit clara, & vehemens repugnantia, quæ redoleat speciem vehementis resistentiæ.

Hæc autem insinuabam per modum simplicis discursus, adhuc indeterminatus ut supra. Potissime, quia in hac materia pro meo sensu erroneum videtur cum ge-
10 neralitatibus procedere, quodque potius inspici debeat locorum, & Diœcesum observantia, cui tamquam hujusmodi dubiorum interpreti deferri debeat, ideoque damnari merentur innovationes regularium contra Parochos, quando observantia sit pro solutione hujusmodi quartæ, sicuti e converso innovationes Parochorum contra regulares, quando observantia sit pro non solutione; Quamvis etenim ob legales subtilitates observantia attendi non soleat, ex iis, quæ adversus præscriptionem, pro ea impedienda habentur *dict. disc. 21. de judic. & alibi*, præsertim ob solitum confugium decreti irritantis inficientia quamcumque contrariam possessionem, vel quia negligentia prædecessorum non possit præjudicare successori, vel respective universæ Religioni, juxta plene cumulata *dict. dec. 337. part. 10. recentior.* ubi concordantes; Attamen istæ videntur leguleicæ superstitiones pro meo judicio non de facili admittendæ in hac materia, aliisque similibus controversiis inter ipsos Ecclesiasticos, ob scandala, quæ apud populum exinde oriri solent, sed potius procedi debeat de bono, & æquo, & cum religiosa simplicitate, ac naturali veritate, attendendo observantiam de facto, ubi sit alicujus temporis considerabilis, atque non sit positive vitiosa, eaque in ratione potius interpretativa ut supra.

CASSANEN. PAROCHIALIS,

PRO JACOBO SPINELLO,

CUM DOMINICO VENETIANO

ET DOMINICO LAURIA.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Concilii sub incerto exitu.

An valeat concursus habitus coram Vicario substituto ab alio Vicario Generali habente facultatem substituendi.

S U M M A R I U M

1 *Facti series.*
2 *Appellatio suspensiva non datur a prælectione, & judicio Ordinarii, & de ratione.*
3 *Provisus certo modo non est legitimus contradictor proviso pure.*
4 *De stilo Datariæ cognoscendi, an oppositiones impetrantium sint bene fundatæ, necne.*
5 *De puncto principali controversiæ, & an validus sit concursus coram Vicario substituto ab alio Vicario.*
6 *Unicus est Vicarius Generalis, & non dantur in eadem Diœcesi duo Vicarii Generales.*
7 *Communis opinio, vel communis error in hoc non attenditur*
8 *Dantur exempla, quod substitutus efficitur principalis, ac directus.*
9 *Dari potest hæc facultas Vicario, vel alteri officiali, ut alterum ejus loco deputet.*
10 *Non attenditur vocabulum, sed substantia, an sit, necne in effectu Vicarius Generalis, quamvis non appelletur talis.*
11 *De decis. 1033. Seraph. in quo casu loquatur.*
12 *De diversa quæstione, an Vicarius Vicarium deputet.*

D I S C. XLV.

1 CUm Episcopus Cassanensis natione Hispanus in ea regione moraretur, idcirco ob longam distantiam amplum dedit mandatum Francisco Antonio Leopardo, quem deputavit Vicarium Generalem in omnibus etiam speciale mandatum requirentibus; cum facultate quoque ut loco sui semel, & pluries alium Vicarium substituere, vel deputare posset, quare cum in vim hujus facultatis deputasset quemdam Canonicum Franciscum de Senis cum titulo Locumtenentis Generalis, isteque tamquam Superior a Capitulis, & universa Diœcesi recognosceretur, omniaque exerceret ad munus Vicarii Generalis pertinentia, sequuta vacatione Ecclesiæ Parochialis Sancti Leonis de Saracena, de mense Apostolico reservato coram eo ad formam Concil. Trident. habitus fuit concursus, ipseque prælegit Jacobum, alii vero duo Dominici, qui se opposuerant, appellarunt, eorumque unus eamdem Parochialem a Dataria impetravit ob male servatam formam concursus, & ex illa impetratione, quæ dicitur juxta Constitut. Pii V. frequenter in præcedentibus enunciata, cum pene omnes rejecti hanc viam aggredi soleant, quamvis raro prosequantur, prætendendo, non bene servatam esse dictam formam, ex eo quod Concilio demandante concursum fieri debere coram Ordinario, vel ejus Vicario Generali, hic habitus esset non coram Vicario, sed coram Locumtenente; Ac propterea se opponebat expeditioni provisionis dicti Jacobi prælecti, atque Datarius post aliquas disputationes remisit negotium consulendum Sac. Congregat. Concilii, in qua disputatum fuit dubium: An bene servata esset dicta forma; incerta tamen remanet resolutio, dum juxta commune vitium Procuratorum, & Agentium, amplius non vidi illum, qui negotii curam habebat; probabiliter tamen credo, quod fuerit ad favorem prælecti pro validitate.

Duas itaque desuper dedi informationes, unam coram Datario pro non retardatione expeditionis, & alteram in d. Congregat. atque in prima insistebam in eo, quod aut oppositores veniebant jure appellationis ab irrationabili judicio, aut unus eorum tamquam impetrator. Priori casu expresse ab eodem Concilio 2
provisum est, ut hujusmodi appellatio operari non debeat effectum suspensivum, neque retardare provisionem; Et merito, quoniam cum hæc irrationabilitas non præsumatur, illaque justificanda sit formaliter in judicio ordinario, & appellabili, ideoque exigentes tres conformes, non debet interim Ecclesia, & cura animarum adeo diuturnam vacationem pati, dum alias ista nova forma, quæ a Concilio introducta fuit ad bonum finem pro meliori provisione Ecclesiarum Parochialium ac meliori administratione curæ animarum produceret effectum contrarium, dum ut præmissum est, connaturalis est appellatio aliis concurrentibus ob opinionem, quam quisque naturaliter habet de se ipso, ita se mensurando cum mensura nimium lata, alios vero cum altera nimis brevi, ut patet ex tot casibus supra recensitis; At oppositio erat ex parte impetrantis, & cum hæc impetratio esset certo modo; unde pariter non intraret processus exequutivus, sed procedendum esset in judicio ordinario, & appellabili per tres conformes; ut pluries advertitur *etiam sub tit. de benef.* Idcirco eadem intrabat ratio, ut præsertim practicatum fuit in casu, de quo *disc. 55. eod. tit. de benef.* super quo habetur *dec. 58.* 3
Otthobon. quod impetrator certo modo ob prætensam nullitatem provisionis puræ de beneficio vacato per obitum, quamvis fuisset diligentissimus, atque prævenisset provisum in expeditione litterarum, & in ademptione possessionis, adeout esset jam possessor, non per hoc reputatus fuit legitimus contradictor ad impediendam exequutionem litterarum provisi, eum pierisque similibus, dum est casus frequenter contingibilis: Ideoque etiam in sensu veritatis dicebam, quod partes Datariæ erant in concedendo expeditionem prælecto in vim testimonialium Ordinarii, quodque impetrator uteretur jure suo coram Judicibus ordinariis, ad quos pertinet.

Adhuc tamen ex quadam non scripta æquitate, & 4
Ecclesiastica pietate, commendatione dignus videtur iste stilus introductus, vel frequentius, quam antea practicatus per doctum, & pium Cardinalem Corradum, prius Rotæ Auditorem, Datarium Alexand. VII. ad relecandum quo magis fieri posset hujusmodi lites, ideoque aliquando etiam continuatus, & practicatus per alios duos successores Datarios æque doctos, ac pios, ac etiam prius Rotæ Auditores, nempe Card. Otth. Datarium Clem. IX. & Cardinalem Carpineum Datarium Clement. X. Quamvis id certam, & generalem non habeat regulam cuicumque casui adaptabilem; cum sit ma-

terta

teria arbitraria regulanda ex singulorum casuum circumstantiis, & præsertim an objecta nullitas habeat aliquam bonam faciem probabilitatis, necne.

5 In altera vero disputatione habita in Sacr. Congreg. dicebam quod pro meo judicio punctus videbatur potius facti, quam juris; An scilicet dictus Leopardus Vicarius qui alterum loco sui substituerat, post substitutionem, atque de tempore hujus actus gesti, resideret in Diœcesi, & exerceret suum munus Vicarii, necne; ubi etenim resideret, atque exerceret, tunc admittebam nullitatem actus, utpote non gesti ad formam Concilii coram Vicario Generali, non obstante dicta deputatione, quoniam cum pernecesse unicus debeat esse Vicarius Generalis, neque in eadem Diœcesi dentur duo Vicarii Generales, ex 6 iis quæ habentur *d. 22. & 24. de jurisd. & alibi*. Hinc sequebitur, quod alter substitutus esset potius Vicarius Foraneus, vel quidam ipsius Vicarii Generalis adjutor potius de facto, quam de jure, & consequenter talem potestatem non habebat, nil obstante, quod publice, & palam exerceret jurisdictionem, & omnia ea, quæ pertinent ad munus Vicarii Generalis, cum ista potius esset intrusio, & res male gesta, potissime ob *decis. Rotæ* jam proditam in casu, de quo *supra*, *disc.* 4. jam edito, ut communis opinio, vel reputatio ad id non suffragaretur, neque intrarent termini text. *in leg. Barba-* 7 *rius, ff. de off. præf. vigil.*

Secus autem e converso, quod dictus Leopardus, qui prius Vicarius, deputationem fecerat, amplius non resideret in Diœcesi, vel si resideret, ibi permaneret, 8 tamquam homo privatus, & unus de populo, omnino se abstinendo ab exercitio sui muneris, utpote jam dimissi, quoniam tunc non substituens, sed substitutus dicendus venit Vicarius perinde, ac si ab ipso Episcopo directe, & immediate deputatus esset, juxta ea quæ passim recepta habemus in procuratore substituto ab altero habente facultatem substituendi, vel de emente pro persona nominanda post factam nominationem sive de investito de feudo cum facultate subinfeudandi post factam subinfeudationem, quoties nihil pro se retineat, juxta pluries deducta in sua Sede *sub titul. de feud.* cum similibus.

Neque de ista facultate substituendi alterum loco sui, quoties expresse data est, dubitandum esse dicebam ex collectis per Barbos. *de Episcopo*, *alleg.* 54. *num.* 9. admittitur tamquam absolutum apud Seraph. *decis.* 9 1033. *in princ.* in qua totum erat oppositorum fundamentum, cum nulla habeatur lex, vel ratio, quæ id prohibeat; Potissime vero, & clarius, quando concurrat justa causa absentiæ in valde remota regione; Ut observabam de praxi Regis Catholici in Præsidatibus, & Gubernis Regnorum, & dominiorum in Italia, & in Flandria, aliisque regionibus, quod iisdem Præsidibus, vel Vicariis conceditur facultas ob eorum absentiam, vel mortem, vel alium casum, alterum loco sui cum eadem potestate deputandi; Atque observabam etiam docere praxim curiæ in commissionibus, quæ per litteras in forma Brevis diriguntur Episcopis, & aliis in partibus, quoniam dari solet facultas in casu proprii impedimenti, vel recusationis deputandi alterum juxta ea quæ generaliter de subdelegatione facienda per Delegatum habentur, quoties hæc facultas attributa sit, ideoque ut præmissum est, punctus erat facti potius, quam juris; An scilicet ille, qui alterum loco sui substituerat, aliquid pro se retinuisset, atque munus Vicarii exerceret, necne.

Nullius vero momenti esse dicebam etiam cum sensu veritatis, quod Concilium loqueretur de Vicario Generali, ille vero coram quo habitus erat concur-10 sus, non haberet titulum Vicarii, sed Locumtenentis Generalis, quoniam in hoc recte verificatur pluries in omni pene materia insinuatum assumptum, ut non cortex, & formalitas verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, quoniam si ita esset, non possent illi, qui revera gerunt munus Vicarii Generalis in Hispania, habere concursus, eo quia non appellantur Vicarii, sed Provisores, vel Officiales, & alibi sub diversis vocabulis recensitis per Peregrin. *de off. Vicarii, part.* 1. *sect.* 1. *sub sect.* 2. *fol.* 11. & 13.

Obstare autem non videbatur *d. decis.* 1033. Seraph. quinimo istam potius assistere dicebam, quoniam in ea 11 admittitur, ut Vicarius discessurus deputare possit alium Vicarium, si id habeat in facultatibus, potissime ubi accedat justa causa, ut in præsenti, sed illius resolutionis fundamentum in eo residet, quod Episcopus per deputationem alterius Vicarii illum revocaverat.

Quæstio autem, de qua *supra*, *disc.* 17. de Vicario non deputante alterum Vicarium est in diversis terminis, ut ibi. 12

NULLIUS GUASTALLÆ JURIUM PAROCHIALIUM INTER ARCHIPRESBYTERUM, ET COLLEGIUM MANSIONARIORUM,

Responsum pro veritate:

An cura animarum esse dicatur, tam actu, quam habitu penes Archipresbyterum Ecclesiæ collegiatæ, vel potius penes collegium adesse dicatur habitualis, sola vero actualis, & in exercitio penes Archipresbyterum pro competentia jurium parochialium.

S U M M A R I U M:

1 *Facti series.*
2 *De distinctione, quando Cura habitualis sit penes Collegium, vel respective sit etiam penes Archipresbyterum.*
3 *De libertate Parochi, & Partium evocandi ad funera Clericos sibi bene visos.*
4 *An adsit ista libertas, quando Cura habitualis sit penes Collegium.*
5 *De æquitate, vel honestate interponi potest officium Judicis, ut evocentur potius Clerici illius Ecclesiæ Parochialis.*
6 *De conclusione in casu.*

D I S C. XLVI.

Ecclesiam Parochialem Oppidi Guastallæ Nullius Diœcesis sub Abbate Prælato Ordinario habente 1 jurisdictionem Episcopalem, prius existentem sub uno Rectore, Sixtus V. erexit in Collegiatam, cujus dictus Abbas esset Prælatus, & prima Dignitas, Rectoriam vero pro cura animarum erexit in Archipresbyteratum, ut esset secunda Dignitas, erigendo etiam duas mansionarias, quas declaravit non curatas, atque tractu temporis idem Abbas erexit quatuor alias consimiles mansionarias, ac propterea, ipso Abbate faciente figuram Prælati, Collegium constitutum ex Archipresbytero, & sex mansionariis, ipso tamen Archipresbytero habente curam animarum, utpote subrogato loco Parochi; Hisque sic stantibus duæ exortæ fuerunt controversiæ inter Archipresbyterum, & Collegium Mansionariorum; Primo nempe absente, vel impedito Archipresbytero, an jus deferendi stolam, & faciendi officium in funeribus cum præcedentia supra Mansionarios, & alios Clericos spectaret ad Vicarium ab eodem Archipresbytero deputatum, vel potius ad Mansionarium antiquiorem, sive alium ab eodem Collegio deputandum; Et secundo an dictus Archipresbyter, vel ejus Vicarius, ac respective hæredes defuncti tenerentur evocare ad funus dictos Mansionarios, vel potius eis neglectis concorditer evocare possent alios Clericos sibi bene visos, atque desuper pro veritate consultus;

Respondi quod in utroque puncto decisio pendebat 2 ex eodem principio, an scilicet penes Collegium adesset Cura habitualis, adeout penes Archipresbyterum adesset solum actualis, & in exercitio tamquam penes Vicarium, & Ministrum Collegii, juxta casum, de quo *supra*, *disc.* 20. cum similibus, vel e converso utraque habitualis, & actualis esset penes ipsum Archipresbyterum, qui jure suo independenter a Collegio esset Rector & Sponsus Ecclesiæ Parochialis; Priori etenim casu pro Collegio respondendum fore dicebam, posteriori autem pro Archipresbytero contra Collegium, juxta distinctionem, de qua supra, *disc.* 14. & 17. *cum pluribus seqq. & disc.* 26. & 28. & 30. & 31. ac etiam *disc.* 18. *de Canonic. & disc.* 19. & 21. *de præminent. & alibi.* Ubi etiam Collegium gerit figuram Parochi, dicitur intervenire in funere jure suo necessario, neque Archipresbyter tamquam ejus Vicarius, & Minister potest excludere,

dere, vel alterum loco sui invito Collegio deputare, cum ejus jus consistat in eo famulatu necessario, ut neque volens possit Collegium ipsum excludere, sed aliud jus non habet, secus autem e converso, dum Parochus concorditer cum Partibus, quinimo Partes etiam dissentiente Parocho possunt evocare clericos, & alios sibi bene visos, & non tenentur inviti evocare clericos de Capitulo, vel Collegio illius Ecclesiæ, quod reputatur extraneum a Parocho, *ut dict. disc.* 30. *&* 31. & alibi; Stant etenim bene simul,
3 quod eadem Ecclesia sit eodem tempore Parochialis, & Collegiata, idest quod habeat ejus unicum Rectorem, cujus respectu consideratur tamquam Parochialis, & tamen, quod in ea erectum sit Collegium distinctum, adeout adsit independentia hinc inde, quamvis Parochus efficiatur Collegii caput, & prima dignitas, ut in casu de quo supra *disc.* 28. *& disc.* 29. *de praeminent. & alibi*.

Quinimo etiam in casu, in quo Ecclesia Parochialis uniatur ipsi corpori politico, vel intellectuali capituli, vel Collegii, adeout penes ipsum adesse dicatur cura habitualis, penes Archipresbyterum autem,
4 vel alium Collegialem esse dicatur solum exercitium jure vicario juxta casum, de quo *dict. discurs.* 20. cum similibus; Adhuc tamen ubi defuncti hæredes nolint ad funus evocare Canonicos, & Cappellanos, aliosque clericos ipsius capituli, vel corporis, penes quod resideat cura habitualis, sed evocare velint sæculares, & regulares aliarum Ecclesiarum, non videntur prohibendi, quoniam sufficit evocare Parochum, qui repræsentatur ab eo, penes quem sit exercitium curæ, quodque sub ejus cruce alii Clerici incedant, ipseque gerat stolam, & faciat officium intra fines suæ Parochiæ, & quatenus durat ejus jurisdictio, juxta deducta superius *disc.* 23. *& disc.* 54. *de præeminent. & alibi*; Alii etenim Canonici, & Beneficiati ejusdem Ecclesiæ, penes quam sit cura habitualis, non dicuntur Parochi, neque horum Beneficia dicuntur curata ad effectum concursus, vel ad alterum examinis, aut ætatis, juxta deducta *disc.* 35. *&* 95. *de benef. & supra disc.* 37. *& alibi*, ergo non possunt prætendere jus Parochiale.

5 Bene verum, quod quando Partium nil intersit unos, vel alios Cleric. evocari, quia nempe illi de collegio, vel corpore, penes quos residet cura habitualis, se offerant inservire pro eadem mercede, videtur quod cadere possit Judicis officium pro concessione prælationis juxta ponderationes, de quibus *disc.* 144. *de regal.* & alibi pluries, cum ita esset quędam species malignitatis, vel æmulationis; Nimium autem refert statui dictam libertatem, quodque evocatio Canonicorum, & Clericorum ipsius Ecclesiæ sit voluntaria, & ad summam habeat illam necessitatem, quam inducat dicta lex æquitatis, & congruentiæ pro sola prælatione in concursu æquali ad tollendum jus privativum, illasque suffocationes, quæ ex illo resultare solent pluries insinuatæ.

6 Applicando autem ad rem, tenor ipsarum literarum Apostolicarum erectionis clare, & ad literam probare videtur, quod utraque cura actualis, & habitualis, esset penes Archipresbyterum, tamquam antiquum Rectorem, cujus status nullam immutationem, vel alterationem recepit cura, sed solum circa majorem præeminentiam, ut esset etiam de corpore Collegii; Et clarius, dum in eisdem literis expresse decernitur, quod Mansionarii nullam haberent curam; ideoque pro Archipresbytero in utroque concludebam.

S U M M A,

Sive Compendium eorum, quæ continentur *sub hoc tit. de Paroch.* habetur comprehensa *sub praecedenti Summa, tit. de Benefic. præcipue a num.* 302. *ad* 329.

Sequens decisio facit ad materiam erectionis novi Canonicatus, de qua in disc. 6. de Can. & Capit.

D E C I S I O
S A C R Æ R O T Æ
PROVINCIÆ MARCHIÆ,

Coram R. P. D. Abb. Carolo Francisco de Comitibus.

MACERATEN. PRÆTENSÆ ERECTIONIS CANONICATUS.

Mercurii die 15. Februarii 1702.

FRanciscus Blanconus moriens testatus erexit, seu addidit in Ecclesia collegiata non numerata S. Salvatoris conspicuæ Civitatis Maceratæ Canonicatum unum patronatum a se dotatum, & in eodem Testamento præfectum, ac duos pro tempore deputatos Confraternitatis nuncupatæ Artium ejusdem Civitatis (cui Testator adscriptus erat) nominavit in Patronos, ea tamen expressa lege (vi fortasse prædilectionis a natura insitæ) ut post obitum Vincentiæ Testatoris Filiæ sine Filiis, erectione sequuta, semper, & in perpetuum præsentari deberent Ecclesiastici sibi conjuncti, vel in eorum defectum de sanguine Rusticorum, aut de genere Artificum. Purificata mortis conditione Clericus Antonius Berdinus proximior defuncto præsentatus fuit, cui deinde instituto Curia Episcopalis concessit literas auctoritate ordinaria, & mandatum de immittendo decrevit ad formam Testamenti, non obstante oppositione, seu protestatione judiciali Canonicorum, qui ægre ferentes conditionem illam singularem in futuro Collega semper contemplatam reluctabantur, ejus consortium perpetuis successivis temporibus renuendo. Instante igitur Capitulo Ecclesiæ præfatæ coram hoc Sacro Tribunali fuerunt in vim facultatum inhibita hucusque gesta, per text. *in cap. novit. sua, de his, quæ fiunt a Prælato*, & in his terminis, non attento recursu pro moderatione inhibitionis interposita ad Sanctiss. per Organum Illustriss. & Reverendiss. Audit. Sanctitatis Suæ; causa, & Partes ad hoc Auditorium fuere per decretum remissæ. Unde constito prius de fideli adimplemento in reliquis piæ voluntati Defuncti per illius Exequutores, (quamvis inter acta non reperiantur illa primordialia erectionis Beneficii auctoritate ordinaria) proposui dubium, *An Capitulum Collegiatæ teneatur, & cogi possit ad acceptandam erectionem novi Canonicatus de qua agitur, & propterea an sententia, sive Decretum D. Judicis a quo, sit qua ad dictum Capitulum confirmat*. Ac serio examinata per DD. institutione decreta, cum inde sequutis, nec non discusso Articulo importante qualitatem supra expressam Personæ de controverso Canonicatu ad fundationis tenorem providendæ, responsum fuit negative.

Moti sunt DD. quoad primam partem dubii ex defectu consensus totius Capituli, qui desideratur ad validam creationem Canonicatus, de quo agitur, Rota *decis.* 20. *numer.* 5. *part.* 6. *& decis.* 7. *numer.* 6. *part.* 15. *recentior.* de Franch. *decis.* 1. *num.* 22. *vers. sed casus noster est*, etiamsi ageretur cum Dataria Papæ, Rota coram Gregor. *decis.* 221. *numer.* 2. *usque ad* 7. Pacion. *de probat. lib.* 2. *cap.* 28. *numer.* 11. Gambar. *de offic. & potest. legat. in erig. nov. benef. numer.* 12. *&* 13. ea ratione viva, & urgente, cum agatur de actu innovante, seu alterante statum collegialem Ecclesiæ, in quo evidenter Capitulum implicatum est, adeo ut sine illius consensu præfata creatio dici possit infecta, Panorm. *in cap. cum accessissent, de const. numer.* 4. ubi Felin. *a num.* 14. Imola *numer.* 4. Ancharr. *in cap. cum olim, de consuet. num.* 3. *vers. sed de jure*, imo notandum est quod ibi Butr. quamvis ponat contrarium *in summ. num.* 55. illud tamen non firmat in corpore, Fagn. *in cap. dilectus lib.* 2. *num.* 58. *&* 53. *de præb.* Pacif. Jord. *tom.* 2. *elucub. liber.* 9. *titul.* 5. *numer.* 381. Massobr. *in prax. hab. concurs. prælud.* 21. *dub. unic. sub numer.* 14. *vers.*

vel

vel quod, ac in terminis beneficii Collegialis, vel consortialis omnes Canonistæ sunt concordes.

Neque obstare dictum fuit, quod hic agatur de Canonicatu nuncupato necessariæ institutionis, quia illi dos assignata est ab Extraneo de bonis suis laicalibus, & Persona instituenda nominata est a Testatore, unde impertinens dici possit prætensa capituli adhæsio interesse non habentis, dum nec ipsa Ecclesia, neque cæteri Canonicatus decrementum pati possunt; Quoniam gratis asseritur ejusmodi circumstantias inducere assertam necessitatem sive in Episcopo, sive in capitulo, stante abundanti numero septem Canonicorum una cum majori Dignitate, quibus Ecclesia S. Salvatoris est decorata, ut inferius dicetur, & propterea non docto de numero necessario ad servitium Ecclesiæ semper est voluntaria erectio novi Canonicatus, ut egregie dixit Rot. *decis. 6. num.* 11. *&* 12. *part. 6. recent.* ac in Neritonen. Thesaurariat. 9. Novembris 1693. *& in his præcisis terminis loquitur* Felin. *ubique nuper alleg.* Ratio est, quia non semper expedit Ecclesiæ plures habere Ministros, Rot. *dict. decis. 6. numer.* 12. neque multitudine Sacrificiorum propitiatur Deus, ut inquit gloss. *in cap. un. in verb. nimiam, de relig. dom.* præter quam quod Fundatoris voluntas tunc, & eo casu est pro lege ac tenet, quando illa unice respicit præjudicium honoratorum, & habentium causam ab ipso, ut ex notis juris conclusionibus.

Alteri autem objecto, quod nun tangebantur præbendæ, neque diminuebantur proventus cæterorum Canonicatuum, responsum fuit, quod plures sunt casus, in quibus jura hominum valde gravia reputantur, licet non agatur de interesse bursali (de his tamen infra in motivis, quæ percutiunt secundam partem dubii) adhuc tamen adæquate satisfieri posse dixerunt DD. per exemplarem regulam in praxi tentam, ut etiam in erectione novorum Canonicatuum, qui dotati sint ex mera liberalitate Piorum Hominum de bonis suis, Ordinarii auctoritas, & Capituli consensus concurrere debeant, ut in puncto docet Felin. *cit. cap. cum accessissent, de constit. sub n.* 15. *vers. & adde quod si non ageretur*, Card. de Luca *de Canon. disc.* 6. *& disc.* 36. *num.* 2. *vers. cum difficultas*, & in his terminis proposito dubio in Sacr. Congreg. Concil. an erectio Archidiaconatus ab Ordinario facta sine consensu capituli sustineretur, emanavit decretum negativum in una Sabinen. sub die 14. Aprilis 1696. a quo sub die 2. Junii ejusdem anni recessum dici non potest, mandando procedi ad ulteriora ad erectionem Archidiaconatus per Episcopum, quia pro illa vice huic decreto ita concepto absque ulteriori declaratione puncti principalis, causam dederunt particulares facti circumstantiæ magis quam absoluta contradictio capituli nullo cohonestata motivo in nova audientia, quæ aliquando, & recte quidem apud supremos Moderatores pro felici statu œconomico magis præponderant, quam inepti apices juris.

Neque movit DD. in contrarium allegatio Barb. *de Canon. cap* 2. *num.* 22. *& seqq* quasi quod exinde inferatur, Episcopum privative quo ad capitulum superaddere posse novos Canonicatus, quoniam intellectus illius propositionis talis est, quod ipse possit auctoritate ordinaria hoc facere absque necessitate recurrendi ad Pontificem, ut in terminis explicat Rota *decis. numer.* 6. *part.* 15. *recentior.* sed non indistincte, ac simpliciter etiam invito, & renuente capitulo, cum quo procedere debet cumulative juxta decretum Sacr. Congregat. nuper enuntiatum, & nemo est qui dubitet, Rot. ubi supra *dict. numer.* 6. Card. de Luca *de Canon. disc.* 6. *numer.* 3. *&* 4. late Panimol. *decis.* 98. *adnot.* 1. *numer.* 1. *usque ad* ·. Adden. ad Burats. *decis.* 809. *numer.* 18. Joan. Milazz. *assert. jur. assert.* 1. *numer.* 7. 8. 9. 43. 44. 54. *& ass.* 2. *numer* 27.

Prout minime applicabiles reputatæ fuerunt auctoritates Rotæ coram Gregor. *decis.* 221. Coccin. 1902. & Argel. *de legit. controv. ad quæst.* 14. *num.* 5. *cum simil.* per quas prætendebatur quod capitulum dici non possit legitimus contradictor ad impediendam immissionem. Etenim præfatæ auctoritates non loquuntur in casu exprimente conditionem personæ providendæ ac de Canonicatu erigendo, ut hic, tunc enim quando adest causa contradicendi, regula limitatur, *ut per dict. decis.* coram Greg. *num.* 6 sed simpliciter de Canonicatu jam erecto, & de provisione Sedis Apostolicæ, qui non est casus noster.

Animadversum quoque fuit ad insubsistentiam limitationis regulæ a Parte objectæ, quod scilicet ubi consensus a capitulo petitus pro novo Canonicatu irrationabiliter denegatur, habetur pro præstito; Nulla siquidem ratio suadet hoc, vel punctualis auctoritas comprobat; Novi enim Canonicatus erectio cum sit actus voluntarius, ac mere facultativus, ut ostensum est, & quia etiam Canonici non tenentur in eorum Collegio, sive Universitate alios Canonicos recipere, ne quis fiat de Universitate contra ipsius Universitatis voluntatem, ut disponit text. *in cap. si forte* 34. *distinct.* 63. *cap. nullus, distinct.* 60. & in nostris etiam terminis optime Rota *decis.* 695. *part.* 18. *numer.* 18. *&* 21. *tom.* 2. *recent.* Lotth. *de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 19. *numer.* 9. Franch. Marc. *decis. Delph.* 1044. *numer.* 6. Rota in Neritonen. Thesaurar. 9. Novembris 1693. coram Priol. §. *nec pro illorum conclusione*. Inde sequitur, quod in arbitrio Collegii, seu capituli absolute quoque resideat potestas assensum denegandi novæ creationi absque necessitate docendi de causa rationabili ex eo vero principio, seu axiomate, qui vult consequens, vult & antecedens, optime, ac punctualiter Felin. *in dict. cap. cum accessissent, de const. sub num.* 15. *ad finem*, Imola *in capit. dilectus, num.* 14. *& seqq. de præb.* Menoch. *de arbitr. cas.* 425. *a numer.* 45. & alii relati a Milazz. *disser. jur. assert.* 2. *num.* 27. *&* 28. *& in fortioribus terminis*, Cardin. de Luc. *de Canon. disc.* 21. *numer.* 3. aliter enim implicat contradictorum assensum petere, & cogere ad assentiendum *gloss. in cap. cum dilectus, in verb. constitutum in fin. de jurepatron.* quam ibidem Abbas dicit notabilem, ac menti tenendam. Verum tamen est, quod cum Episcopus non valet eo casu de per se solus actum explere, ut observat Milazz. *dict. assert.* 2 *num.* 21. imploranda erit pro illius effectuatione Apostolica Sedes juxta normam text. *in cap. cum olim, de consuet.* quem casum uti exemplarem explicant Imol. *ibidem, num.* 4. Abb. *numer.* 2. *&* 3. Fagn. *in cap. dilecto, num.* 27. *vers. sicuti nec obstat de prob.* Massobr. *in prax. hab. concurs. prælud.* 21. *dubit. unic. numer.* 12. Monet. *de commut. ult. vol. cap.* 12. *sub numer.* 328. *vers. vel quia forte*, Barb. *de Canon. & dignit. cap* 4. *sub num.* 4.

Sed quatenus etiam induceretur capitulum tamquam legitimus contradictor ex abundanti ad allegandam causam, & rationem reddendam suæ oppositionis, assensum denegando controversi Canonicatus erectioni ad notata per eumdem Argel. *de legit. contradict. quæst.* 14. *art.* 5. *numer.* 52. adhuc tamen DD. visum fuit satis constare in facto, & in jure de illius causa, & rationabilitate multipliciter concurrente. Primo dici posset præjudicium capituli, seu diminutio potestatis Canonicorum in actibus jurisdictionalibus, & capitularibus, in quibus ipsi votare debent, Achill. de Grass. *decis.* 290. *seu la* 1. *de his quæ fiunt a major. part Capit.* & hoc etiam notat. Fel. *in dict. c. cum accessissent, num.* 15. *vers. cum enim minuitur, de const.* Et patet ad sensum; Quæ ponderatio non destruitur a specioso titulo majoris cultus, & utilitatis Eccl. consistentis in pluralitate Consultorum per text. *in cap. extra, dist.* 64. *& can. prudentiam, de off. de leg. cum simil.* quia opinio illa canonizata locum habet in casibus suis, ut bene distinguit *d. decis.* Achill. *num.* 3. quæ dat intellectum dictæ rationi, & ideo hæc ratio procedere posset in Ecclesiis numero sufficienti habilium, & proborum Ministrorum destitutis, ut dictum est, ita ut augumentum Canonicorum esset præcise necessarium ad earum servitium, juxta text. *in cap. vacante, cum ibi adnot. de præbend.* Milazz. *assert.* 1. *numer.* 17. Rota *decis.* 6. *numer.* 11. *&* 12. *part.* 6 *recent.*

In facto autem Ecclesia S. Salvatoris Collegiata est, & illi deserviunt septem Canonici cum prima dignitate, quæ appellatur Præpositura, ultra Clericos, ac Presbyteros Mansionarios, adeout in omnibus ad cultum religiosum, & ad interesse illius temporale spectantibus opportune provideatur; Quando etiam Divina peraguntur cum omni dedecore, ac temporalibus etiam vacatur, objici non potest quod expediat pluralitas Canonicorum, gloss. *in cap. unico verb. nimiam, de relig. dom. in* 6. Rot. *d. decis.* 6. *num.* 12. *part.* 6. *recent.* duo enim Canonici, vel tres in Ecclesia Collegiata de jure sufficerent, *gloss. in campis, verb in conventuali, de jur. patr.* Barbos *de Can & dignit cap.* 2. *num* 12. Frances *de Eccles. Cath. cap.* 25. *sub num.* 222. Rot. coram Merlin. *decis.* 87. *num.* 9.

Assum-

Assumpto inde per DD. examine secundæ partis dubii, plures aliæ causæ justæ, ac rationabiles reputatæ fuerunt pro denegatione assensus erectioni Beneficii in Canonicatum, inter quas recensetur etiam expressum Testatoris præceptum conferendi perpetuo Canonicatum vacantem Artificum, aut Rusticorum Filiis, quod præceptum non cohonestatur a text. *in cap. venerabilis, de præb. & dign.* quia ibi est Papa qui ordinat, & ulterius longe diversa est dispositio Canonis ab illa Hominis; ea enim instruit, & ædificat, neminem excipiendo dummodo idoneum; hæc autem destruit, & excedit limites per illam perpetuam taxativam (ut mox dicetur) ex qua unica, & maxima circumstantia nimis nota, & cognita Prudens quilibet est persuasus, quod recusatio Consortialium non est animosa, nullique justæ causæ innixa; quando etiam poterant simpliciter contradicere, ut præter jam allegata resolvit Rota *decis. 695. numer. 18. part. 18. recentiorum tom. 2.* Exclusio siquidem perpetua Nobilium, & civilium Hominum considerata fuit quasi sonans in odium inclytæ hujus Civitatis, & Capituli, ex traditis per Rotam *decis. 307. num. 1.* coram Mantic. & Adden. ad Buratt. *decis. 758. sub num. 13.* ac propterea tamquam præseferens conditionem impudentem, nimis difficilem, jurisprudentiæ non consonam, ac sinistri exitus, vel consequentiæ nutritivam visa est DD. vitiata, & digna rejectione per text. *in leg. 3. ff. de condit. & leg. 1. ff. de condit. instit.* ubi Bart. Card. de Luca *de legat. disc. 43. n. 9.* imo præter dicta inconvenientia reflectendo etiam ad quandam repugnantiam canonicæ dispositioni, resolvenda erat præfata conditio pro non scripta, Lott. *de re benef. libr. 1. quæst. 32. numer 19. 26. & 27.* quia de jure cavetur, ut in collatione beneficiorum, & potissime canonicatuum, ac dignitatum Nobiles Ignobilibus, & Plebeis præferantur ob decorem, & honorem Ecclesiæ, Panormit. *in capit. Dudum lib. 1. de elect. numer. 2.* Peregrin. *consf. 33. numer. 32. lib. 1.* Lamb. *de jur. patron. lib. 2. part. 3. quæst. 5. art. 9.* Tiraquell. *de nobil. cap. 20. num. 10. & seq.* Barbos. *de offic. Paroch. part. 1. cap. 2. nu 120.* Rota *decis. 639. numer. 5.* coram Bich. *& decis. 367. num. 5.* coram Cerro.

Præterea placuit advertere, quod ista lex testamentaria, non solum derogare videtur Ecclesiæ S. Salvatoris quoad splendorem, & æstimationem, sed etiam quoad utilitatem. Clauso enim Ostio Nobilibus, & Civilibus, pauci, vel nulli de illustri genere orti congruerent ad aliorum Canonicatuum assequutionem, & sic Ecclesia damnum pateretur, diminuto numero concurrentium ad ejus Beneficia majora, pro quibus ut praxis docet, habiliores illi non sunt, qui delcendunt a rusticalia, vel vilia tractantibus, *argument. cap. non cogantur dist. 41. & gloss. ibidem litt. F*, in quibus rare quidem excellentia virtutum, in cæteris autem sola mediocritas eminet ultra reliquas dotes; Præterquam quod hujusmodi generis homines, qui vivunt in sæculo raro sunt eruditiores, & magis literati, non vitio quidem personæ, sed fato, aut incuria Familiæ.

Procul itaque merito applicatur Apostoli monitum ad Ephesios 6. quod in spiritualibus non detur apud Deum acceptio personarum, prout etiam monet text. *jund. cap. venerabilis, de præb. & dignit.* Quoniam in figura casus non habetur ullo pacto respectus ad personam uti personam, sed ad causam tantum, videlicet ad commune bonum, ac tranquillum regimen Ecclesiæ, cui Capitulum providere debet, quia in ipso tamquam in corpore mystico potestas residet, & jurisdictio ad hunc effectum a Pontificibus collata, ut ait Rota coram Merl. *decis. 697. numer. 1* Hæc autem ratio juxta subjectam materiam satis patet considerati absque necessitate ulterioris discursus, & sine individuatione locorum, personarum, ac temporum, cujus intuitu tollenda sunt, quæ alias (quando casus daretur) de rigore juris odio habentur, & hæc est etiam responsio Angelica Div. Thom. *in 2. 2. quæst. 63. artic. 2. in respons. ad quart.* & ibi Commentator in primo notabili, qua de causa in materia beneficiali aliquando liberius, & benignius agi videmus erga Ecclesiasticos Sæculares Viros Nobiles, *ut cap. de multa de præbend.* quia nempe illorum qualitas egregie confert ad splendorem, & Majestatem Ordinis Ecclesiastici, Lambert. *de jur. patron. lib. 2. part. 3. quæst. 5. art. 9. num. 1. per tot.* & de hac assertione nemo DD. hæsitavit.

Ad congruam pariter novi Canonicatus dotem habitus fuit respectus, & inventus est minus habens. Bona siquidem stabilia in florido, & uberi statu assignata non excedunt annua scuta quinquaginta pro fructibus, unde attenta quoque modicitate reddituum indecore vivet in Nobili Civitate ingentis Provinciæ Capitali Sacræ Rotæ Tribunali, ac Universitate Studiorum insignita Canonicus ille, qui erit infimæ semper conditionis rusticalis, aut mecanicæ inter Canonicos Collegiatæ Insignis ex recensitis loci, & Ecclesiæ qualitatibus ita dictæ, juxta magistralem *decis. 29. part. 2. divers. a numer. 5.* Cardin. de Luc. *de præemin. disc. 8. numer. 14.* Panimoll. *decis. 99. adnot. 1. a num. 14. & 15.* & ut plurimum destitutus bonis patrimonialibus, aliunde non habens unde honorifice sustentetur ac sibi decenter consulat ad præscriptum Tridentini Concilii *session. 21. de reformat. capitulo secundo* non tantum ratione paupertatis connaturalis, & a jure præsumptæ in quolibet Homine, ut per text. *in cap. sicut 11. distinct. 47.* & notant Bonden. *collect. legal. 15. numer. 101. tom 2.* Rota *decis. 233. numer. 1.* coram Cavaler. *& decis. 50. numer. 3. part. 9. recent.* sed ex facti circumstantiis, attenta prosapia villica, vel operaria.

Cæterum observantia in aliis casibus consimilibus prætensa, utpote cognita claudicans, & minime allegabilis non movit DD. a proposito aliter sentiendi; Nulla etenim acta sunt producta, quæ præseferant onus continuum, & perpetuum Episcopi auctoritate, vel Fundatoris placito Capitulo impositum, & illius consensu toleratum in prænarratis terminis; imo exempla, quæ jactata sunt, retorquentur a Canonicis tamquam favorabilia.

Postremo exagerabatur in contrarium arguendo, quod sicuti Capitulum erectioni aliquorum Mansionariorum in ipso testamento Blanconi demandatæ jampridem consensum præstiterat, ita etiam novi Canonicatus creationi contentæ in eisdem tabulis adhærere tenebatur, ex regula generali, quod voluntas Testatoris dividi non potest per text. *in leg. legatarius, ff. de legat. 1. & in leg. neminem, cum seqq. ff. de legat. 2.* Verum difficultas non diu DD. tenuit ambiguos; & responsio fuit non esse novum in jure quod consensus præstitus actui ex uno titulo non præjudicat consentienti quoad alium titulum, qui cum sit diversus, nequaquam parit divisionem voluntatis juxta receptissimam regulam, de qua Gratian. *discept. forens. cap. 281. numer. 12. & cap 831. a numer. 3.* Surd. *decis. 153. numer. 17. & seqq.* Peregrin. *de fideicom. art. 40. numer. 89.* optime Rot. *decis. 873. numer. 12.* coram Merlin. *& decis. 37. numer. 16. & seqq. part. 5. recent.* Unde hic propter eamdem rationem applicatur conclusio, quod Legatarius ex pluribus legatis sibi distincte a Testatore factis, & ad diversam causam (ut in casu de quo agitur) unum possit acceptare, ac repudiare alterum, *gloss. Magistral. in leg. 2. ff. de leg. 2.* Surd. *cons. 107. numer. 7. & seqq.* Corneus *cons. 249 sub numer. 7. vers. nam quando sunt, volum. 4.* late Crespin. *cons. 30. numer. 5. & cons. 31. numer. 9. per tot.* Rot. *dec. 42. numer. 10.* coram Dunozett. Jun. Unde auctoritates adaptabiles viderentur si legatum esset unicum, & unica oratione conceptum, ut in his terminis loquitur Cardin. de Luc. *de legat. disc. 82. numer. 7. & disc. 43. numer. 10.* secus vero 4
quando legatum est positum per caput separatum, ac dispositio est diversa, qualis est casus noster; Nam Mansionarii, Portionarii, ac cæteri Beneficiati non habent potestatem canonicalem, non connumerantur inter Canonicos, neque habent vocem in Capitulo, prout testantur Abb. *in cap. scriptum 40. numer. 4. de elect.* Rot. apud Cæsar. de Grass. *decis. 4. numer. 6. de his, quæ fiunt a major. part. Capit. decis. 184. numer. 10. & seqq. decis. 697. numer. 4 8. & 9.* coram Merlin. *decis. 126. numer. 7.* coram Bichio *& in recent. decis. 309. numer. 4. part. 6.* & sic erectio Mansionariorum nimis distans ab erectione Canonicatuum nulla dependentia, vel ordine correspectivo in his legatis contemplato ad imparia judicatur, ut bene distinguit Gomez. *variar. cap. 12. tit. de legat. n. 33.* Urceoll. *de transact. quæst. 97. n. 6. cum seqq.* Imo ulterius quando inest in eodemmet legato conditio improba, & imprudens, ut ostensa est in proposito, illa non vitiat, sed vitiatur, ita & taliter, ut ea rejecta non præsumatur ademptio sequuta, optime Cardin. de Luc. *de legat. disc. 43.* pro veritate consultus,

Pro

Pro resolutione igitur dubii conclusum fuit, adimplendum esse legatum eo modo, & in ea parte, in qua potest adimpleri, ex traditis per Tondut. *resolut. civil.* 137. *num.* 9. Ciarlin. *controv. cap.* 5. *num.* 5. *&* 58. Pasqualig. *de off. nov. leg. tom.* 2. *quæst.* 1031. *num.* 3. *& seqq.* Alphonf. de Leon. *de offic. Capellan. quæst.* 5. *sect.* 22. *num.* 322. *aliique plures*, qui referuntur a Rot. in Rom. Dozzinæ 16. Maji 1678. *§. esto confirmata*, & 26. Julii 1679. *§. & quatenus* coram R. P. D. Bourlemont. Et in reliquis resistente Testatoris voluntate ob impedimentum legitimum ademptioni locum non esse, quæ tamquam odibilis nunquam præsumitur, aut saltem omnis interpretatio capi debet pro illius exclusione, Card. de Luc. *de legat. disc.* 43. *num.* 10. *& in summa legator. num.* 49. sed præ cæteris in figura casus controversi prospiciendo animæ Testatoris, & Ecclesiæ alias providit Sacr. Congreg. Concilii in Aretin. Capellan. seu Canonicatus 29. Novembris 1698. Cujus declarationes hoc Auditorium veneratur, sicuti etiam Rota Romana, quæ magistra est, reverenter amplectitur, & sequi profitetur, ut in *decis.* 263. *num.* 11. *part.* 15. *recent. decis.* 5. *&* 24. coram Cels. *decis.* 220. *numer.* 8. *post Torr. de pact. futur. success.* ac testatur Card. de Luc. *de Paroch. disc.* 7. *num.* 3.

Et ita &c. Utraque &c.

Finis Libri Duodecimi.

